22-2-1

Archivo
a
Estante 33
Número 35

3
8-98

57

Del Coll.º de la Comp.ª de Jesus de Granada. Comprolo el P.e Pedro de Montenegro. B. B.ª R 10956

R. P. Fr.

LEANDRI
DE SS^MO SACRAMENTO

NAVARRI, OPPIDI DE VILLA-FRANCA,

ORDINIS DISCALCEATORVM SANCTISSIMÆ TRINITATIS Redemptionis Captiuorum, olim in Complutensi & aliis Hispaniæ Academiis, Theologiæ Professoris; postmodum dicti Ordinis Prouincialis, & Definitoris generalis: nunc verò totius suæ Religionis Ministri Maioris, ac Generalis:

QVÆSTIONVM MORALIVM THEOLOGICARVM

IN DECEM DECALOGI PRÆCEPTA,

Pars Prima, & in ordine sexta.

Cunctis Opus pervtile, duplici Indice locupletatum, Primo Tractatuum, Disputationum, & Quæstionum: Altero verò Sententiarum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,
Sumptib. PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD, ET CLAVD. RIGAVD.

M. DC. LXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA PUBLICA U. L. DE GRANADA
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

i 18786284





NOBILISSIMO HEROI,
Litteratiſſimoque equiti Domino

D. FRANCISCO DE FELOAGA,

IN SVPREMA CASTELLÆ

Aula digniſſimo Senatori: in Italiæ item ſupremo Senatu olim Fiſcali: poſtque pro ſtatu Mediolanenſi illius Regenti: Alcantarenſis Militiæ Signifero, &c.

MORIS eſt, perilluſtris Heros, qui quotidie magis inualeſcit, Procerum gremium humiles Scriptores ambire; non vt latrantium linguas frenent, cum *nulla ſcriptura*, Clemente Alexandrino [a] teſte, *adeò fortunata præceſſerit, cui nullus omnino contradicat*: quippe, vt verè, beneque Hieronymis [b] aiebat, *qui ſcribit, multos ſumit iudices, alius in alterius graſſatur ingenio*: eò nimirum, quia, vt inquit alibi [c] *nil tam facile, quam otioſum, & dormientem,*

[a] *lib. 1. ſtrom.*

[b] *Epiſt. ad Præſid.*

[c] *in Regul. Monach.*

de aliorum labore, & vigiliis disputare: ergo qualiter domi manens Matriti obticescere faciet Gallos, Belgas, Italos, aliosve exteros sugillatores? Nil, norunt omnes, hominum patrocinium iuuat, vt obtrectationis materiæ rabula vbiuis non colligat: nam

d *Alanus lib. Parab.*

[d] *Multotiens captum trahit hamus ab equore piscem;*
Sed bona verba mali nullus ab ore trahit.

Duo igitur, Nobilissime Mecœnas, mouent Scriptores ad suas alicui sacrandas vigilias. Alterum in gratificationis inditium: ergo omnia mea tibi, hanc ob causam dedico: nam mirum quantoperè tua mihi arriserit dominatio, & quam impense mihi faueat: in me fuisti supra meritum indulgentior, nec ideo ingratum me exhibebo. Nec solus ego; sed & tota nostrûm Religio, cuius puppis clauum, licet indignus, rego, tantum se tibi debere clamitat, quantum, etiamsi se apposuerit pignori, nunquam sit persolutura satis. Immortales gratias tibi tam multas ago, vt quas aliis quamlibet amicis agam, non habeam; habeam, quas non agam. Non igitur mihi deero, quandiu aliud præstare nequeo, quin saltim isto scribendi genere meum in te animum plenissimum pietatis ostendam, perficiamque, vt me in omni loco memorem, gratumque esse cognoscas. Non me fallit,

e *Martial. lib. 10. Epigramm. 37.*

[e] *Juris, & aquarum cultor sanctissime legum*
Veridico Latium qui regis ore forum.

Non me fallit, inquam, quam id, pro meo singulari erga te studio, quo quidem sum mirabiliter imbutus, minimum sit. Verum, vt cum Plinio [f] loquar, *& diis lacte rustici, multaque gentes supplicant, & mola tantum salsa litant, qui non habent thura.* Non enim debent, aiebat alius [g] qui magna præstare nequeunt, parua negligere: & qui in rebus maioribus vsui esse non possunt, ob id in leuioribus muneribus apud eos, quos præcipue obseruant collocandis, diligentiam remittere: præsertim cum in omni genere officij pluris animi voluntas, quam muneris magnitudo facienda sit. Quid immoror? Quod referam tuo in me animo dignum nihil habeo (si me ipsum alicuius esse pretij putas, totum peculio tuo ascribito.) Nil reddidisse fateor, si forte sic tibi videar præstasse multum, vt aienti, [h]

f *in præfat. ad Vespasian.*

g *Vsor. de Nobilit. ciuili, ad Ludouic.*

h *Remond. Diuionens. lib. 2. Epigram. 36.*

Dat multum, multumque facit quicumque fatetur
Esse nihil quod dat, quod facit esse nihil.

Honoris causa, quæ in meam refundis opellam, vt eam tibi consecrem, est, quod me monet, alterum. Curat omnis res suas haberi magni, flocci esto sint æstimabiles: quamobrē enixè inhiat in sublimiori manu collocari, vt præstans illis exhibeatur honos. Enimverò certo certius est, quòd annulus, etsi noscatur æreus, vt nonnullius virtutis, & æstimabilitatis à quoquo cernitur, si in

alicuius

alicuius magni viri manu conſpicitur; è contra licet aureus, ex aurichalco, æreve fuſile exiſtimabitur fictus, ſi in digito ruſtici videatur appenſus. Ecqua igitur tam diuerſi inditij aſſignabitur ratio, niſi manuum diſcretio? Bene noueris illud Petri Marſi dictum [i]: *bonum, quod in dextera; nequam, quod in ſiniſtra conſpexeris manu.* Scio ſaltem, plura licet neſciam, mea quænam ſit dextra, in qua quæque mea apparebunt bona: tu enim, Dominatio eximia, dextera mihi es: *Dextera namque eſt*, ſubdit Marſus, [l] *quæ imminente damno, præcipuè protegit.* Ergò í Liber, í in dexteram meam, in qua nobilitatus conſpicieris: cumque in ea, vti in ſublimi ſolio, te videris, modulare: [m] *dextera Domini* (cui ſacratus lumen video) *fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera domini fecit virtutem. Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini.* Igitur quis, Clariſſime Eques, meum (tuum iam) in manu tua cernens librum non alicuius pretij ipſum putet, vtpotè maior quædam, ac illuſtrior in te nobilitas elucet?

[n] *Crediderim, ni virgo foret, te Pallade natum,*
Aut Iouis è cerebro te quoque progenitum.

Cæterum maius quid penſito, meditorque, dum Dominum D. Franciſcum de Feloaga, in ſupremo, & Regali Nauarræ noſtræ Senatu, belli, pacis, iuriſprudentiæ, & prudentiæ-iuris emporio, meritiſſimum per annos plurimos Conſiliarium, Lares tibi video dediſſe Genitorem. Cuius ad maiorum facinora ſi vertam oculos, longiorē video me poſſe habere, quam mei ſit inſtituti orationem: quippe, ad iuſtam hiſtoriam conficiendam, ſeges abundè foret. Sat dicere euoluenti ſcrinia è perilluſtri domo, ſolari, & Caſtello de *Feloaga* primitus de *Belluaga*, hoc eſt, ad bellum agendum, in Guipuzcoanæ Prouinciæ Oyarcitano valle, ſito te originem ducere: notiora enim ſunt alia, quam vt meam narrationem deſiderent. Tuos ſileo ſuperos; duos verùm natu minores non tacebo germanos.

[o] *Quid veſtras memorem laudes, par nobile fratrum.*
Ingenio æquales, ſimiles virtutibus ambo!

Vnus eſt Dominus D. Hieronymus de Feloaga, vltrò in præfato noſtrûm Nauarreorum Senatu meritiſſimus Conſiliarius, quem pro honore tituli, potius quam pro titulo honoris, in tali faſtigio, cuſpideve poſitum nuncupo. Si enim ſumma eruditione præſtantem, & politioris diſciplinæ è tripode prædicem præſtantiſſimum, annuet omnis non poſtremus inter meliorum litterarum myſtas. Dominus D. Antonius de Feloaga fuit alter, eques Iacobeus, Salmanticæ in maiori Archiepiſcopi Muſeo togatus, & illius Lycei, mundi Athenarum Veſpertinus Moderator, in Vallis-Oletanæ Chancellaria Fiſci Præfectus, & Senator, poſt in ſupremo Regiæ gazæ & demum in item ſupremo Indiarum

i *in lib. 1. de offic.*
l *ibid.*
m *Pſalm. 117.*
n *Franciſc. Remond. lib. 2. Epigrãm. 31.*
o *Diuion. lib. 2. Epigrãm. 39.*

rum Senatu Fiſcalis, quem mors (ah!) falce præcoci de medio ſuſtulit:

p *Seuer. Cornel. apud Cl. Min. ad emblema 29. Alciati.*

p *Abſtulit vna dies ævi decus, ictaque luctu*
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ:
Vnica ſolicitis quondam tutela ſaluſque:
Egregium ſemper patriæ caput: ille Senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusque, togæque.

Sique virtute tantum nominis gloria comparatur, quia, vt Menander inquit q *vnus vir iuſtus infinitis non iuſtis præſtat*, nihil eſt animi tui magnitudine nobilius, nihil laude tuæ liberalitatis illuſtrius, nihil ingenij tui fructu præſtantius. Quis te incorruptior? Quis in gratificando humanior? Quis in bene de aliis merendo paratior? Inueniſti enim gratiam apud Deum, & apud homines. Quod noſcens. Noſtri Philippi quarti ſacra Cæſarea, & Regalis Maieſtas Iudicem controuerſiarum te conſtituit, & propetendis donatiuis, ipſius nomine à Cordubenſi, & Giennenſi Regnis peculiari delegatione nominauit.

q *apud Domin. Nau.*

Plurima poſſem de te pangere ſecurus: quia benè norunt, qui me norunt, quantum faceſſat à me aſſentationis ſuſpicio, qui nec ſum palpo doloſus, nec delinio viros palliati blandimenti popyſmate; aſt dum præclara multa, & omni encomio cumulatiſſima in te circunſpicit, ea quæ palam clamitare meus animus præcipit,

r *Martial. lib. 6. Epigrãm. 34.*

r *Occeani fluctus me numerare iubet,*
Et maris Aegæi ſparſas per littora condas,
Et quæ Cecropio monte vagantur apes.

Nam

ſ *Plaut. apud Crinit. lib. 6. de honeſta diſcipl. c. 8.*

s *Iacent rationes, ſilet iudicium: quid dicam neſcio.*

Accipias igitur, Præclariſſime Mecœnas, hoc qualequale munuſculum: quippe.

Dignus es, vt poſſis totum ſeruare clientem:
Vt liceat tantum vera probare potes.

Valeas.

Tuæ Dominationis addictiſſimus ſeruus.

Fr. LEANDER DE SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Approbatio

Approbatio Reuerendiſſimi Patris Fr. Leonis de Annuntiatione, & Fr. Franciſci de Spiritu Sancto, Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis, in Complutenſi Collegio S. Theologiæ Profeſſorum.

QVÆSTIONES Morales in primum Decalogi Præceptum, Methodo apprimè placida concinnatas, & maturitate perlepidè officioſa reſolutas à Reuerendiſſimo Patre N. Leandro de Sanctiſſimo Sacramento, Noſtri cœleſtis Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Generali Digniſſimo, Noſtri Diffinitorij Generalis iuſſione attentè vidimus, ſedulóque perlegimus. Opus ſuo Auctore dignum. Cuius laudes ſunt plectro meliore canendæ: quippe æternum illarum præconium merito honore non valemus proſequi. Stylus clarus, non bombum ſonans, nec raucum taratantara clangens: *in Eccleſia namque Dei*, inquit S. Zeno, Serm. de Iuſtit. *Fucatus non quæritur ſermo; ſed veritas pura*: Et Nicol. not. S. Bern. Epiſt. 49. *Sermo veræ puritatis, vel puræ veritatis illi batus debet eſſe, & facilis.* Breuitas mirabilis: *curæ illi fuit*, vt loquar cum Sidon. lib. 4. Epiſt. 3. *cauſam potius implere, quam paginam.* Sic tamen, vt monuit Hieronym. procem. lib. 11. in Iſaiam, *ſtuduit breuitati, vt nullum damnum fieret intelligentiæ.* In euoluendis libris, & referendis eorum auctoribus, indeficiens, & illibatus, illorum nominibus abunde diſtinctis: quod laudi datum Nepotiano, de quo aiebat præfatus Hieronym. Epiſt. 3. ad Eliodor. *ingenuo pudore*, vērba ſunt Stridonenſ. *qui ornabat ætatem quid cuius eſſet ſimpliciter confiteri, atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando, eruditiſſimus habebatur. Illud aiebat Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantij, illud Hilarij eſt. Sic Minutius Felix, ita Victorinus, in hunc modum eſt locutus Arnobius.* Aliorum ſententias, pro merito, laudat: quia, vt ait Philippus Abbas, Epiſt. 2. *Sic diuini tractatores eloquij ſenſum ſuum nituntur approbare, vt tamen non præſumant alterius improbare, niſi forte illum à fide ſana cognouerint deuiare, vel ei circunſtantiam lectionis manifeſtius obuiare.* Quapropter digniſſimum iudicamus in lucem prodeat: cum nil non vtiliſſimum contineat, aut quod Fidei Catholicæ, & bonis moribus diſcordet. In hoc noſtro Diſcalc. Sanctiſſimæ Trinit. Collegio Complut. Idibus Iunij, ann. Domini 1659.

Fr. LEO DE ANNVNTIATIONE.

Fr. FRANCISCVS DE SPIRITV SANCTO.

FACVLTAS ORDINIS.

FRater Claudius de Sancto Gregorio Diffinitor generalis, & Secretarius generalis Definitorij Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, Congregationis Hiſpaniæ, fidem facio; quod in Definitorio generali in noſtro Complutenſi Collegio die duodecima Ianuarij currentis anni celebrato conceſſum fuit, vt Primus Tomus *Quæſtionum Moralium Theologicarum in decem Decalogi præcepta à Reuerendiſſimo Patre Noſtro Patre Fratre Leandro de Sanctiſſimo Sacramento Maiori, ac Generali Noſtri dicti Ordinis Miniſtro* compoſitus, & eiuſdem Ordinis grauium Doctorum iudicio approbatus, typis mandetur cùm nihil in eo, ſicut nec in aliis quinque, qui iam pridem ab eodem Reuerendiſſimo Patre Noſtro Miniſtro Generali elaborati in publicam prodiere vtilitatem, niſi, ſecundùm Orthodoxam fidem, altum, doctum, piúmque repertum ſit. In cuius teſtimonium, has literas manu mea ſubſcriptas, & officij mei ſigillo munitas dedi, Matriti in noſtro Conuentu die prima menſis Martij anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Sexageſimo.

Fr. CLAVDIVS DE S. GREGORIO *Diff. Generalis & Secret.*

APPRO

APPROBATIO.

R^mi. *Patris F. Leandri de Sanctiſſimo Sacramento Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Generalis Miniſtri, Tomum primum Elucubrationum in Decalogum*, Ego infraſcriptus Doctor Theologus Facultatis Pariſienſis Ordinis Prædicatorum examinaui, probaui & prælo dignum exiſtimaui, vtpote qui exquiſitiſſimam doctrinam, næuum autem neque quoad doctrinam ſeu ad mores nullum contineat, imò qui ad religionem & pietatem conferat plurimum. Datum Lugduni hac die decima quarta Octobris, anno Domini 1661.

Fr. IOANNES ROBE'.

Approbatio Ordinarij.

VIſa Doctoris Approbatione cenſemus hunc primum Tomum *Elucubrationum in Decalogum R^mi. Patris F. Leandri de Sanctiſſimo Sacramento Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis* Digniſſimum eſſe qui in lucem prodeat Lugduni die 13. Nouembris 1661.

DE NEVF-VILLE *Vic. Generalis.*

Conſenſus Procuratoris Regij.

VIſis ſupradictis Approbationibus, non impedio Regis causâ, ne liber inſcriptus, *Elucubrationes in Decalogum R^mi. Patris F. Leandri de SS. Sacramento Ordinis Diſcalceatorum SS. Trinitatis*, typis vulgetur à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD Bibliopolis Lugdunenſibus: Idipſum quibuſcunque aliis, vt par eſt, prohibendo. Lugduni die 18. Nouembris anno 1661.

VIDAVD.

PERMISSIO.

FIat iuxta Concluſiones Procuratoris Regij. Datum die decimo-octauo Nouembris, anno 1661.

SEVE.

Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICVS XIV. Dei gratiâ Galliarum, & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari Priuilegio ſanxit, ne quis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines, intra nouem annos, à die finitæ impreſſionis computandos imprimat, ſeu typis excudenda curet, & venalia habeat, *Opera Moralia Reuerendiſſimi admodũ Patris Leandri de ſanctiſſimo Sacramento Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Miniſtri Generalis*, præter Ioannem Couronneau Bibliopolam Bayonnenſem, aut illos quibus ipſemet conceſſerit. Qui ſecùs facit, præter librorum confiſcationem, ter mille librarum illatione mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Pariſiis die 7. Ianuarij 1654.

Ex mandato Regis.

Signatum CRAMOISY.

Hæc prima Editio huius Partis ſextæ deſiit excudi die 7. Decembris 1661.

Dictus Ioannes Couronneau in Iure ſupradicti Priuilegij conſociauit PHILIPPVM BORDE, LAVRENTIVM ARNAVD, & CLAVDIVM RIGAVD, Bibliopolas Lugdunenſes, vt clariùs in contractu inter eos inito conſtat.

INDEX

INDEX
TRACTATVVM, DISPVTATIONVM,

QVÆSTIONVM, EARVMQVE RESPONSIONVM, quæ in hac ſexta parte continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

In Decalogum. pagina 1

DISPVTATIO VNICA

Præambula in Decalogum. ibid.

QVÆST. 1. VID ſit Decalogus. p.1

℟. *Quod eſt, breuis ſumma legis naturalis, & diuinæ, decem præceptis moralibus cõprehenſa.* ib.

2. Quæ, & quot ſunt Decalogi præcepta. ibid.

℟. *Quod decem.* ibid.

3. An decem Decalogi præcepta, in duabus tabulis lapideis ſcripta fuerint. ibid.

℟. *Vt certum: quod ſic.* ibid.

4. An in ſingulis Decalogi tabulis, quina eſſent ſcripta præcepta Dei. p.2

℟. *Probabilius: quod non. Sed in prima, tria; in ſecunda ſeptem.* ibid.

5. An Præcepta Decalogi, ſint iuris naturalis, & diuini poſitiui. ibid.

℟. *Vt certum: Eſſe vtriuſque.* ibid.

6. An præcepta Decalogi vigeant etiam nunc, in lege gratiæ. ibid.

℟. *Vt certum: quod ſic.* ibid.

7. An præcepta Decalogi præcipiant actus virtutis, tam Theologalis, quàm moralis. ibid.

℟. *Quod ſic.* ibid.

8. An, tranſgreſſio cuiuſuis præcepti Decalogi, ſit ex ſe peccatum mortale. ibid.

℟. *Vt certum: Eſſe: niſi excuſetur aliqua cauſa.* ibid.

9. An Præcepta Decalogi ſint diſpenſabilia. ibid.

℟. *Quod nec ab ipſo Deo.* ibid.

TRACTATVS II.

De iis, quæ ad Fidem pertinent. p.3

DISPVTATIO PRIMA.

De eſſentia, obiecto, & ſubiecto Fidei. ibid.

Q. 1. AN virtus fidei, eiuſque præceptum, ad primum Decalogi præceptum reuocetur, & pertineat. ibid.

℟. *Vt certum: Quod ſic.* ibid.

2. Quid ſit fides? & quotuplex. ibid.

℟. *Quod fides, eſt virtus ſupernaturalis diuinitus in intellectu infuſa, qua illuſtratus homo, certò, & firmiter aſſentitur iis, quæ à Deo ſunt reuelata, & ab Eccleſia ad credendum propoſita. Eſt autem duplex implicita ſcilicet & explicita.* ibid.

3. Quodnam ſit obiectum materiale fidei. ibid.

℟. *Quod eſt, res à Deo reuelatæ, & propoſitæ ab Eccleſia, vt credendæ.* ibid.

4. Quid ſit obiectum formale fidei. ibid.

℟. *Quod eſt veritas diuina, vt reuelans.* ibid.

5. Quænam alia requirantur ad aſſentiendum fidei, prout eſt in notis. p.4

℟. *Quod requirantur quinque.* ibid.

6. An habitus fidei ſit in intellectu. ibid.

℟. *Probabilius: quod ſic.* ibid.

7. An in Beatis ſit fidei actus, vel habitus. ibid.

℟. *Vt quid certiſſimum: Non manere actum: & vt longe probabilius; nec habitum manere.* ibid.

8. An in dœmonibus, & damnatis maneat fides ſupernaturalis informis. ibid.

℟. *Vt ferè certum: Non manere, nec quoad habitum.* ibid.

9. An, in animabus purgatorij, maneat fides ſupernaturalis, tam quod habitum, quàm quoad actum. ibid.

℟. *Vt fere certum: quod ſic.* ibid.

10. An, in hæreticis ſit fides ſupernaturalis, ſaltem quoad habitum. p.5

℟. *Vt omnino certum: quod non.* ibid.

DISPVTATIO II.

De neceſſitate fidei internæ. p.5

§. I.

De his, quæ neceſſitate medij, neceſſario ſunt credenda. ibid.

Q. 1. AN fides ſit ſimpliciter, neceſſitate medij, omnibus ad ſalutem neceſſaria. ibid.

℟. *Vt quid certiſſimum, quod ſic.* ibid.

2. An, tam paruulis, quàm adultis, ſit fides neceſſaria ad ſalutem, ſiue ad iuſtificationem. ibid.

℟. *Vt quid certiſſimum: quod ſic.* ibid.

3. An in aliquo caſu ſufficiat fides in voto, vt quis ſalutem conſequi poſſit. ibid.

℟. *Vt quid certiſſimum: quod non.* p.6

4. An fides omnium mysteriorum, sit necessaria ad salutem, necessitate medij. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sit necessaria fides implicita illorum, non explicita.* ibid.
5. An omnibus sit necessarium ad salutem consequendam, credere explicite, Deum existere, aut esse. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
6. An etiam omnibus sit necessaria fides explicita Dei, non solum vt existentis, sed etiam, vt remuneratoris, ad iustificationem consequendam. ibid.
℟ *Vt certissimum: esse necessariam implicitam: explicitam vero ad iustificationem infidelium.* pag. 7
7. An, Sanctissimæ Trinitatis fides explicita fuerit necessaria ad salutem, necessitate medij: in statu legis naturæ; vel scriptæ; seu ante promulgationem Euangelij. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
8. An, saltem post Euangelij promulgationem, sit necessitate medij ad salutem, necessaria, fides expressa, & explicita mysterij Sanctissimæ Trinitatis. ibid.
℟ *Quidquid alij probabiliter dicant: Quod non.* ibid.
9. An à lapsu Adami vsque ad aduentum Christi, fuerit necessaria necessitate medij ad gratiam, & gloriam consequendam fides, saltem implicita, Christi. pag. 8
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
10. An, non solum fides implicita Christi mediatoris, sed etiam explicita eiusdem; fuerit necessaria, necessitate medij ad salutem, ante aduentum ipsiusmet Christi. ibid.
℟ *Cum communi: suffecisse implicitam.* ibid.
11. An saltem, ante aduentum Christi, fuerit necessaria, necessitate medij, explicita fides Mediatoris alicuius, inter Deum, & homines: quamuis, tali fide, non cognosceretur; talem Mediatorem esse Deum, & hominem. ibid.
℟ *Probabilius; quod nec fuerit, necessitate medij, necessaria.* ibid.
12. In quo actu fidei explicito, potuerit contineri fides implicita Christi, quam esse necessariam ad salutem, necessitate medij, diximus. pag. 9
℟ *Probabilius: quod in actu supernaturali, quo quis expresse, & supernaturaliter crederet; Deum esse, & authorem supernaturalium donorum ad peccatorum remedium.* ibid.
13. An saltem modo, post sufficientem Euangelij Christi promulgationem, cognitio, seu explicita fides eiusdem Christi, sit necessitate medij necessaria ad vtramque salutem, gratiæ, & gloriæ consequendam. ibid.
℟ *Quod non; nisi vt cõuenientiori modo consequantur.* ib.

§. II.

De his, quæ necessitate præcepti fidei credere teneantur fideles. ibid.

14. AN omnes fideles teneantur non discredere nec minimum obiectum reuelatum à Deo, ab Ecclesia propositum. ibid.
℟ *Vt certum de fide: Teneri.* ibid.
15. An omnes fideles teneantur, necessitate præcepti, scire, & credere, actu positiuo, omnia, quæ Deus reuelauit, & ab Ecclesia sunt proposita. pag. 10
℟ *Vt certum: Non teneri.* ibid.
16. An omnes fideles, etiam rudes, teneantur, necessitate præcepti, credere explicite aliquos articulos fidei. ibid.
℟ *Vt certissimum: Quod sic.* ibid.
17. An satisfaciant præcepto positiuo fidei, qui explicite credunt: Deum esse remuneratorem bonorum, & malorum punitorem; & implicite & generatim; quidquid credit S. Mater Ecclesia. ibid.
℟ *Vt certissimum: Non satisfacere.* ibid.
18. An saltem, satisfaciant præcepto fidei, qui explicite credunt omnia, quæ ex necessitate medij tenentur credere: cætera verò implicite. ibid.
℟ *Vt certum: Quod nec satisfaciant.* ibid.
19. An satisfaciant huic fidei præcepto, qui explicite credunt omnes illos articulos, & non alios, quos Ecclesia solenni ritu concelebrat. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non satisfaciant.* ibid.
20. An teneantur fideles, necessitate præcepti, explicite credere mysteria omnia, quæ in symbolo Apostolorum continentur. pag. 11.
℟ *Absolute: quod sic.* ibid.
21. An sufficiat fidelibus, explicite credere articulos fidei, qui in symbolo Apostolorum continentur. ibid.
℟ *Probabilius: sufficere.* ibid.
22. An Mysteria in symbolo Apostolorum, aut in quatuordecim articulis contenta, necessario debeant credi secundum substantiam, & modum, & eorum circunstantias. pag. 12
℟ *Satis esse cognoscere, quoad substantiam.* ibid.
23. Quid ad substantiam septem articulorum qui ad Diuinitatem pertinent: & quos fideles explicite tenentur, pertineat. ibid.
℟ *Quod pertineat credere; Deum esse vnum omnipotentem &c.* Legatur. ibid.
Dubium primum, an sit necesse explicite credere Deum creasse mundum in tempore, & non ab æterno. ibid.
℟ *Probabilius: Non esse necesse.* ibid.
Dub. 2. An sit necesse explicite credere; quod Spiritus Sanctus, à Patre, Filioque procedat. ibid.
℟ *Vt longe probabilius. Quod non.* pag. 13
24. Quid ad substantiam septem articulorum, ad humanitatem Christi Domini attinentium; & quos fideles explicite credere coguntur pertineat. ib.
℟ *Quod videas in corpore quæstionis.* ibid.
Dub. 1. An teneantur fideles, necessitate præcepti, etiam explicite credere; mansisse Matrem, Dei, Virginem post partum, ac perpetuo. ibid.
℟ *Probabilius: Quod sic.* ibid.
Dub. 2. An teneantur, ex necessitate præcepti, fideles explicite credere, Christum Dominum passum fuisse sub Pontio Pilato. ibid.
℟ *Vt longe probabilius: sufficere credere explicite; passum fuisse mortem.* ib.
Dub. 3. An sit necessarium, necesitate præcepti explicite credere, Christum Dominum descendisse secundum animam, ad inferos. pag. 14
℟ *Vt probabilius: Quod sic.* ibid.
Dub. 4. An sit necessarium, ex præcepto fidei, credere explicite, quod Christus Dominus, tertia die resurrexerit. ibid.
℟ *Esse necessarium ex præcepto fidei, credere quod resurrexerit; sed non quod tertia die ex dicto præcepto.* ibid.
25. An fideles teneantur ex præcepto fidei, explicite credere; *Esse Ecclesiam sanctam.* ibid.
℟ *Vt mihi certum. Teneri.* ibid.
26. An, item, teneantur ex fidei præcepto, credere explicite fideles; *Communionem Sanctorum.* ibid.
℟ *Probabilius: Etiam teneri.* ibid.
27. An deinde, teneantur fideles, necessitate præcepti,

cepti, credere explicite mysteria Circuncisionis, Præsentationis in templo; Aduentus spiritus Sancti, & aliarum festiuitatum, quas solemni ritu Ecclesia celebrat. ibid.

℟ *Probabilius. Quod non.* ibid.

28. An rursus, fideles teneantur, necessitate præcepti, explicite credere substantiam Sacramentorum Baptismi Eucharistiæ, & pœnitentiæ. pag. 15

℟ *Probabilius: Non teneri illa Sacramenta credere explicite actu fidei: bene tamen actu virtutis Religionis, quando tenentur illa recipere.* ibid.

29. An eodem modo philosophandum sit de reliquis Sacramentis, Confirmationis, Extremæ Vnctionis &c. ibid.

℟ *Probabilius: Eodem modo esse philosophandum.* pag. 16.

30. An sit necessarium credere fide diuina, præcepta Decalogi. ibid.

℟ *Probabilius. Non esse necessarium credere illa fide diuina: bene tamen fide humana.* ibid.

31. An præceptum explicite credendi articulos contentos in Symbolo, & Catechismo, sit diuinum. ibid.

℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.

32. An Pueri, qui in infantia baptizati sunt, teneantur dictos articulos fidei, ex necessitate præcepti, explicite credere, statim ad vsum rationis sunt assequuti. ibid.

℟ *Vt fere certum: Teneri.* ibid.

33. An etiam Adulti, qui denuo conuertuntur ad fidem, teneantur explicite credere mysteria dicta, cum primum sit illis sufficienter proposita fides. pag. 17

℟ *Vt certum: Teneri.* ibid.

34. An in eodem instanti metaphysico, in quo fides proposita est sufficienter infidelibus; teneantur hi ad eliciendos actus fidei. ibid.

℟ *Probabilius: quod non teneantur in eodem instanti metaphysico; sed morali.* ibid.

35. An, præter supradicta tempora, obliget hoc fidei præceptum, ad eliciendos illius actus, omnibus festis diebus. ibid.

℟ *Vt certum. Quod non.* ibid.

36. An, per se obliget præceptum fidei, ad exercendum actum illius, si non omnibus festis, & de omnibus mysteriis, saltem singulis festis, circa illud mysterium, quod eo die celebratur. pag. 18

℟ *Vt certum: Quod nec his diebus obliget.* ibid.

37. An obliget per se præceptum fidei, ad actu credendum, semel in singulis annis. ibid.

℟ *Probabiltus: Quod non obliget.* ib.

38. An saltem obliget per se hoc præceptum, ad credendum semel in vita, non pro tempore determinato; sed pro tempore ad arbitrium ipsius credentis. ibid.

℟ *Vt certissimum: obligare per se pro tempore determinato.* ib.

39. An, hoc diuinum fidei præceptum, obliget per se vt quis eliciat actum fidei in articulo mortis. ib.

℟ *Probabilius: Quod non obliget per se.* ibid.

40. An, quando quis graues tentationes fidei patitur, obligatus sit, ex vi præcepti fidei, ad eliciendos actus illius, ne tentationi succumbat. pag. 19

℟ *Probabilius: Quod nec in hoc casu sit obligatus per se.* ibid.

41. An saltem obligetur quis, per se, aut ex vi præcepti affirmatiui fidei, ad exercendum actum fidei, casu, quo vrgeat Tyrannus ad negationē, fidei. ib.

℟ *Probabilius: Non obligari ex vi præcepti affirmatiui fidei: bene tamen ex vi præcepti negatiui, ideſt, non negandi fidem.* ibid.

42. An, teneatur quis, ex præcepto fidei positiuo, elicere actum fidei; quando exerceri debent actus voluntatis supernaturales, ad quos prærequiruntur actus fidei. pag. 20

℟ *Non teneri per se ex vi directa præcepti positiui fidei: bene tamen ex alio.* ibid.

43. An detur præceptum sciendi res fidei. ibid.

℟ *Vt certum: Dari.* ibid.

44. Qua ætate præceptum hoc, sciendi, & addiscendi res fidei, obliget. ibid.

℟ *Vt fere certum: Obligare fideles, cum primum vsum rationis assequuntur.* ibid.

45. An, fideles, ita obligentur, scire, aut addiscere mysteria fidei; vt illa memoriâ retineant. ibid.

℟ *Vt certum: Obligari.* ibid.

46. An fideles teneantur ex præcepto, habere memoriter symbolum, aut articulos fidei; non solum, quoad res ipsas; sed etiam, quoad verba. pag. 21

℟ *Probabilius. Etiam teneri, quoad verba.* ibid.

47. An præceptum addiscendi symbolum, aut fidei articulos, & retinendi illos memoriâ, quoad res ipsas, & secundum eorum substantiam, obliget sub mortali. ibid.

℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.

48. An etiam obliget sub mortali, præceptum retinendi memoriâ verba ipsa symboli, aut articulorum fidei. ibid.

℟ *Probabilius: Non obligari sub mortali; sed sub veniali tantum.* pag. 22

49. An, omnes fideles, præter symbolum, aut articulos fidei, teneantur sub mortali, scire, ac tradere memoriæ Orationem Dominicam. ibid.

℟ *Probabilius: Teneri scire, quoad substantiam sub mortali: sed quoad ordinem, & verba, sub veniali.* ibid.

50. An item, teneantur fideles sub mortali, addiscere, & memoriâ retinere, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ. ibid.

℟ *Probabilius; teneri sub mortali, addiscere & retinere illa, quoad substantiam: sed quoad ordinem & verba, sub veniali.* ibid.

51. An etiam teneantur fideles, sub aliqua culpa, addiscere Orationem Angelicam. pag. 23.

℟ *Teneri, sub veniali.* ibid.

52. An, satisfaciat obligationi sciendi memoriter, Symbolum, Orationem Dominicam, & Angelicam, & alia supradicta, & infra dicenda, qui ignarus linguæ latinæ, ea latine addiscit. ibid.

℟ *Non satisfacere; nisi saltem, imperfecto modo, intelligat latinam linguam.* ibid.

53. An saltem satisfaciat obligationi sciendi supradicta, qui ea, lingua materna addiscit, non tantum sensum verborum percipit. ibid.

℟ *Vt certum: Non satisfacere.* ibid.

54. An sit mortale, nescire se signare signo crucis. ibid.

℟ *Vt longe probabilius: Non esse: sed veniale ad summum.* ibid.

55. An teneantur fideles, sub veniali saltem, salue Regina addiscere. pag. 24

℟ *Vt certum: Non teneri.* ibid.

56. An, astringantur fideles, scire, & addiscere memoriter opera quatuordecim misericordiæ. ibid.

℟ *Vt longe probabilius: Non teneri memoriter scire* ibid.

57. An, sub mortali culpa, teneantur fideles, adulti scire, ac addiscere ea, quæ ad Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ pertinent. ibid.

℟ *Vt certum: Teneri.* ibid.

58. An,etiam sub mortali culpa,teneantur fideles addiscere,aut scire ea,quæ ad substantiã, & dispositiones aliorum Sacramentorum. Confirmationis, Extremæ vnctionis, Ordinis,& Matrimonij pertinent. ibid.
℟ *Probabilius:Teneri,casu, quo ad recipienda prædicta Sacramenta,se determinet;alias non.* ibid.
59. An,possint Prælati compellere subditos,sub pœna excommunicationis;vt doctrinam Christianam addiscant,& Parochos,Parentes,& Dominos, vt doceant. pag.25
℟ *Vt fere certum:Posse.* ibid.
60. An,illi,qui ita rudes sunt,& aggrestes,vt ea,quæ in symbolo,& Articulis continẽtur,nec memoria percipere;nec sensũ intelligere possunt:excusentur ab hac sciendi,& credendi obligatione. ibid.
℟ *Excusari, ratione impotentiæ à credendis explicite; non à credendis implicite.* ibid.
61. An, omnes fideles teneantur æqualiter habere explicitam notitiam mysteriorum fidei. ibid.
℟ *Plusquam certum:Quod non.* ibid.
62. Ad quam fidei explicitam notitiam teneantur Fideles laici. ibid.
℟ *Quod ad illam, quam ex necessitate medij & præcepti tenentur:non ad aliam.* ibid.
63. An,Ecclesiastici teneantur ad maiorem, magisq; explicitam cognitionem mysteriorum fidei;quam sæculares tenentur. ibid.
℟ *Vt certum. Teneri.* ibid.
64. An,obligatio sciendi mysteria Fidei,sit in omnibus Ecclesiasticis æqualis. ibid.
℟ *Vt certum: quod non.* ibid.
65. An, Sacerdotes simplices teneantur ad fidem magis explicitam; & ad maiorem cognitionem mysteriorum eius,quam alij fideles. ibid.
℟ *Vt certum: Non teneri: exceptis his, quæ ad suum munus obeundum pertinent.* ibid.
66. An,Parochi, seu Curati, teneantur ad maiorem cognitionem mysteriorum fidei, quam alij Sacerdotes simplices,seu non Curati. pag.26
℟ *Vt certum: Teneri.* ibid.
67. An,Episcopi,& alij Ecclesiæ Pastores obligentur ad maiorẽ cognitionẽ rerũ fidei, & morũ;quã obligantur Parochi, & alij mediocres Prælati. ib.
℟ *Vt certum:Quod sic.* ibid.
68. An, Pœnitens ignorans ea, quæ ratione medij sunt necessaria ad salutem, possit à Confessario absolui. ibid.
℟ *Vt certum:Non posse,nisi prius à Confessario instruatur,& promittat se accuratius addiscere.* ibid.
69. An saltem possit absolui pœnitens, qui scit illos articulos fidei,qui sunt necessarij necessitate medij: ignorat tamen alios, quos, solùm necessitate præcepti,debet cognoscere,ac scire. ibid.
℟ *Posse,si res ipsas sciat, solumque ignoret ordinem, & modum: secus vero si ignoret & substantiam articulorum &c.* pag.27.
70. An, Confessores teneantur interrogare omnes pœnitentes,Doctrinam Christianam. ibid.
℟ *Quod non: sed solum illos,quos probabiliter iudicant illam ignorare.* ibid.
71. An,Doctrina Christiana sit necessariò docẽda.ib.
℟ *Quod sit docenda,& publice.* ibid.
72. An Parochus, seu Curatus, teneatur docere suas oues,Doctrinam Christianam. ibid.
℟ *Teneri,& sub mortali.* ibid.
73. An Parochus,nõ solũ publice,verũ etiam in particulari,teneatur quẽlibet fidelẽ subditũ docere Doctrinam Christianam,seu Rudimenta Fidei. ibid.
℟ *Non teneri.* ibid.
74. An inter infideles possit dari ignorantia inuincibilis mysteriorum nostræ fidei, quæ à peccato excuset. pag.28
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
75. An,etiam inter Fideles,possit dari dicta ignorantia inuincibilis mysteriorum nostræ fidei, quæ à peccato excuset. ibid.
℟ *Probabilius:etiam posse dari apud aliquos rusticos.*ib.
76. An,inter Christianos, sæpe hæc ignorantia contingat. ibid.
℟ *Probabilius: Non sæpe contingere, loquendo de ignorantia mysteriorum, quæ sunt de necessitate medij ad salutem:secus vero loquendo de mysteriis, quæ sunt de necessitate præcepti.* ibid.
77. An,possit dari ignorantia inuincibilis, excusans à peccato,illorum præceptorum, quæ sunt principia communissima, & vniuersalissima antecedentia Decalogum,qualia sunt:*Malum est fugiendum, Bonum amplectendum &c.* pag.29
℟ *Non posse dari.* ibid.
78. An,possit dari ignorantia inuincibilis præceptorum,quæ in Decalogo continentur. ibid.
℟ *Posse dari,non solum pro breui tempore (vt quidam volunt) sed pro multo etiam.* ibid.

DISPVTATIO III.

De externo actu, vel Confessione externa fidei, eiusque obligatione. pag.29
Q. 1. QVid sit actus externus fidei. ibid.
℟ *Quod est confessio externa alicuius mysterij fidei crediti.* ibid.
2. An,hæc externa fidei confessio,eliciatur ab habitu,aut virtute fidei. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
3. An saltem huiusmodi externa confessio fidei,imperetur ab ipsomet habitu fidei. ibid.
℟ *Probabilius: Imperari.* pag.30
4. An detur præceptum,de non neganda fide exterius. ibid.
℟ *De fide;Dari.* ibid.
5. An,ad euitandam mortem, infamiam, & similia damna,liceat alicui,negare fidem,corde simul, & ore. ibid.
℟ *Vt certum de fide: Non licere.* ibid.
6. An,adminus,liceat, ad euitanda prædicta damna, negare fidem, non corde, sed solo ore, aut alio signo exteriori. ibid.
℟ *Vt certum de fide: Minime licere.* ibid.
7. An, fidelis interrogatus à persona priuata, de sua fide,in odium eiusdem fidei; teneatur respondere, & fidem profiteri. ibid.
℟ *Probabilius: Non teneri tunc respondere: sed posse responsum recusare licite.* ibid.
8. An,adminus fidelis interrogatus de sua fide à Rege Tyranno, seu ab alia persona publica iurisdictionem habente, teneatur respondere, fidemque exterius fateri. pag.31
℟ *Probabilius.Teneri.* ibid.
9. An etiam teneatur respondere, & fateri exterius fidẽ,fidelis,qui nõ publice,sed secreto de illa interrogatur à Tyranno,publica potestate fingente.ib.
℟ *Probabilius: Non teneri, si Tyrannus interroget, vt persona priuata:secus, si vt persona publica.* ibid.
10. An deinde,Fidelis teneatur exterius fateri fidem, si de illa interrogetur à persona priuata, publice tamen & coram multis, ibid.
℟ *Probabilius.Non teneri per se saltem.* ibid.
11. An si ille, qui de fide interrogatur à persona priuata,

uata, sit magnæ authoritatis; teneatur tunc respondere. pag.32.

℟ *Probabilius: Nec tunc teneri per se, respondere.* ib.

12. An, superiori Catholico Ecclesiastico interroganti de fide; teneatur Fidelis ad clare respondendum. ibid.

℟ *Vt certum: Teneri.* ibid.

13. An, tempore persecutionis, liceat Christiano fugere; ne cogatur fidem negare. ibid.

℟ *Vt certum: licere, ex obiecto, & per se.* ibid.

14. An, non solum liceat Christiano fugere persecutorem; verum etiam ad id teneatur; saltem se occultando, & dissimulando. ibid.

℟ *Vt certum: Teneri in quinque casibus. Legantur.* ibid.

15. An, etiam è contra, liceat aliquando Christianis non fugere persecutorem; tametsi periculum vitæ eis immineat. pag.33

℟ *Vt certum. Etiam licere aliquando.* ibid.

16. An non solum liceat Christianis aliquando persecutorem non fugere; verum etiam ad id teneantur. ibid.

℟ *Teneri ad non fugiendum, in duobus casibus.* ibid.

17. An etiam, possint licite fugere persecutorem Episcopi, Parochi, & alij Pastores: an vero semper teneatur sistere, fidemq; palam profiteri. ibid.

℟ *Vt certum: Posse etiam aliquando fugere persecutorem.* ibid.

18. An, *è contra, teneantur aliquando dicti Pastores etiam cum periculo vitæ, ad non fugiendum, nec dimittendum Oues.* ibid.

℟ *Vt certum: Teneri in aliquibus casibus.* ibid.

19. An, negaret quis, saltem indirecte, fidem; si negaret explicite, esse Christianum, Catholicum, aut Papistam. ibid.

℟ *Vt certum: Quod vere negaret indirecte fidem.* ib.

20. An etiam negaret indirecte fidem, qui interrogatus, an sit Christianus, vsurpando nomen Christiani, non ad significandam Religionem, sed nationem, aut factionem aliquam Gentis, id negaret. pag.34

℟ *Quod, nec indirectè tunc, negaret fidem.* ibid.

21. An, neget fidem fidelis, qui interrogatus, an sit Turca, vel Lutheranus, affirmat esse. ibid.

℟ *Quod sic. si interrogatio fiat intuitu Religionis: secus, si intuitu nationis.* ibid.

22. An, peccet mortaliter contra fidem, qui apud hæreticos, rogatus, sit ne Clericus, Sacerdos, aut Religiosus; neget, se talem esse, cum sit. ibid.

℟ *Quod non peccet mortaliter.* ibid.

23. An, qui in casibus nuper assignatis, negaret esse Christianum, Clericum, vel Sacerdotem &c. licet non peccaret contra confessionem fidei; committeret saltem culpam mendacij venialem. ibid.

℟ *Committere culpam venialem mendacij; nisi aliàs, excusaret illam, vtendo aliqua restrictione mentali, vt potest.* ibid.

24. An, peccent contra confessionem fidei Clerici, vel Religiosi, qui dum per loca infidelium transeunt; vt incolumes euadant, habitum sæcularem induunt. ibid.

℟ *Quod non peccent.* ibid.

25. An, aliquando liceat, graui de causa, factis, aut rebus, falsam sectam, fidei contrariã, simulare. p.35

℟ *Vt certum: Nunquam licere: vt videbis.* ibid.

26. An, liceat homini Christiano, ob mortem vitandam, exercere per simulationem, actiones, quæ immediate sunt institutæ in cultum falsæ religionis, v.g. adolere idolo incensum; flectere coram illo genua &c. ibid.

℟ *Vt quid certissimum: Non licere ei.* ibid.

27. An saltem, sit licitum fideli; vsurpare cæremonias falsæ legis, non qua tales sunt; sed, ob honestum finem: vt si quis vellet, se circuncidere, vel, ob mortificationem; vel ob imitationem Christi; non, ob protestationem Iudaismi. pag.36

℟ *Vt quid certum: Minime esse illi licitum.* ibid.

28. An liceat homini Christiano, ob vitandum aliquod graue periculum, vti vestibus, directe, & per se destinatis ad cultum, vel honorem, falsis diis exhibendum; sicuti sunt vestes, quibus Sacerdotes infidelium ad offendenda Sacrificia falsis diis, induuntur. ibid.

℟ *Vt certum, quidquid alij sentiant, Non licere.* ibid.

29. An saltem licitum sit Christiano, vti ex rationabili causa, vestibus, Infidelium institutis ad corpus tegendum, & simul ad sectam ipsorum Infidelium manifestandam. pag.37

℟ *Probabilius: Non esse licitum.* ibid.

30. An Adminus, sit licitum Christianis, vti vestibus significantibus aliquam falsam sectam; institutis tamen, ob finem politicum; vt ad discernendam vnam sectam ab alia, ob vectigalia specialia; ob vitandas rixas &c. ibid.

℟ *Probabilius: Nec adhuc id sit licitum.* pag.38

31. An, liceat Christianis pugnantibus, contra Hæreticos, aut Turcas; affigere suis vexillis signa, quæ in suis, ipsi gestare solent; modo non sint alicuius falsi dei. ibid.

℟ *Vt longe probabilius: licere.* ibid.

32. An, non solum præfata signa, sed etiam illa, quæ sunt imaginis Mahometi, Mercurij, vel aliorum, quos vt Deos Gentes colunt; liceant Christianis in suis vexillis, in bello gestare. ibid.

℟ *Vt longe probabilius: Non licere.* ibid.

33. An licitum sit Christianis, in triremibus, & nauibus, portare signa Turcarum; vt eos aggrediantur tutius, & fugiant securius. ibid.

℟ *Vt longe probabilius: Licitum esse illis.* ibid.

34. An item, liceat Christianis exploratoribus, (vulgò *Espiàs*) vti lingua, & habitu infidelium, ad scrutanda illorum secreta, postea detegenda Principibus Christianis. pag.39

℟ *Item licere.* ibid.

35. An, in Comœdiis, & Tragœdiis, quæ populo exhibentur, liceat vti habitu infidelium, quamtumuis sit, vanæ religionis signum. ibid.

℟ *Vt certum: licere.* ibid.

36. An, si fidelis quis nudus esset, & grauissime plueret liceret ei, imponere sibi pileum flauum; & vestibus destinatis pro idolorum Sacrificiis, se contra pluuiam tegere. ibid.

℟ *Quidquid alij dicant; licere ei.* ibid.

37. An, si aliquis infidelis Princeps: v.g. Turca, mandet omnibus existentibus in suo Regno, cuiuscumque sectæ prius fuerint, vt assumant tale signum, v.g. Turcicum, ad protestandum, quod iam sint Mahometani; possint tunc Christiani, ad euadendam mortem, vti tali signo. ibid.

℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.

38. An saltem possent licite, vti tali signo Christiani casu, quo Turca mandaret; vt omnes, qui essent Maumethani in Regno eius, illud signum gestarent; nihil dicendo de aliis, qui non sunt Maumethani. ibid.

℟ *Probabilius: Nec in hoc casu posse.* ibid.

39. An, si Princeps Gentilis mandet, in odiũ Fidei; vt omnes Christiani gestent vestes, sub certa aliqua forma, qua cognoscantur esse Christiani, liceat Christianis, ob vitandam mortem, dimittere tale signum; pag.42

℟ *Probabilius : licere.* ibid.
40. An, accedere ad templa hæreticorum ; aut, audire eorum conciones; sit signum, quod accedens sit eiusdem sectæ cum illis. ibid.
℟ *Vt certum : Non esse signum.* ibid.
41. An licitum sit, interueniente aliqua causa, adire templa hæreticorum, aut Paganorum, necnon synagogam Iudæorum. ibid.
℟ *Vt certum. Esse licitum.* ibid.
42. An, peccet mortaliter, qui sola curiositate ductus, templa hæreticorum adit, & eorum concionibus assistit. ibid.
℟ *Vt longe probabilius. Peccare mortaliter.* ibid.
43. An etiam sit mortale, adire, sola curiositatis causa, synagogas Iudæorum; & officiis ab illis celebratis assistere. pag. 41
℟ *Vt certissimum : Esse mortale, si existat de hac re prohibitio Prælati. Et, etiamsi non existat, si frequenter adeat : non tamen, si semel, aut iterum.* ibid.
44. An, si Princeps aliquis hæreticus præcipiat Catholicis, sub mortis pœna ; vt templa hæreticorum adeant, non Religionis gratia, sed ob alias causas; vt ad defendendum templum ab hoste; aut, ob aliud negotium ciuile ; tunc licitum sit Catholicis subditis Principi, templa adire. ibid.
℟ *Vt certum : Esse illis licitum.* ibid.
45. An, etiam sit Catholicis licitus dictus ingressus, ad euitandam mortis pœnam; casu, quo Princeps hæreticus præciperet talem ingressum ad audiendas conciones hæreticorum, vel ad alias actiones exercendas in honorem suæ falsæ religionis. ibid.
℟ *Vt certum, (quidquid alij dicant) non esse licitum.* ibid.
46. An, liceat famulis Catholicis, suos dominos hæreticos; & ancillis, suas dominas, ad templa hæreticorum comitari. ibid.
℟ *Vt certum : licere illis ; dummodo, solum suis dominis reuerentiam exhibere videantur.* ibid.
47. An, seruo Christiano, apud Turcas, vel Gentiles, captiuo, liceat comitari Dominum templa idolorum adeuntem, ac cum illo genuflectere coram idolo; ac humeris sustinere illum idola adorantem. pag. 42
℟ *Licere illi, dummodo nullum cultum idolo tribuat. Idem dic de ancilla &c.* ibid.
48. An, in aliquo casu, sit licitum, ingredi templa infidelium, vel hæreticorum, ad communicandum cum eis, in cæremoniis, & ritibus suæ falsæ religionis. ibid.
℟ *Vt certum. In nullo casu esse licitum.* ibid.
49. An, si vrgente morte, deesset Catholicus, qui posset baptizare ; posset quis ingredi templa hæreticorum, ad recipiendum Baptismum ab eis. ibid.
℟ *Vt quid certum, in eo casu posse.* ibid.
50. An item, licitum sit Catholicis, in articulo mortis, recipere Sacramentum Pœnitentiæ à Sacerdotibus hæreticis, si desint Catholici. ibid.
℟ *Licitum esse : dummodo non sit scandalosum, aut vrgeat præceptum confitendi fidem &c.* ibid.
51. An deinde, sit licitum, in articulo mortis recipere Eucharistiam de manu Sacerdotis hæretici, in defectu Sacerdotis Catholici. ibid.
℟ *Probabilius : Esse licitum : dummodo non detur scandalum ; nec sequatur infamia Christianæ religionis, &c.* ibid.
52. An, rursus, licitum sit Catholicis, matrimonium contrahere cum hæreticis. ibid.
℟ *Vt certum : Quod non.* ibid.
53. An, licitum sit Catholicis, amicitiæ causa, ire ad Nuptias hæreticorum. pag. 43
℟ *Vt certum : Esse licitum : dummodo sine communicatione in ritibus hæreticis id fiat.* ibid.
54. An liceat Catholicis, contrahere matrimonium, coram Ministro hæretico, ex præscripto Principis hæretici id præcipientis. ibid.
℟ *Vt certum non licere.* ibid.
55. An Fidelis existens, aut transiens per terras hæreticorum, aut Turcarum, possit comedere carnes in diebus ab Ecclesia prohibitis, ad occultandum, se esse Catholicum, ne alias graue subeat periculum. ibid.
℟ *Vt certum. Quod possit (nisi aliàs comestio carnis instituta sit in signum falsæ religionis, vt statim dicemus.* ibid.
56. An etiam liceat Catholicis, vt Christianam Religionem occultent, & hoc modo mortem vitent ; comedere carnes in diebus, quibus ab Ecclesia prohibentur, & ab hæreticis instituti sunt in signum suæ falsæ sectæ : v. g. feria sexta apud Anglos, inter quos, signum est Caluinismi, vesci ea die carnibus. ibid.
℟ *Probabilius : Non licere.* ibid.
57. An saltem possit vesci carnibus in diebus dictis, qui alios non habet cibos, & ita fame aut morbo vrgetur, vt si illis non vescatur, animam aget. ib.
℟ *Posse in hoc casu.* pag. 44
58. An, in eodem casu, extremæ necessitatis, etiam liceat Catholico, vesci idolothytis. ibid.
℟ *Etiam licere.* ibid.
59. An peccaret fidelis, qui comederet carnes, vetitas ab hæretico Principe ; vel ab alia publica persona, appositas ad explorandum, an sit Catholicus. ibid.
℟ *Vt certum : Peccare contra fidem.* ibid.
60. An, eodem modo peccaret fidelis, qui vesceretur dictis carnibus, appositis ad explorandum eius fidem, à persona priuata. ibid.
℟ *Probabilius : Eodem modo peccare.* ibid.
61. An, si qui cogerent Catholicos ad esum Carnium die prohibito, in contemptum legis Ecclesiasticæ, possent illis, ad euitandam alias mortem, vesci. p. 45
℟ *Vt certum : Non posse illis vesci.* ibid.
62. An Catholicus, qui videt Christum Dominum, ab hæreticis contumeliis affici; vel imagines conculcari Sanctorum, teneatur, publica confessione, fateri fidem Christi, etiam cum periculo vitæ. ibid.
℟ *Vt certum, quidquid aliqui dicant, teneri.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De Communicatione externa cum Hæreticis, & Infidelibus. pag. 45

§. I.

De rerum Fidei Disputatione. ibid.

Q. 1. AN licita sit de rebus fidei disputatio, si fiat animo scholastico. ibid.
℟ *Vt certum. Esse licitam, imo & honestam.* ibid.
2. An licita sit etiam, cum Catholicis disputatio de re fidei, tanquam de dubia. ibid.

Respondeo

℞ *Vt certum, minime esse licitum.* ibid.

3. An sit licitum, absolutè, & secundum se, disputare de rebus fidei, cum hæreticis, & Infidelibus. ibid.

℞ *Vt certum: Esse licitum, laudabile; & sæpe obligatorium.* ibid.

4. An sit licitum docto Catholico, disputare cum hæretico, adeò pertinaci, vt nullam spem de sua reductione concipiat. p.46

℞ *Non esse licitum, absolutè loquendo.* ibid.

5. An adminus, dicta disputatio cum hæretico pertinaci, & duro, fieret licita; si, licèt non ei, aliis præsentibus prodesset. ibid.

℞ *Esse tunc licitam, ex adiuncta circunstantia.* ibid.

6 An laicis sit prohibitum, iure positiuo, de rebus fidei publice, vel priuatim disputare. ibid.

℞ *Vt certum: Esse iure positiuo prohibitum.* ibid.

7. An, hæc iuris prohibitio, comprehendat omnes laicos, etiam doctos. ibid.

℞ *Probabilius: Quod sic.* ibid.

8. An saltem sit licitum laicis doctis, disputare cum hæreticis de rebus Fidei, ex mandato Clericorum. pag.47

℞ *Probabilius: Nec hoc modo esse eis licitum.* ibid.

9. An dicta prohibitio vetans laicis, sub censura, cum hæreticis de re fidei disputare, obliget illos sub mortali. ibid.

℞ *Vt certum: obligare sub mort. ex suo genere.* ibid.

10. An in Germania, & aliis Prouinciis, in quibus hæretici grassantur, & mixti habitant hæretici & Catholici, possint laici docti cum hæreticis disputare. ibid.

℞ *Vt certum: Iam posse.* ibid.

11. An casu, quo aliquis hæreticus, cum fidei iniuria loqueretur; vt aliquos fideles peruerteret, vt nullus Clericus, vel Religiosus adesset, qui posset illi resistere; tunc liceret laico docto, hæreticum arguere, & cum illo de re fidei disputare. ibid.

℞ *Vt mihi certum: licere ei; imò, & teneri.* ibid.

12. An, omnibus Clericis, etiam sola prima Tonsura initiatis, licitum sit, disputare de re fidei cum hæreticis. ibid.

℞ *Vt certum, licitum illis esse; dummodo docti sint.* ibid.

13. An etiam Religiosis destinatis ad Chorum, etiamsi actu non sint initiati, aliquo ordine Ecclesiastico, adhuc prima Tonsura; sit licitum, disputare de fide cum hæreticis, si aliàs sint docti. pag.48

℞ *Probabilius: Esse licitum.* ibid.

14. An item Religiosis ad officia domestica destinatis, qui communiter vocantur *Laici*, siue *Conuersi*, aut *Mutilati*: licitum sit (si aliàs sint docti) disputare cum hæreticis de rebus fidei. ibid.

℞ *Probabilius: Etiam esse his Religiosis, licitum.* ibid.

15. An denique, sit licitum Monialibus omnibus de rebus fidei disputare, attento iure citato, quo personæ laicæ prohibentur disputare. ibid.

℞ *Probabilius. Quod, licèt, aliàs, ob alias causas non sit fas illis disputare; attento tamen iure Ecclesiastico, possent.* ibid.

16. An saltem, Clericus, vel Religiosus, si indoctus sit peccet mortaliter, contra inhibitionem Iuris, disputando de fide cum hæreticis. ibid.

℞ *Vt certum: Peccare, sed non contra inhibitionem iuris, sed solùm contra ius naturale.* ibid.

17. An sit peccatum disputare de fide, coram indoctis, aut rudibus. p.49

℞ *Vt certum: Esse peccatum, nisi casu quo disputans esset excellens doctor, &c.* ibid.

18. An dicta coram rudioribus, de rebus fidei disputatio, sit venialis tantùm. ibid.

℞ *Esse aliquando veniale; sed mortale frequentius.* ibid.

19 An saltem, licita sit disputatio, coram rudioribus fidelibus; casu, quo ab hæreticis solicitentur ad fidei defectionem. ibid.

℞ *Esse tunc omnino licitam.* ibid.

20. An, disputatio de rebus fidei, coram Pontificibus tanquam coram iudicibus habita, sit licita. ibid.

℞ *Vt certum: Non esse licitam.* ibid.

§. II.

De Politica communicatione cum hæreticis, & Infidelibus. ibid.

21. AN, prohibitum sit fidelibus, communicare cum hæreticis. ibid.

℞ *Esse prohibitum.* ibid.

22. An, communicatio ciuilis, & humana, cum Infidelibus, sit ex se mala, aut iure diuino, prohibita. p.50

℞ *Quod non.* ibid.

23. An, in aliquibus casibus, prohibeatur, iure positiuo Ecclesiastico, communicatio cum Iudæis, & aliis Infidelibus. ibid.

℞ *Quod sic.* ibid.

24. An, de facto, prohibita sit fidelibus, familiaritas, & conuersatio frequens cum Iudæis. ibid.

℞ *Probabilius; prohiberi illam solam, ex qua periculum peruersionis oriri timeatur.* ibid.

25. An, prohibeatur Christianis, cum Iudæis simul habitare. ibid.

℞ *Quod sic.* ibid.

Dub. 1. An, liceat Christianis absolutè in vna domo, simul cum Iudæis habitare, si neutri famulentur aliis. ibid.

℞ *Probabilius: : licere, si nullum immineat peruersionis periculum.* ibid.

Dub. 2. An liceat Christianis, Iudæum habere in seruum. ibid.

℞ *Probabilius: licere quamuis semper expediat familiaritatem vitare.* ibid.

Dub. 3. An etiam liceat Christiano, cum Iudæa commorari, seruiendo vterque Domino Catholico. p.51

℞ *Licere, dummodo absit periculum peruersionis.* ibid.

26. An, interdictum sit Christianis, azymis Iudæorum vesci. ibid.

℞ *Absolute: Esse interdictum.* ibid.

Dub. 1. An sit peccatum lethale, azymis Iudæorum vesci. ibid.

℞ *Esse lethale peccatum, vesci illis; aut ritu Iudæorum; aut cum ipsismet Iudæis; minime verò, si vescantur, sine vllo scandalo, & sine vllo respectu ex præfatis.* .bid.

Dub. 2. An sit prohibitum sub mortali, Christianis; inuitare Iudæos: vel ad eorum conuiuia accedere, & vna cum eis cibum sumere. ibid.

℞ *Quid alij dicant; probabilius esse, quod sit.* ibid.

Dub. 3. An saltem, liceat Christianis, accipere à Iudæis eos cibos, quos ipsi discernunt, & abiiciunt; & postea absque vllo Iudæorum consortio, iis vesci. ibid.

℞ *Probabilius: Non licere. Secus, si dictos cibos ab ipsis non reciperent, est dicendum.* ibid.

27. An, interdictum sit Christianis; Iudæos medicos accersere, ad eorum morbos curandos. p.52

℟. *Vt certum : Esse interdictum.* ibid.
Dub um 1. An licitum sit Christianis, medicum Iudæum, vel Sarracenum, vocare, quando medicus alius non adest, & morbus grauiter vrget. ibid.
℟. *Vt certum : Tunc esse licitum.* ibid.
Dub. 2. An etiam sit licitum, prædictis Medicis vti, casu, quo morbus, ita sit grauis, vt Catholici Medici pro eo morbo non sufficiant, &c. ibid.
℟. *Vt certum : Etiam esse licitum.* ibid.
28. An sit prohibitum Christianis, recipere medicinas à Iudæis exhibitas. ibid.
℟. *Esse prohibitum à iure.* ibid.
Dubium 1. An prohibitum sit Christianis, medicinas præparatas emere à Iudæis. ibid.
℟. *Probabilius : Non esse id illis prohibitum.* ibid.
Dub. 2. An, licitum sit Christiano Medico ; vendere medicinas, & applicare illas Iudæo ægroto. ibid.
℟. *Probabilius : Esse illi licitum.* ibid.
Dub. 3. An liceat etiam Christiano, extra casum necessitatis, vocare Iudæum, vt illi venam scindat, cucurbitas applicet, &c. ibid.
℟. *Non ei licere.* ibid.
Dub. 4. An saltem liceat Catholico, vocare Barbitonsorem Iudæum ; vt illi barbam radat, aut capillos tondat. ibid.
℟. *Licere illi, vocare Iudæum ad radendam barbam, vel tondendos capillos hominis sani : non verò infirmi, ob salutem illius.* p. 53
29. An prohibitum sit Catholico, simul cum Iudæo in balneum ingredi. ibid.
℟. *Quod licet alij negent, alij verò affirment : certum tamen est, talem ingressum, aliquando esse illicitum ; aliquando licitum.* ibid.
Dubium 1. An licitum sit Christiano balneum ingredi cum Iudæo, in casu necessitatis, nempe, sanitatis causa. ibid.
℟. *Vt quid certum. Esse licitum.* ibid.
Dub. 2. An etiam sit licitus Christiano talis ingressus ; si solum causa recreationis fiat. ibid.
℟. *Etiam esse licitum ; dummodo Christianus non ingrediatur cum Iudæo, tanquam socio, &c.* ibid.
30. An Christianis fœminis prohibitum sit, filios Iudæorum, in horum domibus nutrire. ibid.
℟. *Vt certum : Esse prohibitum, iure positiuo.* ibid.
Dubium 1. An saltem liceat dictis fœminis, filios Iudæorum, extra horum domus nutrire. ibid.
℟. *Probabilius : quod, attento iure, liceat : attenta verò praxi, minime.* ibid.
Dub. 2. An licitum sit Christianæ fœminæ, interdum adire Iudæorum domus, ad eorum infantes lactandos. p. 54
℟. *Esse licitum.* ibid.
Dub. 3. An Episcopus possit dispensare, vt fœmina Christiana nutriat infantem Iudæum, in proprio Iudæi domo. ibid.
℟. *Vt certum : Quod non.* ibid.
31. An liceat Catholico, famulari, & seruire Iudæo ; in propria domo ipsius Iudæi, tanquam famulus habitando. ibid.
℟. *Vt certum : Minime licere.* ibid.
Dubium 1. An saltem, liceat Christiano, famulari Iudæo, habitando extra propriam domum ipsius Iudæi.
℟. *Probabilius : Nec id ei licere.* ibid.
Dub. 2. An ad minus, liceat Christiano præstare famulatum Iudæo ; si famulatus sit interpollatus, non assiduus, & diuturnus. ibid.
℟. *Probabilius, Adhuc non licere ei.* ibid.
Dub. 3. An etiam prohibitum sit Christianis, res suas, vt currus, boues, iumenta, &c. locare Iudæis. ibid.
℟. *Vt certum : Quod non sit illis prohibitum.* ibid.
Dub. 4. An item, licitum sit Christianis, operas suas locare Iudæis præsentibus, & assistentibus. p. 55
℟. *Probabilius : Esse etiam illis licitum, spectata consuetudine, & praxi : non verò, spectato iure.* ibid.
32. An prohibitum sit Christianis, aliquid legare in testamento, collegio, aut vniuersitati Iudæorum. ibid.
℟. *Vt certum : Esse prohibitum, Iure Ciuili.* ibid.
Dubium vnicum, An saltem, licitum sit Christiano, aliquid legare in testamento, alicui Iudæo in particulari. ibid.
℟. *Vt longe probabilius : Nec id ei esse licitum.* ibid.
33. An prohibitum sit Christianis accedere ad Iudæorum Nuptias ; aut Choreas cum eis ducere, ludere, &c. ibid.
℟. *Esse omnino prohibitum.* ibid.
34. An, missi ad prædicandum Iudæis, possint cum illis edere, familiariter loqui, & similia. ibid.
℟. *Posse.* ibid.
35. An Iudæi possint inter Christianos, publicis officiis fungi. ibid.
℟. *Vt certum : Non posse.* ibid.
36. An, licitum sit Christianis, in mercibus emendis, & vendendis, cum Iudæis contractus inire. pag. 56
℟. *Vt certum : Esse licitum illis.* ibid.
37. An sit peccatum mortale, communicatio prohibita cum Iudæis in omnibus casibus à quæst. 24. hucvsque assignatis. ibid.
℟. *Quidquid alij dicant, quod sint mortalia ex obiecto omnes illæ communicationes, quæ iure communi sunt prohibitæ : cæterum vero minimè.* ibid.
38. An, communicationes, quæ interdictæ sunt cum Iudæis ; interdictæ censeantur cum aliis infidelibus. ibid.
℟. *Probabilius. Non censeri, nisi in casibus à iure expressis.* ibid.
39. An, solus Pontifex possit in supradictis casibus dispensare. ibid.
℟. *Quod solus.* ibid.

DISPVTATIO V.

De externa fidei professione iuxta Tridentinum facienda. pag. 57

Q. 1. AN Beneficiati curati ; nec non Canonici & Dignitates Ecclesiæ Cathedralis, teneantur ad emittendam fidei professionem. ibid.
℟. *Teneri.* ibid.
2. An etiam Episcopi, & alij Prælati superiores teneantur hanc fidei professionem facere. ibid.
℟. *Teneri.* ibid.
3. An Prælati Regulares, etiam Militarium obligentur ad emittendam professionem fidei. ibid.
℟. *Probabilius : Iam non obligari.* ibid.
4. An Professores Theologiæ, & vtriusque iuris, necnon artium liberalium, teneantur ad eandem fidei professionem. ibid.
℟. *Teneri ex decreto Pij V.* ibid.

TRACTATVS III.

De Virtutibus Spei Theologicæ, & Timoris: & oppositis earum vitiis. *pag.58*

DISPVTATIO PRIMA.

De Essentia, Obiecto, & Subiecto Spei. *ibid.*

Q. 1. AN detur Spes, Virtus Theologiæ. ibid.
℟ *Tanquam certissimum: Dari.* ibid.
2. Quid Spes Virtus Theologica sit. ib.
℟ *Quod est virtus supernaturalis, quâ bona supernaturalia, præsertim Beatitudinem, diuino auxilio obtinenda speramus.* ibid.
3. Quid sit obiectum materiale primarium, & secundarium Spei Theologicæ. ibid.
℟ *Quod primarium, est gloria; secundarium, gratia, & virtutes quibus gloriam consequimur.* ibid.
4. An, obiectum formale adæquatum Spei, sit ipsemet Deus, sub ea ratione, quâ nobis summè bonus est, & conueniens. ibid.
℟ *Probabilius Quod sic.* p.59
5. An Spes, sit Virtus Theologica, à Fide, & Charitate, re ipsa distincta. ibid.
℟ *Vt quid certissimum (quidquid alij dicant) quod sit.* ibid.
6. An subiectum Spei, sit voluntas. ibid.
℟ *(Quidquid alij sentiant) quod sic.* ibid.
7. An, in Beatis maneat actus, vel habitus Spei strictè sumptæ. ibid.
℟ *Probabilius. Nec actum, nec habitum manere.* p.60
8. An, in damnatis maneat actus, vel habitus Spei Theologicæ. ibid.
℟ *Vt quid certissimum: Quod non.* ibid.
9. An, in animabus Purgatorij, sit Spes Theologica. ibid.
℟ *Vt longe multo probabilius: Quod sit.* ibid.
10. An, in hæreticis permaneat habitus Spei Theologicæ.
℟ *Vt mihi certum: Quod non.* ibid.
11. An etiam in reliquis peccatoribus deperdatur, per quodcumque lethale, Spes. ibid.
℟ *Vt certum: Non deperdi, nisi per peccatum desperationis, & peccatum hæresis.* ibid.

DISPVTATIO II.

De Præcepto Virtutis Spei. *pag.61*

Q. 1. AN detur præceptum affirmatiuum Spei, quo obligemur, aliquando, Spei actum eluere. p.61
℟ *Vt certum de fide: Dari.* ibid.
2. An præceptum negatiuum, non desperandi de Deo, & illius promissionibus; obliget semper, & pro semper. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
3. An præceptum Spei affirmatiuum, obliget, positiuè, & per se, ad eliciendum actum Spei. ibid.
℟ *Vt mihi certum. Quod sic.* ibid.
4. An, sufficienter satisfaciat huic præcepto, qui, semel in vita, habuit actum Spei; non pro tempore fixo, sed ad arbitrium ipsius Sperantis. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non satisfaciat.* p.62
5. An huiusmodi Spei præceptum, obliget per se, ad actu sperandum gloriam, &c. à Deo semel in singulis annis. ibid.
℟ *Probabilius: Non obligare.* ibid.
6. An saltem hoc Spei præceptum, obliget per se, in articulo mortis. ibid.
℟ *Probabilius: Quod nec pro hoc tempore, per se, obliget.* ibid.
7. An, quando quis, graui tentatione desperationis, vexatur; tunc teneatur per se, aut ex vi huius præcepti, elicere actum Spei. ibid.
℟ *Vt probabilius: Nec tunc teneri per se.* ibid.
8. An Adulti, qui conuertuntur ad fidem, & vitam Christianam inchoant, obligentur directè, & ex vi præcepti Spei, ad eliciendum eius actum. pag.63
℟ *Vt longe probabilius: Obligari.* ibid.
9. An, extra tempora à nobis assignata, obliget in aliis, hoc Spei præceptum affirmatiuum, directè, & ex vi sua, ad eliciendos actus Spei. ibid.
℟ *Obligari in aliis quibusdam.* ibid.
10. An sufficienter satisfaciat quis præcepto affirmatiuo spei, si ob motiuum Charitatis, aut alterius virtutis infusæ, efficaciter speret, aut desideret Beatitudinem. p.64
℟ *Probabilius: Quod sic.* ibid.
11. An, huic Spei præcepto positiuo omnes fideles facillimo negotio satisfaciant. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.

DISPVTATIO III.

De Desperatione, & Præsumptione, Spei oppositis. *pag.64*

§. I

De Desperatione. *ibid*

Q. 1. QVid sit Desperatio. ibid.
℟ *Quod est, voluntas efficax nolendi prosequutionem gloriæ.* ibid.
2. An, Desperatio consistat in actu voluntatis. ibid.
℟ *Vt longe probabilius: Quod sic.* ibid.
3. An Desperatio semper sit peccatum mortale. pag.65
℟ *Vt quid certum: Semper esse: nisi alias excuset defectus plenæ aduertentiæ.* ibid.
4. An, Desperatio sit semper coniuncta cum hæresi. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
5. An, Desperatio, ex acedia, & luxuria oriatur. ibid.
℟ *Oriri: Sed specialius ex acedia.* ibid.
6. An, peccaret, qui iudicaret; se non posse saluari; si stante hoc iudicio, non desperaret. ibid.
℟ *Vt certum quod sic.* ibid.
7. An, Deus, de potentia ordinaria, possit alicui suam damnationem reuelare, reuelatione absoluta, quam teneatur credere. ibid.
℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.
8. An, saltem de potentia absoluta possit Deus, certò reuelare alicui suam damnationem. p.66

℟ *Vt*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

℟. *Vt mihi certum, quod possit.* ibid.
9. An ille, cui absolutè esset reuelata sua damnatio; posset licite desperare de misericordia Dei. ibid.
℟. *Quod alij affirmant: Alij negant. Alij denique dicunt, quod licèt non posset sperare salutem; teneretur tamen, non desperare omnes probabiliter.* ibid.
20. An, teneretur quis corripere eum, cui nota esset damnatio, certo, & absolutè futura. ibid.
℟. *Non teneri si illi constiterint peccata, per quæ ille homo damnandus est: secus aliàs.* ibid.

§. II.

De Præsumptionis peccato. ibid.

11. IN quo consistat Præsumptio, sumpta pro vitio oppositio Spei Theologicæ. ibid.
℟. *Quod consistit, in motu, seu affectu, quo speramus aliquid à Deo, inordinate tamen.* ibid.
12. An, huiusmodi præsumptio, sit, ex genere suo, semper mortalis. p.67
℟. *Vt certum: Quod sic.* ibid.
13. An, crimen mortale præsumptionis committeret, qui speraret à Deo, comparare tantam gratiam, quantam habuit Virgo Deipara. ibid.
℟. *Vt certum: Quod sic.* ibid.
14. An, si quis vellet remissionem peccatorum, aut gloriam impetrandam, propriis viribus, & sine auxilio gratiæ; peccaret mortaliter, & contra spem. ibid.
℟. *Multo verius: quod peccaret mortaliter, & contra spem.* ibid.
15. An, crimen præsumptionis admitteret, qui vellet, sine pœnitentia, veniam peccatorum; & sine meritis, gloriam obtinere. ibid.
℟. *Vt certum: Quod sic.* ibid.
16. An peccato graui præsumptionis delinquat, qui se, sanctiorem quàm est, existimat. ibid.
℟. *Quod peccaret peccato præsumptionis, quod quidem semper non esset mortale: at veniale semper.* ibid.
17. An etiam, qui suam spem in creaturis collocat, tanquam in remedio, quod per se solùm, ad salutem obtinendam sufficiat; peccet mortaliter, contra spem. ibid.
℟. *Quod sic.* ibid.
18. An item peccet mortaliter, præsumptionis crimine, qui, spe veniæ obtinendæ, pœnitentiam de peccatis in vltimam senectutem differt. p.68
℟. *Probabilius: quod vere peccet mortaliter peccato præsumptionis, & contra spem, ille qui in articulum mortis pœnitentiam differt: secus si non in vltimum articulum; sed solùm amplius iusto, differret.* ibid.
19. An peccatum præsumptionis, sit semper coniunctum cum hæresi. ibid.
℟. *Quod non semper; sed aliquando.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De Timore filiali, & seruili. pag.68

Q. 1. AN, Timor Domini opponatur Spei. ibid.
℟. *Opponi in quibusdam rebus.* ibid.
2. Quotuplex sit Timor, & quid. ibid.
℟. *Quid est triplex: Filialis, Seruilis, & Mundanus. Quid autem?* Lege. ibid.
3. An Timor similis, sit bonus, licitus, & honestus. pag.69
℟. *De fide certum: Quod sic.* ibid.
4. An huiusmodi timor seruilis, possit esse malus ex aliqua circunstantia, seu, actu illi adiuncto. ibid.
℟. *Vt certum: Quod possit.* ibid.
5. An, Timor mundanus, vt sic sit malus. ibid.
℟. *Esse.* ibid.
6. An, Timor mundanus semper sit mortalis. ibid.
℟. *Quod si rigorosè sumatur, semper sit mortalis: si verò, lato modo, possit esse venialis,* p.70
7. An, Timor mundanus, qui ad peccatum inducit duplex peccatum importet; aliud ratione illius ad quod inducit; aliud ratione affectus immoderati ad rem illam, quam timet amittere. ibid.
℟. *Quod duplex peccatum importet, casu, quo includat affectum circa obiectum, ex se illicitum: secus, si circa obiectum ex se licitum, seu indifferens.* ibid.
8. An, detur præceptum diuinum, de Timore Filiali, & Seruili Dei, ibid.
℟. *Vt certum: Dari.* ibid.
9. An, præceptum de Timore Filiali, & Seruili, sint specialia; itavt ex vi illorum, teneatur quis aliquando, expresè, & formaliter, aliquem actum dictorum timorum exercere. ibid.
℟. *Probabilius: Quod non.* ibid.

TRACTAVVS IV.

De Charitate Diuina. pag.71

DISPVTATIO PRIMA.

De Essentia Charitatis. ibid.

Q. 1. AN Charitas, qua nos Deum diligimus, sit quid creatum. ibid.
℟. *Vt quid certissimum: Esse.* ibid.
2. Quotuplex sumatur Charitas. ibid.
℟. *Quod tripliciter: nempe; pro ipso Deo; pro actu dilectionis, vel Dei erga nos, vel nostri erga Deum, & pro habitu supernaturali, qui est virtus voluntatem eleuans, & inclinans ad amandum Deum, &c.* ibid.
3. Quid sit Charitas sumpta pro habitu. ibid.
℟. *Quod est virtus supernaturalis, qua Deum, propter ipsum amamus, & digni efficimur eius amore.* ibid.
4. An, Charitas sit Excellentissima virtutum, in genere morum. p.72
℟. *Vt quid certissimum: Esse.* ibid.
5. An, non solùm in esse moris, sed etiam in genere physico; omnes virtutes, & præcipuè Fidem, antecellat Charitas. ibid.
℟. *Probabilius: Quod etiam in genere physico, omnes virtutes, & etiam Fidem, antecellat.* ibid.
6. Quid sit obiectum materiale primarium, & secundarium Charitatis. ibid.
℟. *Quod primarium, sit ipse Deus: secundarium, proximus, quatenus Deo refertur.* ibid.
7. Quid sit obiectum formale Charitatis. ibid.
℟. *Quod est Deus sub ratione boni, propter se amabilis.* ibid.

DISPVTATIO II.

De Præcepto Charitatis Dei. pag.73

Q. 1. AN sit præceptum, de implicite diligendo Deo. ibid.
℟ *Vt quid certissimum: Esse.* ibid.
2. An etiam sit speciale præceptum, de diligendo Deo, amore proprio, & vero positiuo. ibid.
℟ *Vt ferè certum. Etiam esse, & dari.* ibid.
3. An huiusmodi amoris præceptum, obliget ad amandum Deum super omnia; non solùm appretiatiuè, sed etiam intensiuè. ibid.
℟ *Vt quid certum (quidquid alij dicant) solùm obligari ad amandum Deum super omnia, appretiatiuè, non intensiuè.* ibid.
4. An sit peccatum, patrem, aut matrem, aut aliam creaturam, intensiori amore, quàm Deum, diligere. p.74
℟ *Vt certum. Quod non.* ibid.
5. An peccet mortaliter, contra hoc præceptum, qui deliberatè desiderat, perpetuo in hac vita degere. ibid.
℟ *Peccare mortaliter, casu quo vellet, perpetuo in hac vita degere, præponendo illam bonis æternis: secus, si alio fine.* ibid.
6 An sit mortale, Deum diligere, ob mercedem vitæ æternæ, tanquam finem vltimum, & principalem. ibid.
℟ *Tanquam certum: Esse mortale.* ibid.
7. An saltem sit licitum, diligere Deum, ob mercedem vitæ æternæ, tanquam finem minus principalem. p.75
℟ *Tanquam certum: Hoc modo esse licitum.* ibid.
8. An, licitum sit, dilectionem Dei super omnia, & alias actiones pias, & spirituales; ad res temporales obtinendas, tanquam ad finem dirigere, & ordinare. ibid.
℟ *Non esse licitum, &c.* ibid.
9. An, ita sit illicitum, bona spiritualia ordinare, & dirigere ad assecutionem temporalium, tanquam ad finem; quod sit mortale de se. ibid.
℟ *De se, non esse mortale.* ibid.
10. An, huiusmodi dilectionis præceptum, obliget ad amorem supernaturalem, & naturalem. ibid.
℟ *Vtrumque esse probabile.* ibid.
11. An, hoc amoris Dei præceptum, obliget per se, pro aliquo determinato tempore. p.76
℟ *Vt mihi certum: Quod sic.* ibid.
12. An, hoc præceptum obliget per se, ad eliciendum actum amoris, toties, quoties obligat quodcumque aliud præceptum. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
13. An præceptum dilectionis Dei, obliget tantum semel in vita. ibid.
℟ *Vt longe probabilius; quod non semel tantum obliget in vita.* ibid.
14. An, præceptum dilectionis Dei obliget per se, statim, ac quis vsum perfectæ rationis habeat. ibid.
℟ *Non obligare statim, hoc est, in primo instanti physice sumpto: bene in instanti sumpto moraliter.* p.77
15. Quo tempore, post adeptum perfectum vsum rationis, obliget per se, puerum, præceptum de diligendo Deo. ibid.
℟ *Vt longe probabilius, quod obliget post aliquod breue tempus, post adeptum perfectum vsum rationis, & post sufficientem notitiam de Deo, de eius bonitate, & obligatione huius præcepti.* ibid.
16. An, præceptum de diligendo Deo, obliget per se quolibet die festo. ibid.
℟ *Vt iam certum: Quod non.* ibid.
17. An, hoc dilectionis Dei præceptum, obliget per se, semel in quolibet anno. p.78
℟ *Vt probabilius: Quod sit.* ibid.
18. An, dilectionis Dei præceptum, obliget per se, cum quis contritionem peccatorum habere tenetur; aut veram eius detestationem extra Sacramentum. ibid.
℟ *Probabilius: obligare per se, legatur.* ibid.
19. An, præceptum amoris Dei obliget, cum mortis articulus instat, & adest conscientia peccati mortalis. p.79
℟ *Vt certum: obligare, & per se.* ibid.
20. An, præceptum de diligendo Deo obliget quem in mortis articulo, etiamsi peccati mortalis conscius non sit. ibid.
℟ *Vt probabilius: Etiam tunc obligare, & per se, & per accidens.* ibid.
21. An, obliget eiusmodi amoris Dei præceptum, cum martyrium subueundum est. p.80
℟ *Probabilius: obligare, partim per se, & partim per accidens.* ibid.
22. An, præceptum diligendi Deum obliget, cum quis aliquem in Deum blasphemantem, audit; aut illi grauem iniuriam inferentem. ibid.
℟ *Probabilius.. Quod non obliget: quamuis aliàs, audiens, teneatur honorem Dei tueri.* ibid.
23. An, obliget huiusmodi de diligendo Deo præceptum; cum quis beneficium magnum à Deo accipit; vt si ab imminenti mortis periculo liberetur à Deo. p.81
℟ *Vt longe probabilius: Quod non: cum satis sit, tunc illi gratias agere.* ibid.
24. An, obliget per se, hoc amoris Dei præceptum, quando graues odij Dei tentationes instant, & illis est periculum consentiendi. ibid.
℟ *Probabilius: Non obligare per se.* ibid.
25. An, cum quis, adulta ætate, recipit Baptismum, teneatur, vi huius præcepti, elicere actum amoris Dei. ibid.
℟ *Vt longe probabilius: Non teneri.* ibid.
26. An, obliget præceptum de diligendo Deo, quoties Eucharistia suscipienda est. p.82
℟ *Vt certum, (quidquid aliquis dicat) Non obligare.* ibid.
27. An, toties obligemur Dei amoris præcepto, quoties obligamur proximũ ex Charitate diligere. ib.
℟ *Vt probabilius: Non toties obligari.* ibid.
28. An, facillimo negotio, possint huic amoris Dei præcepto satisfacere fideles. ibid.
℟ *Posse.* ibid.

DISPVTATIO III.

De Præcepto Charitatis Proximi. pag.82

Q. 1. QVinam nomine *Proximi*, in hac materia intelligantur. ibid.
℟ *Quod omnes homines, qui Beatitudinis supernaturalis sunt capaces.* ibid.
2. An, Damnati iam, veniant nomine Proximi; ita vt, Charitas versari possit circa illos. ibid.
℟ *Quod licet damnati non possint diligi à nobis efficaciter amore perfecto Charitatis: possunt tamen diligi amore Charitatis imperfecto, & per desideria imperfecta.* p.83

3. An,

3. An, detur præceptum Charitatis, de proximo diligendo. ibid.
℞ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
4. An, detur præceptum naturale, de diligendo proximo, amore naturali. ibid.
℞ *Vt certum: Dari.* ibid.
5. An, etiam detur præceptum diuinum, & supernaturale Charitatis, quo ex Charitate, & amore supernaturali teneamur diligere proximum. ibid.
℞ *Vt quid certissimum, (quidquid quidam dixerint) Dari etiam.* ibid.
6. An teneamur, vi dicti præcepti, amare aliquando proximum, actu amoris interno, procedente à Charitate Theologica. ibid.
℞ *Vt probabilius: Teneri.* ibid.
7. An teneamur, vi præcepti amoris proximi, amare illum (aliquando saltem) amore interno, distincto ab amore ipsius Dei. p. 84
℞ *Teneri aliquando amore proximum amore interno: sed non distincto ab amare Dei.* ibid.
8. An præceptum eliciendi actum dilectionis internum, erga proximum, obliget per se, quando grauis odij tentationes insurgunt contra illum, quæ aliter superare nequeunt. ibid.
℞ *Non obligare per se in proposito casu: & si aliquando obliget, erit per accidens.* ibid.
9. An saltem præceptum Charitatis Proximi, obliget per se, ad eliciendum actum amoris internum, quando quis odio aliquem habuit. ibid.
℞ *Quod sic.* ibid.
10. An, teneamur elicere actum dilectionis erga proximum, quoties tenemur ei aliquod bonum facere ex præcepto, vt Eleemosynam, correctionem fraternam, &c. p. 85
℞ *Quod non quoties.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De Dilectione Inimicorum. pag. 85

Q. 1. AN detur præceptum diligendi inimicos. ibid.
℞ *De fide certum: Quod sic.* ibid.
2. An hoc præceptum diligendi inimicos, obligauerit antiquum Dei populum, cum lex scripta vigebat; saltem loquendo de Inimicis Iudæs, qui ad ipsum Dei populum pertinebant. ibid.
℞ *Vt certum: obligasse.* ibid.
3. An etiam dictum præceptum obligauerit Hebræos, ad diligendos inimicos externarum nationum. ibid.
℞ *Quod, licet alij negent, alij affirment, ego autem dico, nunquam fuisse illis concessum odium inimicitiæ, adhuc respectu inimici alienigeni: bene tamen odium abominationis.* p. 86
4. An teneamur, vi huius præcepti, amare aliquando inimicos, actu amoris interno. ibid.
℞ *Quidquid alij dixerint: Teneri.* ibid.
5. An possit quis licitè excludere inimicum suum à generali dilectione proximorum; hoc est, ab oratione, beneficio, Eleemosyna, aut alio opere, in gratiam alicuius communitatis, liberè facto. ibid.
℞ (*Quidquid alij affirment, alij negent*) *quod possit, quando beneficia, quæ quis præstat aliis, non sint illis debita: secus si sunt debita toti communitati, &c.* ibid.
6. An, teneamur per se, aut vi huius amoris præcepti, salutare inimicum dum nobis occurrit, loquendo illi, caput aperiendo, &c. p. 87
℞ *Probabilius: Teneri aliquando; quandoque, non.* ibid.
7. An, omissio salutationis, aut alloquutionis debitæ, sit regulariter peccatum mortale. ibid.
℞ *Vt longe probabilius: Quod sit.* p. 88
8. An etiam peccet mortaliter ille, qui, occurrentibus pluribus, inter quos est inimicus, salutat omnes, excepto inimico. ibid.
℞ *Vt longe probabilius: Peccare mortaliter, nisi interueniat aliqua causa excusans, &c.* ibid.
9. An, possit quis in aliquo casu, non salutare inimicum; nec illum alloqui. ibid.
℞ *Posse in quadruplici casu.* ibid.
10. An, in casibus, in quibus tenetur quis inimicum salutare; teneatur adhuc salutatione præuenire. ibid.
℞ *Teneri aliquando.* ibid.
11. An teneamur resalutare inimicum, nos salutantem. p. 89
℞ *Vt certum: Teneri.* ibid.
12. An, inimicum non resalutare, sit peccatum mortale. ibid.
℞ (*Licèt alij affirment, alij absolute negent*) *quod sit mortale, casu, quo persona salutata sit æqualis, aut non longè superioris conditionis, & dignitatis: secus alias.*
13. An Confessarius possit absoluere nolentem salutare, aut alloqui inimicum, secluso odio, & scandalo. ibid.
℞ *Posse in quibusdam casibus: in aliis, non.* ibid.
14. An possit Confessarius absoluere Patrem, qui non vult admittere ad colloquium filium, qui indigno, vel valde inæquali, matrimonio se copulauit. p. 90
℞ *Posse, si id ob castigandum illum faciat.* ibid.
15. An teneamur, inimicis signa specialis amoris exhibere. ibid.
℞ *Quod non.* ibid.
16. An, qui aliquem iniustè læsit, teneatur ab eo veniam petere, & illi reconciliari. ibid.
℞ *Vt certum: Teneri.* ibid.
17. An, qui iniustè iniuriam alij intulit, teneatur veniam petere; etiam casu, quo timeat prudenter, personam læsam exponendam esse periculo maioris furoris, nec admissuram satisfactionem. ibid.
℞ *Tunc non teneri.* ibid.
18. An, venia petenda sit, statim, ac iniuria ab aliquo fuit illata. ibid.
℞ *Quod non, sed post aliquod tempus.* ibid.
19. An, quando duo inimici, se inuicem lædunt; teneatur prius veniam petere, qui prius læsit. ibid.
℞ *Teneri; nisi aliter grauitate iniuriæ compensauerit prioritatem.* ibid.
20. An, teneamur sub mortali, inimico veniam petenti, iniuriam remittere, quantum ad odium, & quantum ad culpam in nos commissam. p. 91
℞ *Vt certum: Teneri.* ibid.
21. An, non solùm teneamur iniuriam inimico remittere quantum ad odium: verum etiam quantum ad damnum illatum in honore, fama, aut bonis temporalibus, &c. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non tenemur.* ibid.
22. An, etsi non teneantur; possint saltem semper satisfactionem remittere omnes personæ læsæ. ibid.
℞ *Non posse omnes.* ibid.
23. An, semper sit melius, quod offensus potens condonare satisfactionem, condonet, ibid.

℞ *Quod*

℟. *Quod non sit melius semper.* ibid.
24. An, licitum sit personæ offensæ, non solùm coram iudice petere vindictam offendentis: verum etiam à Deo. ibid.
℟. *Licitum esse.* ibid.
25. An, si persona, quæ læsit, satisfactionem iniuriæ factæ offerat; possit adhuc persona læsa satisfactionem, coram Iudice expostulare. pagina 92
℟. *Probabilius; quod licèt adhuc possit absolutè satisfactionem petere: suadendum tamen est contrarium.* ibid.
26. An etiam casu, quo iniuria illata, talis conditionis sit, vt reparari ab offensore non possit; (vt contingit in morte filij, vel parentis) possit adhuc læsus prosequi actionem iniuriarum, coram Iudice. ibid.
℟. *Quod adhuc possit, quidquid alij dicant.* ibid.

DISPVTATIO V.

De Ordine in Charitate seruando. pag. 92

Q. 1. AN, homo debeat se ipsum magis appretiatiuè, & efficaciter diligere; quàm cætera suppositа creata, quoad bona spiritualia, quæ ad salutem animæ necessaria sunt; vt Fides, Spes, Charitas, Gratia habitualis, & Gloria. ibid.

℟. *Vt certum. Debere.* ibid.
2. An saltem, debeat homo æstimare magis bona spiritualia humanitatis Christi Domini; quàm sua propria. p. 93
℟. *Quod sic.* ibid.
3. An, etiam Beatissimam Virginem Mariam, plusquam nos ipsos, amare debeamus. ibid.
℟. *Æque probabiliter, & magis piè; Debere.* ibid.
4. An sit licitum, desiderare efficaciter carentiam æternam, aut temporalem, gratiæ, aut beatitudinis; ob bonum spirituale proximi, aut totius mundi; casu, quo talis carentia cum peccato mortali coniungatur. ibid.
℟. *Vt certum: Quod non sit licitum; sed mortale.* ibid.
5. An saltem sit licitum, velle carere gratia, & beatitudine in perpetuum; ob bonum spirituale alicuius communitatis, aut totius mundi; casu, quo id, absque peccato possit contingere. ibid.
℟. *Vt longe multo probabilius: quod adhuc non sit licitum.* ibid.
6. Ad ad minus, sit licitum, desiderare, ac petere dilationem visionis beatæ, ob bonum spirituale proximorum. p. 94
℟. *Vt quid certum: Esse licitum.* ibid.
7. An licitum sit, saltem pro breui tempore, puta pro vno hora, gratia, & Charitate carere velle; ob bonum spirituale proximi, si dicta carentia, absque peccato contingeret. iBid.
℟. *Quod non.* ibid.
8. An saltem, liceat cuipiam, aliquem gradum gratiæ, & gloriæ, à se abdicare; ob maiorem gloriam Dei; & proximi vtilitatem. ibid.
℟. *Probabilius: Nec id licere.* ibid.

TRACTATVS V.

De Eleemosyna. pag. 95

DISPVTATIO PRIMA.

De Essentia, & Effectibus Eleemosynæ. p. 95

QVÆST. 1. QVID, & Quotuplex sit Beneficentia. ibid.

℟. *Quod Beneficentia est actus externus Charitatis, vel Theologicæ, vel moralis. Estque duplex, corporalis, videlicet, & spiritualis.* ibid.
2. Eleemosynæ nomen, vnde oritur. ibid.
℟. *Quod à quodam græco nomine, quod miserationem significat.* ibid.
2. Quid sit Eleemosyna. ibid.
℟. *Quod est, alienæ miseriæ subleuatio.* ibid.
4. An, Eleemosyna sit propriè actus Charitatis in proximum. p. 96
℟. *Quod sit; si detur, ob proprium, & intrinsecum motiuum.* ibid.
5. Quotuplex est Eleemosyna. ibid.
℟. *Quod est, corporalis, & spiritualis.* ibid.
6. An opera Eleemosynæ corporalis, sint septem. ib.
℟. *Quod sic.* ibid.
7. An opera Eleemosynæ spiritualis, etiam sint septem. ibid.
℟. *Quod etiam sint.* ibid.
8. An, sepelire mortuos, aptè numeretur, inter opera misericordiæ. ibid.
℟. *Vt quid certissimum: aptè numerari.* ibid.
9. An, peccet mortaliter, qui, sine vlla vrgente causa, Christianorum corpora insepulta relinquit. pag. 97
℟. *Peccare mortaliter.* ibid.
10. An item peccaret mortaliter, qui Gentilium, & Hæreticorum corpora inhumata relinqueret, si commodè à sepelire posset, ibid.
℟. *Etiam peccare.* ibid.
11. An Eleemosynæ spirituales, sint potiores, quàm corporales. ibid.
℟. *Vt certum: Quod sic.* ibid.
12. An Eleemosynæ corporales habeant non solùm effectus corporales, sed etiam spirituales. ibid.
℟. *Vtrosque habere.* ibid.
13. Quot sunt effectus, seu fructus speciales Eleemosynæ corporalis. ibid.
℟. *Esse duodecim.* ibid.
14. An, Eleemosyna exercita solâ virtutê mortali, sit sufficiens ad iustificandum impium. p. 98
℟. *De fide certum: Quod non.* ibid.
15. An licèt Eleemosyna, sine Charitate, sed sola virtute morali exercita, non habeat vim, vt, ob illam immediatè remittantur peccata; habeat tamen annexam eorum remissionem, per modum impetrationis infallibilis. ibid.
℟. *Tanquam certum: Quod neque hoc modo.* ibid.
16. An saltem, Eleemosynæ debeat tribui aliqua specialis vis obtinendi auxilia congrua ad remissionem peccati, quæ non tribuatur ieiuniis, & aliis piis operibus. ibid.
℟. *Debere tribui.* ibid.
17. An, Eleemosyna data, ob amorem Dei summè

dilecti, sit sufficiens ad iustificandum impium. ibid.
℟ *Tanquam certum: Esse sufficientem.* ibid.

DISPVTATIO II.

De Præcepto dandi Eleemosynam. p.98

Q. 1. AN sit præceptum de danda Eleemosyna corporali. ibid.
℟ *De fide certum: Quod sic.* p.99
2. An præceptum de danda Eleemosyna, sit diuinum, naturale, & Ecclesiasticum. ibid.
℟ *Vt quid certum: Esse.* ibid.
3. An, in aliqua parte Decalogi, hoc de Eleemosyna præceptum contineatur. ibid.
℟ *Contineri in aliqua.* ibid.
4. An ad impletionem huius præcepti debeat elargiri quis Eleemosynã, ex motiuo misericordiæ. ib.
℟ *Quod non,* ibid.
5. An, in casibus, in quibus quis ad Eleemosynam faciendam obligatur; teneatur ex iustitia, an solùm ex Charitate, vel ex vtraque virtute, elargiri illam. ibid.
℟ *Quod solum ex Charitate; quidquid alij dicant.* pag. 100
6. Quotuplex est necessitas in pauperibus, ex qua, obligatio dandi Eleemosynam possit assurgere. ib.
℟ *Quod triplex, nempe, extrema, grauis, & communis.* ibid.
7. An sit iudicanda extrema necessitas, quando aliqua persona grauis est in periculo cadendi à suo alto statu; itavt nisi cogatur discere artem mechanicam, vel manibus lucrari cibum, non possit se sustentare. p.101
℟ *Quod sic.* ibid.
8. An, qui à latronibus occidendus est, nisi aliqua pecuniâ redimat vitam suam; dicendus sit extremè indigere eâ pecuniâ. ibid.
℟ *Quod alij affirmant, alij negant.* Lege resolutionem. ibid.
9. An, etiam dicendus sit extremè indigens ille, qui vult se ipsum interficere, nisi ego dem illi mille v.g. aureos. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
10. Quot sint bona corporalia, quibus subueniri potest, extremam, grauem, communemve necessitatem patienti. ibid.
℟ *Quod sunt tria.* ibid.
11. An præceptum Eleemosynæ faciendæ obliget illum, qui nulla bona, ex quibus dare Eleemosynam queat, habet. ibid.
℟ *Vt quid certissimum: Quod non.* ibid.
12. An, qui habet vnde Eleemosynam tribuat, obligetur illius præcepto, si nesciat proximum esse in necessitate. p.102
℟ *Vt certum: Tunc non obligari.* ibid.
13. An, vt quis ad succurrendum pauperi obligetur, sit necessum, vt illi probabiliter constet, non esse alium, qui possit, & velit ei succurrere. ibid.
℟ *Vt certum: Esse necessum.* ibid.
14. An, casu, quo ad pauperem indigentem extremè, tres, aut quatuor, qui possunt illum iuuare, accedant; teneantur omnes tunc illi succurrere, an poterit vnius expectare, quid alij faciant. ibid.
℟ *Quod poterit expectare.* ibid.
15. An, extremè indigenti teneatur quis dare Eleemosynam, ex bonis vitæ suæ necessariis. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
16. An saltem, si extremè indigens sit maximè vtilis Reipublicæ, teneatur quis, adhuc ex bonis vitæ suæ necessariis, illi succurrere. ibid.
℟ *Vt quid certum: Teneri.* ibid.
17. An, teneatur quis dare Eleemosynam extremè indigenti, ex bonis simpliciter necessariis ad conseruationem sui status, & sine quibus, status omnino amittitur. ibid.
℟ *Probabilius: Non teneri.* p.103
18. An saltem, si extremè indigens sit valde necessarius Reipublicæ, aut Ecclesiæ; obligetur quis illis succurrere ex bonis, simpliciter suo statui necessariis. ibid.
℟ *Vt certum: Obligari.* ibid.
19. An etiam obligetur quis ad succurrendum priuatæ personæ in extrema necessitate positæ, ex bonis non simpliciter necessariis ad conseruationem sui status, sed secundum quid: hoc est, ex necessariis, sine quibus status, si non dimittitur, diminuitur in aliquo. ibid.
℟ *Non obligari cum magno detrimento sui status; secus verò cum aliquali.* ibid.
20. An, diuites teneantur redimere captiuos, apud Turcas; casu, quo sciant illos redemptione maximè egere, nec habere, quibus se redimant. pagina 104
℟ *Probabilius: Teneri.* ibid.
21. An quis satisfaciat Eleemosynæ præcepto, si extremè indigenti subueniat per mutuum, aut venditionem; casu, quo indigens hic, & tunc habeat aliqua bona alibi; vel spem proximam illa habendi; vel vires ad illa lucranda. ibid.
℟ *Vt certum: satisfacere.* ibid.
22. An etiam satisfaciat quis Eleemosynæ præcepto, si extremè indigenti, nec habenti alibi bona, nec spem proximam illa habendi, nec vires, aut artem illa lucrandi, mutuet, vel vendat absolutè. ibid.
℟ *Vt multo probabilius: Quod non satisfaciat.* p.105
23. An ad minus satisfaciat Eleemosynæ præcepto, qui mutat rem proximo, qui non re ipsa, sed solùm vsu illius indiget. ibid.
℟ *Vt certum. Quod sic.* ibid.
24. An etiam satisfaciat Eleemosynæ præcepto, qui patienti non extremam, sed grauem tantùm necessitatem, subueniat per mutuum, aut venditionem ad creditum. ibid.
℟ *Probabilius; quod non, si obligatus sit illi subuenire.* ib.
25. An, in casu, in quo quis debet, aut potest, Eleemosynam mutui facere (vt supra q. 21. & 23.) possit lucrum cessans deducere in pactum. ibid.
℟ *Probabilius: Quod non possit.* ibid.
26. An, qui omittit dare Eleemosynam, cum ex charitate tenetur, obligatus maneat ad restituenda damna, inde insurgentia. p.106
℟ *Vt certum mihi: Non manere obligatum.* ibid.
25. An, Iudex possit cogere diuites ad elargiendam Eleemosynam, tempore extremæ necessitatis, quando ad hoc tenentur. ibid.
℟ *Vt quid certum: Posse.* ibid.
28. An, non solùm in extrema necessitate, verum etiam, extra illam; possit Iudex diuites compellere ad elargiendam Eleemosynam. ibid.
℟ *Probabilius, quod etiam possit in grauibus necessitatibus.* ibid.
29. An, Pauperes habeant actionem contra diuites; vt dent eis Eleemosynã in extrema necessitate. ib.
℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.
30. An extremè indigentes, possint aliena surripere, & consumere. p.107
℟ *Vt mihi certum: Posse.* ibid.
31. An,

31. An, vt extremè indigentes aliena surripiant, teneantur prius rogare diuites, vt succurrant sibi. ibid.
℟. *Teneri, si probabiliter credant, hac via, esse à diuitibus succursuros.* ibid.
52. An, ab hac rogatione à diuite, excusetur, extremè indigens, si hic sit nobilis familiæ, aut honestæ conditionis. ibid.
℟. *Æque probabiliter: Excusari.* ibid.
33. An, si extremè indigens velit aliquam rem sibi necessariam surripere, vel occupare; possit à domino illius rei impediri. ibid.
℟. *Vt certum: Non posse iustè.* ibid.
34. An non solùm quisque pro se extremè indigente, possit accipere alienum; sed etiam possit illud accipere, vt subueniat proximo ita indigenti. ibid.
℟. *Vt certum: Etiam posse, dummodo ipse, qui accipit, non habeat vnde succurrat.* ibid.
35. An, qui patitur grauem necessitatem, possit occultè aliena surripere, si aliâ viâ, sibi succurrere non valet. p. 108
℟. *Æque probabiliter: Posse.* ibid.
36. An, ab eo, qui est in pari necessitate possit quis accipere illam rem, qua ille indiget. ibid.
℟. *Vt certum: Quod non.* ibid.
37. An, quæ quis accepit, & consumpsit in extrema necessitate; teneatur restituere, si ad meliorem fortunam venerit. ibid.
℟. *Vt longe probabilius: Non teneri.* ibid.
38. An, si quis, ante extremam necessitatem, accepit aliquid ab alio per contractum translatiuum dominij (vt per mutuum, vel emptionem) & illud consumpsit in ipsa extrema necessitate; teneatur restituere postea, factus potens. p. 109
℟. *Vt certum: Teneri.* ibid.
39. An, deinde, si ante dictam extremam necessitate, rem acceperat per contractum non translatiuum dominij (vt per commodatum, conductum, vel precarium) teneatur etiam restituere postea si saltem, rem in necessitate extrema consumpsit. ibid.
℟. *Vt multo probabilius: Tunc non teneri.* ibid.
40. An saltem, teneatur ad restitutionem ille, qui ante extremam necessitatem furatus est aliquam rem, quam postea, in dictâ extremâ consumpsit. ibid.
℟. *Probabilius: Nec in casu teneri.* ibid.
41. An, quando creditor, & debitor, simul sunt in extrema necessitate rei debitæ; teneatur debitor eam tradere, seu restituere creditori. ibid.
℟. *Probabilius: Non teneri.* ibid.
42. An saltem, teneatur restituere, casu, quo quis extrema necessitate pressus, abstulerit rem à domino in extremam inopiam redacto. p. 110
℟. *Probabilius: Adhuc non teneri.* ibid.
43. An, si creditor, & pater, vel mater debitoris sint simul in extrema necessitate; possit etiam tunc debitor, licitè subuenire patri, vel matri, prætermisso creditore. ibid.
℟. *Probabilius: Posse tunc.* ibid.
44. An, qui in graui necessitate accepit rem, quæ erat alterius; teneatur restituere domino, si ad lautiorem venerit fortunam. ibid.
℟. *Vt probabilus: Teneri.* ibid.

DISPVTATIO III.

De his, qui Eleemosynam facere possunt. pagina 110

§. I.

De eroganda Eleemosyna à Seruis, Minoribus, Filiis, & Vxoribus. ibid.

Q. 1. AN, omnes, & soli illi, qui rerum suarum habent dominium, & plenam administrationem, possint facere Eleemosynam. ibid.
℟. *Vt certum. Quod, extra casum necessitatis, omnes, & soli ipsi, possint.* ibid.
2. An etiam, facere possint Eleemosynam illi, qui licet non habent dominium; habent tamen consensum expressum, aut rationabiliter præsumptum, eorum, qui habent dominium rei donandæ. p. 111
℟. *Vt certum: Etiam posse.* ibid.
3. An, seruus mancipium possit facere Eleemosynam. ibid.
℟. *Vt certum: Non posse, nisi ex consensu tacito, vel expresso sui domini.* ibid.
4. An, seruus mancipium possit facere Eleemosynam, de pecuniis, aut cibis, in sustentationem sui designatis. ibid.
℟. *Vt quid certum: Posse.* ibid.
5. An etiam possit seruus mancipium Eleemosynam facere, ex peculio proprio, si habeat. ibid.
℟. *Etiam vt certum: Posse.* ibid.
6. An, Minores, Pupilli, & Prodigi, possint Eleemosynas magnas facere. ibid.
℟. *Vt certum: Quod non.* ibid.
7. An saltem, dicti Minores, Pupilli, & Prodigi, quibus dantur tutores, vel curatores, possint paruas Eleemosynas facere. ibid.
℟. *Vt certum: Has posse.* ibid.
8. An, si Minores, Pupilli, & Prodigi, de facto aliquam magnam Eleemosynam faciant, teneat pactum. p. 112
℟. *Factum tenere.* ibid.
9. An, Tutores. & Curatores possint, de bonis pupillorum, aut Minorum, seu Prodigorum, moderatas Eleemosynas facere. ibid.
℟. *Vt quid certum: Posse.* ibid.
10. An etiam dicti, Tutores, & Curatores, possint eas Eleemosynas facere, quas Pupilli, & Minores, si adultæ essent ætatis, exercere deberent. ibid.
℟. *Quod sic.* ibid.
11. An, Tutor possit pro pupillo aliquid donare, & munera consueta consanguineis pupilli mittere. ibid.
℟. *Posse.* ibid.
12. An, filiusfamilias possit facere Eleemosynas de bonis Parentum, quorum non habet dominium. ib.
℟. *Vt certum: Non posse, nisi ex consensu patris, &c.* ibid.
13. An filiusfamilias possit facere Eleemosynas, ex bonis Castrensibus, aut quasi Castrensibus. ibid.
℟. *Vt certum: Posse.* ibid.
14. An etiam filiusfamilias possit facere Eleemosynas, de bonis aduentitiis. p. 113
℟. *Vt certum: Quod non.* ibid.
15. An saltem, de bonis profectitiis, quæ filiofamilias, ex bonis ipsius patris, aut proximè patris causa, illi proueniunt; possit dictus filius Eleemosynas elargiri. ibid.

℞ *Vt certum: Adhuc non posse.* ibid.
16. An, filius familias possit facere Eleemosynas, de peculio mixto, quod de bonis paternis, suâ industriâ acquirit. ibid.
℞ *Etiam vt certum: Non posse.* ibid.
17. An, filius familias possit ex bonis paternis Eleemosynam facere; quando, consensu patris, peregrinatur; vel in scholis, studij gratia, remotus à patre versatur. ibid.
18. An, filius familias possit erogare Eleemosynas, ex bonis datis sibi à patre, ad congruam sustentationem, honestamve suam recreationem. ibid.
℞ *Posse, si parcè viuat, &c.* ibid.
19. An, si filius familias, ludo licito, aliquid lucrifaciat, id pauperibus erogare queat.. ibid.
℞ *Posse, solùm ex tacita voluntate patris.* ibid,
20. An, filius familias possit, de bonis patris, facere aliquas Eleemosynas, quando pater nullas facit. pag. 114
℞ *Posse.* ibid.
21. An, vxor possit Eleemosynas facere, ex bonis communibus ipsi, & marito. ibid.
℞ *Vt certum: Non posse, nisi in certis casibus.* ibid.
22. An, vxor, ex bonis communibus possit eas Eleemosynas elargiri, quas aliæ fœminæ eiusdem conditionis elargiuntur. ibid.
℞ *Vt certum: Posse; saltem dum non constet de contraria voluntate mariti; de quo statim.* ibid.
23. An, casu, quo maritus vxori vetet dictas paruas Eleemosynas facere; possit nihilominus illas vxor elargiri. ibid.
℞ *Probabilius: Adhuc posse.* ibid.
24. An deinde possit vxor, de bonis communibus, aliquas Eleemosynas facere ad auertendum malum temporale Mariti. p. 115
℞ *Vt quid certum: Posse.* ibid.
25. An etiam possit vxor Eleemosynas dictas facere, ad auertendum malum spirituale mariti; vt, videlicet, Deus illum conuertat; vel ne illum, ob flagitia puniat. ibid.
℞ *Probabilius: Etiam posse.* ibid.
26. An, vxor possit Eleemosynas facere, ex datis, seu assignatis sibi ad victum, & vestitum à suo viro. ibid.
℞ *Vt quid certum: Posse.* ibid.
27. An item, possit vxor dare aliquas Eleemosynas, quando Maritus est diues, sed prorsus negligens in dandis Eleemosynis. ibid.
℞ *Vt certum: Etiam posse.* ibid.
28. An si Maritus sit absens, possit vxor elargiri Eleemosynas, ex bonis communibus. ibid.
℞ *Posse.* ibid.
29. An etiam possit vxor dare Eleemosynas, iuxta suum arbitrium, & prudentiam, si maritus est amens, vel fatuus, aut stolidus. p. 116
℞ *Probabilius: etiam posse.* ibid.
30. An, vxores possint dare Eleemosynas, ex bonis communibus, extremè, aut quasi extremè indigenti. ibid.
℞ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
31. An item, possint vxores, modicas facere Eleemosynas, panis videlicet, vini, &c. ibid.
℞ *Posse.* ibid.
32. An, vxor, quæ, vt diximus, moderatas Eleemosynas possit elargiri; possit illas simul congregare, & totã summã vni simul Parenti pauperi tribuere. ib.
℞ *Posse.* ibid.
33. An etiam, vxor donationes, quas facere potest, possit vnire, & vni, eidemque simul, liberaliter donare. ibid.
℞ *Etiam posse.* ibid.
34. An deinde, possit vxor, sibi ipsi applicare totam illam summam, quam ex Eleemosynis, & donationibus elargiendis vni, congregauit. ibid.
℞ *Solùm posse, summam, quam congregauit ex donationibus; non ex Eleemosynis.* ibid.
35. An possit assignari quantitas, quam in hisce Eleemosynis, & donationibus liberalibus, vxor, vel expendere, vel congregare, sine viri consensu, valet. p. 117
℞ *Certius, ac verius; non posse assignari.* ibid.
36. An vxor possit præbere Eleemosynas Parentibus; aut filiis ex priori matrimonio, indigentibus. ibid.
℞ *Æque probabiliter: Posse, & absque vlla culpa, si maritus non succurrat illis.* ibid.
37. An item, possit vxor præbere, inscio marito, Eleemosynas, non solùm parentibus, & filiis; sed etiam fratribus suis, vel sororibus, in egestate constitutis. ibid.
℞ *Probabilius: Etiam posse.* ibid.
38. An, si vxor habeat bona propria, de quibus possit disponere ad libitum; possit de illis facere extraordinarias Eleemosynas. p. 118
℞ *Vt certum: Posse.* ibid.
39. An, vxor possit, de bonis paraphernalibus, aut de aliis, quæ, constante matrimonio, illi per hæreditatem, aut donationem obueniunt, etiam inuito marito, Eleemosynas facere. ibid.
℞ *Vt certum: Posse.* ibid.
40. An, vxores in Hispania, stante Iure Cæsareo, possint disponere pro suo libito, de dictis bonis paraphernalibus, & aliis, quorum habent dominiũ. ib.
℞ *Non posse.* ibid.
41. An, casu, quo vxor habeat aliqua bona, de quibus ad libitum potest disponere; possit adhuc de bonis Mariti facere moderatas Eleemosynas, quas diximus posse, eo adhuc inuito, supra q. 23. ibid.
℞ *Adhuc posse.* ibid.
42. An deinde, vxor, quæ alicuius rei habet dominium, & administrationem, & videt aliquem extremè patientem, possit tunc ex bonis Mariti illi subuenire. ibid.
℞ *Posse, si bona mariti aliquo iure sunt vxori debita; alias non.* ibid.

§. II.

De eroganda à Clericis Eleemosyna. ibid.

43. AN Ecclesiastici teneantur sub præcepto, de bonis Ecclesiasticis facere Eleemosynam. ibid.
℞ *Vt certum: Teneri.* ibid.
44. An Ecclesiastici teneantur iure diuino, superfluum ex redditibus Ecclesiasticis largiri pauperibus. p. 119
℞ *Vt mihi certum: Teneri iure diuino; imò & naturali, & Ecclesiastico.* ibid.
45. An, Beneficiarius arctius obligetur ad dandam Eleemosynam ex fructibus sui beneficij; quàm laicus ex bonis sui patrimonij. ibid.
℞ *Vt quid certum: arctius obligari.* ibid.
46. An, summus Pontifex, hoc astringatur præcepto, & teneatur, superfluum ex suis Ecclesiasticis redditibus, largiri pauperibus. ibid.
℞ *Vt mihi certum: Teneri.* ibid.
47. An, Clericus, non solùm ex fructibus sui beneficij; verum ex bonis patrimonialibus, aut quasi; arctius obligetur ad dandam Eleemosynam, quàm laicus ex bonis sui patrimonij. ibid.
℞ *Quod non.* ibid.

48. An,clericus possit ex bonis patrimonialibus,aut quasi; consanguineos ditare, & ad altiorem statum promouere. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
49. An,clericus,qui bona patrimonialia, aut quasi patrimonialia, in suam sustentationem insumit; possit illa compensare ex redditibus sui beneficij, & ex illis tantundem in vsus,quos voluerit, insumere. ibid.
℟ *Posse.* ibid.
50. An,etiamsi clericus beneficiarius,bona patrimonialia,aut aliquos fructus eorum,in eleemosynas, aut alia pia opera consumpsit;possit tantundem de redditibus beneficij accipere,& disponere de illis, sicut de bonis patrimonialibus. p.120
℟ *Posse etiam.* ibid.
51. An, si Beneficiarius,parcè viuendo,minus consumat de fructibus sui beneficij, quàm cosumere posset, in suam congruam sustentationem; possit de huiusmodi fructibus sic reseruatis, disponere,ac de bonis patrimonialibus. ibid.
℟ *Posse.* ibid.
52. An Beneficiarius cum portione suæ congruæ sustentationis,possit computare totam,quo amplius est dignus,vt id expẽdere possit,in quę voluerit.ib.
℟ *Posse.* ibid.
53. An Beneficiarij teneantur eam partẽ fructuum beneficiorum, quæ non est congruæ sustentationi necessaria,sed superflua, in Eleemosynas, aut in alia opera pietatis, sub mortali expendere. ibid.
℟ *Vt quid certum: Teneri.* ibid.
54. An, solùm iure positiuo Ecclesiastico, teneantur sub mortali Beneficiarij, quæ sibi supersunt congruæ sustentationi, in pauperes, piosque vsus insumere. ibid.
℟ *Vt ferè certum: Quod non: nam etiam tenentur iure naturali,& diuino.* ibid.
55. An, immunis à mortali maneat Beneficiarius, qui ex fructibus beneficij, suæ sustentationi superfluis, aliquid leuis materiæ, in vanos vsus expendit. p.121
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
56. An,si Beneficiarius,tertiam,aut quartam partem beneficij fructuũ,cõgruæ sustentationi superfluentium,in vanos vsus expendat peccat mortaliter.ib.
℟ *Quod sic.* ibid.
57. An, possit assignari certa,ac determinata quantitas, pro congrua cuiusque Beneficiati sustentatione. ibid.
℟ *Vt certum (quidquid alij dicant) Non posse.* ibid.
58. An,quo Beneficiarius est nobilior, & doctior,eo plus illi pro congrua sustentatione, ex fructibus beneficij,sit assignandum. ibid.
℟ *Vt longe probabilius: Quod sic.* ibid.
59. An deinde,pro qualitate beneficij,& quantitate reddituum, plus pro competenti sustentatione, Beneficiato est assignandum. ibid.
℟ *Etiam esse plus assignandum.* ibid.
60. An,nomine congruę sustentationis,quam Beneficiarij,ex frũctibus Ecclesiæ sibi possunt deducere; veniant necessaria ad sui status,& familiæ, honorabilem sustentationem. p.122
℟ *Vt certum: Quod hæc omnia veniunt.* ibid.
61. An,nomine congruæ sustentationis,veniant etiã necessaria ad exhibenda aliqua moderata conuiuia amicis,& consanguineis, ipsius Beneficiati. ibid.
℟ *Vt certum. Venire etiam.* ibid.
62 An deinde, nomine congruæ sustentationis, veniant donationes remuneratoriæ, quas Beneficiarius,ob aliqua bona accepta, alicui facit. ibid.
℟ *Vt certum: Adhuc venire.* ibid.
63. An,non solùm donationes remuneratoriæ; verum etiam, liberales moderatæ; veniant nomine congruæ sustentationis. ibid.
℟ *Probabilius: Etiam venire.* ibid.
64. An,licitum sit Beneficiario, plus, ex fructibus beneficij, remunerare, quàm valet donum prius acceptum. ibid.
℟ *Probabilius. Esse illi licitum.* ibid.
65. An,Clericus habens filias illegitimas,possit illis, ex fructibus beneficij,alimenta, & dotes prouidere,si indigeant. ibid.
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
66. An etiam,casu, quo dictus Clericus habeat alia bona propria,vnde posset alimenta, & dotes filiabus propriis, aut spuriis præbere, posset nihilominus,ex fructibus beneficij,hæc illis tradere.p.123
℟ *Vt ferè mihi certum: Tunc non posse.* ibid.
67. An,liceat Clerico, filias spurias adeo dotare,ac si legitimæ essent. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
68. An, possit Clericus, ex redditibus superfluis beneficij,aliquam mediocrem quantitatem, ad proprias necessitates euenturas,reseruare. ibid.
℟ *Posse ad proprias euenturas probabiliter.* ibid.
69. An, possit Clericus, ex redditibus beneficij superfluis,sustentare consanguineos in studio,etiamsi patrimonialia bona habeat. ibid.
℟ *Vt certum: Posse,si pauperes sint.* ibid.
70. An,etiamsi Consanguinei, aut nepotes non indigeant, eo quod Patres diuites, habeant, possit nihilominus dictus Clericus, illos ex redditibus beneficij in studio alere. ibid.
℟ *Posse adhuc, si patres nolint illis succurrere; secus alias.* p.124
71. An, Clerico, ex redditibus beneficij superfluis, possint suis Consanguineis pauperibus condonare, id,quo ad sui status sustentationem indigent. ibid
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
72. An, possint Clerici, ex superfluis Ecclesiasticis redditibus, paulo plus suis Consanguineis pauperibus,quàm aliis egenis,largiri. ibid.
℟ *Posse.* ibid.
73. An, si Clericus humili loco natus, eleuetur ad magnam dignitatem; possit suis Consanguineis, de redditibus Ecclesiasticis superfluis, competentem sustentationem augere. ibid.
℟ *Posse.* ibid.
74. An,Episcopus, vel alius quilibet Ecclesiasticus, etiam ditissimus,satisfaciat suæ obligationi; si,seclusis necessitatibus grauibus,eroget in communibus necessitatibus,quartam partem omnium reddituum Ecclesiasticorum; vel saltem dimidium eius, quod remanet; post congruam sustentationem. ibid.
℟ *Vt longe multo probabilius;imò,vt mihi certum;Quod minimè satisfaciat.* p.125
75 An, Beneficiati integrum dominium acquirant suorum Ecclesiasticorum reddituum; & præcipuè illorum, qui suam congruam sustentationem excedunt. ibid.
℟ *Benignius: Quod sic;dummodo non sint Regulares.* ib.
76. An Clerici Beneficiarij, si redditus,qui suæ congruæ,sustentationi supersunt, pauperibus non exhibeant,non solùm peccent mortaliter, sed etiam teneantur ad restitutionem. p.126
℟ *Quod sic.* ibid.
57. An etiam Pensionarij, seu, qui habet pensiones deductas ex bonis Ecclesiasticis; habeant eandem obligationem, ac Beneficiarij, expendendi super-
℟ flua

flua in pauperes, aut in alia opera pia. ibid.
℟ *Quod, negatiuam sententiam possit quis, vt benigniorem sequi.* ibid.
78. An, Commendatarij D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ & D. Ioannis, teneantur expendere in pauperes, aut in alia opera pia, residuum ex congrua sustentatione, ibid.
℟ *Probabilius: Non teneri.* ibid.
79. An, ille, cui datum est beneficium aliquod in Commendam, teneatur dare in vsus pios, quod suæ sustentationi supereſt. ibid.
℟ *Vt certum: Teneri.* pag. 127
80. An, Beneficiarij, seu Canonici, teneantur, superfluum distributionum, quæ illis dantur, ob præsentiam in choro, vel alio ministerio, in pauperes, aut alios pios vsus expendere, ibid.
℟ *Probabilius: Non teneri.* ibid.
81. An, ex fructibus Capellaniæ, non collatiuæ, sed amouibilis ad nutum; teneatur Capellanus expendere superfluum suæ congruæ, in vsus pios, ibid.
℟ *Vt certum: Non teneri.* ibid.
82. An, saltem de fructibus Capellaniæ collatiuæ, & inamouibilis; teneatur Capellanus expendere superfluum in vsus pios. ibid.
℟ *Æque probabilius: Adhuc non teneri.* ibid.
83. An, Religiosi assumpti ad aliquod beneficium sæculare, vel regulare, ad nutum amouibile; sint vere domini reddituum beneficij, & possint de illis disponere, ac alij Clerici beneficiati sæculares. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
84. An saltem, dicti Religiosi sint vere domini talium reddituum, & possint de illis disponere, ac alij clerici Beneficiati sæculares; casu, quo assumpti sint ad beneficium perpetuum, & non amouibile. pag. 128
℟ *Vt longe probabilius. Nec in hoc casu, esse veros dominos.* ibid.
85. An ad minus, Religiosi ad statum Episcopalem assumpti; habeant dominium reddituum Ecclesiasticorum, & possint disponere de illis, ac alij Episcopi sæculares. ibid.
℟ *Vt longe multo probabilius; quod minime dominium habeant.* ibid.

§. III.

De eroganda à Regularibus Eleemosyna. ibid.

86. AN, Regularibus sit interdictum, aliquas facere Eleemosynas. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* pag. 129
87. An liceat Religioso, cum tacita licentia superioris, aliquam Eleemosynam elargiri. ibid.
℟ *Licere.* ibid.

DISPVTATIO. IV.

Ex quibus bonis facienda sit Eleemosyna. pag. 129

Q. 1. AN, ex propriis, facienda sit Eleemosyna. ibid.
℟ *Vt quid certum, quod per se loquendo, sic.* ibid.
2. An, vt licite Eleemosyna fiat; sufficiat, quod bona sint propria. ibid.
℟ *Quod absolute, non sufficit.* ibid.
3. An saltem, in casu extremæ necessitatis, liceat cuilibet, ex bonis alienis Eleemosynam facere extreme patienti. ibid.
℟ *Vt certum: licere cuilibet, si alias ipse, qui succurrit bona propria non habeat.* ibid.
4. An, si apud aliquem sint aliena bona, & propria; possit extreme indigenti subuenire ex alieno, reseruatis propriis. ibid.
℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.
5. An, qui habendo propria bona, aliena surriperet, vt extreme indigenti daret; teneretur ad restitutionem. ibid.
℟ *Vt longe probabilius: Teneri.* pag. 130
6. An, Hæretici, aut qui commiserunt crimen læsæ Maiestatis; possint, ante criminis declarationem, Eleemosynam dare pauperibus, etiam citra extremam necessitatem. ibid.
℟ *Probabilius; Posse, dummodo id non faciant in fraudem Fisci.* ibid.
7. An, ex bonis vsura comparatis, possit quis Eleemosynam dare. ibid.
℟ *Posse; concurrentibus quibusdam conditionibus.* ibid.
8. An, qui ludendo lucrifacit; possit ex lucro Eleemosynam largiri, si pecuniam ludo expositam fuerat furatus. ibid.
℟ *Posse.* ibid.
9. An, Meretrix ex his, quæ quæstu meretricio acquirit, possit Eleemosynam dare. pag. 131
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
10. An liceat dare Eleemosynam, ex bonis obnoxiis restitutioni; veluti, furto, aut rapina ablatis. ibid.
℟ *Quod non liceat; nisi tali casu &c.* ibid.
11. An, ex acquisitis, ob aliquam illicitam actionem iam exercitam; vt, ob homicidium patratum, aut iniustam sententiam; possit quis facere Eleemosynam. ibid.
℟ *Posse.* ibid.

DISPVTATIO V.

De his, quibus danda sit Eleemosyna. pag. 131

Q. 1. AN solum pauperibus danda sit Eleemosyna. ibid.
℟ *Vt certum: Quod solum.* ibid.
2. Quotuplex sit pauperum genus. ibid.
℟ *Quod triplex, alij inuoluntarij, alij voluntarij plane: & alij inuoluntarij secundum se.* ibid.
3. An, non solum pauperibus primi, sed etiam secundi generis, nempe, Religiosis, danda sit Eleemosyna. ibid.
℟ *Plusquam certum: Quod sic.* ibid.
4. An sit danda Eleemosyna patientibus necessitatem, non, ob amorem virtutis, sed ob otium, tædiumque laboris; quales sunt vagabundi. pag. 132
℟ *Quod minime sit eis danda communiter.* ibid.
5. An, expediat vnicuique examinare; an mendici occurrentes, sint vere pauperes; an vero vagabundi. ibid.
℟ *Quod non.* ibid.
6. An, Pauperibus male viuentibus danda sit Eleemosyna. ibid.
℟ *Dandam esse; non tamen qua tales sunt.* ibid.
7. An etiam inimicis, quamuis propriis, sit elargienda Eleemosyna. ibid.

℟ *Vt*

℟ *Vt certum: quod sic, nisi tali, vel tali casu.* ibid.
8. An etiam Hostibus Reipublicæ, saltem extreme indigentibus, danda sit Eleemosyna. ibid.
℟ *Quod non.* ibid.
9. An danda sit Eleemosyna homini auaro indigenti, eo quod nihil ex suo velit insumere, quo suæ necessitati subueniat. pag. 133
℟ *Vt certum: Non esse ex præcepto dandam.* ibid.
10. An peccet grauiter, qui paupertate ficta petit, ac recipit Eleemosynas. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
11. An, recipiens eleemosynam magnam, aut extraordinariam, simulans paupertatem, teneatur ad illius restitutionem. ibid.
℟ *Probabilius: Teneri.* ibid.
12. An etiam ille, qui simulans paupertatem modicas Eleemosynas recipit; teneatur quoque ad illas restituendas, ibid.
℟ *Probabiliter: Tunc non teneri.* ibid.
13. An, Eleemosyna data vero pauperi, qui tamen fingit se Sanctum, aut cognatum eius, à quo illam petit, sit valida. pag. 134
℟ *Quod sit.* ibid.
14. An, pauper, qui solum pigritiæ, aut cupiditatis causa, Eleemosynã poscit; peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem. ibid.
℟ *Quod non; si alias vere sit pauper.* ibid.
15. An, si pauper astans ostio diuitis, vel monasterij, expectans Eleemosynam, dicat alteri pauperi accedenti; iam esse datam, cum re vera non sit; teneatur ad restitutionem. ibid.
℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.
16. An, teneatur ad aliquid restituendum pauper ille, qui, vltra modum, eiulatibus, & clamoribus suam necessitatem exagerat. ibid.
℟ *Quod non.* ibid.
17. An, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem pauper ille, qui petit, & accipit Eleemosynas, postquam iam sufficientem victum, per illas acquisitum habet. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
18. An, licite possit petere, & accipere Eleemosynas, tanquam pauper, qui filias habet nubiles, quas commode dotare non potest: habet tamen necessaria ad vitam suam, & filiarum sustentandam. ibid.
℟ *Probabiliter. Quod sic.* ibid.
19. An sit licitum, diuites emendicare, vt Eleemosynas erogent pauperibus. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
20. An item, si quis dines obligetur, aliquem pauperem alere; possit nihilominus pro illo Eleemosynam petere. pag. 135
℟ *Non posse.* ibid.
21. An, Pater, vel frater diuites possint Eleemosynam colligere, pro filio, vel sorore pauperibus. ibid.
℟ *Quod non.* ibid.
22. An, Eremitæ, qui alicui seruit Ecclesiæ, liceat viuere, ex Eleemosynis ipsius Ecclesiæ. ibid.
℟ *Licere.* ibid.
23. An, Eleemosyna facta pauperi simulato, restituenda sit donatori; an verò aliis pauperibus. ibid.
℟ (*Quidquid alij sentiant*) *quod vtrique possit.* ibid.
24. Quid nomine pauperis veniat, cui data pauperi ficto possint restitui. ibid.
℟ *Quod veniunt personæ egentes, Ecclesiæ, xenodochia, Monasteria &c.* ibid.
25. An, si quis habeat à Testatore potestatem distribuendi aliquam pecuniam in pauperes; possit vnico pauperi totam illam donare. ibid.
℟ *Quod non.* ibid.
26. An, si Testator determinatos pauperes eligat, vt inter illos distribuatur certa Eleemosyna; possit executor illam aliis pauperibus donare. pag. 136
℟ *Non posse.* ibid.
27. An, qui Eleemosynam accipit in pauperes distribuendam, possit sibi, suisque, si verè pauperes sint, partem illius applicare. ibid.
℟ *Vt mihi certum: Posse.* ibid.
28. An sit aliquis ordo tenendus in Eleemosyna pauperibus eroganda. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
29. Quando Eleemosyna omnibus fieri non potest, quinam debeant aliis præferri. ibid.
℟ *Quod illi, qui maiori necessitate laborat &c.* ibid.
30. Quinam in extrema necessitate præferendi sunt aliis. ibid.
℟ *Quod non potest summatim resolui.* Legatur quæstio. ibid.

TRACTATVS VI.

De Correctione fraterna. pag. 137

DISPVTATIO PRIMA.

De quidditate, & præcepto Correctionis fraternæ. pag. 137

QVÆST. 1. QVID sit correctio fraterna. ibid.
℟ *Quod est admonitio proximi, qua nitimur eum à peccato reuocare.* ibid.

2. An sit præceptum de Correctione fraterna. ibid.
℟ *De fide certum: Esse.* ibid.
3. An præceptum huiusmodi correctionis, sit naturale, diuinum, & humanum. ibid.
℟ *Tanquam certum. Quod sit.* ibid.
4. An Correctionis præceptum obliget, non solum Christianos; verum etiam Infideles. ibid.
℟ *Vt certum: omnes obligare.* ibid.
5. An hoc præceptum obliget ex genere suo ad mortale. ibid.
℟ *Vt certum Quod sic.* ibid.
6. An præceptum correctionis, obliget semper, & pro semper. pag. 138
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
7. Quot debent conditiones concurrere, vt hoc præceptum astringat. ibid.
℟ *Quod ad minus, quatuor, nempe &c.* ibid.

DISPVTATIO II.

De conditionibus, quibus concurrentibus, obligat Correctionis præceptum. pag. 138

§. I.

De prima conditione, quæ est, certa peccati cognitio. ibid.

Q. 1. AN, vt obliget Correctionis præceptum, sit necessaria cognitio probabilis, seu certitudo moralis, peccati mortalis proximi. ibid.

℟ *Vt certius multo, ac probabilius; Quod sic.* ibid.

2. An, qui, per auditum, vel per rumorem, aut per signa dubia, scit crimen graue fratris; teneatur illum corrigere. ibid.

℟ *Vt multo probabilius: Quod non.* ibid.

3. An, quando peccatum potest redundare in præiudicium tertij, sufficiat dubia cognitio illius, ad corrigendum. ibid.

℟ *Sufficere.* ibid.

4. An, peccatum mortale omnino præteritum, & per pœnitentiam deletum, sit materia necessaria correctionis. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.

5. An saltem, peccatum mortale præteritum omnino, sed non deletum per dolorem, sit materia necessaria Correctionis. ibid.

℟ *Probabilius: non esse materiam necessariam; nisi casu, quo timeatur prudenter, non fore corripiendum proximum suo tempore.* pag. 139

6. An, excusetur quis à correctione, ex eo, quod proximus, ex ignorantia vincibili peccet. ibid.

℟ *Vt certum: Non excusari.* ibid.

7. An saltem à correctione, vel monitione quis excusetur, ex eo quod proximus ex ignorantia inuincibili legem offendat. ibid.

℟ *Quod alij negant: affirmant alij: ego autem distinguendo Resoluo sex conclusiones.* Legantur. ibid.

8. An, Prælati Religionum teneantur Religiosorum venialia, si occulta sint, sub mortali corrigere. pag. 140

℟ *Non teneri, sub mortali.* ibid.

9. An saltem, teneantur dicti Prælati corrigere sub mortali, peccata venialia suorum subditorum, si hæc sint publica; & ob nimiam eorum licentiam, aut frequentiam, aliis ruina paratur; vel religiosa disciplina labefactatur. ibid.

℟ *Vt certum: Teneri, & ex iusta.* ibid.

10. An etiam Syndici, Visitatores, & alij vices Prælatorum gerentes, teneantur, etiam sub graui obligatione, ad corrigenda venialia, Religioni nociua, subditorum. ibid.

℟ *Teneri etiam.* ibid.

11. An, Vicarij, Supriores, Vice-Rectores, & alij, qui in absentia Prælatorum, eorum vices gerunt; teneantur, etiam ex iustitia, corrigere sub mortali, venialia suorum subditorum, eodem modo, ac alij Prælati proprij. ibid.

℟ *Teneri eodem modo, in illorum absentia.* ibid.

12. An Religiosus priuatus, teneatur ex misericordia, vitare, & corrigere venialia communitati, aut aliis notabiliter nociua. pag. 141

℟ *Quod per se, vere teneatur; per accidens, rarò.* ibid.

13. An, iudices, ac Magistratus; teneantur etiam sub mortali, expellere à republica peccata venialia. ibid.

℟ *Teneri expellere, sub mortali, licet non omnia, sed illa, quæ rempublicam valde conturbant.* ibid.

14. An, extra assignatos casus, sit obligatio, sub veniali, corripiendi proximum, in occasione peccandi venialiter constitutum. ibid.

℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.

§. II.

De secunda conditione, quæ est, vt adsit spes emendæ fratris; qui corripiendus est. ibid.

15. AN, vt obliget correctionis præceptum, requiratur, vt adsit spes fructus, aut emendæ fratris. ibid.

℣ *Vt certum: Quod sic.* ibid.

16. An teneatur quis correctionis præcepto, casu, quo non habeat spem fructus illico colligendi. ibid.

℣ *Vt certum: Teneri.* ibid.

17. An, casu, quo ex prima, & secunda ac tertia correctione, quis non videat emendam fratris correcti; teneatur quarto corrigere, si ex hac repetita correctione, speret emendam illius. ibid.

℣ *Probabilius: Posse; sed non teneri.* ibid.

18. An, vt correctio obliget, requiratur, quod spes fructus sit certa. ibid.

℣ *Vt certum: quod non: nam satis est, vt sit probabilis.* ibid.

19. An, si quis probabiliter credat, nihil effecturum per correctionem; teneatur illam apponere. ibid.

℣ *Non teneri.* ibid.

20. An, quando quis dubius est, an correctio nocitura vel profutura sit; possit illam omittere. ibid.

℣ *Probabilius: Quod non solum possit; sed & teneatur illam omittere.* pag. 143

21. An saltem teneatur ad correctionem, qui licèt habeat dubiam spem emendationis; probabiliter tamen putat, quod correctio non nocebit corripiendo. ibid.

℣ *Tunc teneri.* ibid.

22. An, cum æquali probabilitate, quod correctio oberit, aut proderit; teneatur quis à correctione absistere. ibid.

℣ *Probabilius: Non teneri à correctione abstinere; sed posse licite; vel correctionem adhibere; vel illam omittere.* ibid.

23. An, in extremo vitæ periculo, quando probabiliter creditur, frater moriturus in mortali; tunc debeat fieri correctio, etiam in dubio, an sit profutura, an nocitura. ibid.

℣ *Vt certum: Tunc debere fieri.* ibid.

14. An sit omittenda correctio, ex qua probabiliter speratur fructus; si ex illa, in eo, qui corrigitur, aliqua tristitia, aut aliud leue damnum, sequatur. ibid.

℣ *Vt certum: Non esse omittendam.* ibid.

§. III.

De tertia conditione, quæ eſt, opportunitas temporis, & perſonæ. ibid.

25. AN, excuſetur quis à correctione ſtatim facienda ſi ſperet aliud tempus magis opportunum, in quo fructuoſius eſt proximus corrigendus.

℟ *Tanquam certum: Excuſari.* ibid

26. An liceat cuipiam, differre correctionem in aliud opportunius tempus, caſu, quo illo intermedio proximus graue aliquod admiſſurus ſit peccatum. ibid.

℟ *Quod licet alij affirment; alij vero negent: diſtinctius dico, quod non liceat differre ſi credat fratrem quem corrigit, non amplius peccaturum: ſecus ſi oppoſitum probabiliter credat.* ibid.

27. An teneatur quis ad proximum corrigendum, ſi certo, aut ſaltem probabiliter, credat, vel ſperet, ab alio, vel à ſemetipſo, eſſe corrigendum. ibid.

℟ *Non teneri.* ibid.

§. IV.

De Quarta conditione correctionis, quæ eſt vt fiat commode. ibid.

28. AN, præceptum correctionis obliget cum damno notabili ſalutis, honoris, famæ, & bonorum perſonnæ priuatæ corripientis. ibid.

℟ *Vt longe multo probabilius: Non obligare talem perſonam; ſaltem, circa extremam neceſſitatem.* ibid.

29. An ſaltem in caſu extremæ neceſſitatis proximi, teneatur quis ad illum corrigendum, cum periculo vitæ propriæ, ſi moraliter exiſtimet certum, correctione poſita, in gratia deceſſurum; ſecus verò, in mortali moriturum. pag. 145

℟ *Vt certum: Teneri, ſi proximus extreme indigeat correctione.* ibid.

30. An, poſſit dari caſus, in quo proximus neceſſario egeat mea correctione ad ſuam ſalutem. ibid.

℟ *Vt Mihi certum: Poſſe dari talem caſum.* ibid.

31. Quando dentur caſus, in quibus proximus extreme, & neceſſario, mea correctione ad ſalutem egeat. ibid.

℟ *Quod dantur, in tribus euentibus*: Legantur ibid.

32. An item, extra caſum neceſſitatis, teneatur Prælatus, corrigere ſubditos, etiam cum diſpendio propriæ vitæ, quando ſperatur correctio profutura. ibid.

℟ *Teneri: & lege Charitatis, & iuſtitiæ.* ibid.

33. An ſaltem, excuſetur à mortali, qui ob pudorem, vel verecundiam, aut negligentiam, ſeu tepiditatem omittit correctionem. ibid.

℟ *Probabiliter: excuſari à mortali; niſi in caſibus extremæ neceſſitatis.* pag. 146

DISPVTATIO III.

De Perſonis, quæ tenentur corrigere; & quæ ſunt corrigendæ. pag. 146

Q. 1. AN, omnes cuiuſcumque conditionis perſonæ, teneantur proximum corrigere. ibid.

℟ *Tanquam certum (quidquid Gloſſa dixerit) omnes perſonas teneri.* ibid.

2. An, ſolum iuſti, obligentur hoc correptionis præcepto. ibid.

℟ *Vt certum: etiam peccatores, per ſe loquendo, obligari.* ibid.

3. An, Peccator publicus, & vt talis notus, obligetur ad corrigendos alios, præcipue circa peccata, quibus ipſe eſt infectus. ibid.

℟ *Obligari per ſe licet per accidens, regulariter deobligetur.* ibid.

4. An, Prælatus, ſeu ſuperior Eccleſiaſticus, poſſit, abſque peccato, in ſtatu peccati iudicialiter alium corripere. ibid.

℟ *Vt certum (quidquid aliqui dicant) poſſe.* pag. 147

5. An Prælati, qui ex officio tenentur ſubditos corrigere; teneantur prius de ſuis peccatis pœnitere, vt ſic fructuosè poſſint corripere illos. ibid.

℟ *Teneri.*

6. An, etiam priuatæ perſonæ teneantur ex Charitate, propriam emendare vitam, & de ſuis peccatis pœnitentiam agere; vt ſic vtiliter poſſint corrigere indigentem. ibid.

℟ *Vt mihi certum: Non teneri, ſaltem extra caſum neceſſitatis.* ibid.

7. An ſaltem, caſu, quo proximus, conſtitutus in extremis, correctione indigeat; quia ſine illa, in peccato decidet: teneatur tunc priuata perſona emendare vitam, vt ſic in gratia decedat proximus. ibid.

℟ (*Quid alij affirment; alij vero negent*) *caſum hunc moraliter eſſe fere impoſſibilem.* ibid.

8. An, ille, qui alium ad peccatum poſitiue pertraxit; teneatur emendare vitam, etiam extra caſum extremum, vt eum corrigat, quem ad peccatum induxit. ibid.

℟ *Teneri; ſi putet, aliter non eſſe illum corrigendum.* ibid.

9. An, ſubditi teneantur, ſuos Prælatos fraterne, cum opus eſt, corrigere. pag. 148

℟ *Vt certum: Teneri.* ibid.

10. An, vt fructuoſa ſit correctio ad Prælatos facienda, ſeruandæ ſint aliquæ conditiones. ibidem.

℟ *Quod ſic, & præcipue tres.* ibid.

11. An, concionatores teneantur corripere publica peccata; etiamſi credant ea committentes, non emendando, &c. ibid.

℟ *Teneri: niſi caſu quo maiora mala timeant.* ibid.

12. An, aliquando ſit licitum, publicè reprehendere Prælatum. ibid.

℟ *Quod ſic.* ibid.

13. An, concionatores, & iudices, in mortali peccato corrigentes alios; mortaliter peccent. ibid.

℟ *Vt longe probabilius: Quod non.* ibid.

14. An, Meretricibus, vſurariis, & aliis peccatoribus publicis, adhibenda ſit correctio ex præcepto. ibid.

℟ *Vt certum: Quod ſic.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De Ordine, quo facienda sit correctio fraterna peccati occulti. pag.149

Q.1. AN, correctio fraterna peccati occulti, sit facienda, eo ordine, quem Christus Dominus in Euangelio, Matth.18. præscripsit. ibid.

℟ *Vt certum: sic faciendam esse.* ibid.

2. An dictus ordo, in correctione peccati occulti adhibendus, cadat sub præcepto naturali. ibid.

℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.

3. An etiam, prædictus ordo in correctione seruandus, sit à Christo domino præceptus. ibid.

℟ *Vt longe probabilius. Quod sic.* ibid.

4. An ad correctionem adhibendam; teneatur quis, prius adhibere vnum testem, quam duos. ibidem.

℟ *Non teneri: sed posse ambos simul.* ibid.

5. An, ad corrigendum fratrem, possit quis, plures, quam duos, testes adhibere. ibid.

℟ *Vt longe probabilius: Non posse.* ibid.

6. An, testes, qui ad correctionem adhibendi sunt, debeant esse, ex his, qui norunt crimen fratris. pag.150

℟ *Quod sic.* ibid.

7. An ad correctionem peccati, vni tantum noti, sint adhibendi testes, iuxta præfatum Christi ordinem. ibid.

℟ *Quod multi affirmant: alij contra negant: omnes probabiliter.* ibid.

8. Quot, & Quales sint causæ inducendi testes. ibid.

℟ *Quod tres, &c.* ibid.

9. An, renunciari possit ab aliquo, vt secum hic ordo correptionis seruetur; quando alias ex præcepto diuino seruandus erat. ibid.

℟ *Tanquam certum (quidquid alij dicant) Posse.* ibid. ibid.

10. An, prædictus ordo in correctione seruandus, semper cadat sub præcepto. ibid.

℟ *Quod non.* ibid.

11. An, immediata delatio secreti criminis ad Prælatum, possit aliquando esse necessaria, aut de præcepto. pag.151

℟ *Vt mihi planum: Posse aliquando.* ibid.

12. An, si quis speret, delinquentem emendandum esse per suam monitionem, licet non tam bene, quam per Prælatum, tunc possit Prælatum immediate adire. ibid.

℟ *Quod non.* ibid.

13. An, si quis existimet, suam correctionem, nec coram testibus esse profuturam; vel non adsint testes idonei, eo quod timeat eos, peccatum reuelaturos; possit tunc Prælato immediate delictum deferre. ibid.

℟ *Posse.* ibid.

14. An, quando peccatum est notorium, notorietate facti; sit seruandus ordo in correctione faciendum. ibid.

℟ *Quod non.* ibid.

15. An, in peccatis carnalibus, possint procedere Religiosi ad immediatam denunciationem Prælato, vt patri. pag.152

℟ *Posse.* ibid.

16. An, peccata carnalia in Religionibus, dici debeant, & sint contra bonum commune. ibid.

℟ *Probabilius: Quod sic.* ibid.

17. An, Religiosorum peccata occulta carnalia, denuncianda sint Prælato, vt iudici, absque præuia correctione fraterna. ibid.

℟ *Quod licet alij affirment, negent & alij, & omnes probabiliter; magis tamen placeat negare de aliquibus, affirmare de aliis.* ibid.

18. An, si in nostra Religione occurrat (quod Deus auertat) aliquod peccatum carnale secreto admitti: possit denunciari Prælato, vt iudici, non præmissa monitione. ibid.

℟ *Posse in omnibus casibus, in quibus, in aliis Religionibus peccata occulta carnalia denunciari possunt.* pag.153.

TRACTATVS VII.

De Cultu, & Adoratione Dei, & Sanctorum. In primum Præceptum Decalogi. Non habebis Deos alienos, coram me. *pag.153*

DISPVTATIO I.

De cultu, & Adoratione Dei. pag.153

QVÆST. 1. VID vox *Adoratio* significat. ibid.

℟ *Quod significat actum reuerentiæ, qui debetur superioribus; veluti Deo, Angelis &c.* ibid.

2. Quanam ratione, Adoratio definiatur. ibid.

℟ *Quod sic: Est submissio, & recognitio excellentiæ personæ adoratæ, ex affectu illam sic recognoscendi.* ibid.

3. Quotuplex est Adoratio. ibid.

℟ *Quod multiplex. Nam alia est interna; externa alia. Rursus Adoratio, alia est latria; alia Hyperdulia; & alia, Dulia. Deinde, alia est absoluta, & alia respectiua, &c.* ibid.

4. An, omnis externa adoratio, sit per se adiaphora, seu, indifferens, vt possit, tam Deo, quam creaturis exhiberi. pag.154

℟ *Quod sic.* ibid.

5. An, Adoratio, à tribus Theologicis virtutibus distinguatur. ibid.

℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.

6. An, detur præceptum colendi, & adorandi Deum. ibid.

℟ *Vt certum: dari, & esse diuinum, & naturale.* ibid.

7. An, dictum præceptum colendi Deum; sit negatiuum & simul positiuum. ibid.

℟ *Vt certum: vtrumque esse.* ibid.

8. An, præceptum negatiuum, non adorandi Deum alienum; obliget semper, & pro semper. pag.155

℟ *Vt quid certissimum: Quod sic.* ibid.

9. An præceptum affirmatiuum diuinum, & naturale, adorandi Deum; obliget indirecte, in aliquo determinato tempore. ibid.

℟ *Obligare.* ibid.

10. An,

10. An, præceptum naturale, & diuinum, colendi, & adorandi Deum, etiam obliget directe, & per se, pro aliquo determinato tempore. ibid

℟ *Probabilius: Etiam per se & directe obligare, pro aliquo determinato tempore.* ibid.

11. Quo tempore obliget directe, & per se, præceptum colendi,& adorandi Deum. ibid.

℟ *Probabilius: Obligare, & solum, temporibus, quibus obligant præcepta Fidei,spei, & Charitatis.* ibid.

12. An, colendi Deum præcepto, possit fieri satis, exercitio actuum virtutum Fidei, Spei,& Charitatis. ibid.

℟ *Quod sic.* ibid.

13. An detur præceptum Ecclesiasticum, adorandi Deum publice; & pro quo tempore obliget; & quibus actionibus impleatur. ibid.

℟ *Dari;& obligare omnibus diebus festis;& adimplere, auditione Missæ.* ibid.

14. An, nunc detur locus determinatus, diuino, aut naturali iure, in quo homines Deum adorare debeant,& teneantur. pag.156

℟ *Vt certum Quod non.* ibid.

15. An saltem, iure Ecclesiastico, assignetur locus, in quo homines Deum adorare debeant. ibid.

℟ *Quod sic.* ibid.

16. An, nunc aptius Deum,versus Orientem adoremus, oremusque; quam olim versus Occidentem Iudæi orabant. ibid.

℟ *Vt certum:Quod sic.* ibid.

17. An,Deus solus, primo, & per se,& oratione sui, sit per latriam, hoc est, per adorationem supremam,adorandus. ibid.

℟ *Tanquam certum:Quod solus ipse.* ibid.

18. An,vna persona SS. Trinitatis, possit distincte, ab aliis adorari. ibid.

℟ *Vt certum: Posse,dummodo aliæ diuinæ Personæ,expresse non excludantur.* ibid.

19. An Christus, Deus, & homò, sit etiam per se, & ratione sui, adorandus adoratione latriæ. ibid.

℟ *Tanquam certum:Quod sic.* ibid.

20. An, Humanitas Christi,provt coniuncta est diuino verbo,debeat adorari,eadem latria,qua adoratur ipsum verbum. ibid.

℟ *Vt quid certissimum: debere adorari eadem latria, non tamen per se, sed ratione coniunctionis cum persona diuina.* ibid.

21. An,Humanitas Christi, considerata in nuda natura, per se, seu provt abstracta ab Hypostasi,sit etiam adoranda latria. pag.157

℟ *Vt certum:Quod non.* ibid.

22. An, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sit ratione sui adorandum per latriam. ibid.

℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.

23. An, Eucharistiæ Sacramentum, possit absolute adorari per latriam, nulla addita conditione. ibid.

℟ *Quod licet alij negent,alij vero affirment; ego absolute concedo,posse absolute adorari.* ibid.

24. An,caro,vel sanguis, qui aliquando miraculosè in speciebusEucharistiæ apparet;sit adoratione latriæ adorandus. ibid.

℟ *Probabilius:Quod sit.* ibid.

25. An,in triduo mortis Christi, adorari posset eius corpus per latriam. pag.158

℟ *Vt certum:Quod posset;imo,& deberet.* ibid.

26. An, etiam Sanguis Christi, in triduo eiusdem mortis;adorari per latriam deberet. ibid.

℟ *Vt mihi certum;Quod etiam deberet.* ibid.

27. An,omnes res inanimatæ, quæ Christum Dominum attigerunt; vt Claui, lancea,spongia,spinæ, flagella,Crux,& alia huiusmodi, latria coli debeant. ibid.

℟ *Absolute:Quod sic.* ibid.

28. An etiam, omnes res animatæ, quæ Christum Dominum ignominiosè tetigerunt; vt impiæ manus alapas infligentium, flagellantium, & Crucifigentium Christum, sint adorandæ latria. ibid.

℟ *Vt quid certissimum: Nec latria, nec vlla alia adoratione, esse adorandas: sed potius execrandas.* ibid.

29. An saltem sint adorandæ latria, res animatæ, quæ Christum, piè, & religiosè tetigerunt; vt Apostoli,&c. ibid.

℟ *(Quidquid communiter negent Doctores) quod licet possint latria adorari; non tamen debeant.* ibidem.

30. An ad minus, Beatiss. Virgo possit adorari per latriam, ratione coniunctionis cum Christo eius Filio. ibid.

℟ *Contra communem: Quod possit; sed non debeat, ob aliqua inconuenientia inde sequentia.* ibid.

31. An, eodem cultu latria, quo ipsa Crux, in qua Christus pependit; reliquæ Cruces venerari debeant. pag.159

℟ *Vt certum:Quod sic.* ibid.

32. An,sicut quælibet Crux, cuiuslibet sit materiæ, cultu latriæ venerari debet: sic etiam Claui, lancea, flagella, Corona spinea, ex qualibet materia nouiter confecta ad significanda relata instrumenta passionis; eodem cultu latriæ,ac ipsa exemplaria,coli possint. ibid.

℟ *Quod licet alij negent;alij vero affirment; ego autem dico: posse, si dicta instrumenta efformata sint ad representandum Christum passum: secus, si ad significanda alia instrumenta inanimata Passionis.* ibid.

33. An, si dæmon, sub imagine Crucifixi appareat' adorari possit talis imago, absolute, & sine vlla conditione. ibid.

℣ *Quod non.* ibid.

34. An, homo, provt est ad imaginem Dei factus; possit latria adorari. pag.160

℟ *Quod alij affirmant: alij vero negant. Ego autem dico;quod licet possit;non debeat.* ibid.

35. An, Nomina Sacra Dei, seu Iesu-Christi, aut Mariæ, &c. sint verè, & proprie adoranda. ibidem.

℟ *Vt fere certum:vere,& proprie esse adoranda,adoratione respectiua.* ibid.

DISPVTATIO II.

De Adoratione debita Sanctis Angelis, & Hominibus Canonizatis, & Beatificatis. ibidem.

Q. 1. AN Sancti Angeli adorari possint. ibidem.

℟ *Vt certum de fide:Posse,& debere.* ibid.

2. An etiam homines Sancti Canonizati, coli, & adorari possint. pag.161

℟ *Vt certum de fide:Posse.* ibid.

3. An Sanctis Angelis, & hominibus Canonizatis debeatur adoratio plusquam ciuilis. ibidem.
℟. *Vt quid certissimum: Quod sic.* ibid.
4. An, Adoratio Sanctis debita, ad virtutem Religionis pertineat. ibid.
℟. *Quod licet alij affirment: aliique negent: ego distinctius dico; non pertinere si exhibetur propter propriam Sanctorum excellentiam: secus si exhibetur illis, propter excellentiam diuinam.* ibidem.
5. An, vt Sanctus quis, cultu publico honoretur, debeat esse canonizatus, aut beatificatus. ibidem.
℟. *Vt certum: Quod sic.* ibid.
6. An sint aliqui speciales cultus, quibus hõnorari soleant Sancti Canonizati. ibid.
℟. *Esse aliquos, & præcipue sex.* ibid.
7. An, omnes cultus, qui deferri possunt Sanctis Canonizatis; possint & deferri Sanctis beatificatis. pag. 162
℟. *Quod non.* ibid.
8. An, Sancto beatificato possint tribui alij cultus, publici, ac in Bulla beatificationis exprimuntur. ibid.
℟. *Posse tribui aliquos alios.* ibid.
9. An, homo beatus, appellari possit *Sanctus.* ibid.
℟. *Probabilius: Posse.* ibid.
10. An liceat, Sanctum beatificatum inuocare in publicis Litaniis. ibid.
℟. *Contra aliquos; non licere, saltem casu; quo in decreto beatificationis, non fuerit expressum, vt de illo possit dici Missa, aut Officium.* ibid.
11. An saltem, sit licitum, inuocare in publicis litaniis, Beatum illum, de quo dici Missa, & officium; est (iuxta Bullam suæ beatificationis) licitum. ibid.
℟. *Esse licitum; eo die, quo est concessum, vt de illo dicatur Missa, aut officium; non vero in aliis.* pag. 163
12. An, quando Pontifex concedit Sacerdotibus certæ Religionis, vt certo die dicant Missam de aliquo Sancto Beatificato (vt concessum fuit Sacerdotibus nostri Matritensis Conuentus de Beat. Thoma de Villanoua) possint in eadem die, dicere officium de communi Pontificum, de dicto Beato. ibid.
℟. *Absolute: Quod non.* ibid.
13. An, si concedat Pontifex sacerdotibus alicuius Ordinis, vt in die obitus Sancti Beatificati, dicant Missam, & officium de illo, possint id facere per totam octauam. ibid.
℟. *Non posse: nisi alias Beatificatus, sit Patronus, Titularis, aut Patriarcha Ordinis.* ibid.
14. An, quando in Bulla Beatificationis alicuius concedit Pontifex facultatem dicendi Missam, & Officium certis personis, & non aliis; adhuc tunc liceat aliis hæc dicere. ibid.
℟. *Vt certissimum: Quod non.* ibid.
15. An saltem, quando conceditur facultas certis personis v. g. Sacerdotibus alicuius Religionis, celebrandi Missam de aliquo Beato, & expresse non negatur aliis: possint tunc omnes alij Sacerdotes sæculares, & Regulares, dicere Missam de Beato, in Ecclesia assignata in Diplomate. p. 164
℟. *Iam vt certum, quid alij dicant; Non posse.* ibid.
16. An ad minus, possint alij Sacerdotes, quibus non est concessa facultas dicendi Missam, de aliquo Beatificato, illam dicere; casu, quo id ab illis petant sacerdotes illi, quibus concessa est facultas dicendi Missam de dicto Beatificato. ibid.
℟. *Vt iam certius: Non posse.* pag. 165
17. An, Quando aliquibus sacerdotibus conceditur facultas celebrandi Missam de aliquo Beato in aliqua determinata Ecclesia; liceat adhuc celebrare in aliis. ibid.
℟. *Cum communi: Quod non.* ibid.
18. An, si quis ex nuper dictis Sacerdotibus, in casu proposito, celebraret in aliis Ecclesiis, peccaret mortaliter. ibid.
℟. *Vt mihi certum: Quod sic.* ibid.
19. An, si in Bulla Beatificationis concederetur, vt tali die, in Ecclesia tali, liceret celebrare Missam de tali Beato: possent omnes Sacerdotes, tam sæculares, quàm Regulares, ibi celebrare. ibidem.
℟. *Posse.* ibid.
20. An, Quando concedit Pontifex; vt in die Obitus Beatificati celebretur Missa de illo; liceat transferre illum diem, & in alio celebrari. ibidem.
℟. *Licere; si translatio non fiat ex libito, sed iuxta Rubricas Breuiarij Romani.* ibid.
21. An, quando primum conceditur facultas celebrandi Missam pro aliquo Beato, liceat, quasi pro initio festiuitatis, illam celebrare, ante diem à Pontifice præfixum. ibid.
℟. *Vt mihi certum: Non licere.* ibid.
22. An, omnia Monasteria alicuius Religionis, possint Missam, & Officium dicere de Sanctis, aut Beatis eiusdem Religionis, quorum Missæ, & Officij celebratio concessa est à Pontifice alicui speciali Monasterio ipsius. pag. 166
℟. *Quod licet alij affirment, negent alij: Mihi valde probabile est; Posse, dummodo facultas dicendi Missam, &c. non sit restricta per verbum,* solum *vel,* tantum. ibid.
23. An, aliqua alia specialia signa cultus publici exhiberi possint Beatis, quorum non fit mentio in Decreto Beatificationis. pag. 167
℟. *Posse.* ibid.
24. An, liceat Episcopo, instituere diem festum alicuius Sancti Beati. ibid.
℟. *Probabilius, licere.* ibid.
25. An, in Canonizatione Sanctorum, possit Pontifex errare. pag. 168
℟. *Plusquam certum: Quod non.* ibid.
26. An, saltem in Beatificatione alicuius serui Dei, possit Pontifex errare. ibid.
℟. *Vt quid certissimum: Nec in hac errare posse.* ibidem.
27. An, sit certum de fide, Papam non posse errare in Canonizatione Sanctorum. ibid.
℟. *Probabilius: Esse de fide certum.* ibid.
28. An, eadem de fide certitudine, sit tenendum; Papam non posse errare in Beatificatione Sanctorum. pag. 169
℟. *Probabilius: Quod sic.* ibid.
29. An sit necessarium, vt Beatificatio præcedat Canonizationem. ibid.
℟. *Vt certum: Quod non.* ibid.
30. An, Pontifex possit Beatificare Martyrem. ibid.
℟. *Vt certum: Posse.* ibid.

DISPV.

DISPVTATIO III.

De Cultibus Sacris, qui deferri possunt hominibus defunctis, cum signis sanctitatis non tamen Canonizatis, nec Beatificatis. pag.170

Q.1. AN, Defunctum virum cum signis Sanctitatis, liceat honorare, publico, & solemni cultu, qui nomine totius Ecclesiæ exhibetur. ibid.

℟ *Vt quid certum: Quod non.* ibid.

2. An, licitum sit, appellare *Sanctum* huiusmodi virum, etiam nondum beatificatum. ibid.

℟ *(Quidquid aliqui absolutè affirment) dicendo, Non esse licitum, nisi fiat cum additamento.* ibid.

3. An saltem, licitum sit, appellare *Sanctum*, publicè in concionibus, & in scriptis, illum virum, quem Pontifex nuncupauit *Beatum, vel Sanctum*, etiamsi talem esse non declarauerit. ibid.

℟ *Esse licitum.* ibid.

4. An etiam sit licitum, *Sanctum* vocare publicè, quem vulgus, aut populus, *Sanctum* absolutè proclamat. ibid.

℟ *Esse etiam licitum.* ibid.

5. An, liceat in honorem viri defuncti nondum Beatificati, Sacellum erigere, seu Altare illi dedicare. ibid.

℟ *Vt certum: Non licere.* ibid.

6. An liceat, imaginē hominis nōdū Beatificati, cū radiis luminis pingere; & adorandā in tēplo proponere. p.171

℟ *Vt quid certissimum: Iam non licere.* ibid.

7. An saltem, liceat talis hominis non Beatificati imaginem radiis depingere; si non in publico, *sed in secreto cubiculi*, habeatur. ibid.

℟ *Vt certum: Nec id iam licere.* ibid.

8. An ad minus sit licitum, imagines hominum virtute insignium, nondum tamen Beatificatorum; sine radiis depingere, tenere in domibus, ibique eas venerari. ib.

℟ *Vt certum: Id verè esse licitum.* ibid.

9. An etiam sit licitum, talium hominum imagines, sine radiis depictas, in aliquo Altari, inter imagines Sanctorum Canonizatorum, reponere. ibid.

℟ *Etiam esse licitum.* ibid.

10. An liceat, deosculari publicè pedes, & manus defuncti, qui vitæ sanctitate præluxit. ibid.

℟ *Vt mihi certum: licere omnino.* ibid.

11. An etiam, de corporibus prædictorum hominum liceat, vestes, capillos, vel frustulum, sumere & pro Reliquiis seruare, & venerari. p.172

℟ *Etiam licere.* ibid.

12. An, corpora talium defunctorum, possint per aliquos dies insepulta manere, ad exercendam deuotionem fidelium, osculandi pedes eorum, & manus. ibid.

℟ *Posse.* ibid.

13. An, deinde liceat corpora talium virorum sepeliri in aliquo honestiori, & digniori, ab aliis separato, & manificè structo. ibid.

℟ *Licere: Imo, & debere.* ibid.

14. An, corpora talium virorum, possint sepeliri, sub Altari consecrato. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.

15. An, ad sepulchra hominum decedentium cum Sanctitatis opinione, possint lāpades, aut cerei accendi. ib.

℟ *Vt certum iam non posse.* ibid.

16. An, ad dictorum hominum sepulchra, vel imagines, possint deferri tabellæ, & alia donaria, quæ solent suspendi, iuxta sepulchra Martyrum. p.173

℟ *Iam, vt certum. Non posse.* ibid.

17. An saltem in Altari domus priuatæ, liceat, imaginem alicuius nondum Beatificati tenere, si sola in eo sit, & cum lampade. ibid.

℟ *Iam vt certum; Non licere.* ibid.

18. An possit Ciuitas aliqua, saltem cum consensu sui Episcopi, festum diem instituere in honorem alicuius, qui nedum sit Beneficiatus. ibid

℟ *Iam vt certum: Non posse.* ibid.

19. An saltē, possit quilibet, in Natali, viri prædicti, à seruilibus se abstinere, & vacare Deo, in eius memoriā. ib.

℟ *Probabilius: Posse, etiam post decretum Vrbani.* ibid.

20. An, possit, in memoriam alicuius defuncti nondum Beatificati, indici ieiunium publicum. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.

21. An saltem posset in memoriam dicti Defuncti, votum publicum (quod solet fieri à toto populo in publicis necessitatibus) ei offerre. ibid.

℟ *Vt mihi certum: Non posse.* ibid.

22. An saltem possit quis in memoriam Defuncti non Beatificati, ieiunare in vigilia eiusdem & votum priuatum ei offerre. p.174

℟ *Posse: dummodo scandalum absit.* ibid.

23. An item possit quis defunctum virum, quem Sanctum putat, inuocare, & orationem ad eum fundere. ib.

℟ *Posse.* ibid.

24. An deinde liceat, in honorem talis viri defuncti, aliquē Psalmum, aut *Pater, & Aue*, priuatim recitare. ib.

℟ *Etiam licere.* ibid.

25. An etiam liceat alicui, recitare Officium Diuinum, provt est dispositum ab Ecclesia, in honorem Sancti nondum Beatificati. ibid.

℟ *Vt quid certissimum: Minimè licere.* ibid.

26. An saltem liceat, facere commemorationem in Officio, pro nondum Beatificato. ibid.

℟ *Vt certum: Nec licere, adhuc priuatim,* ibid.

27. An licitum sit, Sanctum nondum Canonizatum aut Beatificatum, in publicis Litaniis inuocare. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.

28. An saltē sit alicui licitū, priuatī recitādo Ecclesię Litanias, inuocare Sāctū illū, qui nec Beatificatus est. p.175

℟ *Vt mihi certum: Nec id esse licitum.* ibid.

27. An ad minus sit licitum, inuocare dictos non Beatificatos viros, in Litaniis, quæ, vel Religiosi, vel Moniales dicunt in eorum Ecclesiis. ibid.

℟ *Vt mihi certum: Nec id esse licitum.* ibid.

30. An in die anniuersarij obitus nō Canonizatorum, aut Beatificatorum, liceat Missam de Sanctissima Trinitate, vel de Dei Genitrice Maria, aut de omnibus Sanctis, in eorum memoriam solemniter cantare. ibid.

℟ *Probabiliter: licere, adhuc post decretum Vrbani VIII.* ib.

31. An, res gestæ, egregia facta, miraculave hominum, qui cum opinione Sanctitatis è vita decesserunt; possint in lucem edi, statim ac moriuntur. ibid.

℟ *Posse, etiam post decretum Vrbani.* ibid.

32. An si per aliquot annos celebratum sit Sacrum, & Officium Diuinum, in honorem alicuius viri Sancti, nondum tamen Canonizati à Pontifice; debeat manu teneri in sua possessione. p.167

℟ *Quod sic.* ibid.

33. An, liceat de Sanctis non Canonizatis, recitare officium Diuinum de communi; vbi viget consuetudo immemorialis recitandi de illis. ibid.

℟ *Licere omnino.* ibid.

34. An etiā liceat recitari Officium de Sanctis non Canonizatis, nec Beatificatis, de quibus probata est solū immemorialis supercultu, & veneratione illorum. ib.

℟ *Non licere.* ibid.

35. An saltē concedi possit Officium, vel Missa, pro illis Sanctis, qui aliquos gradus Beatificationis ab Apostolica Sede obtinuerūt, eo quod permissū sit ab illa; quod appellentur Sancti; quod depingātur laureolis; quod in Altari eorum celebrando, lucretur indulgentiam, & liberetur à Purgatorio anima, &c. ibid.

℟ *Vt mihi certum. Posse concedi.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De Cultu, quo Sanctorū Reliquiæ sunt aderādæ. p.168

Q.1. AN sit pium, ac sanctum, Reliquias Sanctorum venerari. ibid.

℟ *De fide certum: Quod sit.* ibid.

2. Quid nomine *Reliquiarum Sacrarum*, intelligatur. ib.

℟ *Intelligi Sanctorū ciuiū corpora, & eorū particulas, &c.* ib.

3. An, Cineres, aut pulueres, in quos ipsa corpora Sāctorū

conuertuntur; liceat adorare,& colere. ibid.
℟ *Vt quid certissimum(contra hæriticos)licere.* ibid.
4. An etiam liceat, adorare, & colere vermes,in quos ipsa corpora Sanctorum conuertuntur. ibid.
℟ *Vt quid certum,* ibid.
5. An,vt Reliquiæ Sacræ adorari possint cultu publico, debeant esse Sancti Canonizati,vel Beatificati. ibid.
℟ *Vt quid certum: Debere.* ibid.
6. An,vt quis licitè Reliquias Sacras adorare possit;debeat esse certus,quod sint verè,& non supposititicæ.ib.
℟ *Debere esse certum: saltem moraliter.* ibid.
7. An,vt quis,priuato cultu, Reliquias venerari possit; sufficiat testimonium priuatum alicuius viri probi,& fide digni,dicentis, esse Reliquias Sancti Canonizati, vel Beatificati. p.178
℟ *Sufficere.* ibid.
8. An, Reliquiæ, quæ publico cultu proponuntur adorandæ;debeant prius à Pontifice, vel Episcopo,approbatæ esse. ibid.
℟ *Vt certum: Debere.* ibid.
9 An,possint Episcopi,Reliquias Sancti nondum à Pontifice in Sanctorum numerum relati; exponere populo adorandas. ibid.
℟ *Vt quid certum: Non posse.* ibid.
10. An saltē, possint Episcopi,approbare Reliquias alicuius Sācti,qui solùm,antiquâ Ecclesiæ traditione,aut vniuersali ipsius consensu, approbatus est. ibid.
℟ *Posse.* ibid.
11. An etiā possint Episcopi,approbare Reliquias Sancti antiqui,nōdū à Pōtifice Canonizati,nec approbati,antiqua Eccl. traditione,aut vniuersali ipsius cōsēsu. ib.
℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.
12. An possit Episcopus,extra suam Diœcesim existens, absq; aliqua Episcopi Diœcesis, in qua tunc est,licētia;approbare Reliquias Sancti Canonizati,& concedere,vt in sua Diœcesi publice collocētur venerāde.ib.
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
13. An, postquam Sum. Pontifex, aut Episcopus Reliquias alicuius Sancti approbauit; possint absolute, & absque conditione adorari. pag.179
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
14. An,casu, quo Reliquiæ Sancti non Canonizati, ita sint permixtæ cum Reliquiis Sancti Canonizati,vt dicerni nequeant; tunc possit Episcopus, omnes illas approbare,& adorandas proponere. ibid.
℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.
15. an saltē,casu,quo contingat,vt reliquiæ certæ, & approbatæ,ita immisceantur incertis & non approbatis, vt discerni nequeant,possit tūc quis,certas adorare.ib.
℟ *Posse.* ibid.
16. An licitum sit,Crucem,Variis Reliquiis,nec à Pontifice,nec ab Episcopo approbatis,ornatam,collocari in Altari,& populo adorandam proponere. ibid.
℟ *Æque probabiliter licitum esse.* ibid.
17. An,Reliquiæ,quæ Roma allata sunt,cum Bulla Apostolica; aut aliunde cum sufficienti testimonio; sit necessariò;vt publice collocentur, approbari ab Episcopo illius Diœcesis,ad quem sunt allatæ. ibid.
℟ *Vt quid certum: Quod non.* ibid.
18. An,quando corpus,vel caput alicuius Sancti, dicitur esse in duabus Ciuitatibus;debeat,tam in vna, quam in alia, absolute adorari; aut, appositā conditione, *si illud est talis Sancti corpus,aut caput.* pag.180
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
19. An liceat cuilibet, deferre ad collum Sacras Reliquias appensas. ibid.
℟ *Vt certum,contra aliquos: licere.* ibid.
20. An saltem,peccaret grauiter,qui secum minus decenter,ac religiosè Sacras Reliquias portaret. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
21. An,qui fornicatur, vel furatur, aut aliud peccatum graue committit, dum Reliquias appensas ad collum habet; speciale peccatum committat, necessario in confessione dicendum. pag.181
℟ *Vt longe multo probabilius: Quod non.* ibid.
22. An,Reliquiæ Sanctorum antiquæ,possint extrahi capsulis,vbi reconditæ sunt,vt populo ostendantur.ib.
℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.
23. An saltē,possint,interueniēte aliqua rationabili causa,extrahi dictæ Reliquiæ à locis,vbi recōditæ sunt.ib.
℟ *Tunc,posse licite.* ibid.
24. An,committat peccatum Sacrilegij & furti,qui, inuito domino,aut possessore, surripit, vel extrahit aliquid de Reliquiis illius. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
25. An saltem,immunis sit à peccato sacrilegi furti, qui S.Reliquias ab infidelib⁹ illas possidētibus,surripit. ib.
℟ *Vt certum: Quod sit immunis.* ibid.
16. An item,liber maneat à peccato furti, qui facultate Episcopi;vel,eius,cui Ecclesia commissa est;Reliquias aufert. ibid.
℟ *Manere liberum.* ibid.
27. An peccaret mortaliter qui, valdè paruam particulā ligni Crucis;aut vnam ex spinis Christi Coronæ, furaretur. p.182
℟ *Vt mihi certum: Quod sic.* ibid.
28. An licitum sit Principi, in bello iusto,capere Reliquias,& abstrahere illas ab Ecclesiis vrbium,quas expugnant, sine onere restitutionis. ibid.
℟ *Quod non.* ibid.
29. An,Sanctorum Reliquias liceat vendere. ibid.
℟ *Vt quid certum: Quod non.* ibid.
30. An saltem,liceat Christianis, Reliquias ab infidelibus emere. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
31. An etiam licitum sit cuipiam, dare pecuniam nolenti Reliquias sibi ostendere,vt ostendat. ibid.
℟ *Non esse licitum.* ibid.
32. An saltē sit licitū,nullo pacto inito;exponere Sacras Reliquias videndas, & tāgendas;principaliter ad maiorē Gloriam Dei,& Sanctorū veneratione; & minus principaliter,ob maiores recipiendas Eleemosynas.ib.
℟ *Longè multo probabilius: Esse licitum.* p.183
33. An adhuc sit licitū,nullo pacto posito,exponere Reliquias Sacras videndas;principaliter,ob maiores recipiendas Eleemosynas; & minus principaliter, ad maiorem Gloriam Dei. ibid.
℟ *Non esse licitum.* ibid.
34. An extrahentes Reliquias ex Romanis Cœmeteriis, aliisve locis Sacris; sint ipso iure excommunicati. ib.
℟ *Vt longè probabilius.* ibid.
35. An saltem,si non iure communi, sit tamen Pontificia aliqua excōmunicatio,cōtra extrahentes Reliquias, ex Cœmeteriis,Cryptis,vel Catacūbis Romanis.p.184
℟ *Esse.* ibid.
36. An semel concessa alicui facultas extrahendi aliquas Reliquias ex Romanis Cœmeteriis, vel Cryptis, &c. possit hic,aliis eas donare, & hi acceptas,quo placuerint,transferre. ibid.
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
37. An licitum sit,accendere cereos, ad Sanctorum Reliquias,Sepulchra,& eorum Imagines. ibid.
℟ *Vt certum,contra hæreticos.* ib.d.
38. An, cereis formis, quas Agnos Dei,à figura Agni ipsis impressa,appellamus;aliquis honos;aut veneratio debeatur. ibid.
℟ *Vt certum: Deberi.* ibid.
39. An,sub excommunicationis pœna, sit prohibitum, Agnos Dei pingere illuminare,seu miniare. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
40. An,vt quis hanc excommunicationem incurrat,debeat inficere,aut minio notare,seu illuminare ipsāmet ceram benedictam immediatè. p.185
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
41 An,Agni Dei albi, & nullo minio confecti, possint licitè vendi ratione materiæ, & laboris, & impensarum in eis asportandis. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
42. An etiā,Agni Dei semel depicti, aut minio deaurati; possint etiā licitè vēdi,ratione materię & laboris,& c.ib.

℟ *Vt*

℟. *Vt quid certum: Quod sic; dummodo depicti, aut deaurati fuerint cum licentia Papæ,&c.* ibid.
43. An,qui Agnos,Dei pictos, aut deauratos, sine licentia summi Pontificis; apud se retinent; Gregorianam excommunicationem incurrat. ib.
℟. *Probabilius: Quod non incurrant; dummodo illos non retineant ad simoniace vendendum.* ibid.
44. An prædicta Constitutio, seu excommunicatio Gregoriana,sit in Vrbe Romana recepta. p.186
℟. *Vt certum: Quod sic.* ibid.
45. An etiam,extra Vrbem Romanam; sit talis constitutio,seu censura Gregoriana recepta. ib.
℟. *Quod alij negant; alij affirmant: ego autem dico inspiciendam esse consuetudinem cuiusque loci.* ib.
46. An,liceat laicis, huiusmodi Agnos Det tangere. ibid.
℟. *Probabilius: licere;dummodo id reuerenter faciant.* ibid.

DISPVTATIO V.

De Cultu Sanctis Imaginibus debito. pag.186

Q.1. AN, vsus Sanctarum Imaginum, sit licitus, & honestus. ibid.
℟. *Vt de fide certum: Quod sit.* ibid.
2. An,vsus Sacrarum Imaginum, sit nobilis vtilitatis cuiusdam. pag.187
℟. *Etiam de fide certum: Quod sic.* ib.
3. An,detur præceptum Ecclesiasticum,quo eius Fideles ligentur,ad vsum Sacrarum Imaginum. ib.
℟. *Quod detur præceptum Ecclesiasticum; non naturale, aut diuinum.* ibid.
4. An,etiam detur aliquod præceptum, circa cultum, & adorationem Sacrarum imaginum. ib.
℟. *Vt certum: Dari,& duplex.* ibid.
5. An,imagines SS.Trinitatis, & Angelorum, licite possint depingi. ib.
℟. *Vt quid certissimum: Quod sic.* ibid.
6. An,imagines Dei,& Christi Domini, & Sanctorum,sint adorandæ. pag.188
℟. *De fide certum: Quod sic.* ibid.
7. An, in Adoratione imaginum, solum adoretur prototypum, seu illud, quod repræsentat imago: non vero ipsamet imago. ibid.
℟. *Vt certum: Quod vere adoretur ipsamet imago;cum ordine ad rem repræsentatam.* ibid.

DISPVTATIO VI.

De Adoratione, qua sum. Pontifex à Catholicis veneratur. pag.189

Q.1. AN licita sit adoratio, quam Catholici summo Pontifici præbent. pag.189
℟. *Vt quid certissimum: Esse omnino licitam, piam,ac religiosam.* ibid.
2. An,licite adoretur summ.Pontifex,genuflexione, & osculatione pedum. ibid.
℟. *Vt certum: Quod sic.* ib.
3. An, etiam sit licitum, adorare summum Pontificem,pectoris tunsione. ib.
℟. *Esse licitum,etiam practice loquendo.* ib.
4. An deinde, licitum sit adorare Pontificem maximum,inclinatione capitis, quando eius nomen in Missæ Canone, aut in aliis Orationibus publicis, auditur. ibid.
℟. *Vt certum:esse licitum,& debitum.* ibid.
5. An tandem,licitum sit,adorare Pontificem, osculatione manus. pag.190
℟. *Vt certum:Quod sic.* ibid.
6. An Adoratio Pontificis, sub adoratione Duliæ omnino comprehendatur. ibid.
℟. *Quidquid alij velint,quod sic.* ib.
7. An,si aliquis Pontifex (quod absit) esset impius, aut scandalosus; esset adhuc modo supradicto adorandus. ib.
℟. *Vt quid certum:quod sic.* ibid

TRACTATVS VIII.

De peculiari Cultu, qui Deo Opt. Max. per Horas Canonicas exhibetur. pag.191

DISPVTATIO PRIMA.

De Nomine, Numero, institutione, & origine Horarum Canonicarum. pag.191

Q.1. QVR diuinum Officium, ab Ecclesia ad laudandum Deum institutum, *Horæ Canonicæ appellentur.* pag.191
℟. *Probabilius: sic appellari: quia certis horis recitandum est,iuxta Canonicas Sanctiones.* ibid.
2. Cur dictæ Horæ Canonicæ, appellentur etiam, *diuinum Officium;Officium Ecclesiasticum; pensum,* imo & *Breuiarium.* ibid.
℟. *Quod appellentur ita,rationibus in quæstione assignatis.* Legatur. ibid.
3. An,Horæ Canonicæ, sint iure Ecclesiastico institutæ. ibid.
℟. *Vt longe probabilius:quod sint.* ib.
4. An, Horarum Canonicarum præceptum, latum, fuerit ab Apostolis, seu traxerit originem, ab eorumdem tempore. pag.192
℟. *Quod Officium diuinum consideratum quoad substantiam,ab Apostolis originem traxerit: quoad modum,& formam vero,à Pelagio I.vel.II.* ib.
5. An,Horæ Canonicæ sint tantum septem. ib.
℟. *Quod licet olim fuerint octo; nunc autem tantum sint septem.* ibid.
6. An sit peccatum, saltem veniale, Matutinum & Laudes separare, & diuerso tempore soluere,absq; rationabili causa. pag.193
℟. *Vt longe probabilius:Necdum veniale esse.* ib.
7. An, quando separat quis à Laudibus Matutinum; debeat in fine huius horæ, recitare Orationem diei. ibid.
℟. *Probabilius:Debere.* ib.
8. An deinde,quando quis diuiditMatutinum à Laudibus,debeat in fine Matutinarum, & in fine laudum,dicere *Pater noster.* ib.
℟. *Probabilius:Quod non.* ibid.
9. An Horæ Canonicæ recte definiantur per hoc quod sint;*quædam laudes, & preces, ab Ecclesia institutæ,ad orandum,& ore laudandum Deum,singulis diebus,certis,ac definitis horis.* ibid.
℟. *Recte sic definiri.* pag.194

DISPVTATIO II.

De Personis, quæ ad diuinum Officium persoluendum, extra, & intra Chorum, tenentur. pag. 194

Q. 1. QVot sunt personarum genera, quæ ad Officium diuinum persoluendum, tenentur. pag. 194.

℟ *Quod tria: nempe, Religiosi, Clerici in Sacris, & beneficiarij.* ib.

§. I.

De Obligatione, quam habent Religiosi ad soluendum Officium diuinum, extra Chorum. ibid.

Q. 2. AN, Nouitij Choro dicati, teneantur ad persoluendum Officium diuinum. ibid.

℟ *Vt certum: Non teneri, adhuc sub veniali.* ibid.

3. An, & si non ad Officium diuinum; saltem teneantur Nouitij ad fundendas aliquas preces indeterminate. ib.

℟ *Vt certum: Nec ad id teneri.* ibid.

4. An, Religiosi conuersi professi, teneantur ad Horas Canonicas recitandas. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.

5. An saltem teneantur ad recitandum aliquid, loco Horarum Canonicarum. ib.

℟ *Vt certum: Nec ex iure communi, aut consuetudine, ad id teneri: solum igitur tenebuntur ex præscripto suæ Regulæ.* pag. 195

6. An, Religiosi professi ad Chorum deputati, obligentur sub mortali, ex vi iuris naturalis, diuini, aut suæ professionis, ad recitandas priuatim Horas Canonicas. ib.

℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.

7. An saltem, obligentur sub mortali dicti Professi, ad recitandas Horas, ex naturali lege iustitiæ, respectu Christiani populi. ibid.

℟ *Vt longe multo probabilius: Nec ex hoc iure obligari.* ibid.

8. An ad minus, dicti Professi (vulgo, *Choristas*) obligarentur ex iustitia, ad dicendas priuatim Horas, casu, quo in fundatione Conuentus, in pactum induceretur recitatio Horarum. ib.

℟ *Probabilius, quod nec in hoc casu teneantur priuatim, aut extra Chorum, Horas recitare, ex vi talis conditionis.* ibid.

9. Ac saltem, obligentur, sub mortali, dicti Choristæ ad recitandas Horas priuatim; ex vi iuris Canonici. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.

10. An, ad minus, ex vi consuetudinis præscriptæ, obligentur sub mortali præfati Religiosi Choristæ, ad dicendas priuatim Horas Canonicas. ib.

℟ *Obligari, si in eorum Religione talis consuetudo detur, &c.* pag. 196

11. An Priuilegium concessum Patribus Benedictinis, & Societatis, vt eorum Choristæ non teneantur persoluere Horas Canonicas, donec initientur Sacris; sit communicabile aliis Religionibus. p. 197

℟ *Quidquid alij dicant: Quod non.* ib.

12. An saltem excusaretur à mortali Religiosus Choristæ, Sacris non initiatus, qui semel aut iterum, omitteret Officium diuinum. ibid.

℟ *Vt certum, quidquid alij dicant: Non excusari.* ib.

13. An Religiosus Choristæ, qui in priori Religione tenebatur, ratione consuetudinis, recitare Horas Canonicas; teneatur etiam, si transeat ad aliam Religionem, in qua non est talis consuetudo. ibid.

℟ *Non teneri, donec Sacris initietur.* ibid.

14. An, etiam excusetur à recitatione Horarum, Religiosus Choristæ, casu, quo à Prælato reducatur ad statum Religiosorum laicorum. ibid.

℟ *Quod sic.* ibid.

15. An, Religiosus deputatus ad Chorum, & nondum Sacris initiatus, eximatur ab onere recitandi Horas, casu, quo à Pontifice sit dispensatus, vt extra Claustrum, ad tempus dumtaxat, viuat. pag. 198

℟ *Vt certum: Quod non eximatur.* ib.

16. An saltem eximatur dictus Religiosus, si dispensatus sit, vt perpetuo extra claustra viuat. ibid.

℟ *Probabilius: Nec in hoc casu eximi:* ibid.

17. An ad minus eximatur ab onere dicendi Horas Religiosus Choristæ, non initiatus Sacris, qui dispensationem obtinuit ducendi vxorem; & iam è Monasterio exiit, vt illam ducat. ibid.

℟ *Vere eximi; & ab illo tempore, quo habitum exuit; & induit sæculares vestes.* ibid.

18. An, Monachus Choristæ fugitiuus, teneatur sub mortali, Officium diuinum dicere. ibid

℟ *Vt longe multo probabilius: Teneri.* pag. 199

19. An item Monachus Choristæ, qui, ob delictum aliquod, per sententiam à Monasterio est eiectus; teneatur etiam Officium recitare diuinum. ib.

℟ *Probabilius: Tenori etiam; licet per accidens, sæpius excusari possit.* ibid.

20. An deinde Monachus Choristæ, per sententiam ad triremes damnatus; sit ad Horas recitandas obligatus. ibid.

℟ *Probabilius: Esse per se obligatum: licet per accidens communiter excusetur.* ibid.

21. An Religiosus ad Chorum deputatus, teneatur ad totum Officium illius diei, in qua professionem emisit. ibid.

℟ *Vt certum: quod non.* ibid.

22. An, Religiosi Militares S. Ioannis, teneantur Horas Canonicas recitare. pag. 200

℟ *Vt certum: Quod non.* ib.

23. An saltem dicti Equites S. Ioannis teneantur, sub mortali, recitare eas preces, quas loco Horarum præscribit, vt recitent, eorum Regula. ibid.

℟ *Vt fere certum: Quod non.* ib.

24. An, Fratres professi tertiæ Regulæ S. Francisci; nec Sacrum ordinem, nec Beneficium habentes; teneantur ad Horas Canonicas. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.

25. An, Iosuati, Eremitæ, & huiusmodi; teneantur ad Horas Canonicas dicendas. ib.

℟ *Vt mihi certum: Non teneri: nisi alias consuetudo eos obligaret.* ibid.

§. II.

De Monialibus. ibid.

26. AN, Moniales professæ, & destinatæ ad Chorum; teneantur ad Horas Canonicas priuatim dicendas, ex vi iuris naturalis; seu, suæ professionis; aut ex vi legis iustitiæ; aut denique, ex vi præcepti Ecclesiastici. ibid.

℟ *Contra nonnullos: Nullo ex his titulis teneri.* ib.

27. An, saltem, teneantur ex vi consuetudinis, ad mortale obligantis, dicere priuatim Horas, dum à Choro absunt. ib.

℟ *Vt longe multo probabilius: Quod sic.* pag. 201

28. An, Moniales deputatæ ad Chorum; teneantur singulæ

singulæ sub mortali, vigore consuetudinis receptæ, ad recitandum in Choro. ibid.
℟. *Vt certum: Quod non; nisi speciali constitutione id ipsis sub mortali præcipiatur.* ibid.
29. An, Moniales Conuersæ, quæ non profitentur ad Chorum; teneantur ad Horas Canonicas. ibid.
℟. *Vt certum Quod non.* ibid.
30. An saltem, teneantur dictæ Moniales Conuersæ ad recitandum, sub mortali, preces in Regula aut Constitutionibus, sibi præscriptas. ibid.
℟. *Vt certum: Non teneri sub mortali; nisi alias expresse sub mortali in Regula ipsis præcipiatur.* ibid.
31. An, casu, quo Moniales Choristæ, ex rationabili causa, recitare nequeant Horas Canonicas; satisfaciant recitando Officium Sororum Conuersarum. pag. 202.
℟. *Satisfacere, ex priuilegio quodam.* ibid.
32. An, prædicto Monialium S. Claræ priuilegio, possint vti, per viam generalis communicationis Moniales aliorum Ordinum. ibid.
℟. *Posse.* ibid.
33. An etiam Religiosi Choristæ quarumcumque Religionum, possint vti præfato priuilegio Monialium S. Claræ; & ex causa rationabili; recitare loco Horarum Canonicarum, officium diuinum laicorum, seu Conuersorum. ibid.
℟. *Posse.* ibid.
34. An, si Religiosus Choristæ ordinis, in quo non est præscriptum Officium diuinum, pro Religiosis laicis, velit, occasione data, vti prædicto indulto; satisfaciat, dicendo preces assignatas Monialibus Conuersis S. Claræ. ibid.
℟. *Satisfacere.* ibid.
35. An, si Religiosæ Moniales professæ ad Chorum, subito appareant impotentes ad recitandas Horas Canonicas; possint, de licentia sui Prælati, satisfacere suæ obligationi, recitando Officium sororum laicarum. ibid.
℟. *Vt mihi certum: Posse.* pag. 203
36. An, Monialis nouitia, quæ sub finem Nouitiatus reperitur minus sufficienter instructa, & apta ad recitationem Horarum Canonicarum; possit admitti ad Professionem, dispensando vsque dum sciat illas bene recitare, vt recitet Officium sororum laicarum. ibid.
℟. *Vt mihi certum: Posse admitti.* ibid.
37. An, casu, quo dicta Monialis admissa ad professionem, vi præfati priuilegij, omitteret recitare Officium sororum laicarum, sibi à Prælato assignatum, peccaret mortaliter. ibid.
℟. *Quidquid alij dicant; tunc peccaret mortaliter.* ib.

§. III.

De obligatione, quam habent Clerici recitandi Officium diuinum, extra Chorum. ibid.

38. AN, Clerici minoribus Ordinibus initiati; teneantur recitare Officium diuinum. ibid.
℟. *Vt quid certissimum (quidquid quidam olim dixerint) Non teneri.* ibid.
39. An, dicti Clerici, estò non teneantur ad recitandas Horas Canonicas; teneantur tamen ad aliquid aliud ex præcepto recitandum. pag. 104
℟. *Vt certum (quid alij dicant) Non teneri; nisi alias consuetudine introductum sit.* ibid.
40. An possit Episcopus imponere Clericis prædictis, vt singulis diebus aliquas preces dicant. ib.
℟. *Vt longe probabilius: Non posse.* ib.
41. An saltem; teneantur dicti Clerici, recitare Psalmos pœnitentiales, aut alias preces, quas semel, aut bis, recitare, Episcopus in Ordinatione eis iniungit. ibid.
℟. *Probabilius: Non teneri, saltem sub mortali.* ib.
42. An, omnes Clerici Sacris initiati, teneantur ad recitandum Officium diuinum. ib.
℟. *Vt quid certissimum: Teneri.* ibid.
43. An, Clerici omnes Sacris initiati; teneantur recitare Officium diuinum, ex iure diuino. p. 205
℟. *Probabilius: Quod non.* ibid.
44. An saltem, omnes Clerici in Sacris; nempe, subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri; habeant dictam obligationem recitandi Horas Canonicas, ex iure Canonico. ibid.
℟. *Probabilius: Quod non: Quia solum Presbyteri habent obligationem recitandi, ex vi iuris canonici; cæteri vero, ex vi generalis consuetudinis,* ib.
45. An, puer initiatus Sacris, ante vsum rationis; astringatur præcepto recitandi Horas Canonicas. ibid.
℟. *Probabilius: Non astringi.* ib.
46. An saltem, teneatur onere recitandi puer ille, qui habens plenum vsum rationis; ante pubertatem tamen voluntarie Sacros Ordines suscepit. ibid.
℟. *Probabilius: Teneri.* ibid.
47. An item, teneatur ad Horas recitandas, qui per vim, vel metum iniuste incussum, cum voluntate tamen, Ordines suscepit. ibid.
℟. *Probabilius: Tunc non teneri.* pag. 206
48. An saltem, teneatur ad Horas recitandas, qui per metum iuste incussum Ordinem Sacrum accepit. ibid.
℟. *Tunc teneri.* ibid.
49. An, subdiaconus teneatur, die suæ Ordinationis, totum Officium diuinum recitare. ibid.
℟. *Vt quid certissimum: Quod non.* ibid.
50. An saltem, teneatur subdiaconus, in dicta die Ordinationis suæ, ad aliquam partem Officij recitandam. ibid.
℟. *Probabiliter: Quod non.* ibid.

§. IV.

De obligatione, quam habent Beneficiarij ad recitandas Horas, extra Chorum. pag. 208

51. AN habens beneficium Ecclesiasticum, siue sit simplex, siue Curatum, teneatur recitare Horas Canonicas. ibid.
℟. *Tanquam certum. Teneri; etiamsi non sit ordine Sacro initiatus.* ibid.
52. An, qui per metum grauem, incussum sibi à Parente, acceptauit beneficium; teneatur ad Horas Canonicas. ibid.
℟. *Non teneri: nisi alias, tanquam Beneficiarius, velit percipere fructus.* ibid.
53. An habens beneficium integre in commendam, interim quod alicui datur; persoluere Horas cogatur. pag. 209
℟. *Vt certum: Quod sic.* ibid.
54. An habens beneficium manuale, seu regulare, debeat Horas Canonicas recitare. ibidem.
℟. *Vt certum. Quod debeat.* ibid.
55. An ille, cui datur beneficium aliquod, propter aliquod ministerium temporale: v. g. vt doceat Grammaticam, vel Theologiam, vel pulset Organa, &c. teneatur ad recitandas Horas. ibid.

℞ *Teneri; si illi vere detur beneficium: secus, si dentur fructus alicuius beneficij per modum stipendij.* ibid.
56. An, habens præstimonia; teneatur ad Horas canonicas. ibid.
℞ *Iam vt certum: Teneri.* ibid.
57. An, qui habet Capellaniam collatiuam (ideſt,) quæ authoritate Episcopi erecta est, & ab ipso confertur; obligetur ad recitandas Canonicas Horas. pag. 210
℞ *Vt certum: Obligari.* ibid.
58. An habens capellaniam non collatiuam (ideſt) quæ à patronis etiam laicis, erigitur, & confertur, sine collatione Ecclesiastici Prælati; obligetur ad officium Canonicum. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
59. An habens Capellaniam, quæ, ex testatoris voluntate, non est collatiua; si postea fuerit collata per Pontificem, aut per Episcopum, teneatur ad officium Canonicum. ibid.
℞ *Quod non.* ibid.
60. An, quando is, qui habet capellaniam collatiuam, & quia est puer, vel impeditus, satisfacit illi in Missis dicendis per alium; teneatur dicere per se Horas Canonicas. ibid.
℞ *Vt certum: Teneri.* ibid.
61. An, qui obtinent capellaniam collatiuam per aliud beneficium, si studio litterarum vacet; satisfaciat suæ obligationi, recitando per alium. ibid.
℞ *Vt certum (quidquid aliis dixerint) quod non.* ibid.
62. An, quando ex dispensatione Pontificis, confertur, puero aliqua capellania collatiua, vel beneficium, ante decimum quartum annum; teneatur ad recitandas Horas, Canonicas, antequam adimpleat dictam ætatem. pag. 211
℞ *Vt mihi certum: Teneri, dummodo antea habeat ad id capacitatem.* ibid.
63. An saltem, dictus puer, qui ex dispensatione accepit Capellaniam, seu beneficium, ante decimum quartum annum; excusetur ab onere recitandi vsque ad decimum tertium annum. ibid.
℞ *Vt certum, Non excusari: sed teneri ad recitandum ante annum duodecimum, si commode possit.* ibid.
64. An clericus habens pensionem, pinguem saltem, teneatur ad Horas Canonicas. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
65. An saltem, Pensionarius, qui titulo Clericali, (siue, vt clericus) pensionem percipit; teneatur recitare officium paruum B. Mariæ Virginis. ib.
℞ *Vt certum: Teneri: ex constitutione Pij V.* ibid.
66. An, etiam Pensionarius, qui titulo sæculari; nempe, ob pulsanda symbola, seu Organa, &c. pensionem recipit; teneatur ad Officium paruum B. Virginis Mariæ. pag. 212
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
67. An etiam eximatur à recitando Officio paruo Virginis, illa persona, in cuius capite, ad alterius commodum, est pensio reseruata. ibid.
℞ *Vt mihi certum: Quod etiam eximatur.* ibid.
68. An, si quis, habens, titulo clericali, pensionem, fiat miles Lauretanus; vulgo, *Cauallerato*; & nubat; teneatur, retenta pensione, ad Officium paruum. ib.
℞ *Teneri.* ibid.
69. An, qui in totum cessit liberaliter pensioni; teneatur adhuc ad officium paruum. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
70. An, item, non teneatur ad Officium paruum Pensionarius ille, qui consentit pensionem redimi, accepta, v.g. trium, aut quinque annorum, anticipata solutione. ibid.
℞ *Probabilius, adhuc non teneri.* ibid.
71. An, clericus pensionarius, si efficiatur miles D. Iacobi, aut S. Ioannis, aut alterius Ordinis militaris, cum indulto retinendi pensionem; satisfaciat obligationi recitandi officij parui, recitando Orationes Dominicas, & Angelicas à Religione sua præscriptas. ibid.
℞ *Vt fere certum: Quod sic.* ibid.
72. An, si quis Pensionarius vellet, loco Officij parui, Officium magnum recitare; satisfaceret suæ obligationi. pag. 213
℞ *Vt quid certum: Quod sic.* ibid.
73. An clericus beneficiarius, vel Ordine Sacro initiatus, si simul etiam pensionem habeat; teneantur, præter septem Horas Canonicas, recitare Officium B. Virginis paruum. ibid.
℞ *Tanquam certum. Quod non.* ibid.
74. An Episcopus teneatur ad officium diuinum recitandum. ibid.
℞ *Vt certum. Teneri.* ibid.
75. An etiam Eminentissimi Cardinales teneantur recitare Officium diuinum, ex vi solius Cardinalatus. ibid.
℞ *Vt fere certum: Quod sic.* ibid.
76. An obligatio, quam habet Cardinalis ad dicendas Horas, incipiat à die, quo ipse sumit Biretum, & acceptat nominationem; & antea susceptionem pilei rubei. ibid.
℞ *Vt mihi certum: Teneri à die, quo sumit Biretum.* pag. 214
77. An Coadiutor Beneficiarij, teneatur persoluere Horas Canonicas. ibid.
℞ *Vt mihi certum (quidquid alij dicant) quod non.* ibid.
78. An saltem, teneatur ad Horas, qui priuilegium Canonicatus obtinuit, assignata aliqua portione pro congrua, & cum futura successione Canonicatus. ibid.
℞ *Quod adhuc non teneatur.* ibid.
79. An ad minus, teneatur ad Horas Coadiutor Beneficiarij, aut Canonicatus; si expresse ad hanc obligationem subeundam coarctetur ex indulto Pontificis, aut ex pacto cum Proprietario. ibid.
℞ *Vt certum. Tunc teneri, ex vi præcepti Pontificis, aut ex vi pacti.* ibid.
80. An, dictus Beneficiarij, vel Canonici coadiutor, teneatur ad minus, dicere Officium paruum B. Mariæ Virginis, tanquam Pensionarius. ibid.
℞ *Teneri, si habeat propriam pensionem super beneficium: secus alias.* ibid.
81. An Beneficiarius, qui solum titulum beneficij habet, sine fructibus; omnino teneatur ad Horas Canonicas. ibid.
℞ *Vt longe probabilius: Quod non.* ibid.
82. An etiam eximatur ab obligatione recitandi Horas, si Beneficiarius, sua voluntate, aut culpa, nullos fructus percipiat beneficij. pag. 215
℞ *Vt certum: Tunc non eximi.* ibid.
83. An Beneficiarius, qui fructus nullos recipit, quia, ex causa iusta non residet, & solum fructus dantur residentibus, teneatur ad Horas. ibid.
℞ *Vt probabilius: Non teneri, si ex legitima causa, & secundum ordinem iuris, & cum licentia non resideat: secus alias.* ibid.
84. An Beneficiarius, qui sponte omnes Beneficij fructus cedit Patri, aut Patruo, aut suo Creditori, &c. teneatur recitare. ibid.
℞ *Vt certum: Teneri.* ibid.
85. An Beneficiarius, qui nullos fructus beneficij percipit, eo quod sit excommunicatus, teneatur ad Horas recitandas. ibid.

℞ *Vt*

℟ *Vt certum : Teneri.* ibid.
86. An item, teneatur ad Horas Beneficiarius, qui non percipit beneficij fructus, eo quod sit irregularis, aut suspensus. p. 216
℟ *Etiam vt certum: Teneri.* ibid.
87. An, si quis per irregularitatem, aut depositionem vel alio quouis modo, amitteret ex toto beneficium, teneretur adhuc ad recitandum. ibid.
℟ *Vt certum. Tunc non teneri.* ibid.
88. An, si quis recipiat beneficium iniustè, vel nulliter; vt (v.g.) per violentiam, per simoniam vel existens irregularis, vel non habens legitimam ætatem, &c. Teneatur Horas recitare. ibid.
℟ *Probabilius. Quod non.* ibid.
89. An, Beneficiarius, qui ob delictum aliquod, aut aliam iustam causam, damnatur à iudice, vt non acquirat fructus beneficij ad tempus, v.g. per vnum annum; teneatur illo anno, ad recitandas horas. ibid.
℟ *Probabilius; Teneri.* ibid.
90. An, Beneficiarius, qui, capta possessione, fructus beneficij pro aliquo tempore non percipit, sperat tamen postea percepturus; teneatur recitare officium. ibid.
℟ *Vt certum: Teneri.* ibid.
91. An, Beneficiarius, qui primo anno, ex statuto, vel consuetudine, non percipit grossam beneficij; sed solùm, si assistat in Choro, distributiones quotidianas; teneatur recitare. p. 217
℟ *Vt quid certum: Teneri.* ibid.
92. An, casu, quo ex statuto, aut consuetudine, nihil Beneficiario concedatur, ob seruitium primo anno impensum, sed omnes fructus illius anni reseruentur ei post mortem, expendendi in eius fauorem; teneatur recitare. ibid.
℟ *Etiam vt quid certum: Teneri.* ibid.
93. An item, teneatur recitare Beneficiarius, casu, quo in eius Ecclesia vigeat consuetudo, qua caueatur, vt primo anno, nullos fructus, nec distributiones accipiat, neque post mortem illi reseruentur, sed distribuantur inter aliquos Beneficiarios. ibid.
℟ *Probabilius : Teneri.* ibid.
94. An deinde, teneatur recitare Beneficiarius, in primo anno, quando ex recepta consuetudine, fructus illius applicantur alicui operi pio; vt fabricæ Ecclesiæ, vel Hospitali, aut pauperibus, &c. ibid.
95. An, si per vim, fraudem, aut aliam iniustam viam, impediatur Beneficiarius à consecutione fructuum; teneatur recitare. p. 218
℟ *Quod non (nisi alias habeat spem moraliter certam, aliquando fructus esse illi restituendos.* ibid.
96. An saltem, teneatur recitare dictus Beneficiarius, si ablatio fructuum non sit perpetua, sed pro aliquo tempore; v.g. pro vno, aut duobus annis, sine spe tamen fructuum recuperationis. ibid.
℟ *Probabilius : Nec in hoc casu Teneri.* ibid.
97. An, Beneficiarius teneatur recitare statim ac beneficij collationem acceptauit, & ante captam illius possessionem. ibid.
℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.
98. An saltem teneatur recitare Beneficiarius, ante adeptam pacificam possessionem si per ipsum stet, quominus possessionem beneficij obtineat. ibid.
℟ *Vt certum: Teneri tunc.* ibid.
99. An item, teneatur recitare Beneficiarius, qui habens solùm titulum, impeditur à possessione capienda, lite, vel alia causa sibi inuoluntaria. pag. 219
℟ *Probabilius: Non teneri.* ibid.
100. An, omnes litigantes circa idem beneficium, teneantur ad onus officij, casu, quo nullus possideat. ibid.
℟ *Probabilius: Nullum teneri.* ibid.
101. An, si duo litigarent, super vno beneficio, & neuter esset in possessione; vnus tamen illorum haberet titulum, & speraret se victorem futurum, & consequenter fructus habiturum; teneretur saltem hic ad onus officij. ibid.
℟ *Probabilius: Adhuc istum non teneri.* ibid.
102. An, habens possessionem beneficij, non pacificam, sed cum litigio; teneatur recitare. ibid.
℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.
103. An, qui incepit pacificè possidere beneficium, teneatur recitare, casu, quo lis illi post possessionem adueniat, & fructus beneficij, authoritate Iudicis reseruentur, vsque ad litis finitionem ibid. ibid.
℟ *Probabilius: Hunc teneri.* ibid.
104. An, Beneficiarius, cuius beneficium nullos fructus habet; teneatur ad Horas. p. 220
℟ *Vt ferè certum: Non teneri.* ibid.
105. An, saltem teneatur recitare Horas ille, cuius beneficium valde tenues habet fructus. ibid.
℟ *Vt æque probabiliter: Quod non.* ibid.
106. An ad minus, Beneficiarius, qui tenue habet beneficium; teneatur, si non singulis diebus, festis saltem, recitare. ibid.
℟ *Æque probabiliter: Quod non teneatur.* p. 221
107. An, qui est dubius de tenuitate beneficij; teneatur recitare Officium. ibid.
℟ *Æque probabiliter : Non teneri.* ibid.
108. An, habens beneficium ita tenue, quod eius fructus non excedunt octo aureos; teneatur ad Horas recitandas, saltem aliquibus diebus. ibid.
℟ *Æque probabiliter : Non teneri, nec vllis diebus.* ibid.
109. An, saltem, teneatur ad Horas, qui habet beneficium, cuius fructus sexdecim sunt aurei valoris. ibid.
℟ *Æque probabiliter: Nec istum teneri.* ibid.
110. An ad minus, teneatur ad Horas habens beneficium, cuius fructus attingunt viginti ducatos. pag. 222
℟ *Æque probabiliter : Nec adhuc istum teneri.* ibid.
111. An saltem, teneatur ad recitationem Horarum Beneficiarius, qui in fructibus beneficij, solùm perciperet viginti quinque ducatos ibid.
℟ *Æque probabiliter: Quod non.* ibid.
112. An etiam eximeretur ab onere recitandi Horas Beneficiarius, cuius beneficium non attingit valorem quadraginta ducatorum. ibid.
℟ *Probabiliter : Etiam hunc eximi.* ibid.
113. An saltem, teneatur ad Horas Beneficiarius, qui habet beneficium, cuius fructus iam attingunt valorem quadraginta ducatorum. ibid.
℟ *Vt certum: Iam hunc teneri.* ibid.
114. An, tenuitas beneficij debeat regulari ex omnibus fructibus beneficij in se; an solùm ex eo, quod remanet, deductis expensis in fructuum collectione, aut Eleemosyna Missarum. p. 223
℟ *Probabilius : Quod ex eo, quod remanet, deductis expensis, &c.* ibid.

115. An, Beneficiarius habens plura tenuia beneficia, quorum quodlibet, propter tenuitatem, non obligaret ad Horas; at omnia simul accedunt ad quantitatem, quæ sufficit ad obligandum; teneatur ad illas recitandas. ibid.
℟ *Vt quid certum: Teneri.* ibid.
116. An Beneficiarius teneatur ad dicenda tot diuina Officia, quot beneficia pinguia iustè possidet. ibid.
℟ *Iam vt certum: Quod non.* ibid.
117. An saltem, qui plura beneficia iniustè possidet; teneatur tot officia, quot beneficia possidet, recitare. ibid.
℟ *Probabilius: Nec adhuc istum teneri.* p.224
118. An ad minus, qui plura beneficia habet; teneatur tot commemorationes facere, quot sunt beneficia. ibid.
℟ *Quidquid alij dicant: Quod non.* ibid.
119. An etiam qui simul beneficium pingue, & pensionem habet; satisfaciet obligationi, recitando semel singulis diebus, Officium Canonicum. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
120. An, omittens Diuinum Officium, obligatus illud dicere, ob plura, quæ obtinet, beneficia, duplex distinctum peccatum committat. ibid.
℟ *Probabilius: Quod non, sed vnicum.* ibid.
121. An saltem duplex peccatum committat, in confessione aperiendum, Beneficiarius, qui est sacerdos, si Officium Diuinum omittat. ibid.
℟ *Probabilius, Quod non, sed vnum tantum.* ibid.

DISPVTATIO III.

De Officio illo Diuino, quod debent supradicti Religiosi, Clerici, & Beneficiarij recitare. pagina 225

Q. 1. AN, omnes teneantur recitare Officium Diuinum, iuxta formulam Breuiarij Romani. p.225
℟ *Vt certum: Omnes teneri, exceptis nonnullis.* ibid.
2. An, Ecclesiæ, & Religiones, quæ ante ducentos annos à Breuiarij Romani editione, habent consuetudinem recitandi aliud Breuiarium; teneantur acceptare Breuiarium nouum Pij V. Clementis VIII. & Vrbani VIII. ibid.
℟ *Vt certum: Non teneri: Nisi ex speciali voto, aut instituto ad id teneantur.* ibid.
3. An præfatæ Ecclesiæ, & Religiones, quæ proprium Breuiarium habent; possint, hoc excluso, Breuiarium Romanum admittere. ibid.
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
4. An Religiosi Benedicti, Dominicani, vel Carmelitani, quorum Religiones vtuntur Breuiario proprio antiquo, possint, dum priuatim recitant, recitare per illud, aut iuxta eius formulam. ibid. ibid.
Vt certum: Posse. ibid.
5. An etiam clerici subditi Ecclesiæ Mediolani aut aliarum Ecclesiarum, quæ ex priuilegio vtuntur Breuiario proprio; possint, iuxta illum recitare, dum priuatim recitant. ibid.
℟ *Vt ferè certum: etiam posse.* ibid.
6. An saltem dicti Clerici, & Religiosi, qui possunt ex priuilegio vti Breuiario proprio; possint liberè, & licitè, dum priuatim recitant, Breuiario Romano vti, & iuxta eius formulam recitare. ibid.
℟ *Æquè probabiliter: Posse.* p.226
7. An etiam, prædictis Clericis, & Religiosis sit licitum, iuxta Breuiarium Romanum priuatim recitare, adhuc in casu, quo illis præceptum sit, ne alio, quam proprio suo, Breuiario, vtantur. ibid.
℟ *Vt certum: Tunc non esse eis licitum.* ibid.
8. An, saltem Clericus v.g. Mediolanensis, possit, (non obstante dicto S. Caroli decreto) dum Romæ, causâ negotiorum existit, iuxta Breuiarium Romanum recitare. ibid.
℟ *Probabilius: Tunc posse.* ibid.
9. An etiam è contra, Clericus Romanus existens negotiorum causâ, Mediolani, teneatur, aut saltem possit, vti Breuiario Ambrosiano. ibid.
℟ *Vt certum: Nec teneri, nec posse.* ibid.
10. An ad minus, si talis Clericus Romanus haberet beneficium in Ecclesia Romana, & resideret, & haberet firmum domicilium in Diœcesi Mediolanensi; posset tunc, aut teneretur vti Breuiario Ambrosiano. p.227
℟ *Æque probabiliter: Posse illo vti; sed non teneri.* ibid.
11. An, Religiosi Cisterscienses, Dominicani, & alij, qui vtuntur Breuiario proprio; possint dum Romæ existunt, Breuiario Romano vti. ibid.
℟ *Posse, si non sit illis prohibitum.* ibid.
12. An, casu, quo in Monasteriis Cistercienſis, aut Dominicani Ordinis, essent diuersa Breuiaria, & Religiosus illius transiret illac; posse dum ibi commoraretur vti Breuiario dicti Monasterij ibid.
℟ *Posse quolibet vti pro suo libito.* ibid.
13. An, Religiosus promotus ad Dignitates, extra Religionem: v.g. ad Episcopatum; teneatur vti Breuiario vsitato in proprio ordine; vel Breuiario propriæ Ecclesiæ, cuius est Episcopus. ibid.
℟ *Quod Breuiario propriæ Ecclesiæ.* ibid.
14. An, qui duo beneficia possidet in duabus Ecclesiis, quæ diuersis vtuntur Breuiariis; debeat recitare, iuxta Breuiarium, quo Ecclesia in qua residet, vtitur. ibid.
℟ *Probabilius: quod sic.* ibid.
15. An, Scholares, qui in aliqua Ciuitate commorantur, studiorum causâ; debeant recitare Officium, iuxta morem illius Ciuitatis; an verò, iuxta morem suæ Diœcesis, in qua habent firmum domicilium. p.228
℟ *Quidquid alij dicant; Posse, iuxta morem vtriuslibet.* ibid.
16. An, si quis habet priuilegium recitandi Breuiario breui; vel dicendi Horas, ante tempus: possit socius eodem modo recitare cum illo, absque vlla culpa. ibid.
℟ *Posse.* ibid.
17. An, Clericus, qui non ratione beneficij, sed patrimonij fuit promotus ad ordines; teneatur vti Breuiario Romano ibid.
℟ *Vt iam certum: Quod sic, &c.* ibid.
18. An, iam mortaliter peccet, qui recitat, iuxta aliud Breuiarium, quam Romanum, quando iuxta hoc recitare tenetur. ibid.
℟ *Iam vt certum: quod sic.* ibid.
19. An Regulares etiam peccent mortaliter, si recitent officium, iuxta Breuiarium alterius Religionis, omisso Breuiario proprio, ad quod tenentur. ibid.
℟ *Vt mihi certum: absolute & per se loquendo, peccare mortaliter.* ibid.

20. An saltem, sit licitum Regularibus, ex priuilegio illis concesso; omisso proprio, recitare officium, iuxta Breuiarium alterius Religionis. pagina 229

℟ *Non posse, si alias id sit eis prohibitum per sedem Apostolicam.* ibid.

21. An ad minus, casu, quo quis careat Breuiario Romano, aut alio, ad quod astringitur; possit licitè recitare per aliud quodcumque approbatum, quod præ manibus habet. ibid.

℟ *Vt mihi certum: Non solùm posse; sed teneri.* ibid.

22. A quonam Pontifice fuerit primo Romanum Breuiarium editum. ibid.

℟ *Quod à Pio V.* ibid.

23. An, qui Breuiarium nouum Vrbani potest emere, ad id teneatur. ibid.

℟ *Vt certum: quod non; si Breuiarium Pij habeat.* ibid. ibid.

24. An, licitè possit quis vti nouis Breuiariis impressis v.g. Parisiis, cum sola approbatione Supremi Concilij Regij; non vero Inquisitoris, & ordinarij. ibid.

℟ *Posse.* ibid.

25. An, Episcopus possit disponere cum suo subdito, vt omisso proprio Breuiario, ad quod tenetur; iuxta aliud priuatim recitet. ibid.

℟ *Posse dispensare in aliquo occurrenti casu, iusta causa concurrente.* p. 230

26. An, sit licitum aliquid addere Breuiario Romano, tanquam partem Diuini Officij. ibid.

℟ *Vt certum, quod non sit licitum; sed ad minus veniale.* ibid.

27. An etiam sit peccatum mortale, quidquam etiam paruum, tanquam partem Diuini Officij, Breuiario prædicto addere. ibid.

℟ *Probabilius: Quod sic, si illud addat tanquam perpetuo duraturum.* ibid.

28. An, satisfaceret præcepto recitandi, qui Officium Diuinum, in notabili quantitate (modo explicato) additum, recitaret. ibid.

℟ *Probabilius: quod sic; licèt alias peccaret.* ibid.

29. An etiam peccaret mortaliter, qui, non modo permanente, sed in tali casu, ex deuotione indiscreta, adderet aliquid Officio Diuino; v.g. commemorationem alicuius Sancti, vel aliquam Antiphonam, & similia. ibid.

℟ *Quod non; nisi venialiter.* ibid.

30. An, peccaret mortaliter, qui ex proprio capite, omissis Lectionibus, quas Breuiarium dicere præcipit; alias, loco illarum, ex eodem Breuiario, substitueret. ibid.

℟ *Quod sic peccaret mortaliter si omnes mutaret: secus si duas, vel tres.* ibid.

31. An sit peccatum, inter vnum, aut alterum Psalmum, aliquod Mottetum, vel ex scriptura sumpta; vel ab aliquo eruditè (etiam lingua vulgari) compositum, decantare. p. 231

℟ *Esse peccatum, & mortale, si mottetum, aut cantus eius, sit indecens: secus, si sit pium, ac decens, & eius cantus grauis: quia tunc nec veniale erit.* ibid.

32. An, qui vtuntur Breuiario Romano, teneantur recitare, extra Chorum, Psalmos pœnitentiales, Officium Defunctorum, Litanias, Canticum Graduum, & Officium paruum B. Mariæ. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.

33. An, saltem, recitantes in Choro Breuiarium Romanum, teneantur ad recitandas prædicta Officia in Ecclesiis, vbi nulla vnquam fuit consuetudo illa recitandi. ibid.

℟ *Etiam vt certum: Non teneri.* ibid.

34. An ad minus, teneantur dicere officia prædicta in Choro illarum Ecclesiarum, in quibus ante Pium V. iam erat consuetudo illa dicendi. ibid.

℟ *Etiam vt certum: Teneri solùm ad Officium paruum B. Virginis; non ad alia.* ibid.

35. An, omittens recitare Litanias in die Sancti Marci, & tribus diebus, ante Ascensionem Domini; peccet mortaliter. p. 232

℟ *Probabilius: Quod sic.* ibid.

36. An item peccet mortaliter, qui secunda die Nouembris, Officium Defunctorum omittit. ibid.

℟ *Vt ferè certissimum: Quod etiam peccet.* ibid.

37. An sit mortale, recitare officium publicè in Choro Ecclesiæ Latinæ; Lingua Græca, vel Hebræa, aut vulgari, veluti Hispanica aut Italica. ibid.

℟ *Vt quid certum: Quod sic.* ibid.

38. An etiam esset mortale, Officium Diuinum, lingua vulgari (v.g. Hispanica, aut Italica) priuatim, sine aliqua causa, recitare. ibid.

℟ *Vt longe probabilius: Quod etiam esset.* ibid.

39. An item sit mortale, Officium Diuinum, sine iusta interueniente causa, Lingua Græca, vel Hebræa, priuatim à Latino qui tenetur ad Breuiarium Romanum, recitari. p. 233

℟ *Probabilius: Quod etiam sit mortale.* ibid.

40. An saltem vacaret culpa, etiam leui, si quis interueniente iusta causa, recitaret priuatim, Lingua Græca, aut Hebraica, Horas Canonicas. ibid.

℟ *Vt certum: Vacare omni culpa.* ibid.

41. An sit peccatum, longius in breuius officium permutare, vnumque pro alio, aduertenter recitare, occurrente iusta, & honesta causa. ibid.

℟ *Probabilius: Non esse peccatum adhuc veniale.* ibid.

42. An ad minus sit peccatum, & mortale, sponte & absque vrgente causa, longius in breuius officium permutare; recitando, v.g. de Sanctissima Trinitate; eo die, quo recitandum erat de Dominica, aut de Feria. ibid.

℟ *Probabilius: Esse peccatum, sed veniale solùm.* ibid.

43. An etiam liberaretur à mortali, qui, occurrente aliqua vrgentissima causa, recitaret priuatim de Resurrectione, ea die, qua iuxta Rubricas Breuiarij, recitare debebat, de sancto aliquo, aut de feria occurrenti. p. 234

℟ *Probabiliter: Quod certè liberaretur à mortali; imò & à veniali, in multis casibus.* ibid.

44. An, qui non frequenter, sed raro, recitaret, absque vrgenti causa, officium de Resurrectione, etiam esset immunis à peccato mortali. ibid.

℟ *Quod esset immunis.* ibid.

45. An sit probabile dicere, solùm esse veniale, recitare, sine vrgenti causa, Officium Resurrectionis, eo die, quo iuxta Rubricas Breuiarij, recitandum erat, de feria, vel de Sancto nouem lectionum. p. 235

℟ *Probabiliter: Quod sic.* p. 236

46. An, qui inculpabiliter, aut ex negligentia inquirendi, recitant vnum officium pro alio; teneatur sub culpa, saltem veniali, repetere. pag. 237

℟ *Probabilius: Quod non.* p. 238

47. An ille, qui ex errore, de festo duplici, aut semiduplici, die proprio non recitauit; possit de eo recitare, prima die non impedita officio nouem lectionum. ibid.

℟ *Probabi*

℟ *Probabilius. Non solùm posse; sed teneri.* ibid.
48. An, qui contra hodie ex errore, recitauit de festo, de quo debebat die sequenti recitare, possit proprio die sequenti, iterum de illo recitare. ibid.
℟ *Vt multo probabilius: Non solùn posse; sed & teneri.*
49. An, qui per errorem Matutinum recitauit v.g. de Feria, casu, quo recitandum erat de duplici; teneatur, dum aduertit, prosequi Officium inceptum; aut recitare, omisso Matutino, reliquum Officium duplicis, quod recitare debuerat. pag. 239
℟ *Vt longè multo probabilius: Teneri ad recitandum reliquum Officy festi duplicis.* ibid.
50. An, Sacerdos, hodie sub vesperas Madridi existens, vbi dies currit Feriæ, aut duplicis communis, cras perrecturus Complutum, vbi celebrabitur Festum Sanctorum Iusti, & Pastoris; possit hoc sero Madridi recitare primas Vesperas, & Matutinum Sanctorum Iusti, & Pastoris. ib.
℟ *Probabilius: Non posse.* ibid.
51. An, dato, quod in præassignato casu, Sacerdos Matritensis percurrerit Matutinum Feriæ, seu duplicis hodie, & mane accedat Complutum vbi celebratur festum SS. Iusti, & Pastoris; possit tunc reliquum Officij recitare de festo horum Sanctorum, & non feriæ, seu duplicis, de quo Matutinum dixit. ibid.
℟ *Quod melius faciet prosequendo Horas Feriæ, seu duplicis, de quo recitare incipit.* ibid.
52. An, qui recitauit Officium de aliquo Sancto; teneatur adhuc iterum recitare illud in alio loco, vbi tale Officium translatum est, & vbi ille habitare incipit. ibid.
℟ *Non teneri; sed posse.* ibid.
53. An, peccaret mortaliter, qui Officium de Sancto concessum, sub ritu semiduplici, recitaret sub duplici. p. 240
℟ *Probabilius. Quod non peccaret mortaliter; sed venialiter solùm.* ibid.
54. An, saltem peccaret mortaliter, qui recitaret Officium alicuius Sancti sub duplici ritu, quando debebat sub simplici. ibid.
℟ *Probabilius: Adhuc non peccare nisi tantum venialiter.* ibid.
55. An, Capellani Monalium possint celebrare Missas de Sanctis particularibus eorum ordinum, quos ipse proprio ritu celebrant. ibid.
℟ *Posse, & debere.* ibid.
56. An, item licitum sit dictis Capellanis, priuatim de prædictis particularibus Sanctis recitare. ibid.
℟ *Probabilius: Quod sic.* ibid.
57. An Confratres nostri Ordinis, possint semel in hebdomada quibusuis diebus (semiduplici, aut duplici non impeditis) Officia SS. Trinitatis, ac de SS. Sacramento; necnon, sublato, (extra Aduentum, & Quadragesimam) de nomine B. Virginis Mariæ. ibid.
℟ *Probabilius posse.* ibid.

DISPVTATIO. IV.

De Modo recitandi Officium Diuinum. p. 241

Q. 1. QVot conditiones requirantur, vt Horæ Canonicæ, iuxta *cap. Dolentes de Celebrat. Missar.* deuotè, & studiosè recitentur. ibid.
℟ *Quod octo præcipuè.* ibid.

§. I.

De Attentione, & deuotione, qua recitandum est Officium Diuinum. ibid.

2. AN, Recitantes Officium Diuinum, sine vlla interna attentione, satisfaciant præcepto. ibid.
℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.
3. An, præceptum recitandi Diuinum Officium cum attentione, includat duo formaliter distincta; vnum recitationis, & aliud attentionis. ibid.
℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.
4. Quid sit Attentio interna, & externa. p. 242
℟ *Quod interna, est aduertentia intellectus ad id ad quod voluntas tendit: externa verò, & negatio puræ externæ distractionis.* ibid.
5. Quotuplex est attentio interna, quam dicimus necessariam ad implendum præceptum recitandi Horas. ibid.
℟ *Quod est triplex, actualis, virtualis, & habitualis.* ibid.
6. An, ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas, sufficiat habere attentionem habitualem. ibid.
℟ *Vt certissimum: Quod non.* ibid.
7. An saltem, sufficiat habere attentionem actualem & hæc requiratur ab Ecclesia. ibid.
℟ *Vt quid certum: sufficere: sed non requiri.* ibid.
8. An etiam sufficiens sit attentio virtualis: & hæc sola ab Ecclesia in recitatione officij requiratur. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
9. An, vt quis adimpleat præceptum recitandi officij, sufficiat attendere ad Deum; vel ad rem, pro qua oratur. ibid.
℟ *Vt certissimum: sufficere.* ibid.
10. An etiam, sufficiat attentio ad sensum literalem verborum Diuini Officij; vt quis eius præceptum adimpleat. p. 243
℟ *Sufficere: sed non esse necessariam.* ibid.
11. An item, attentio, quo Recitans attendit solùm ab verba; sufficiat ad implendum præceptum recitandi attente Officium. ibid.
℟ *Probabilius: Quod sufficiat.* ibid.
12. An ad adimplendum præceptum recitandi officium non solùm sufficiat attentio ad Deum; verum etiam ad alias pias meditationes; veluti ad gesta Christi, aut eius passionem: ad præsentiam B. Virginis Mariæ, aliorum Sanctorum, &c. ibid.
℟ *Probabilius: Quod sufficiat.* ibid.
13. An, attentio debeat esse formalis, expressa, & explicita. ibid.
℟ *Quod non; nam sufficit implicita, & virtualis.* ibid.
14. An, qui ex negligentia crassa, mentem cum recitat diuagari permittit, peccet mortaliter. ibid.
℟ *Longe multo probabilius: Quod non.* p. 244
15. An, qui recitando Horas, circa alia aduertenter diuagatur; non tamen per hoc aduertit, distrahi ab Horis, satisfaciat huic præcepto. ibid.
℟ *Satisfacere.* ibid.
16. An, qui non ex præcepto, sed solùm ex deuotione recitat; peccet, si animo vltro distracto, id faciat. ibid.
℟ *Longe multo probabilius: Peccare venialiter.* ibid.

17. An, adhuc liber esset à veniali, qui vltro distracta mente, non animo orandi, sed se reficiendi, & mentem alio diuertendi, aliquos Psalmos caneret, aut quasdam alias preces diceret. ibid.
℟ *Quod tunc liber esset.* ibid.
18. An, qui occupatur in rebus externis, quæ ex natura sua aduersantur attentioni officij, & sunt incompatibilia cum illa; peccet mortaliter. ibid.
℟ *In opinione omnium: quod sic.* ibid.
19. An, qui inter recitandum Officium, scribit pingit, aut legit aliud; satisfaciat præcepto recitandi attente. ibid.
Vt certum: Quod non. ibid.
20. An etiam, qui pensum Horarum soluit, dum vestibus se induit, vel exuit, vel faciem lauat, peccet, & violet Ecclesiæ præceptum. p. 245
℟ *Vt certum: Non peccare, saltem mortaliter, & consequenter, præceptum implere.* ibid.
21. An saltem, sit veniale peccatum, lauare faciem & manus; induere, vel exuere se, vel se calceare; dum recitantur Horæ ex præcepto. ibid.
℟ *Vt certum: Non esse adhuc veniale, si id fiat occurrente iusta causa, & vt probabilius, etiam si id fiat absque iusta causa, dummodo id fiat absque nimia festinatione.* ibid.
22. An, possit quis recitare Horas Canonicas, dum Missam ex præcepto audit, & sic præcepto satisfacere vtrique. ibid.
℟ *Vt longe probabilius: Quod sic.* ibid.
23. An saltem peccet venialiter, qui, dum audit Missam de præcepto, recitat Horas. p. 246
℟ *Vt multo longe probabilius: Nec venialiter peccare.* ibid.
24. An, qui dormit, aut dormitat per notabilem officij partem; satisfaciat præcepto recitandi. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
25. An saltem satisfaciat præcepto recitandi, qui vexatur à somno, sed adeo resistit, vt pronunciet Horas, ea attentione, qua saltem videt, quod non omittit dicere. ibid.
℟ *Satisfacere tunc.* ibid.
26. An peccet mortaliter, qui obligatus ad Horas, reseruat illas dicendas in lecto, sciens se, eo tempore, sommo præoccupari. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
27. An, socius recitans non ex obligatione, sed voluntariè; teneatur attendere ad Horas. ibid.
℟ *Vt longe multo probabilius: Teneri attendere sub veniali peccato.* ibid.
28. An, teneatur quis repetere Horas, quas probabiliter credit se dixisse. ibid.
℟ *Quidquid alij dicant; quod non teneatur.* ibid.
29. An Officium Diuinum, non solùm attente, sed etiam deuotè, sit recitandum. p. 247
℟ *Quod sic.* ibid.
30. Quotuplex sit deuotio? & Quid. ibid.
℟ *Quod deuotio dupliciter sumitur; propriè, & impropriè. Propriè sumpta, est actus voluntatis, quo aliquis est promptus ad ea, quæ pertinent ad diuinum obsequium: Impropriè verò sumpta, est quædam refectio spiritualis mentis, &c.* ibid.
31. An ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas deuotè; sit sufficiens propositum dicendi illas attente. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.

§. II.

De debita Intentione, qua recitandum est Officium Diuinum. ibid.

32. AN, vt Officium Diuinum, deuote, & attente, reciteturl; requiratur intentio; seu (quod idem est) propositum voluntatis recitandi illud. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
33. An, ad debite, & attente recitandum Officium; sufficiat, habere intentionem implicitam, seu virtualem, recitandi illud. ibid.
℟ *Vt certum: sufficere.* ibid.
34. An satisfaciat præcepto recitandi, qui accipit Breuiarium de more, & nil aliud cogitando recitat. p. 248
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
35. An etiam satisfaciat, qui de more ad Ecclesiam accedit, ibi Officium recitaturus, & de facto recitat. ibid.
℟ *Vt certum: Etiam satisfacere.* ibid.
36. An item, satisfaceret præcepto, qui animo solo se recreandi, aut studendi, aut memoriæ aliquid mandandi; Officium diceret. ibid.
℟ *Quod non satisfaceret.* ibid.
37. An, satisfaceret præcepto, qui per vim absolutam, seu omnino inuitus, cogeretur ad recitandum. ibid.
℟ *Vt mihi certum: Quod non.* ibid.
38. An, præter intentionem, & voluntatem recitandi Officium, sit etiam necessaria, formalis, & expressa voluntas recitandi illud, sub intentione adimplendi præceptum. ibid.
℟ *Vt longe probabilius: quod non.* ibid.
39. An saltem, ad satisfaciendum præcepto recitandi Officium, sit necessaria intentio, seu voluntas implicita, vel virtualis, recitandi illud sub intentione implendi præceptum recitandi. ibid.
℟ *Vt probabilius: Adhuc non esse necessariam.* ibid.
40. An item, satisfaciat præcepto recitandi Officij, qui incipit recitare, animo expresso non satisfaciendi pro tunc, præcepto de dicendo Officio. pag. 249
℟ *Probabilius: Quod satisfacit.* ibid.
41. An, Qui Officium dixit, animo non adimplendi præceptum, simulque animo non repetendi illud; adimpleat adhuc præceptum. ibid.
℟ *Probabilius: adhuc adimplere illud; licèt alias peccaret mort. ob paruum affectum, &c.* ibid.
42. An Qui Officium Diuinum persoluit, animo non adimplendi præceptum: teneatur ad minus, casu, quo nolit Officium repetere, mutare animum, intra tempus obligationis, & velle adimplere præceptum per Officium à se dictum. p. 250
℟ *Probabilius: Non teneri.* Legatur quæstio. ibid.

§. III.

De voce, qua Officium Diuinum priuatim dici debet. ibid.

43. AN Horæ Canonicæ, voce sint recitandæ. ibid.
℟ *Quid aliqui dicant: quod sic.* ibid.
44. An, attento iure communi, si quis Diuinum Officium, sola mente recitet; suæ obligationi satisfaciat. ibid.

℟ *Vt*

℟ *Vt mihi certum: quidquid alij dicant quod non.* ibid.
45. An saltem Regulares possint ex particulari priuilegio, priuatim totum Officium mentaliter recitare, & sic satisfacere obligationi recitandi. pagina 251
℟ *Vt Probabilius: Quod sic.* ibid.
46. An, qui priuatim Officium recitat, debeat necessario, ita illud pronunciare, vt ad minus ab astantibus audiri possit. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non debeat.* ibid.
47. An saltem, priuatim recitans, debeat, ita Officium pronunciare, vt se ipsum possit audire. ibid.
℟ *Æque probabiliter adhuc non debere.* ibid.
48. An ad minus, dum quis recitat cum socio, teneatur ita clare voce, Officium dicere, vt à socio audiatur. p.252
℟ *Vt certum: Teneri si recitet cum socio astricto recitandi onere, alias non.* ibid.

§. IV.

De integritate, qua Officium persolui debet. ibidem.

49. AN, qui totum, aut partem notabilem Officij omittit, peccet mortaliter. ib.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
50. An, si quis, citra contemptum, solùm ex negligentia, semel omittat totum, aut partem notabilem Officij, mort. peccet. ibid.
℟ *(Quidquid alij dicant) vt quid certissimum peccare mortaliter.* ibid.
51. An etiam peccet mortaliter, qui vnicam integram, ex minoribus ad minus, Horam, recitare omittit. ibid.
℟ *Vt quid certissimum (quidquid alij dixerint) peccare mortaliter.* ibid.
52. An item, sit mortale, tertiam partem vnius Horæ minoris, v.g. Tertiæ, aut Sextæ, omittere. pag.253
℟ *Vt multo probabilius: Quod non sit.* ibid.
53. An saltem sit mortale, dimidiam Horæ minoris partem, omittere. ibid.
℟ *Probabilius: adhuc non esse mortale.* ibid.
54. An peccet mortaliter, qui in Matutinis cum Laudibus, vnum Nocturnum omittit. ib.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
55. An etiam peccaret mortaliter, qui in Matutinis, tres lectiones cum Responsoriis omitteret. ibid.
℟ *Non peccaret mortaliter, si dicta omitteret in Matutinis Feriæ communis, aut Sancti simplicis, aut etiam festi nouem lectionum: secus si in Matutinis Resurrectionis, aut Pentecostes.* ibid.
56. An, omittens vesperas sabbati Sancti peccet mortaliter. p.254
℟ *Vt multo probabilius: Quod sic.* ibid.
57. An, qui versus Psalmorum initiat, & finit voluntariè, omissis iis, quæ in medio vetsuum continentur; mortaliter peccet. ibid.
℟ *Quod sic, si omissa sint magnæ quantitatis: secus alias, aut si id fiat ob balbutiem, &c.* ibid.
58. An qui cum notabili abscissione vltimarum Syllabarum recitet, lethaliter peccet. ibid.
℟ *absolutè. quod non, nisi venialiter.* ibid.
59. An peccet, saltem venialiter, qui ob imperitiam, vel balbitutiem Syllabas in Officio detruncat. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
60. An, qui recitat cum eo, qui ob balbutiem, aut imperitiam abscindit Syllabas, satisfaciat recitandi præcepto. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
61. An, satisfaciat sacerdos sæcularis recitans cum socio, ita festinanter; vt nondum expletis versiculis ab ipso socio, versiculos sequentes recitare incipit. p.255
℟ *Quod non satisfaciat, si in notabili quantitate versuum id præstet.* ibid.
62. An saltem, Sacerdos Regularis satisfaciat Officio, recitans cum socio, incipiendo suos versus, antequam ipse socius suos finiat. ibid.
℟ *Vt certissimum (quidquid aliqui dicant) quod non satisfaciat, si id fiat in magna quantitate.* ibid.
63. An, quando plures simul priuatim recitant, debeant alternatim lectiones dicere. ibid.
℟ *Quod non debeant necessario; licèt magis vrbanum, & accommodatum sit, alternatim illas dicere.* ib.
64. An, Antiphonæ, quæ in principio, & fine Psalmorum dicuntur; debeant ab omnibus priuatim recitantibus cum sociis, simul dici. p.265
℟ *Non debere necessario ab omnibus simul dici: quamuis possint.* ibid.

§. V.

De Constitutione, qua recitandum est Officium Diuinum. ibid.

65. AN Officium Diuinum sit cum continuatione, aut sine interruptione, recitandum ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
66. An, qui priuatim Horam aliquam, cum maxima interruptione recitat, peccet mortaliter; si id, absque iusta causa faciat. ibid.
℟ *Probabilius; Quod non.* ibid.
67. An saltem, interruptio maxima facta intra Chorum, sit mortalis. ibid.
℟ *Probabilius: Adhuc non esse mortalem, si talis interruptio fiat sine scandalo.* ibid.
68. An saltem, sit culpa venialis, quæcumque interruptio, siue extra Chorum, siue in Choro, sine iusta causa facta. p.257
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
69 An, sit immunis à veniali interruptio cuiusque Horæ, facta cum quacumque honesta causa. ibid.
℟ *Vt certum: quod sit immunis.* ibid.
70. An sit veniale, dicere Matutinum Vespere, & Laudes, aurorâ diei sequentis. ibid.
℟ *Probabilius: Quod non sit.* ibid.
71. An quando Matutinum diuiditur à Laudibus, sit opus, Matutinum absoluere cum *Dominus vobiscum*, & oratione diei. ibid.
℟ *Probabilius: Quod sit opus.* ibid.
72. An, quando Laudes seorsim à Matutinis recitantur, inchoandæ sint, cum *Pater noster, & Aue*, more aliarum Horarum. p.258
℟ *Probabilius: Quod non est necessarium.* ibid.
73 An, nocturna possint separatim, saltem intra spatium trium horarum, recitari. ibid.
℟ *(Quidquid alij dicant) posse; etiamsi mains intercedat spatium.* ibid.
74. An, casu, quo quis diuidat Nocturna, terminare debeat primum Nocturnum cum oratione diei; & sequens inchoare cum *Pater, & Aue.* ib.
℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.

75. An, ex iusta causa, liceat diuidere Psalmos à lectionibus eiusdem Matutini. ibid.
℟ *Licere.* ibid.
76. An peccet mortaliter, qui per risum, aut aliam rem vanam, per magnum temporis spatium, interrumpit Horam. p.259
℟ *Probabilius: Non peccare mortaliter sed venialiter tantum.* ibid.

§. VI.

De ordine, quo recitandæ sunt Horæ Canonicæ. ibidem.

77. QVo ordine recitandæ sunt Horæ. ibid.
℟ *Quod iuxta Ecclesiæ præceptum prius Matutinum, & laudes, deinde, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium.* ibid.
78. An, qui dictum ordinem non seruat, sed Vesperas, v.g. prius recitat, quam Matutinum; Primam quam Laudes; peccet mortaliter, si id faciat scienter, & sine causa. ibid.
℟ *Probabilius longe: non peccare mortaliter, secluso contemptu, sed venialiter tantum.* ibid.
79. An saltem, peccet mortaliter, si ordinem in eadem hora inuertat, prius, v.g. recitando in Matutino, lectiones, quam Psalmos; Laudes; quam Matutinum, preces, & capitula, quam Psalmos, &. ibid
℟ *Probabilius, adhuc non peccare mortaliter; & si id faciat sine causa, aduertenter, & sæpe.* ibid.
80. An qui mane non habet præ manibus nisi Diurnum, possit absque veniali culpa, recitare Psalmos, Hymnos, Laudes, & Horas, & postea, habito Breuiario, lectiones, & Responsoria. p.260
℟ *Posse.* ibid.
81. An qui non recitauit Matutinum, possit Primam, aut Tertiam recitare, si ad id ab amico, aut superiori inuitetur. ibid.
℟ *Posse, & licite.* ibid.
82. An si quis, medio Matutino, aut Prima, &c. intret Chorum, possit cum aliis licitè prosequi, & postea recitare omissa. ibid.
℟ *Posse.* ibid.
83. An qui recitans Tertiam, recordatur se nondum recitasse Primam; possit licitè Tertiam prosequi, cum intentione recitandi postea Primam. ibid.
℟ *Vt certum posse.* ibid.
84. An ad minus sit mortale, ex genere suo, peruertere ordinem dicendi Horas in Choro. ibid.
℟ *Probabilius, adhuc non esse ex genere suo mortale.* ib.
85. An qui partem aliquam officij omisit, teneatur ipsammet partem repetere, aut sufficiat aliam, loco ipsius. ibid.
℟ *Teneri eamdemmet partem omissam repetere, si facile possit; secus verò, si alias, tunc enim sufficiet illi æquiualens recitare.* p.261

§. VII.

De tempore recitandi Horas Canonicas. ibid.

86. AN Officium Diuinum sit statutis horis recitandum. ibid.
℟ *Vt certum: esse recitandum horis statutis à iure, vel consuetudine.* ibid.
87. An etiam, qui priuatim extra Chorum recitant, teneantur statutis horis, Horas Canonicas recitare. ibid.
℟ *Absolute teneri.* ibid.
88. An, qui priuatim recitat, peccet mortaliter, si absque vlla causa, non dicit Horas, statutis ab Ecclesia horis. ibid.
℟ *Vt certum, non peccare mortaliter, sed venialiter tantum.* ibid.
89. An, qui aliqua existente causa, non recitat in suis horis Officium, immunis sit à veniali. ibid.
℟ *Vt certum: Esse immunem.* ibid.
90. An licitum sit, etiam non existente causa, recitare Matutinum, & Laudes diei sequentis, vespere antecedentis. pag.262
℟ *Probabilius: licitum esse.* ibid.
91. An si quis statim post medium hodiernum, recitaret Matutinum diei crastinæ, satisfaceret præcepto. ibid.
℟ *Vt mihi certum: non satisfacere.* ibid.
92. An saltem, sit licitum recitare, hodie, hora tertia post meridiem, Matutinum, & Laudes diei crastinæ. ibid.
℟ *Probabilius: licitum omnino esse.* ibid.
93. An adhuc sit licitum recitare Matutinum, & Laudes diei sequentis, statim ac est finita hora secunda post meridiem, dictis vesperis, & completis. ibid.
℟ *Probabilius: licitum esse.* ibid.
94. An Officium defunctorum diei secundæ Nouembris, possit quis, priuatim recitare, pridie vesperi, post Matutinum diei infra octauam Sanctorum. pag.263
℟ *Posse.* ibid.
95. An etiam possit quis recitare litanias, diebus Rogationum, & S. Marci, pridie vesperi. ibidem.
℟ *Probabiliter: posse.* ibid.
96. An, sicuti est licitum, recitare Matutinum cum laudibus, vespere præcedentis diei: sic licitum sit, recitare tunc reliquas horas, saltem ob aliquam vrgentem causam. pag.264
℟ *Vt certum: minime esse licitum, nec validum.* ibidem.
97. An sit licitum, iusta intercedente causa, Horas Canonicas præponere, aut postponere. ibid.
℟ *Tanquam certum: esse licitum.* ibid.
98. An sit iusta causa differendi Horas in tempus vespertinum, eo quod matutinum tempus sit aptius ad studendum; vespertinum verò, ad recitandum. ibid.
℟ *Vt quid certum esse iustam causam.* ibid.
99. An, quæuis causa iusta, etiam leuis, sufficiat ad anteponendum, vel postponendum Officium. ibid.
℟ *Sufficere.* ibid.
100. An sola commoditas maior recitantis, sit causa iusta ad licite anteponendum, vel postponendum Canonicas Horas. ibid.
℟ *Vt fere certum: non esse.* pag.265.
101. An recitans Matutinum sequentis diei, antequam absoluat Officium diei præsentis; peccet mortaliter, si in faciat sine causa. ibidem. ibid.
℟ *Vt quid certum minime peccare mortaliter.* ibidem.
102. An, casu, quo quis timeat aliquam superuenturam occupationem, sit melius illi Horas præponere, quam postponere. ibid.
℟ *Vt certum, quod melius sit illi Horas anteponere, quam postponere.* ibid.
103. An, Recitans Horas priuatim, teneatur tempore Quadragesimæ, dicere vesperas

vesperas ante prandium. ibid.
℟. *Multo longe probabilius: non teneri.* ibid.
104. An celebrans Missam, non recitato Matutino, peccet mortaliter. ibid.
℟. *Multo probabilius: non peccare mortaliter, etiam si id faciat absque iusta causa.* ibid.
105. An, etiam liber sit à veniali, qui, causa iusta interueniente, celebrat Missam, nondum recitatis Matutinis. ibid.
℟. *Vt certum: Esse liberum.* ibid.
106. An saltem, sit reus venialis culpæ, qui, absque rationabili causa, Missam dicit, non præmissa recitatione Matutini. ibid.
℟. *Probabiliter: nec esse reum venialis culpæ.* ibidem.
107. An ad minus, sit culpa mortalis, dicere Missam maiorem, seu conuentualem, ante dictum Matutinum, & laudes. ibid.
℟. *Probabilius: non esse culpam mortalem.* ibidem.
108. An, Religiosi possint postponere aut anteponere Officium, ex vi alicuius priuilegij. ibid.
℟. *Vt certum: posse.* ibid.
109. An adimpleat præceptum recitandi, ille, qui incepit recitare Officium hodiernum paulo ante mediam noctem diei sequentis, si ipsum prosequatur post completam mediam noctem. pag. 267.
℟. *Probabilissime: adimplere.* ibid.

§. VIII.

De loco, & modo, quo recitandæ sunt Horæ Canonicæ. pag. 268

110. AN, locus in quo publicè, & solemniter recitandæ sunt Horæ, sit Ecclesia, seu Templum, euisve Chorus. ibid.
℟. *Vt quid certum: quod sic.* ibid.
111. An Regulares, seu Canonici, satisfaciant præcepto psallendi in Ecclesia, seu Choro, si ex aliqua causa, canant in Sacristia, si hæc solum communi muro ab illa diuidatur. ibidem.
℟. *Vt certum: satisfacere.* ibid.
112. An etiam, satisfaciant, casu, quo nulla adsit causa obligans ad recitandum in Sacristia coniuncta Ecclesiæ muro communi. ibid.
℟. *Probabiliter: adhuc satisfacere.* ibid.
113. An deinde, satisfaciant Regulares, seu Canonici, si canant Horas in Sacristia, quæ minimè est coniuncta muro communi Ecclesiæ, sed distans per plures muros ab illa. pagina. 269
℟. *Minime satisfacere; nisi graui vrgente necessitate; aut stante consuetudine.* ibid.
114. An Clericis, aut Regularibus, qui priuatim Horas recitant, licitum sit, recitare Horas vbicumque. ibid.
℟. *Vt certum: licitum esse.* ibid.
115. An quis, sine veniali, possit Horas Canonicas, dum venter exoneratur, recitare. ibidem.
℟. *Probabilius: posse.* ibid.
116. An, peccet saltem venialiter, qui Officium recitat in locis distractioni expositis. ibidem.
℟. *Quod sic.* ibid.
117. An, adimpleat præceptum dicendi Horas, qui illas recitat decumbendo in lecto, quiescendo, vel deambulando, in itinere, domi, vel in campo, &c. ibid.
℟. *Tanquam certum: adimplere.* ibid.
118. An saltem sit veniale, recitare sine necessitate, in lecto decumbendo, vel sub alia immodesta corporis positione. ibid.
℟. *Esse veniale, & tantum.* ibid.
119. An etiam peccent venialiter, qui recitando priuatim, sedent, cum stare debent vel stant, cum est flectendum. ibid.
℟. *Quod minime.* ibid.
120. An saltem peccent venialiter, si in publica recitatione, quæ fit in Choro, sedeant, aut deambulent, dum stare, aut genuflectere debeant. ibid.
℟. *Vt certum: peccare venialiter.* ibid.
121. An item peccet venialiter, qui, saltem in publica recitatione, vno genu solo flexo, orat, aut recitat. ibid.
℟. *Probabilius: quod non; nisi adsit aliquod, & si leue, scandalum.* ibid.

DISPVTATIO V.

De causis excusantibus ab Officij diuini recitatione. pag. 270

1. AN dentur aliquæ causæ excusantes à recitatione diuini Officij. ibid.
℟. *Tanquam certum: dari: sunt autem præcipuæ, Impotentia, Infirmitas, Occupatio, & Dispensatio.* ibid.

§. I.

De Impotentia. ibid.

2. AN, impotentia excusetab obligatione recitandi Horas Canonicas. ibid.
℟. *Tanquam certum: excusare.* ibid.
3. An obliuio naturalis, excuset quem ab obligatione recitandi. pag. 271
℟. *Tanquam certum: Excusare.* ibid.
4. An, si quis experiatur, se recitandi obliuisci, debeat, quando hora consueta non recitat, adhibere aliquod memoriæ excitamentum, quo obligationis recordetur. ibid.
℟. *Debere.* ibid.
5. An, qui ob aliquam impotentiam naturalem, non potest loqui, aut verba Officij ore proferre, teneatur tunc recitare interius, seu mentaliter Officium. ibid
℟. *Vt certum: Non teneri.* ibid.
6. An saltem, qui non potest dicere Horas, potest tamen eas ab alio audiri, ad id teneatur. ibid.
℟. *Vt quid certum: Non teneri.* ibid.
7. An, qui tenetur ad Horas, & nequit illas dicere, teneatur dicere aliquid loco earum. ibidem.
℟. *Vt fere certum: Non teneri.* ibid.
8. An, qui non potest recitare solus, si cum socio possit, ad id teneatur. ibid.
℟. *Æque probabiliter: Non teneri.* pag. 272.
9. An, cæcus ex toto, aut ex parte, qui legere minime potest; excusetur à recitatione Officij. ibidem.
℟. *Vt quid certum: Excusari.* ibid.
10. An saltem, teneatur cæcus obligatus ad Horas

ras, eas memoriæ mandare, vt illas memoriter dicat. ibid.
℟. *Vt mihi certum: Non teneri.* ibid.
11. An saltem, teneatur ad recitandum, cæcus, qui memoriter scit Officium totum, aut ferè totum. ibid.
℟. *Longe multo probabilius: Teneri.* ibid.
12. An saltem excusetur cæcus, qui nescit memoriter Officium huius diei; sed solùm commune, aut speciale Officium v.g. Sanctissimæ Trinitatis, aut Corporis Christi. ibid.
℟. *Probabilius: Nondum excusari,* ibid.
13. An sit melius cæco, recitare maiorem partem Officij diei, quam memoriter scit; quam recitare integrum alterius diei Officium, quod nouit memoriter. ibid.
℟. *Probabilius: Quod melius sit cæco recitare Officium alterius diei integrum; quam solùm partem hodierni.* ibid.
14. An, cœcus habens præbendam; teneatur Choro assistere. ibid.
℟. *Probabilius: Teneri, si distributiones quotidianas lucrari velit.* ibid.
15. An, surdus teneatur ad Horas Canonicas. ibidem.
℟. *Vt certum: Teneri.* p. 274
16. An saltem, surdus, simul, & cæcus, excusetur à recitandis Horis. ibid.
℟. *Non excusari absolute.* ibid.
17. An, qui citra culpam suam, caret Breuiario, excusetur ab Horis. ibid.
℟. *Vt certum: Excusari.* ibid.
18. An, qui è domo discessit, nil cogitans de Breuiario, aut putans illud alibi reperturum; peccet non recitans, & ad restitutionem teneatur. ibid.
℟. *Vt quid certum: Nec peccare, nec ad restitutionem teneri.* ibid.
19. An, excusetur ad Horis, qui Breuiarium non habet, nec ob paupertatem, illud emere possit. ibid.
℟. *Vt certum: Excusari.* ibid.
20. An, qui aduertenter Breuiarium proiecit in mare, aut sua culpa perdidit; immunis sit à culpa, non recitando, si nequeat. ibid.
℟. *Quod non solùm peccauit, dum proiecit Breuiarium in mare, aut sua culpa perdidit; verum etiam postea, toties, quoties perseuerando in eadem voluntate non recitandi, recitare omisit; secus verò si voluntatem mutet, & pœniteat.* ibid.
21. An, excusetur ab Horis, qui beneficium impetrat, antequam sciat legere. ibid.
℟. *Quod licet acceptando beneficium peccauerit, excusetur: Debet tamen statim addiscere, aut beneficium deponere.* ibid.

§. II.

De Infirmitate. pag. 275

22. AN, Infirmitas grauis, non leuis, excusetà recitatione Diuini Officij. ib.
℟. *Vt certum: Quod sic.* ibid.
23. An febris tertiana, excusetquem à recitatione Horarum. ibid.
℟. *Probabilius: Excusare.* ibid.
24. An item, febris quartana excusetægrotum ab obligatione recitandi Officium. ibid.
℟. *Probabiliter: Excusare; etiam illis duobus diebus, in quibus quaternarius à quartana febri est liber.* ibid.
25. An, dolor capitis, stomachi, aut pectoris, eximat quem ab onere recitandi. p. 276
℟. *Verè non eximere, si prædictus dolor sit leuis, & pertransiens: secus verò si grauis sit, & permanens.* ibid.
26. An, Imbecillitas eius, quem febris deseruit, eundem excusetà recitatione per aliquot dies. ibid.
℟. *Vt certum: Excusare.* ibid.
27. An item, excusetur ab Horis, qui oculorum infirmitate laborat. ibid.
℟. *Excusari.* ibid.
28. An rursus, excusetur ab Horis, qui, ita oculorum infirmitate, aut febri alia, laborat; vt tamen per notabilem diei partem legat voluntariè fabulas, vel historias, aut vacet confabulationibus familiaribus. ibid.
℟. *Probabilius: Excusari etiam.* ibid.
29. An, eo ipso quod quis, ratione infirmitatis, excusetur à recitatione Horarum in Choro; excusetur à recitatione etiam priuata. ibid.
℟. *Vt certum: Non eo ipso excusari.* ibid.
30. An, qui dubius est, an recitatio Officij valde nocitura sit ei, teneatur ad Officium. ibid.
℟. *Quod vt non teneatur, debeat Medici, aut Superioris consilium expectare. Et si ij haberi non possint, debet vti arbitrio prudentis viri. Et si hic adhuc deficiat, standum est arbitrio ipsiusmet dubitantis.* ibid.
31. An rursus, si Medicus sit dubius, an recitatio nocitura sit ægroto, tunc teneatur iste Horas persoluere. ibid.
℟. *Probabilius: Teneri; nisi alias recurrat ad superiorem, vt secum dispenset, vel dubium aliqua ratione deponat.* ibid.
32. An, infirmus, transacta infirmitate, teneatur recitare Officia, quæ in infirmitate omisit. ibid.
℟. *Vt certum: Non teneri.* ibid.

§. III.

De occupatione graui. ibid.

33. AN grauis aliqua occupatio; quæ solet interdum accidere; excusetà recitatione Officij. ibid.
℟. *Vt certum: Excusare, dummodo occupatio sit grauis, honesta, necessaria, & quæ differri non possit commodè in aliud tempus, sine scandalo, peccato, aut notabili damno suæ, aut proximi, animæ, vitæ, honoris, aut diuitiarum.* ibid.
34. An, à recitatione excusentur, qui recitaturi sunt publicam lectionem, ad Cathedralem, vel Doctoris lauream acquirendam. ibid.
℟. *Vt certum: Excusari; si simul cum tali actione recitare nequeant.* ibid.
35. An etiam, excusetur à recitando, qui per integrum diem publicè defensurus est actum literarium. p. 278
℟. *Vt certum: Etiam excusari.* ibid.
36. An, concionator, qui repentine, & quasi per occasionem, inuitatur ad concionandum, excusetur à recitatione. ibid.
℟. *Excusari, si nequeat concionem, absque nota, vel scandalo omittere; nec simul cum concione recitare.* ibid.
37. An etiam, concionator quotidianus, tempore Quadragesimæ, excusetur ab Horis. ibidem.

℞ *Probabilius : Quod excusetur , siue ex officio, siue ex obedientia , aut voto , siue voluntariè , aut ex mercede concionetur , si recitatio incompatibilis sit (vt ferè semper contingit) cum labore quotidiano concionandi.* ibid.

38. An, excusetur ab Horis, qui per totam diem occupatus manet in audienda confessione existentis in articulo mortis. ibid.

℞ *Vt certum : Excusari ; si aliàs non superfit tempus recitandi , aut non valeat , sine labore magno.* ibid.

39. An etiam, excusetur ab Horis , qui ita circa infirmos est impeditus , vt nullatenus ei superfit tempus ad commode eas dicendas. ibidem.

℞ *Vt certum: Excusari etiam.* ibid.

40. An rursus , ab Officio excusetur diuino , qui tota die deoccupatur in componendis grauibus inimicitiis , vel rixis , vel populi seditionibus. pag. 279

℞ *Vt quid certum: Etiam excusari.* ibid.

41. An , audientes confessiones , septimana sancta , aut tempore Iubilei , quando est magna pœnitentium copia , possint licite dimittere Horas ', si non possunt recitare , nisi omittendo aliquas confessiones quorundam , qui non consequenter Iubileum , aut non adimplebunt præceptum Ecclesiæ. ibid.

℞ *Probabilius : licitè posse dimittere Horas.* ibid.

42. An , Confessarij omnes , tam , qui ex Officio, quam , qui voluntariè audiunt per totam diem confessiones , excusentur ab Officio Diuino , si nequeant illud facilè præuenire. ibid.

℞ *Probabilius: Excusari.* ibid.

43. An , si quis Confessarius remisisset Officium ad vnam horam , ante mediam noctem , & tunc ad confessionem , vel communionem moribundo conferendam vocaretur , posset omisso Officio, ad morientem euolare. ibid.

℞ *Vt certum : Non solùm posse ; verum etiam teneri ; etiamsi non sit Parochus.* ibid.

44. An sacerdos pauper, quem ita grauis necessitas victum quærendi , illum opprimit, vt nequeat vitæ necessaria inuenire , & Officium persoluere; possit licitè hoc omittere. ibid.

℞ *Posse.* ibid.

45. An propter contemplationem altissimam, possit quis Diuinum Officium dimittere. ibid.

℞ *Certissimum esse , quod nemo propria auctoritate possit commutare Officium Diuinum in contemplationem altissimam ; licèt optime possit se exercere & occupare in contemplationem, etiam si ex illa, ita in extasim rapiatur , vt postea minimè recitare queat.* ibid.

46. An, peregrinatio ad loca pia , iustè , & legitimè suscepta, excuset à recitatione Officij. ibid.

℞ *Tanquam certissimum , quod nullus possit ex se, commutare Officium in peregrinationem ad loca sancta ; licèt optime possit voluntariè suscipere dictam peregrinationem, quamuis timeat, quod ex illius labore, resultare possit impotentia moralis ad soluendum onus Officij.* ibid.

47. An ille , qui omisit recitare Matutinum, vsque ad prandium , absque vrgente causa eximatur postea à recitatione illius. ibid.

℞ *Vt certum : Non eximi ; nec peccare mortaliter in dilatione Matutini vsque ad prandium , vel vsque ad noctem.* ibid.

48. An saltem, qui vrgente aliqua occupatione, omisit Matutinum vsque ad meridiem ; excusetur postea ab illo recitando. p. 281.

℞ *Vt certum ; Adhuc non excusari.* ibid.

49. An , qui præuidet aliquod impedimentum à se postea voluntariè apponendum ; teneatur Officium præuenire, & totum mane recitare. ibid.

℞ *Vt certum: Teneri.* ibid.

50. An etiam teneatur præuenire Officium , totum mane recitare ; si præuideat impedimentum superuenturum , à natura, vel violentia ; non autem à voluntate. ibid.

℞ *Longe probabilius: Teneri ; nisi mane non inueniatur fortis, & validus ad recitandum.* p. 282.

51. An infirmus , vel alius impeditus , qui nequit dicere totum Officium ; teneatur ad partem. ib.

℞ *Vt quid certum : Teneri ad partem : licet non ad quamlibet.* ibid.

52. An , infirmus, aut alius impeditus , qui non potest maiorem partem Officij recitare ; potest autem minorem ; ad hanc teneatur. ibid.

℞ *Probabilius : Non teneri.* p. 283

53. An saltem , qui non potest recitare minorem partem Officij , potest autem maiorem , ad hanc (omissa licitè minore) teneatur. ibid.

℞ *Probabilius ; Teneri.* ibid.

54. An , qui potest dimidiam partem Officij dicere; obligetur ad illam ; omissa dimidia parte , quam non potest. ibid.

℞ *Probabiliter: Non obligari.* ibid.

55. An , qui potest recitare laudes cum sequentibus Horis , non tamen Matutinum ; teneatur illas recitare ; omisso Matutino. ibid.

℞ *Teneri.* ibid.

56. An, qui non potest recitare Matutinum , & laudes ; potest tamen Primam , & cæteras Horas vsque ad Completorium inclusiuè ; teneatur has (omisso Matutino cum Laudibus) recitare. ib.

℞ *Probabilius. Ad nihil teneri.* ibid.

57. An, qui contra, potest recitare Matutinum cum Laudibus , non potest tamen cæteras Horas ; teneatur , his omissis , recitare illud. p. 284

℞ *Probabilius : Teneri.* ibid.

58. An, qui potest recitare solas Vesperas, & Completorium , non vero cæteras Horas , teneatur ad illas (his relictis) recitandas. ibid.

℞ *Probabilius : Ad nihil recitandum teneri.* ibid.

59. An , teneatur quis recitare illam Horam, cuius maiorem partem necesse habet omittere. ibid.

℞ *Non teneri.* ibid.

60. An , qui habet Diurnum solùm , teneatur Psalmos Matutini recitare, absque lectionibus, & Responsoriis. ibid.

℞ *Teneri , si Officium sit Feriæ , vel Sancti simplicis: minime tamen si Officium sit Festi duplicis, vel semiduplicis.* ibid.

61. An etiam, teneatur ad Horas minores recitandas , qui scit Psalmos earum ; nescit tamen Capitula, & orationes. p. 285

℞ *Vt certum: Teneri.* ibid.

62. An , qui ex prauo habitu magnam habet difficultatem Officium recitandi, excusetur ab illo recitando. ibid.

℞ *Non excusari : nisi sit nimium scrupulosus , aut timeat futuram febrim, vel grauem dolorem capitis.* ibid.

63. An, excusetur ab Officio Diuino , qui si illud recitet, magnam timet iacturam fortunarum, vitæ, vel honoris. ibid.

℞ *Vt certum: Excusari.* ibid.

§. IV.

De Dispensatione. ibid.

64. AN, dispensatio à summo Pontifice concessa, excusetclericum ab Horarum solutione. ibid.

℟ *Vt quid certum: Excusari.* ibid.

65. An item, excusetBeneficiarium. ibid.

℟ *Vt quid certum: Excusare.* ibid.

66. An deinde, possit Episcopus dispensare cum Clerico, aut Beneficiato, vt in perpetuum non recitent. p.286

℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.

67. An, si non in perpetuum, saltem in casibus occurrentibus, possit Episcopus dispensare cum prædictis, vt Officium non recitent. ibid.

℟ *Posse; si adsit rationabilis causa, aut necessitas occurrat, nec commode adiri possit Pontifex.* ibid.

68. An non solùm Episcopus, verum etiam eius Vicarius, possit dispensare cum prædictis super recitatione Officij. ibid.

℟ *Posse; sed non nisi ex speciali mandato Episcopi.* ibid.

69. An, Prælatus Regularis possit dispensare suos subditos non initiatos sacris, ab Officio Diuino. ibid.

℟ *Probabilius: Posse, si causa rationabilis subsit.* ibid.

70. An, non solùm cum dictis non initiatis sacris; verum cum Religiosis Sacris initiatis, aut Beneficium possidentibus, possit Prælatus Regularis in recitatione Horarum dispensare. ibid.

℟ *Probabilius: Posse, non solùm ex vi suorum priuilegiorum; verum etiam attento iure communi.* ibid.

71. An, non solùm Prælati superiores, vt sunt Generales, & Prouinciales; verum conuentuales, possint in dictis dispensare. p.287

℟ *Probabilius: Posse, adhuc secluso priuilegio.* ibid.

DISPVTATIO VI.

De obligatione recitandi Officium in Choro pagina 287

Q. 1. AN, vsus recitandi Horas publicè in Choro, sit laudabilis. ibid.

℟ *Vt quid certissimum: Quod sic.* ibid.

2 An etiam sit laudabilis modus dicendi Horas in Choro, psallendo, & cantando eas, præsertim cantu figurato. ibid.

℟ *Vt quid certissimum: Quod sic.* ibid.

3. An rursus, sit laudabilis vsus dicendi Horas in Choro, cum instrumentis musicis. ibid.

℟ *Adhuc vt certum: Quod sic; si horum vsus sit grauis, ac moderatus.* ibid.

4. An saltem, sit illicitus vsus cantandi in die Natalis Domini, aut aliis, cantationes profanas, durante Officio Diuino. ibid.

℟ *Vt quid certum: Esse illicitum, ac peccaminosum.* ibid.

5. An sit præceptum recitandi Horas Canonicas in Choro. p.288

℟ *Vt quid certum: Quod sic.* ibid.

6. An huiusmodi præceptum recitandi Horas in Choro, obliget omnes Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, & Regulares, & Parochiales. ibid.

℟ *Vt certum: Quod sic, spectato iure communi.* ibid.

7. An, non solùm, vi iuris communis, sed etiam consuetudinis, omnes præfatas Ecclesias præceptum recitandi in Choro obliget. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.

8. An, sit laudabilis Religio illa, quæ, ex peculiari suo instituto, non habet vsum Chori; vt est Societas Iesu. ibid.

℟ *Vt quid certissimum: Esse laudabilem, & valde.* ibid.

9. An, conuentus omnes, seu Ecclesiæ Regularium habentium vsum Chori, teneantur recitare Horas in Choro, sub mortali. ibid.

℟ *Vt certum: Teneri sub mortali.* ibid.

10. An, paucitas Religiosorum degentium in Monasterio; excusetab obligatione dicendi Horas in Choro. ibid.

℟ *Vt certum: Excusare.* ibid.

11. An, vt instet obligatio canendi publicè in Choro, requirantur ad minus quatuor Religiosi. pagina 289

℟ *Probabilius: Requiri ad minus quatuor Religiosos.* ibid.

12. An, impleatur prædicta obligatio Chori, si ad illum, etiam soli quatuor, aut quinque Nouitij concurrant. ibid.

℟ *Probabilius: Impleri.* ibid.

13. An, præceptum impositum conuentui, aut communitati, dicendi Horas in Choro; afficiat singulos Religiosos in particulari. ibid.

℟ *Quod non.* ibid.

14. An saltem, sub veniali culpa, teneatur quilibet Religiosus in particulari, ad dicendas Horas in Choro. ibid.

℟ *Probabilius: Non teneri, regulariter loquendo.* ibid.

15. An, Prælati, Regulares maiori obligatione astringantur, assistendi Choro, quam alij Religiosi subditi. ibid.

℟ *Quod non.* ibid.

16. An, Prælati Regulares teneantur sub mortali, curare, vt recitatio Horarum, in Choro nunquam omittatur. ibid.

℟ *Vt certum: Teneri.* ibid.

17. An, non solùm Prælati, verum etiam subditi, teneantur curare, vt Horarum recitatio non omittatur in Choro. ibid.

℟ *Teneri, & sub mortali, si Prælatus esset ita negligens, vt omitteretur publica Diuini Officij recitatio in Choro.* ibid.

18. An, Prælati possint aliquo casu imponere præceptum subditis, vt non desint in Choro. ibid.

℟ *Vt certum: Posse, & debere, si nimia esset negligentia subditorum in frequentando Choro.* ibid.

19. An, Prælati Regulares possint liberè dispensare super frequentia Chori, cum aliquibus Religiosis. ibid.

℟ *Posse, attento solo iure communi; secus verò attento Decreto Clemen. VIII. vbi est in vsu.* ibid.

20. An, peccent mortaliter Religiosi, qui ex consuetudine omittunt frequentare Chorum, ad dicendas ibi Horas. ibid.

℟ *Probabilius: Non peccare mortaliter.* p.291

21. An, communitas Regularis, quæ sine iusta causa, recitat, Horas Canonicas, extra Horas præscriptas, peccet mortaliter. ibid.

℟ *Probabilius: Non peccare (secluso scandalo) mortaliter.* ibid.
22. An saltem, peccet mortaliter communitas, quæ, sine iusta causa, inuertit ordinem Officij. ibid.
℟ *Probabilius: Nec peccare adhuc mortaliter, secluso scandalo, & aliis circunstantiis.* ibid.
23. An, transacto notabiliter tempore, quo debebat recitari in Choro aliqua; possit hæc omitti, & ibi non recitari. ibid.
℟ *Probabilius: Nec debere, nec posse emitti; secluso scandalo, quod vix, saltem inter Regulares, dari potest.* ibid.
24. Quæ sint tempora pro singulis Horis Canonicis præscripta, pro publico Officio Chori? *Legatur.* pag. 292
25. An, Clericus omnis, ex vi suæ ordinationis, teneatur Horas Canonicas publicè in Choro celebrare. ibid.
℟ *Vt certum: Nullum teneri, etsi sacris initiatum.* ibid.
26. An, Episcopus teneatur Officium in Ecclesia persoluere quotidie. ibid.
℟ *Probabilius: Non teneri.* ibid.
27. An saltem, teneatur Episcopus, si non quotidie, saltem diebus festis, & præcipuè solemnioribus, Choro interesse. ibid.
℟ *Adhuc probabilius: Nec, dictis diebus, teneri; sed solùm quando ipse iudicauerit expedire.* ibid.
28. An, Parochi teneantur ratione sui Officij, recitare publicè in Choro, Horas Canonicas. ibid.
℟ *Probabilius: Quod attento, iure communi antiquo, certum sit, teneri; Minimè verò attenta consuetudine, vniuersaliter ferè iam recepta.* ibid.
29. An, omnes Canonici, seu præbendati, teneantur Horas in Choro, recitare. p. 293
℟ *Vt certum: Teneri, iuxta suarum Ecclesiarum vsum.* ibid.
30. An, vt communitas Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, excusetur à Choro, sufficiat, quod solùm sint duntaxat duo, vel tres Canonici. ibid.
℟ *Non excusari quidem ad assistendum Choro, ad recitandum ibi alta voce Horas; benè tamen excusari ad canendas illas.* ibid.
31. An, sine vlla culpa, & pœna, possint Canonici, aut præbendati abesse à Choro per tres menses. ibid.
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
32. An, Canonici, seu Præbendati (& alij, qui distributiones habent) peccent mortaliter, si à Choro absint, (vltra tempus à iure sibi concessum) & distributiones percipiant. ibid.
℟ *Vt quid certissimum: Peccare mortaliter, & cum obligatione restituendi.* ibid.
33. An etiam, dicti Canonici, & alij peccent mortaliter, si absque causa, absint à Choro (vltra tempus permissum) animo cedendi distributionibus, tempori absentiæ, correspondentibus. ibid.
℟ *Probabilius: Peccare mortaliter.* p. 294
34. An saltem, excusentur à mortali Canonici, Præbendati, aut Beneficiati prædicti quando semel, aut iterum, in anno absunt sine causa à Choro. ibid.
℟ *Æque probabiliter: Excusari à mortali, casu, quo semel, aut iterum, aut tribus, vel quatuor diebus, sine causa à Choro absint.* ibid.
35. An, etiam, excusentur à mortali dicti Canonici, & Præbendati, &c. qui absunt, sine causa à Choro, tempore vnius integræ Horæ Canonicæ. ibid.
℟ *Quod etiam excusentur; cum onere tamen amittendi partem distributionum.* ibid.
36. An, Canonici Beatificiati, qui nihil in Choro dicunt, sed ad omnia attendunt solùm, satisfaciat suæ obligationi. ibid.
℟ *Vt certum: Per se loquendo, & ex vi iuris Canonici, non satisfacere.* ibid.
37. An saltem satisfaciant dicti Canonici Beatificati præcepto recitandi, si partem suam, submissa voce ita proferant, vt audiri à Choro non possit. ibid.
℟ *Probabilius: Satisfacere.* ibid.
38. An item satisfaciant seruitio Chori dicti Canonici, si ita submissa voce canant, aut suam recitent partem, quod ab altero Choro audiri nequeat. p. 295
℟ *Probabilius: Nec satisfacere; nec posse consequenter recipere distributiones quotidianas.* ibid.
39. An saltem supradicti Canonici, seu Præbendati, submissa voce suam partem recitantes; recipere possint mediam partem distributionum, si attendant ad partem, quam canit alius Chorus. ibid.
℟ *Probabilius: Non posse.* ibid.
40. An Canonicus, qui partem suam canit, sed percipere non potest partem, quam alius Chorus canit; possit tunc distributiones integras percipere. ibid.
℟ *Probabilius: Posse; etiam si postea priuatim non suppleat, quæ non percepit.* ibid.
41. An, quando totus Chorus canit aliquem Psalmum alternatim cum organo, aliove instrumento musico, sit opus, vt versus, qui organo pulsantur, alta voce ab aliquo proferantur, vel à singulis submissa voce dicantur. p. 296
℟ *Vt mihi certum: Opus esse.* ibid.
42. An, casu, quo Canonicam aliquam Horam ipsi musici musico cantu canant; tunc sufficiat ad satisfaciendum præcepto recitandi, & seruiendi Choro assistentia personalis, etsi non attendatur ad ea, quæ canuntur. ibid.
℟ *Probabilius: sufficere ad satisfaciendum seruicio Chori; minimè verò præcepto recitandi Horas.* ibid.
43. An vbi viget consuetudo, vt Canonici solùm præsentes absint Choro, nec canunt nisi per Mansionarios, Capellanos, aut substitutos, possint licitè distributiones recipere. ibid.
℟ *Ex praxi, vt certum: Posse.* ibid.
44. An, Canonici possint recipere distributiones, si per alium assistant Choro. p. 297
℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.
45. An saltem, consuetudine induci possit, vt quis per alium Choro inseruiat. ibid.
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
46. An, Canonicus, seu Beneficiatus, qui dum Diuinum Officium in Choro recitat, maximè à summo impetitur, itavt eo oppressus, nec ad verba attendat; satisfaciat præcepto recitandi, & Choro inseruiendi. ibid.
℟ *Non satisfacere præcepto recitandi; licèt probabile sit omnino, satisfacere seruitio Chori.* ibid.
47. An, Canoni confabulantes, aut scribentes in Choro, aut exercentes similes actiones attentioni externæ repugnantes; possint lucrari distributiones quotidianas, ac retinere. ibid.
℟ *Probabilius: Nec posse licitè lucrari, nec retinere.* pag. 298
48. An, deferentes thus, aut transferentes libros ex vna in aliam partem, teneantur recitare partem, quæ

quæ tunc temporis à Choro dissoluitur, ad satisfaciendum obligationi officij, & assistentiæ Chori. ibid.

℟ *valdè probabiliter: Non teneri, ad satisfaciendum vtrique obligationi.* ibid.

49. An Canonicus, seu Præbendatus, si, obtento beneficio, fiat cæcus, aut surdus, possit abesse à Choro, & lucrari distributiones quotidianas. pagina 299

℟ *Probabilius: Quod possit, qui fit cœcus; non autem, qui fit surdus.* ibid.

50. An, Canonici,& Beneficiarij, qui ob morbum grauem corporalem, non valent Choro interesse, lucrentur distributiones. ibid.

℟ *Vt quid certum: lucrari.* ibid.

51. An quilibet morbus sufficiat, ad hoc, vt illo laborans, lucretur distributiones, absens à Choro. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non, sed debere esse grauem.* ibid.

52. An, nihilominus, aliquando morbus leuis sufficiat, vt quis, ob illum, absens, acquirat distributiones. ibid.

℟ *Sufficere aliquando.* ibid.

53. An Canonicus, qui sua culpa infirmitatem contraxit, acquirat etiam distributiones. ibid.

℟ *Vt mihi certum: Acquirere.* p.300

54. An etiam, acquirat distributiones dictus Canonicus, qui dedita opera in morbum incidit, vt eo impeditus, interesse Choro non posset. ibidem.

℟ *Probabilius: Etiam acquirere.* ibid.

55. An, rursus acquirat distributiones infirmus ille, qui aliàs ante infirmitatem, Choro interesse non consueuerat. ibid.

℟ *Longe probabilius: Tunc non acquirere.* ibid.

56. An, si dictus infirmus, qui ante infirmitatem, non consueuerat Choro adesse, mutata in ipsa infirmitate voluntate, efficaciter proponeret residere, si ab infirmitate liberaretur, tunc saltem acquireret distributiones. ibid.

℟ *Probabilius: tunc posse acquirere.* ibid.

57. An item distributiones posset recipere, qui habebat consuetudinem Choro interessendi; sed elicito efficaci proposito non interessendi, in morbum incidit. ibid.

℟ *Probabilius: Non posse.* ibid.

58 An ad minus, infirmus, qui dum esset sanus ad aliquas Horas Canonicas ire consueuerat; possit llar um distributiones percipere, ibid.

℟ *Probabilius: Posse.* ibid.

59. An, si Canonicus tempore grauis infirmitatis, in loco beneficij non existat; sit distributionum capax. p.301

℟ *Probabilius: Quod verè sit capax, si tempore infirmitatis, erat, ex iusta causa; secus verò, si absque illa.* ibid.

60. An, qui podraga laborat, excusetur ab assistentia ab Choro, & possit lucrari distributiones. ibid.

℟ *Vt certum: Excusari, & posse lucrari distributiones.* ibid.

61. An etiam, senes excusentur ab assistentia Chori, & possint distributiones recipere. ibid.

℟ *Vt ferè certum: Excusari, & posse distributiones recipere.* ibid.

62. An, senes septuagenarij communiter excusentur à Choro, & possint distributiones percipere. ibid.

℟ *Excusari communiter loquendo.* ibid.

63. An, Canonico absenti, ob aliquam iustam corporalem necessitatem; distributiones quotidianas conferri debeant. ibid.

℟ *Vt certum: Conferri debere.* ibid.

64. An, debeantur, distributiones Canonico, seu Beneficiato, qui à Choro abest, eo quod ex ipsius assistentia, immineat ei graue damnum, vitæ, honoris, vel fortunæ. ibid.

℟ *Vt certum: Deberi.* ibid.

65. An, acquirat distributiones ille, qui ex iudicio Medici, domi se continet, vel ad sumendam medicinam, qua corpus expurgetur, vel quia eo die sanguine minuendus est. p.302

℟ *Vt certum: Acquirere.* ibid.

66. An etiam, debeantur distributiones Canonico, qui ex Consilio Medici, ab balnea, vel ad celebrem aliquem Medicum, vel ad euitandam cœli inclementiam, alio se confert. ibid.

℟ *Vt certum: Deberi etiam.* ibid.

67. An item, distributiones capere possit, qui ob cantum nimis defatigatus, aliquantulum se retrahit à Choro, vt spiritus assumat, & recreet. ibid.

℟ *Etiam posse capere.* ibid.

68. An deinde, qui abest à Choro, & à loco beneficij, ob timorem pestis grassantis in illo loco, possit recipere distributiones. ibid.

℟ *Probabilius: Posse.* ibid.

69. An si, Canonicus vi detineatur, aut aliquo alio modo impediatur, quominus ad Ecclesiam suam, se conferat; tunc distributiones acquirat. ibid.

℟ *Quod sic.* ibid.

70. An, possit recipere distributiones Canonicus, qui iniustè in carcerem coniectus est, & propterea non potest interesse Horis. ibid.

℟ *Vt certum: Posse ex iure, & secluſa omni consuetudine.* ibid.

71. An etiam, possit recipere distributiones, si iustè dictus Canonicus in carcere detinetur. pagina 303

℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.

72. An, Canonicus, qui in carcere detinetur, non ob crimen probatum, sed ob illius suspicionem; possit distributiones capere, si per sententiam Iudicis, innocens euaserit. ibid.

℟ *Posse:* ibid.

73. An Canonicus iniustè excommunicatus, & ob hanc causam non assistens Choro, acquirat distributiones. ibid.

℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.

74. An etiam iustè excommunicatus, & ob eam causam Choro non assistens, distributiones lucretur. ibid.

℟ *Probabilius: Non lucrari; etsi absolutionem petat, & iniustè denegetur.* ibid.

75. An saltem casu, quo iustè excommunicato, iniustè denegetur absolutio; lucretur distributiones, & consequenter possit illas post absolutionem recuperare. ibid.

℟ *Tunc lucrari, & consequenter posse recuperare.* ibid.

76. An, si iustè excommunicatus Horis diuinis interfit; possit lucrari fructus, & distributiones illis correspondentes. p.304

℟ *Probabilius: Non posse.* ibid.

77. An saltem, excommunicatus maiori, excommunicatione, (de qua loquuti, sumus) acquirat fructus, & distributiones vbi consuetudo est, vt eos non amittat. ibid.

℟ *Vt certum: Acquirere.* ibid.

 78. An,

78. An, Canonicus, seu Beneficiatus suspensus à Beneficio; priuatus maneat, non solùm fructibus beneficij, sed & distributionibus quotidianis. ibid.
℞ *Probabilius: Manere etiam à distributionibus priuatim.* ibid.
79. An saltem, Canonicus, seu Beneficiatus iustè suspensus à beneficio; possit licitè percipere fructus eius, & distributiones, si Horis interfit Canonicis. ibid.
℞ *Probabilius: Non posse.* ibid.
80. An saltem, iniustè suspensus à beneficio, vel à distributionibus; possit illas licitè acquirere, si à Choro abesse cogatur. ibid.
℞ *Vt certum: Posse.* ibid.
81. An, Beneficiatus iniustè interdictus à Diuinis Officiis, ob quod illis non assistit, priuetur distributionibus. p.305
℞ *Vt certum: Non priuari.* ibid.
82. An, Canonici, seu Beneficiati, non solùm quando ipsi specialiter sunt interdicti; verum etiam, quando ipsa Ecclesia specialiter interdicta est, priuentur distributionibus. ibid.
℞ *Non priuari eodem modo.* ibid.
83. An, Canonici percipere possint distributiones, tempore cessationis à diuinis, in quo officia celebrare nequeunt. ibid.
℞ *Non posse:* ibid.
84. An, Canonici distributiones capiant, eo tempore, quo polluta manet Ecclesia. ibid.
℞ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
85. An, Beneficiarius, qui fit irregularis, priuetur distributionibus. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
86. An saltem, Beneficiarius, qui ante beneficij collationem, seu obtentionem, contraxit irregularitatem, priuetur distributionibus. ibid.
℞ *Probabilius: Priuari.* ibid.
87. An, Canonicus, qui per sententiam iudicis, beneficio priuatus est, adhuc lucretur distributiones. pag.306
℞ *Quod non lucretur, si beneficium alteri collatum sit; secus autem, si illud retinet, quousque sententia criminis accedat, & innocens reperiatur.* ibid.
88. An, Canonicus actualiter, seu realiter degradatus, acquirat distributiones. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
89. An, absens in vtilitatem euidentem propriæ Ecclesiæ, lucrari distributiones possit. ibid.
℞ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
90. An etiam, Canonicus, seu Beneficiarius, qui abest in euidentem vtilitatem alienæ Ecclesiæ, distributionibus gaudeat. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
91. An saltem, si quis absit in vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ, idest, in vtilitatem omnium fidelium Ecclesiarum, possit distributiones recipere. ibid.
℞ *Æque probabiliter: Posse.* ibid.
92. An, si quis Canonicus absit à propria Ecclesia, non solùm, ob euidentem, sed eiam, ob dubiam vtilitatem eius; acquirat distributiones quotidianas. p.307
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
93. An, Canonicus acquirat distributiones, si absit, etiam, ob leuem, aut exiguam, Ecclesiæ suæ vtilitatem. ibid.
℞ *Vt certum; Quod non.* ibid.
94. An, Canonicus, qui à suo Episcopo ad visitanda limina Apostolorum mittitur; distributiones lucretur. ibid.
℞ *Vt certum: Lucrari.* ibid.
95. An etiam, Canonicus, qui comitatur suum Episcopum ad visitanda limina, lucretur similiter distributiones. ibid.
℞ *Etiam vt certum: Lucrari similiter.* ibid.
96. An item, Canonicus, qui missus esset ad limina Apostolorum ab Episcopo aliarum Ecclesiarum, aut ipsum comitaretur; acquireret easdem distributiones quotidianas. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
97. An deinde, Parochus missus ab Episcopo suo ad visitanda, suo nomine, limina Apostolorum; acquirat distributiones. ibid.
℞ *Quod non; nisi tempore bimestri visitatio fiat.* ibid.
98. An, Canonicus, seu Præbendatus missus à suo Capitulo ad Concilium Generale, vel Prouinciale, tanquam Theologus suus, vel Canonista, vel tanquam Procurator, distributiones capiat. p.308
℞ *Distributiones capere; modo aliàs adesse Choro consueuerit; & non adsit consuetudo in contrarium.* ibid.
99. An etiam, distributiones caperet, si, Canonicus, qui simul est, ex priuilegio, Episcopus; ad Concilium generale conueniret. ibid.
℞ *Æque probabiliter: Non capere, si non vt Canonicus, sed vt Episcopus ad Concilium conueniret.* ibid.
100. An, Canonicus, qui à suo Capitulo mittitur tanquam legatus ad Pontificem, vel Principem aliquem; acquirat distributiones. ibid.
℞ *Probabiliter æquè: Quod sic.* ibid.
101. An, Canonicus, qui tempore Diuinorum Officiorum, ex mandato Capituli, occupatur in subeundis rationibus, aut in assignandis cuique suis redditibus; acquirat distributiones. ibid.
℞ *Probabilius: Distributiones acquirere.* ibid.
102. An, dictus Canonicus, adhuc distributiones acquirat, si ea computa facere, aut rationes sumere, rectè possit, extra tempus Diuini Officij, & tamen non facit, nisi tempore illius. ibid.
℞ *Probabilius: Adhuc distributiones acquirere.* ibid.
103. An rursus, capiat aliquas distributiones dictus Canonicus, casu adhuc, quo Capitulum mandaret ei, vt negotia Ecclesiæ expediret Matutino tempore; si ipse tunc propria negotia expediat, dilato in Vesperas negotio Ecclesiæ. p.309
℞ *Probabilius: Quod capiat, (& solùm) distributiones correspondentes tempori vespertino.* ibid.
104. An, si quis Canonicus, sede Episcopali vacante, eligatur Vicarius, seu Prouisor à Capitulo, tunc acquirat distributiones, dum abest ab Ecclesia, causa exercendi Officium. ibid.
℞ *Vt certum: Acquirere.* ibid.
105. An, Archidiaconus visitans Ecclesiam, iura, vel redditus suæ Præbendæ; acquirat non solùm fructus, sed & distributiones quotidianas. ibid.
℞ *Probabilius: Vtrumque acquirere.* ibid.
106. An, acquirat distributiones, qui tempore Diuinorum Officiorum, detinetur in confitendis suis peccatis. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
107. An saltem, qui abest ab Ecclesia, causa voti adimplendi; percipiat distributiones. ibid.
℞ *Vt longe multo probabilius: Non percipere.* p.310
108. An, Canonicus, seu Beneficiarius, qui ex propria deuotione, tempore Officij Diuini, celebrat Missam; distributiones percipere valeat. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.
109. An saltem, lucretur distributiones, si Missam, dicto tempore, celebret, de consensu superioris. ibid.

℞ *Vt longe multo probabilius: Nec tunc lucrari; nisi talis superior, sit sum. Pontifex.* ibid.

110. An ad minus, si eo tempore Missam celebret, de mandato superioris; acquirat distributiones. ib.

℞ *Vt certum: Quod tunc sic.* ibid.

111. An iam ex vi consuetudinis, qui celebrat Missam, tempore Officiorum Diuinorum; possit distributiones acquirere. ibid.

℞ *Iam posse in multis Ecclesiis.* ibid.

112. An, Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis, possit, spectato iure nouo, percipere distributiones, si tempore Diuinorum Officiorum, in propria Ecclesia detineatur in audiendis Confessionibus. ibid.

℞ *Vt certum: Posse.* ibid.

113. An, etiam distributiones capiat, si actu non audiat Confessiones, expectet tamen in Confessionario pœnitentes. ibid.

℞ *Probabilius: Quod etiam capiat.* ibid.

114. An item, Pœnitentiarius distributiones acquirat, si tempore Diuinorum Officiorum, confessiones domi, aut alibi extra Ecclesiam percipiat. pag. 311

℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.

115. An, Pœnitentiarius, qui in Ecclesia confessiones audit, non solùm censeatur præsens Choro, cum in illo Diuina Officia celebrantur; sed etiam in Litaniis, & Processionibus, & Exequiis Defunctorum, quæ extra Ecclesiam habentur. ibid.

℞ *Vt ferè certum: Quod sic.* ibid.

116. An, Canonicus, qui subrogatur, loco Pœnitentiarij, ob illius absentiam, vel mortem, ad confessiones audiendas, lucretur easdem distributiones, quas ipsemet Pœnitentiarius solebat. ibid.

℞ *Vt ferè certum: Quod sic.* ibid.

117. An etiam, alij Canonici, qui præsente Pœnitentiario, in adiutorium illius ad audiendas confessiones, designantur à superiore, easdem lucretur distributiones. ibid.

℞ *Non lucrari; nisi alias, consuetudine contrarium sit firmatum.* ibid.

118. An, Canonicus Magistralis, vel Lectoralis, possit ex iure, percipere distributiones, etiamsi absit à Choro. p. 312

℞ *Vt certum: Quod non possit.* ibid.

119. An saltem, ex gratia, aut priuilegio, possit dictus Magistralis, etiam absens à Choro, capere distributiones, omnibus illis diebus, in quibus concionatur, aut legit in propria Ecclesia. ibid.

℞ *Probabilius: Posse.* ibid.

120. An, dicta gratia lucrandi distributiones pro tota die, qua legit, aut concionatur Magistralis, extendi debeat ad Matutinum diei sequentis, quod alicubi solet dici Vespere præcedenti. ibid.

℞ *Vt certum: Quod non.* ibid.

121. An, consuetudo aliquarum Ecclesiarum, quod Canonicus Magistralis, qui prædicaturus sit in ipsa Ecclesia, habeatur pro præsenti omnibus Horis, etiam per octo dies concioni antecedentes, sustinenda sit. ibid.

℞ *Probabilius: sustineri posse; dummodo solùm extendatur ad lucrandos fructus Præbendæ; non verò quotidianas distributiones.* ibid.

122. An, si Canonico Magistrali, ex priuilegio, aut gratia, concedantur octo, aut sex dies præcedentes concionem, vt possit abesse, lucrans distributiones; possit, illis diebus Choro assistere; & loco illorum, aliis octo, aut sex abesse, & lucrari distributiones talibus diebus correspondentes. ibid.

℞ *Non posse.* ibid.

123. An, Canonicus Magistralis, possit vacare à Choro, ea die, qua alterum Canonicum substituit, vt pro ipso in Cathedra lectionem dictet. ibid.

℞ *Non posse.* ibid.

124. An, Canonici habentes curam animarum in suamet Ecclesia, percipiant distributiones, si tempore Diuinorum Officiorum, absint, ob animarum curam exercendam. p. 315

℞ *Vt certum: Percipere.* ibid.

125. An etiam, Canonici, qui curam animarum habent in aliis Ecclesiis, extra Diœcesim, possint, dum in eis residunt, ac ministrant, recipere distributiones, quas reciperent, si in Ecclesiis Cathedralibus, seu collegiatis residerent. ibid.

℞ *Probabilius: Verè posset recipere, si resideant intra Diœcesim; minimè vero, si extra illam.* ibid.

126. An etiam, Parochi, aut alij curam animarum gerentes, possint capere distributiones, si absint, ob administranda munera parochialia. ibid.

℞ *Vt certum: Posse.* ibid.

127. An, Examinatores Confessorum, qui dum examinant illos à Choro absunt; non solùm recipiant fructus, sed & distributiones. ibid.

℞ *Probabilius: solùm recipere fructus.* ibid.

128. An saltem, Canonici ab Episcopo instituti visitatores Hospitalium, & Ecclesiarum Diœcesis, Vicarij foranei, aut administratores piorum locorum, non solùm fructus, sed etiam distributiones lucrentur. ibid.

℞ *Solùm fructus lucrari; nisi contrarium teneat consuetudo, aut adsit priuilegium.* ibid.

129. An, Canonici existentes in seruitio Episcopi, recipiant fructus, & distributiones, ac si præsentes Choro essent. p. 314

℞ *Vt certum: solùm recipere fructus.* ibid.

130. An saltem accipiant, etiam distributiones quotidianas, Canonici assistentes Episcopo solemniter celebranti in Cathedrali, aut in alia Ecclesia. ibid.

℞ *Accipere.* ibid.

131. An, Canonicus Vicarius Generalis Episcopi, si absit à Choro, percipiat fructus, & distributiones. ibid.

℞ *Vt certum: solùm percipere fructus.* ibid.

132. An, Canonici, aut Præbendati, qui inseruiunt Pontifici, in Officiis, Capellani, Camerarij, & similium; acquirant fructus Præbendæ, necnon, & distributiones, etiam dum absunt à Choro. ibid.

℞ *Vt certum: Acquirere fructus, non autem distributiones; nisi adsit priuilegium, aut consuetudo.* ibid.

133. An etiam, inseruientes legato summi Pontificis, aut etiam Cardinali; percipiant fructus Præbendæ, quamuis absint à Choro. ibid.

℞ *Probabilius: Non percipere.* ibid.

134. An ad minus, inseruientes Regi, aut supremo Principi, in Officiis ab ipso designatis; percipere possint fructus sui beneficij, aut Canonicatus, quamuis non resideant. ibid.

℞ *Probabilius: Non posse.* p. 315

135. An, Auditores Romanæ Rotæ consequi possint fructus, necnon, & distributiones suarum Præbendarum, in absentia. ibid.

℞ *Vt certum: Posse.* ibid.

136. An, etiam Inquisitores hæreticæ prauitatis acquirant fructus, & distributiones suarum Præbendarum, in absentia. ibid.

℞ *Vt certum: Etiam acquirere, ex priuilegio.* ibid.

137. An,

137. An, etiam gaudeant præfato priuilegio inquisitores, qui habent beneficia curata. ibidem.
℟ *Longe probabilius: Quod non.* ibid.
138. An, Collectores generales Cameræ Apostolicæ, subcollectores, & alij Officiales; acquirant fructus, & distributiones, in absentia. ibid.
℟ *Vt certum: Acquirere.* ibid.
139. An, Præbendati, aut Canonici, docentes Theologiam publice in aliqua Vniuersitate, seu studio generali, lucrentur fructus, & distributiones, in absentia. ibid.
℟ *Vt certum: lucrari fructus, sed non distributiones.* ibid.
140. An item, lucrentur fructus suorum beneficiorum, docentes ius Canonicum publice in aliqua Vniuersitate. pag. 316
℟ *Vt iam certum: Etiam lucrari.* ibid.
141. An deinde, fructus lucrentur, qui publice in Vniuersitate docent ius Ciuile. ibid.
℟ *Probabilius: Non lucrari.* ibid.
142. An saltem, fructus beneficij, aut Canonicatus acquirant, qui publice, in aliquo studio generali, seu Vniuersitate, Grammaticam docent. ibid.
℟ *Probabilius: Acquirere.* ibid.
143. An deinde, etiam Parochi, si publice legant Theologiam, aut ius Canonicum, fructus suorum beneficiorum lucrentur. ibid.
℟ *Lucrari: minime verò si Grammaticam doceant.* ibid.
144. An, vt præfati legentes Theologiam, aut ius Canonicum, acquirant in absentia fructus, sufficiat docere has scientias publice in quocumque collegio particulari. ibid.
℟ *Vt certum: Non sufficere.* ibid.
145. An rursus, vt dicti legentes, fructus in absentia capiant, sit opus, vt doceant conducti, seu salariati, aut ratione Cathedræ, quam habent. ibidem.
℟ *Longe probabilius: Non esse opus; dummodo legant cum licentia Vniuersitatis.* ibid.
146. An item Canonici, seu Beneficiati, qui absunt à Choro, eo quod studeant in aliquo studio generali, seu Vniuersitate; acquirant fructus suorum Canonicatuum, seu beneficiorum, licet non distributiones. p. 317
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
147. An dicti Canonici, & alij Beneficiati, gaudeant dicto priuilegio percipiendi fructus in absentia; si studeant in Ecclesiis Cathedralibus. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
148. An, vt dicti capiant suorum beneficiorum fructus, debeant necessario studere ius Canonicum, aut Theologiam. ibid.
℟ *Probabilius: Quod sic.* ibid.
149. An, vt studentes fructus capiant, debeant maiori anni parte in Vniuersitate commorari, & ibi diligenter studere. ibid.
℟ *Vt certum: Debere.* ibid.
150. An huiusmodi studentes, debeant necessario petere licentiam ab Ordinario, vt possint in absentia, tempore studij, fructus suorum beneficiorum lucrari. ibid.
℟ *Vt longe probabilius: Debere hodie de iure nouo.* ibid.
151. An, Ordinarius teneatur ex iustitia, dictam licentiam concedere Canonicis, & aliis Beneficiariis non curatis, si in illis concurrant qualitates à iure requisitæ. p. 318
℟ *Vt certum: Teneri ex iustitia.* ibid.
152. An, Parochiales beneficiatos habentes, possint etiam cum licentia Ordinarij, à suis Ecclesiis, studiorum causa, abesse, & fructus lucrari. ibid.
℟ *Probabilius: Nunc post Concilium Trid. non posse.* ibid.
153. An, Episcopus solùm possit dare licentiam Canonicis, aut aliis Beneficiariis non curatis, vt studeant per quinquennium. ibid.
℟ *Æque probabiliter: Posse dare, & extendere dictam licentiam ad septennium.* ibid.
154. An, si beneficium constat ex solis distributionibus quotidianis, eas lucrentur absentes ratione studij. p. 319
℟ *Quod sic; dempta tamen tertia parte.* ibid.
155. An, Canonici, aut alij Præbendati, possint abesse à Choro per tres menses, singularis annis, & fructus suorum Canonicatuum, aut Præbendarum recipere. ibid.
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
156. An, non solùm fructus, sed etiam distributiones, Canonici possint recipere, per illos tres menses, absentes. ibid.
℟ *Probabilius: solùm lucrari fructus.* ibid.
157. An, vt Canonici possint hoc priuilegio absentium trium mensium, frui teneantur per integrum annum Choro interesse, & possint distributiones lucrari. ibid.
℟ *Vt certum, affirmatiue.* ibid.
158. An, Canonicus, qui Canonicatus possessionem accepit in medio anni; possit licite per dictos tres menses, illo anno abesse. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
159. An, Canonicus, qui per totum, aut maiorem partem anni, abest, sine legitima causa à Choro; possit nihilominus, frui tribus dictis mensibus, quos vocant, *de Recle.* ibid.
℟ *Probabilius, Posse, nisi in Ecclesia statuto, vel consuetudine sit contrarium inductum.* ibid.
160. An, Canonici, qui malè, aut vanè expendunt illos tres recreationis menses; teneantur restituere fructus illis correspondentes. p. 320
℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.
161. An, ad absentiam horum trium mensium, seu nonaginta dierum, requiratur specialis causa, & licentia ordinarij. ibid.
℟ *Vt longe probabilius. Neutrum requiri.* ibid.
162. An, Canonici possint quouis anni tempore, ex vi dicti priuilegij, per tres menses abesse. ibid. ibid.
℟ *Probabilius: Posse.* ibid.
163. An, Canonicus qui v.g. anno 1658. abfuit à residentia, mensibus Octobris, Nouembris, & Decembris; possit anno sequenti 1659. abesse Ianuario, Februario, & Martio; itavt absit à residentia sex mensibus continuatis, pro duobus præfatis annis. ibid.
℟ *Posse, dummodo dictus Canonicus possessionem Canonicatus ante annum 1658. acceperit: secus alias.* ibid.
164. An, dicti tres menses absentiæ, quos Concilium dat Canonicis, debeant confici ex horis, quibus Canonici residentes à Choro absunt. pagina 321
℟ *Quod non.* ibid.
165. An, Canonicus licitè possit distributiones acquirere, si se à Choro excuset, propter recipiendum

piendum hospitem; vel vt radat barbam, casu, quo ea non faciat, tempore Chori, sed nocte. ibid.

℟ *Probabilius: Posse.* ibid.

166. An, habens duplex beneficium, veluti Canonicatum, & Decanatum, si Choro assistat, duplicatas acquirat distriqutiones. ibid.

℟ *Probabilius, Duplicatas acquirere, nisi obstet consuetudo contrariaria.* ibid.

DISPVTATIO VII.

De Obligatione restituendi fructus beneficij, ex omissione recitandi Horas Canonicas. pag. 321

Q. 1. AN, Beneficiati non recitantes Officium, teneantur ad restitutionem fructuum perceptorum. ibid.

℟ *Vt certum: Teneri.* ibid.

2 An præfatum decretum Concilij Lateran. obliget omnino in foro conscientiæ. ibid.

℟ *Vt certum: quidquid alij dicant, obligare.* ibid.

3. An Beneficiarius non recitans Officium, teneatur fructus beneficij restituere, non solùm vi decreti Concilij Lateranensis; sed etiam vi iuris naturalis. p. 322

℟ *Vt longe multo probabilius, quod non.* ibid.

4. An saltem, iure antiquo, & Ante dictas Constitutiones Concilij Lateran. & Pij V. Beneficiati non recitantes, tenerentur restituere fructus interim perceptos. ibid.

℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.

5. An Beneficiatus non recitans, intra sex primos menses, non solùm peccet mortaliter; verum etiam teneatur ad restituendos fructus perceptos. ibid.

℟ *Probabilius, quod licet peccet mortaliter; tamen non teneatur ad restituendos fructus.* ibid.

6. An Beneficiarius, qui infra sex menses à suscepto beneficio non recitat, quia nescit; excusetur à culpa, & faciat fructus suos. p. 323

℟ *Non excusari à culpa, si ex omissione culpabili id faciat: secus alias.* ibid.

7. An Beneficiarius teneatur ad restitutionem fructuum primo semestri, casu, quo statim post acptum beneficium, per aliquod tempus Horas persoluat, & postea incipiat illas omittere. ibidem.

℟ (*Quidquid alij dicant*) *Non teneri.* Ibid.

8. An Beneficiarius, qui sine culpa mortali, omittit recitare post sex menses, Officium; teneatur fructus restituere. ibid.

℟ *Vt multo probabilius: Quod non teneatur.* ibid.

9. An Beneficiarij teneantur ad restitutionem fructuum, si intra totum annum omittant recitare per octo, aut decem dies. ibid.

℟ *Vt longe multo probabilius: Teneri.* ibid.

10. An saltem esset liber à restitutione fructuum, Beneficiarius, qui intra annum, omitteret Officium vno, aut duobus diebus, non pluribus. pagina 324

℟ *Vt multo probabilius: Non esse liberum.* ibid.

11. An ad minus sit liber à restitutione Beneficiarius qui vnam tantum Horam Officij prætermittit. ibid.

℟ *Adhuc probabilius: Non esse liberum.* ibid.

12. An item, teneatur ad restitutionem Beneficiarius, qui dimidium alicuius Horæ Canonicæ, omittit. ibid.

℟ *Æque probabiliter: Non teneri.* ibid.

13. An, deinde, immunis sit à restitutione Beneficiarius, qui eodem die, in singulis Horis pauculos omittit; qui tamen simul sumpti vnam integram Horam efficiant. ibid.

℟ *Probabilius: etiam esse immunem.* ibid.

14. An Beneficiarius, qui non recitauit laudes, teneatur ad aliquam fructuum restitutionem. pagina 325

℟ *Probabilius: Teneri.* ibid.

15. An, Beneficiati maneant deobligati à restitutione fructuum pro rata, si alio die, pro officio prætermisso, duplica um recitent. ibid.

℟ *Vt fere certum: Quod non.* ibid.

16. An, teneatur ad restitutionem fructus Canonicus, qui grossam Canonicatus verè atque absolute acquisiuit, antequam Diuinum Officium omitteret. ibid.

℟ *Absolutè, Teneri.* ibid.

17. An Beneficiati omittentes recitare Officium, teneantur ad restitutionem fructuum, ante iudicis sententiam. p. 326

℟ *Vt mihi certum: Teneri.* ibid.

18. An teneantur ad restitutionem Beneficiarij, si recitent Officium, aduertenter sine vlla attentione interiori. ibid.

℟ *Probabilius: Teneri.* ibid.

19. An, qui in peccato mortali recitat Officium cum debita attentione, teneatur ad restitutionem. pag. 327

℟ *Vt omnino certum* (*quidquid alij dixerint*) *Non teneri.* ibid.

20. An etiam Beneficiatus in excommunicatione recitans, possit liberè retinere fructus beneficij, atque distributiones. ibid.

℟ *Probabilius: Non posse licitè.* ibid.

21. An, habens plura beneficia, teneatur fructus omnium Beneficiorum, pro rata Officij, culpabiliter omissi, restituere. ibid.

℟ *Vt certum: Teneri.* ibid.

22. An Beneficiarius Curatus non recitans, teneatur in integrum omnes fructus Beneficij restituere? vel solùm fructus, qui correspondent recitationi, deductis fructus, quos propter alia beneficij onera, seu ministeria, meretur. ibid.

℟ *Quod attenta praxi, probabilius est non teneri restituere fructus beneficij in integrum.* p. 328

23. An saltem, simplex Beneficiarius, cui nullum onus est annexum, præter recitationem; si omittat recitare, teneatur integrè omnes fructus beneficij, pro rata temporis, restituere. ibid.

℟ *Vt omnino certum* (*quidquid nonnullus dicat*) *teneri.* ibid.

24. An Beneficiati teneantur ad restitutionem fructuum, casu, quo recitent vnum Officium pro alio: v.g. de Sancto, loco officij de Feria. ibid.

℟ *Vt probabilius: Non teneri.* ibid.

25. An Beneficiarius omittens Officium, teneatur fructus eius restituere fabricæ Ecclesiæ vbi est tale beneficium; vel pauperibus. ibid.

℟ *Vt certum: Teneri, Fabricæ; vel pauperibus.* ibidem.

26. An

26. An Beneficiarius satisfaciat suæ obligationi restituendo fructus Ecclesiæ Beneficij si hæc sit ditissima. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
27. An, hæc restitutio debeat necessario fieri, in vtilitatem propriæ fabricæ Ecclesiæ beneficij. pag. 329
℟ *Quod non.* ibid.
28. An, Beneficiarius, qui Officium omisit, possit fructus insumere in ædificationem alterius Ecclesiæ, vel reparationem bonorum alterius Beneficij. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
29. An Beneficiarius, qui eligit restitutionem fructuum pauperibus erogare: possit illam facere pauperibus cuiuscumque Ecclesiæ, vel loci. ibid.
℟ *Probabilius: Quod sic.* ibid.
30. An, si Beneficiarius ipse, qui debet restituere. fructus, sit verè pauper; possit eos sibi applicare. ibid.
℟ *Probabilius: Posse; saltem de consilio sui Confessarij.* ibid.
31. An, hæc fructuum restitutio, possit fieri ipsis animabus Purgatorij, offerendo pro illis Missas, & alia suffragia. ibid.
℟ *Optime posse.* ibid.
32. An Beneficiarius, qui recitare omisit, possit retinere sibi fructus, quos titulo donationis, accepit à pauperibus, quibus tradere promiserat, sed de facto non tradidit. p. 330
℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.
33. An, restitutio fructuum pro omissione Horarum, suppleri possit per quascumque Eleemosynas, quas ante Beneficiarius, de fructibus sui beneficij, fecit. ibid.
℟ *Probabilius: Posse suppleri.* ibid.
34. An etiam Pensionarij teneantur restituere fructus pensionis pro rata, si non recitant Officium paruum B. Virginis. ibid.
℟ *Vt certum: Teneri, transacto semestri à pensione obtenta.* ibid.
35. An Pensionarius non recitans, possit licitè pensionem à Beneficiario accipere. ibidem.
℟ *Posse, sed non sibi retinendam, sed tradendam quibus tenetur.* ibid.
36. An saltem, possit licitè Beneficiarius denegare pensionem suo Pensionario, officium paruum non recitanti. p. 331
℟ *Probabilius: Quod non.* ibid.
37. An ad minus, possit Beneficiarius in dicto casu, tradere ex se fructus pensionis pauperibus, vel fabricæ beneficij. ibid.
℟ *Adhuc non posse.* ibid.
38. An, restitutio, quæ debetur ex omissione Officij, possit fieri ex aliis bonis, quàm ex fructibus temporalibus beneficij, aut pensionis. ibid.
℟ *Vt mihi fere certum: Quod non.* ibid.

TRACTATVS IX.

De Vitiis Religioni oppositis, quibus primum Decalogi præceptum violatur. pagina 331

DISPVTATIO PRIMA.

De superstitione modi indebiti colendi Deum. pagina 331

QVÆST. 1. AN, superstitio deriuetur à verbo, *Superstо.* ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
2. An, recte definiatur superstitio, quod sit, falsa religio, seu cultus vitiosus, quo vel colitur creatura cultu diuino; vel Deus, sed modo indebito. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
3. An species superstitionis, sit quadruplex. pagina 332
℟ *Vt certum: Quod sic.* Legantur. ibid.
4. An peccaret mortaliter, qui hodie ex lege veteri, aliquid in honorem Dei faceret; vt si vitulum Deo Sacrificaret. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
5 An, etiam sit superstitio mortalis, in Diuino Officio cantare, aut organo pulsare, turpia, aut profana. ibid.
℟ *Esse mortalem.* ibid.
6. An, item sit lethalis superstitio, falsas Sanctorum Reliquias adorandas proponere; vel tabellas in templo, vel figuras ceræ imagini offerre, in signum falsi miraculi, aut falsi beneficij ab imagine accepti. ibid.
℟ *Vt certum: Etiam esse lethalem.* ibid.
7. An deinde sit mortale, miracula falsa prædicare, aut typis mandare. ibid.
℟ *Vt certum: Esse mortale.* ibid.
8. An rursus sit peccatum, die Dominica ieiunare. ibid.
℟ *Non esse, nisi alias aliqua circunstantia vitietur tale ieiunium.* ibid.
9. An sint superstitione damnandi, qui Paschatis diebus, à carnibus abstinent. p. 333
℟ *Damnandos esse.* ibid.
10. An, qui fingit se, esse aliquem Sanctum: v. g. Diuum Petrum, vt alios fallat; peccet mort. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic; si id serio ad decipiendos illos faciat.* ibid.
11. An sit superstitiosum, Zonâ prægnantis pulsare campanam, vt sic prosperum obtineat partum. ibid.
℟ *Vt certum: Esse superstitiosum.* ibid.
12. An sit superstitiosum, imaginem alicuius Sancti in flumen proiicere, aut in ripa ponere, pro obtinenda pluuia. ibid.
℟ *Vt certum: esse superstitiosum, & graue peccatum contra Religionem.* ibid.
13. An, superstitiosæ sint orationes, quibus Sagæ benedicunt

benedicunt Rosaria pro parturientibus, vel morbo laborantibus. ibid.

℟ *Vt certum: Esse vanas, & superstitiosa.* ibidem.

14. An sit superstitiosum, dicere aliquos versus alterius Psalmi, ad compescendos canes latrantes; aut cohibendum sanguinem è naribus profluentem, vel quemcumque morbum sanandum. pagina 354

℟ *Non esse, si cum pietate, & deuote recitentur: secus si cum credulitate infallibilis euentus.* ibid.

15. An sit alienum à superstitione, morbum caducum patienti, hæc ad aures licere verba: *ò Creatura Dei, memento Creatoris tui.* ibidem.

℟ *Non esse alienum, si ob vanum aliquem finem dicantur: secus, si ob bonum finem, & ablata omni vana circunstantia.* ibid.

16. An saltem omnino sint superstitiosi, qui ad aures equorum, dolorem intestinorum patientium, verba aliqua insufflant, & ad sanitatem reuocant. ibid.

℟ *Vt certum: Esse superstitiosos omnino.* ibid.

17. An sit superstitiosum, dicere, aut prædicare; quod ille, qui in die S. Stephani Prothomartyris, pane, & aqua ieiunat, & ritè confessus communicat; non moriturus ab alio occisus, etiamsi multis ictibus impetatur. ibidem.

℟ *Vt certum: Esse superstitiosum.* ibid.

18. An sit superstitiosum, credere firmiter, quod recitantes certas orationes; vel illas secum ferentes; non sint morti subitaneæ, vel alteri periculo subiecti; quin potius, bene fortunati. pag. 335

℟ *Vt certum. Esse omnino superstitiosum.* ibid.

19. An sit superstitiosum, deferre ad collum Sacra quatuor Euangelia, aut vnum eorum, videlicet, S. Ioannis. ibid.

℟ *Non esse superstitiosum, sed potius licitum, dummodo in illis ligandis, non misceantur aliquæ vanæ circunstantiæ.* ibid.

20. An sint superstitiosæ orationes illæ, quæ à colligentibus herbas, ipso die Sancti Ioannis Baptistæ, ante ortum solis dicuntur. ibidem.

℟ *Esse superstitiosas, si certo modo dicantur: secus alias.* ibid.

21. An item superstitiosum sit, recitare quasdam orationes, nocte S. Ioannis, vt sibi manifestetur, cui, quæ nuptura sit. ibid.

℟ *Vt certum: Esse superstitiosum.* ibid.

22. An sit superstitiosum, obseruare dies, quasi quidam sint fausti, vt dies Iouis; quidam infausti; vt dies Martis. ibid.

℟ *Vt certum: Esse superstitiosum.* ibid.

23. An superstitiosi sint illi, qui festiuitates S. Vincentij, S. Vrbani, & Conuersionis Sancti Pauli obseruant; vt cæteros anni euentus coniectentur. pag. 336

℟ *Esse vanos, sed non superstitiosos.* ibid.

24. An saltem sit superstitiosum dicere, prognosticare posse, quemlibet anni mensem, iuxta qualitatem primorum dierum duodecim mensis Ianuariij. ibid.

℟ *Esse vanos, sed non superstitiosos.* ibid.

25. An, obseruatio dierum criticorum sit superstitiosa. ibid.

℟ *Vt certum: Quod non sit.* ibid.

26. An obseruatio dierum Lunæ pro rebus naturalibus conseruandis, sit licita. p. 337

℟ *Vt certum: Esse licitam omnino.* ibid.

27. An etiam sit licita obseruantia dierum Canicularium pro diminutione sanguinis & sumptione medicinæ, &c. ibid.

℟ *Vt certum: Etiam esse licitam.* ibid.

28. An, obseruatio anni Climaterici, v.g. Sexagesimi Tertij, sit superstitiosa. ibid.

℟ *Vt certum (quidquid nonnullus dixerit) Non esse superstitiosam.* ibid.

29. An, colligentes herbas in festo S. Ioannis Baptist. credentes, maioris esse efficaciæ ad sanitatem tribuendam, sint superstitiosi. ibidem.

℟ *Esse, si id existiment, eo quod dies talis S. Ioannis sit: secus, si eo quod tunc temporis maiorem vim naturalem herbæ habeant.* ibid.

30. An sit superstitiosum, sentire aut credere quod res, quæ colligitur nocte S. Ioannis; potiorem habeant vim ad sanandam scabiem rore, aliis collecta noctibus. ibid.

℟ *Non esse, si attendatur ad tempus solùm.* ibidem.

31. An sit superstitiosum, credere quod oua Gallinæ orta in die Parasceuè; specialem vim habeant ad extinguendum ignem, si in ipsum iniiciantur. p. 338

℟ *Esse omnino superstitiosum.* ibid.

32. An sit superstitiosum, certis diebus determinatis, scopis tangere olera, ne à vermibus lædantur: Nolle die veneris vngues præscindere: Puellam nolle die sabbati nere. ibid.

℟ *Esse superstitiosum.* ibid.

33. An sit superstitiosum, die S. Ioannis Baptist. aliquam arborem scindere, & per eam sic scissam, ter transire læsos pueros, vt sanitatem recipiant. ibid.

℟ *Vt certum: Esse superstitiosum.* ibid.

34. An, superstitiosi censendi sint Confratres S. Marci Euangelistæ, qui in eius festiuitate Taurum ferocissimum vocant, & iuuent illum, vt in Ecclesia tantæ festiuitati mansuetè assistat. ibid.

℟ *Esse superstitiosos.* ibid.

35. An superstitionem committat, qui iumenta die S. Antonij, nouies per eius templum circumducit; & venam iumentis aperit, die certi alicuius Sancti, &c. p. 339

℟ *Communiter si certo animo id faciat: secus si alio.* ibid.

36. An deinde superstitionem committat, qui ex prima pecunia oblata Crucifixo in die Parasceue conficit annulum ad sanandum morbum contractionis membrorum. ibid.

℟ *Etiam committere, si id vano animo faciat: secus alias.* ibid.

37. An, qui non vult ad conuiuium, vbi inuitati sunt tredecim, sedere; eo quod timeat vnum ex discumbentibus, eo anno moriturum; superstitionis graue peccatum committat. ibidem.

℟ *Quod sic, si id faciat credendo firmiter illi ita euenturum: secus alias.* ibid.

38. An possit sine superstitione fieri; vt si quis gladio, quo inimicum vulnerauit medicamentis foueat, recipiat sanitatem ille, qui vulnere affectus, domi suæ distans iacet. ibid.

℟ *Non*

℞ *Non posse sine superstitione fieri.* ibid.
39. An sit superstitiosum, tenere, quod saluia hominis omnino ieiuni, sanet vlcera, seu apostema, &c. ibid.
℞ *Quod non sit.* ibid.
40. An etiam careat superstitione, sentire quod filius Cannabis ductus à puella Virgine, habeat vim ad aliquem morbum sanandum. p. 340
℞ *Etiam carere posse.* ibid.
41. An sit superstitiosum; adhibere filum digitis appensum (à quo pendeat lapillus, seu anulus) intra vas vitreum, caldariam, vel amphoram, ad pulsandas, & dignoscendas horas diei. ibid.
℞ *Vt certum (quidquid alij dixerint) superstitiosum esse.* ibid.
42. An committat mortalem superstitionem, qui, eo quod audit aues garrire, vlulare lupos, mugire boues, &c. certo credit sibi mali quidquam imminere. ibid.
℞ *Vt certum: Committere si id certo credat: secus si timeat, aut formidet leniter.* ibid.
43. An superstitiosæ sint illæ orationes, in quibus à Christo Domino, vel ab eius Virgine Matre, petit quis, vt sibi in mortis articulo appareat. ibid.
℞ *Esse superstitiosas.* ibid.
44. An sit superstitiosum, certis verbis, pecus incantare, ne à lupis lædatur. p. 341
℞ *Vt certum: Esse.* ibid.
45. An, sit superstitiosa ars inueniendi aquas in terra latentes, adhibita virga salicea, vel amigdalina. ibid.
℞ *Quod non sit superstitiosa.* ibid.
46. An sit superstitiosum, credere, quod ille coram quo ignis cineribus cooperitur; vxorem minimè illo anno sit ducturus. ibid.
℞ *Vt certum: Esse superstitiosum.* ibid.
47. An censendi sint superstitiosi salutatores (sic eos vocant Hispani) qui suo tactu, vel orationibus, etiam incurabiles morbos, veluti morsum rabidum canis, miro modo sanant. ibidem.
℞ *Quod (licet alij affirment, alij negent) minime sint tales censendi, si verba, aut signa, quibus vtuntur, sint recta, &c. secus si alias.* ibid.
48. An superstitionem mortalem committant salutatores, qui talibus signis, & verbis ad curandos morbos vtuntur; vt credant, quod à quocumque vsurpentur, effectum sint habitura. pagina 342
℞ *Vt certum. Quod sic.* ibid.
49. An dentur aliqua alia indicia, quibus dignosci possit; an huiusmodi salutatores virtute dœmonis operentur. ibid.
℞ *Dari multa; sed præcipue, quinque.* ibid.
50. An sit superstitiosum, credere, hanc virtutem salutandi inesse septimo cuique salutatorum filio, si masculinum ordinem fœmineus partus non interruperit. ibid.
℞ *Esse vanam, admimus, talem credulitatem.* ibid.
51. An virtus Salutatorum, qua id munus licitè obeunt, sit naturalis. ibid.
℞ *Probabilius, quod non; sed sit gratia gratis data.* ibid.
52. An sint superstitiosæ fœminæ carminatrices, quas vulgo, *Ensalmadoras, ò Santiguaderas vocant.* pag. 343
℞ *Quod non, si solis orationibus licitis vtantur, adhibita aliqua naturali medicina: secus alias.* ibid.
53. An, Ensalmorum curatio sit superstitiosa. ibidem.
℞ *Probabilius, quod non, si orationes, quæ ad morbi curationem adhibentur sint licitæ, &c.* ibid.
54. An sit superstitio, vti certo Missarum, & Candelarum numero ab Ecclesia non præfinito. ibidem.
℞ *Esse, si tali numero vtantur tanquam necessario ad consequendum effectum: secus si alias.* ibid.
55. An sint superstitiosæ Missæ, quas vocant, *de San Amador.* p. 344
℞ *Esse: nisi alias, omni vana circunstantia nudentur.* ibid.
56. An etiam sint superstitiosæ illæ Missæ, quas appellant, *Trentenarij reuelati*; aut *Missas del Conde.* ibid.
℞ *Vt certum: Esse superstitiosas.* ibid.
57. An item, Missæ S Gregorij, quo viuis, & defunctis: nec non Missa de quindecim Auxiliatoribus, & Missa de Patre æterno, superstitione laborent. ibid.
℞ *Vt certum: laborare.* ibid.
58. An saltem sint tolerandæ Missæ triginta S. Gregorij pro defunctis, ab ipsomet institutæ. ibidem.
℞ *Vt certum: Tolerandas esse.* ibid.
59. An per Artem Chymicam produci possit naturaliter, & viliori metallo, verum aurum, aut argentum. p. 345
℞ *Quod affirmant quidam: alij negant: omnes probabiliter.* ibid.
60. An sit superstitiosum, & omnino illicitum exercere artem Alchimicam. ibid.
℞ *Esse ad minus omnino illicitum, ex vi iuris positiui, exercere illam.* ibid.

DISPVTATIO II.

De Tertia superstitionis specie, quæ est Diuinatio. pag. 345

§. I.

De Diuinatione vt sic. ibid.

Q. 1. QVid sit Diuinatio in communi. ibid.
℞ *Quod est, Prænunciatio futurorum contingentium, aut occultorum.* ibid.
2. Quotuplex sit Diuinatio. ibid.
℞ *Quod triplex; nempe: supernaturalis, naturalis, & sortilega.* ibid.
3. An, diuinatio, regulariter in malam partem sumatur. ibid.
℞ *Quod sic.* ibid.
4. Quid sit Diuinatio sortilega. p. 346
℞ *Quod est, Prædictio futurorum, aut occultorum modo indebito, aut ope Dæmonum facta.* ibid.
5. Quot sunt diuinationis species, in quibus dæmon expresè inuocatur. ibid.
℞ *Quod nouem.* Legantur. ibid.
6. Quot sunt item diuinationis species, in quibus tacitè solùm inuocatur dæmon. ibid.
℞ *Quod undecim.* Legantur. ibid.
7. An futurorum, aut occultorum inquisitio per diuinationem, semper innitatur pacto expresso, vel

vel tacito, dœmonis. ibid.
℟ *Semper ininti.* ibid.
8. An, malitia pacti expressi, vel taciti cum dœmone consistat in hoc, quod quis cum illo, tanquam cum Dei inimico, & iurato hoste, fœdus ineat. ibid.
℟ *In eo consistere.* ibid.
9. An diuinatio hæc superstitiosa, sit omni iure vetita. p.347
℟ *Quod sic.* ibid.
10. An, omnes diuinationes, siue fiant cum expressa siue cum implicita dœmonis inuocatione, sint ex genere suo peccatum mortale. ibid.
℟ *Vt certum: Esse.* ibid.
11. An, Diuinatores huiusmodi, possint à mortali, ob ignorantiam inuincibilem, excusari. ibid.
℟ *Non posse si facta fuerit diuinatio cum expressa dœmonis inuocatione: secus cum tacita.* ibid.
12. An, excusetur à mortali, qui diuinatione vtitur, ioci causa, ad se oblectandum. ibidem.
℟ *Probabilius: Excusari.* ibid.
13. An, quando abest pactum expressum cum dœmone, sit necessario exprimendum in confessione. ibid.
℟ *Quod licet alij affirment: negent alij, ego dico, esse necessario exprimendum, non ex se, sed ex adiuncto.* pag.348
14. An, necessario sit in confessione exprimere rem per quam quis diuinauit; an scilicet, per aërem, aquam, ignem, terram, &c. ibidem.
℟ *Vt longe probabilius: quod non.* ibid.
15. An omnis diuinatio ad superstitionem pertineat. ibid.
℟ *Probabilius: Quod sic.* ibid.
16. An Diuinatores alligantes dœmones, (v.g. in anulo) vel eos inuocantes, sint ipso facto, excommunicati. ibid.
℟ *Probabilius: Quod non: nisi alias hæresim simul incurrant.* ibid.
17. An saltem, qui consulit Diuinos, vt aliquid occultum sibi detegant; ipso facto excommunicationem incurrat. p.349
℟ *Probabilius: Neque hos esse ipso facto excommunicatos: sed excommunicandos.* ibid.
18. An, dœmones cognoscere, & prædicere possint omnia futura, quæ à causa naturali necessario proueniunt. ibid.
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
19. An item dœmones cognoscere, & prædicere omnia futura, quæ habent causam determinatam, fallibilem tamen. ibid.
℟ *Vt certum: Posse, non tam certitudinaliter, sed coniecturaliter tantum.* ibid.
20. An deinde, futura contingentia, & à libera voluntate pendentia, possint certo dœmones cognoscere, & prædicere. ibid.
℟ *Tanquam certum: Quod non possint.* ibid.
21. An saltem, huiusmodi futura contingentia & à nostra libera voluntate pendentia, possint dœmones, si non certo, saltem probabilissime coniectare, & prædicere. ibid.
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
22. An, Deus ministerio Angelorum bonorum, dœmonibus interdum reuelet futura, quæ postea hi prædicere possunt. p.350
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
23. An, dœmon possit naturaliter, scire, si longa vel breuis, debeat esse cuiusque hominis vita. ibid.
℟ *Posse scire; quamuis non omnino punctualiter.* ibidem.
24. An dœmones cognoscant certo omnes cognitiones hominum, quæ in actum externum prodierunt. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
25. An etiam, dœmones certo possint cognoscere cognitiones hominum, ac deliberationes voluntarias. ibid.
℟ *Tanquam certum: Non posse certo cognoscere: sed probabilissimè coniectare.* ibid.
26. Quomodo diuinatores à dœmone doceantur ea, quæ diuinant, & prænunciant. ibid.
℟ *Quod multis modis.* Lege. ibid.

§. II.

De Diuinatione cum pacto dæmonis expreßo. ibidem.

27. QVot modis potest quis postulare expresse à dœmone, cognitionem rerum occultarum. ibid.
℟ *Quod duobus.* ibid.
28. An sit licitum inter aliquos paciſci; vt qui prior obierit, alteri appareat eum de suo statu certiorem facturus. p.351
℟ *Quod quamuis ex se id sit licitum: tamen cauendum sit à tali pacto.* ibid.
29. An, animæ vel beatæ; aut in Purgatorio vel in inferno detentæ; viuentibus aliquando appareant. ibid.
℟ *Plusquam certum: Quod sic.* ibid.
30. An Magi queant operâ dœmonis, veras defunctorum animas nobis ostendere. ibid.
℟ *Vt certum: Non posse.* ibid.
31. An semper mentiatur dœmon, quando in dœmoniaco ait, se alicuius defuncti damnati, vel non damnati, animam esse. p.352
℟ *Vt quid certum: Semper mentiri.* ibid.
32. An dœmones hominibus apparere soleant, fingentes, se esse animas defunctorum; vt inde occasionem arripiant trahendi illos in aliquem errorem. ibid.
℟ *Vt certum: Solere.* ibid.
33. An dentur aliqua signa, quibus discerni queat, an hæ operationes sint à Deo, vel à bonis vel malis Angelis. ibid.
℟ *Dari, & multa.* Legantur. ibid.

§. III.

De Diuinatione per astra, absque expreßa inuocatione Dæmonis. ibid.

34. AN, Astronomia, & Astrologia differant inter se. ibid.
℟ *Differre.* ibid.
35. An, Astrologia sit duplex, altera naturalis, & altera iudiciaria. p.353
℟ *Quod sic.* ibid.
36. An, Astrologia iudiciaria in aliquas, quasi in species, diuidatur partes. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
37. An Astrologia naturalis coniectans, & prædicens

dicens effectus, qui naturaliter eueniunt ex motu Astrorum, influentiis, & concursu Planetarum, sit licita. ibid.
℞ *Tanquam certum: Esse licitam.* ibid.
38. An saltem peccet mortaliter Astrologus, qui præfatos effectus, plus certo prædicit, quàm ex Astris colligere potest. ibid.
℞ *Non peccare nisi venialiter; nisi alias cedat in alterius præiudicium.* ibid.
39. An licite possint Astrologi naturales, ex Astrorum aspectu, considerando natiuitatis punctum, prædicere certo temperamentum, conditionem, inclinationem, & qualitatem viuentis. ibid.
℞ *Vt certum, Quod non possit certo.* ibid.
40. An sit peccatum mortale, ex genere suo, inclinationem alicuius pueri, ex Astris tanquam certum nuntiare. p. 354
℞ *Probabilius: Quod non sit, nisi veniale.* ibid.
41. An saltem ex Astrorum aspectu possit Astrologus, si non certo, saltem coniecturaliter, aut tenuissima probabilitate, obseruata pueri natiuitate, prædicere naturalem inclinationem eius futuram; vt propensionem ad iram, ad mansuetudinem, ad libidinem, & similes passiones. ibid.
℞ *Posse probabilitate tenuissima.* ibid.
42. An Astrologus Iudiciarius, qui ex Astris euentus ex libero hominis arbitrio pendentes, certo prænunciant, mortalem superstitionem committant. ibid.
℞ *Vt quid certissimum: Quod sic.* ibid.
43. An saltem, immunis sit à superstitionis peccato Astrologus, qui ex Astris, dictos futuros euentus, non certo, sed probabiliter, tantum, prædicit, & prænunciat. p. 355
℞ *Vt certum (quidquid alij sentiant) non esse immunem à peccato superstitionis.* ibid.
44. An ad minus, sit immunis à peccato Astrologus, qui futuros prædictos euentus probabiliter prædicit, casu, quo non solùm ex Astris, sed etiam ex aliis circunstantiis personæ; nempe temperamento, qualitate, & conditione, illos probabiliter colligat futuros. ibid.
℞ *Probabiliter: Tunc immunem esse à peccato, saltem mortali.* ibid.
45. An denique possit, absque mortali, Astrologus liberos futuros euentus; & si non certò, nec probabiliter, vt diximus, saltem coniecturaliter. ibid.
℞ *Posse absque mortali; dummodo non sit scandalum, &c.* ibid.
46. An, hæc prædictio coniecturalis tenuissima futurorum euentuum liberorum, fuerit iure antiquo prohibita; atque vt superstitiosa damnata. pagina 356
℞ *Quod non fuerit.* ibid.
47. An saltem hæc coniecturalis, & tenuissima prædictio futurorum liberorum euentuum, iure nouo, videlicet, Motu Sixti V. prohibeatur. ibid.
℞ *Probabilius: Quod prohibeatur; etsi non pro foro interno, vt statim: saltem pro externo.* ibid.
48. An, præfatus Motus Sixti V. contra Astrologiam, iudiciariam, obliget, non solùm pro foro externo & iudiciali; sed etiam pro foro conscientiæ. ibid.
℞ *Non minus probabiliter: Non obligare nisi pro foro externo, & iudiciali.* ibid.
49. An, Domini Inquisitores possint in foro externo, procedere contra Astrologos iudiciarios omnes. ibid.
℞ *Vt certum: Posse.* ibid.
50. An coniecturalis ex Astris prædictio futurorum euentuum excusari possit à mortali, de facto, & in praxi. p. 357
℞ *Quidquid alij dicant; Posse.* ibid.
51. An peccaret mortaliter, qui in suis actionibus regi se vellet per ea quæ ab Astrologis illi prædicuntur, ibid.
℞ *Quod peccaret, si id cum infallibili credulitate faceret, &c.* ibid.
52. An sit peccatum mortale, consulere Astrologos ad furtum occultum, Thesaurum, &c. inuenienda. ibid.
℞ *Vt certum: Esse mortale.* ibid.
53. An adhuc esset mortale consulere Astrologos ad furtum occultum, aut aliud delictum sciendum; si esset certum tale delictum per Astra cognosci posset. ibid.
℞ *Vt certum: Quod adhuc esset mortale.* ibid.
54. An sint superstitiosi homines illi, quos Hispani *Zahories* vocant, qui dicunt se videre quæ abdita sunt in visceribus terræ; veluti, venas aquarum, & metallorum, Thesauros, cadauera, &c. ibid.
℞ *Vt certum. Esse superstitiosos, si dicant se visu corporis penetrare corpus opacum, &c.* p. 358

§. IV.

De Diuinatione per somnia. ibid.

55. AN, somniorum genus in oraculum, visionem, somnium, insomnium, & Phantasma, adæquatè distribuatur. ibid.
℞ *Quod sic.* ibid.
56. An, somnia in Diuina, Naturalia, & Dœmoniaca apte diuidantur. ibid.
℞ *Vt Quid certum: Aptè diuidi.* ibid.
57. An, omnia somnia sint approbanda, vel omnia reprobanda. ibid.
℞ *Vt quid certissimum (quidquid alij dixerint) nec omnia esse approbanda, nec omnia reprobanda.* ibid.
58. An licitum sit, inuestigare, à qua causa somnia proueniant; an videlicet, à Deo vel à causa naturali, vel à dœmone. p. 359
℞ *Vt quid certum: Esse licitum.* ibid.
59. An licitum sit, diuina somnia obseruare. ibidem.
℞ *Vt certum: Non solùm esse licitum; verum & conueniens.* ibid.
60. Quia de causa Deus, potius in somnis quàm in vigilia, docet, monet, corrigit, & reuelat futura. ibid.
℞ *Quod duplici præcipue.* Legantur. ibid.
61. An dentur aliqua signa, quibus cognoscere possumus, somnia esse à Deo immissa. ibidem.
℞ *Vt quid certum: Dari præcipue quatuor.* ibid.
62. An, dentur etiam signa, quibus cognosci possint, somnia esse diabolica. ibid.
℞ *Vt certum: Etiam dari, & præcipue, quinque.* ibid.
63. An si quis dubitet; An somnium sit à Deo vel à Diabolo; credere debeat, ab hoc immissum esse. p. 360
℞ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
64. An, saltem liber sit à peccato, qui probabiliter existimans,

existimans, somnium esse à Deo; prænotionem alicuius futuri euentus colligit. ibid.
℞ *Etiam vt certum: liberum esse.* ibid.
65. Quæ, & quotuplex sit causa somniorum naturalium. ibid.
℞ *Quod duplex, intrinseca videlicet, & extrinseca:* Legantur. ibid.
66. An sit licitum, ex somnis naturalibus, temperaturas corporis, illiúsque humores, & affectiones coniectare. ibid.
℞ *Vt quid certum: Quod sit.* ibid.
67. An somnia, quæ nos crebro infestant, territant, aut conturbant, licitum sit obseruare. pagina 361
℞ *Vt certum: Quod sit.* ibid.
68. An, peccatum graue superstitionis admittat, qui ex naturalibus somnis, futura contingentia diuinat. ibid.
℞ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
69. An item peccatum mortale superstitionis committat, qui certo modo, aut situ, seu dispositione, ad somnum se componit, vt sibi futuri euentus, vel effectus occulti per somnum reuelentur. ibid.
℞ *Vt quid certum: Committere.* ibid.
70. An, somniis sit danda fides, quando eorum veritas, ipso euentu comprobatur. ibid.
℞ *Quod non sit danda.* ibid.
71. An, credere aliqualiter somniis, & ex illis aliqualiter timere aduersum; vel expectare prosperum; sit graue peccatum. ibidem.
℞ *Quod regulariter loquendo, non sit.* ibid.
72. An sit mortale peccatum superstitionis, fidem dare dœmoniacis somnis. p. 362
℞ *Vt certum: Quod sit, & grauissimum.* ibid.
73. An sit mortale, subiicere puluinaribus Ægrotorum litia; aut subtus eorum lectum, capratum, boum, aut aliorum animalium, cornua vt eas quietè dormire faciant. ibid.
℞ *Tanquam certum; Quod sit.* ibid.

§. V.

De Diuinatione per sortes. ibid.

74. QVid, & Quotuplex sit sors. ibid.
℞ *Quod sit triplex.* Legatur. ibid.
75. An attento iure naturæ solo, sint licitè sortes diuisoriæ. ibid.
℞ *Vt certum: Quod sint.* ibid.
76. An sit licitum, vti sortibus diuisoriis in electionibus ad officia, seu dignitates sæculares. pagina 363.
℞ *Vt certum, Quod sit.* ibid.
77. An etiam sit licitus vsus sortium ad officia, & beneficia Ecclesiastica. ibid.
℞ *Tanquam certum: Quod non sit.* ibid.
78. An saltem, casu quo duo æqualibus suffragiis eligantur ad Officium, vel beneficium Ecclesiasticum; tunc licitum sit, electionem alterutrius sortibus terminare. ibid.
℞ *Vt fere certum: Nec in hoc casu, esse licitum.* ibid.
79. An adminus, casu, quo plures à maiori parte Capituli eligantur ad Beneficium Ecclesiasticum, non vt omnes eo fungantur, sed vt sortes mittant postea inter illos; sit tunc licitus vsus sortium. ibid.
℞ *Vt fere certum: Nec in hoc casu esse licitum.* pagina 364
80. An, possit sortibus vti, ad eligendos Compromissarios ad electionem Ecclesiasticam faciendam ibid.
℞ *Non posse; ad minus licitè.* ibid.
81. An adminus, licitus sit vsus sortium in componendis, & terminandis litibus de rebus, & Beneficiis Ecclesiasticis. ibid.
℞ *Probabilius: Esse licitum, modo id fiat authoritate Iudicis Ecclesiastici.* ibid.
82. An electio ad officia, & beneficia Ecclesiastica facta per sortes, non solùm illicita sit, sed etiam nulla. ibid.
℞ *Esse etiam nullam, si electio sit Prælati iurisdictionem, tam in ciuilibus, quam in criminalibus habentis: secus alias.* ibid.
83. An sit licitum, litem alicuius hæreditatis, legati, aut similis, sortibus finiri, ac terminari. ibid.
℞ *Vt certum: Esse licitum, si fiat ex mutuo litigantium consensu.* ibid.
84. An tempore persecutionis Ecclesiæ; aut pestis, possit sors mitti, ad dirimendam controuersiam, quis ex Dei ministris, aut medicis, permansurus sit, vel recessurus. ibid.
℞ *Vt certum: Posse.* ibid.
85. An, si tempore tempestatis, necessum sit aliquos in mare proiici, ne omnes pereant; licitum sit, sortibus determinare quinam sint proiiciendi. pag. 365
℞ *Tanquam certum: Posse, præcipue si fiat ex omnium consensu.* ibid.
86. An item, casu, quo dubium sit, cui danda sit Eleemosyna, an huic pauperi, anve alij, licitum sit sortibus determinare, cui eorum applicanda sit. ibid.
℞ *Vt certum: Etiam esse licitum.* ibid.
87. An deinde, licitum sit, sorte determinare quinam sint necandi, cum plures digni sunt morte; non tamen expedit, omnes punire. ibidem.
℞ *Vt certum: Etiam esse licitum.* ibid.
88. An, quando non constat de persona, quæ delictum commisit; liceat sortibus indagare eam. ibid.
℞ *Vt certum: Quod non liceat.* ibid.
89. An licita sit missio sortibus Sanctorum, ad cognoscendum, quem ex ipsis sibi in Deuotum pro anno, aut mense, contingat suscipere. ibidem.
℞ *Vt certum: licitam esse.* ibid.
90. An etiam licitum sit, sortiri in Patronum alicuius Prouinciæ, aut Ciuitatis, aliquem ex Apostolis. ibid.
℞ *Vt certum: Etiam esse licitum.* ibid.
91. An, si quis ex Astrorum influxu expectet sortem sibi fœliciter euenturam, peccatum superstitio nis committat. p. 366
℞ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
92. An, sortes Consultoriæ ad indagandam in rebus dubiis, Dei voluntatem, sint licitæ. ibidem.
℞ *Quod quamuis possint esse licitæ; raro tamen sint.* ibid.
93. Quot conditiones requisitæ sint, vt sortes consultoriæ sint licitæ. ibid.
℞ *Quod quatuor præcipue.* Legantur. ibid.
94. An, sortes diuinatoriæ semper sint illicitæ. ibid.

℟. *Vt certum: Quod semper.* ibid.
95. An huiusmodi diuinatoriæ sortes, vltra malitiam superstitionis, alias includat. ibid.
℟. *Vt certum. Includere aliquando, liceat non semper.* ibidem.

§. VI.

De Diuinatione ex cantu, voce, & motu animalium, necnon & hominis. ibid.

96. AN tria sint genera diuinandi ex auium signis. ibid.
℟. *Quod sic.* ibid.
97. An licitum sit ex auium obseruatione naturales euentus futuros prædicere, & coniectare. pag. 367
℟. *Vt certum: Quod sic.* ibid.
98. An ex dictis vocibus, & signis auium, possit probabiliter coniici aliqua futura in hominibus. ibid.
℟. *Posse, sed non certo, sed probabiliter.* ibid.
99. An ex præfatis signis auium, & animalium, non solùm effectus naturales; verum etiam, effectus futuri contingentes, possint cognosci, aut præuidere. ibid.
℟. *Vt certum: Quod non.* ibid.
100. An ex hominum vocibus casu prolatis aut ob alium finem, possint sumi coniecturæ effectuum contingentium. ibid.
℟. *Vt certum: Quod non.* ibid.

§. VII.

De Diuinatione ex hominis capite, manuum lineis, & aliis membris deducta. ibid.

101. QVot sunt huius diuinationis modi. ibid.
℟. *Quod quatuor.* Legantur. ibid.
102. An licitum sit, ex manuum, pedum, frontis, aut totius corporis partibus, lineis, signis, & dispositione, futuros euentus, prosperos, vel aduersos prædicere. p. 367
℟. *Tanquã certum: Minime esse licitum; sed grauissimum superstitionis peccatum.* ibid.
103. An sit mortale, mulierem Ægyptiam, de bona vel mala fortuna, ostensa sibi, manu, serio interrogare. ibid.
℟. *Vt certum: Esse mortale, serio interrogare: secus iocosè, aut curiosè.* ibid.
104. An saltem, ex lineis manuum, & dispositione & propositione membrorum corporis humani; possit quis licitè, probabiliter coniectare affectus animi; vt ingenium, complexionem, naturalem inclinationem, humores, & similia. ibid.
℟. *Vt certum: Posse licitè.* ibid.
105. An ex Physiognomia membrorum liceat illico diuinare de alterius moribus, & vita ibidem.
℟. *Licere diuinare probabiliter de inclinatione ad bonum, vel ad malum: non tamen male iudicare de moribus, & vita.* ibid.
106. An ex pulchritudine corporis, probitas animi; & contra, ex deformitate, mentis improbitas dignosci possit. p. 369
℟. *Quod sic.* ibid.

DISPVTATIO III.

De Magia malorum operatrice, in genere, & in specie. p. 369

Q. 1. QVid sit magia in genere. ibid.
℟. *Quod est ars operandi mira, & insolita ab hominibus.* ibid.
2. Quotuplex sit Magia. ibid.
℟. *Quod duplex; vna naturalis; alia superstitiosa.* ibid.
3. An superstitiosæ Magiæ peccatum, sit grauissimum omnium. ibid.
℟. *Esse grauissimum omnium, præter peccata desperationis, hæresis, & odij Dei.* ibid.
4. Magiæ generaliter sumptæ quotuplex sit finis. ibidem.
℟. *Quod duplex.* Legantur. ibid.
5. Quibus modis cognosci possint, quænam sunt opera, quæ à Magia superstitiosa procedunt. ibid.
℟. *Quod, tribus; nempe, ex conditione causarum, operationis, effectus.* ibid.
6. Cur dœmon satagat, vt res illas, quibus Magi ad nocendum vtuntur, ipsi cum Sacramentis Ecclesiæ, vel aliis Sacris admisceant. p. 370
℟. *Quod triplici de causa.* ibid.

§. II.

De Fascinatione Malefica, seu Magia; ibid.

7. AN Fascinatio, seu Fascinum trahat originem à verbo, *Fando.* ibid.
℟. *Quod aliqui ab hoc verbo; alij verò à voce græca, Bascano, trahere originem dicunt.* ibid.
8. An Fascinatio adæquatè diuidatur in Naturalem, seu Physicam; & Dœmoniacam. ibid.
℟. *Probabilius: Quod non: quia præter has, datur fascinatio vulgaris, seu Poëtica.* ibid.
9. Quid sit vulgaris, seu Poëtica fascinatio; quidque Naturalis, & Diabolica. ibid.
℟. *Quod vulgaris, est illa, quæ ex vulgi opinione ortum habet. Naturalis, à corruptis humoribus: Diabolica, à qualitate pernicioſa arte dœmonum illata.* ibid.
10. An sit in quibusdam viris, aut mulieribus aliqua vis fascinandi (quod hispane dicitur, *Tomar de Ojo.*) qua ipsi aspectu, seu visione, vel laudatione, aliis hominibus, vel belluis naturaliter noceant, & interdum sine peccato. pagina 371
℟. *Probabilius: Non esse talem vim naturalem.* ibid.
11. An quis sine peccato possit fascinatione naturali, seu Physica, fascinare aliquem. ibid.
℟. *Vt certum: Posse.* ibid.
12. An Fascinatio diabolica, pluribus modis contingere possit. ibid.

§. III.

De Maleficio, seu de Magia Malefica. p. 372

13. QVid veniat nomine Malefici, & Maleficij, intelligendum. ibid.
℟. *Quod, maleficius dicitur ille, qui ope dœmonum malum aliquid agit: Maleficium vero ipsum opus malefa*

malefactum. ibid.
14. Quid sit Maleficium. ibid.
℞ *Quod est ars nocendi aliis ope dæmonis,* ibid.
15. Quotuplex sit Maleficium. ibid.
℞ *Quod duplex; alterum, amatorium; & alterum veneficium.* ibid.
16. Quotuplex sit Maleficarum genus. ibid.
℞ *Quod triplex. Alia lædunt, & non curant. Alia curant, & non lædunt & Alia lædunt, & læsos curant.* ibid.
17. An, omnes Maleficæ, se dedicent dœmoni. ibid. ibid.
℞ *Quod sic.* ibid.
18. An sint aliquæ causæ, quæ præcipue disponant ad Maleficij crimen patrandum. ibid.
℞ *Quod sint.* ibid.
19. An liceat pro re graui, & vrgente bono publico, Maleficos, aliàs paratos, adhibere ad maleficium faciendum. pag. 373
℞ *Vt certum: Minime licere.* ibid.
20. An saltem liceat à Malefico parato postulare, vt Maleficum maleficio dissoluat. ibid.
℞ *Tanquam certum: Nec id licere.* ibid.
21. An adminus, excusari possint à peccato Maleficij, bono fine maleficia exercentes, ne fructus terræ, vi ventorum, vel grandinis, absumantur. ibid.
℞ *Vt certum: Nec hos à peccato grauissimo excusari posse.* ibid.
22. An quamuis non liceat, precibus petere à Malefico, vt Maleficium maleficio tollat; liceat tamen ad id, imperio, & pœnis cogere. ibid.
℞ *Vt quid certissimum: Nec dicto modo licere.* ibidem.
23. An etiam peccent grauiter Iudices, qui Maleficos cogunt benedictione quadam, maleficium auferre iis, quos læserunt. pag. 374
℞ *Vt certum: Etiam peccare grauiter.* ibid.
24. An licitum sit, petere à Malefico, vt licite maleficium dissoluat; nempe, tollendo signum maleficij, aut illud destruendo, sine nouo maleficio. ibid.
℞ *Vt certum: licitum esse.* ibid.
25. An etiam sit licitum, petere absolute, & in communi à Malefico, vt tollat maleficium; casu quo sciatur, eum posse tollere sine maleficio, & posse cum maleficio: at petens moraliter est certus, ipsum sine maleficio dissoluturum. ibidem.
℞ *Vt certum: Etiam esse licitum.* ibid.
26. An adhuc sit licitum, id ipsum petere à Malefico, casu quo petens sciat, posse dissoluere cum maleficio, & posse modo licito, sine maleficio: scit tamen certo moraliter, ipsum cum nouo maleficio dissoluturum. ibid.
℞ *Probabilius tunc licitum esse.* ibid.
27. An, siquis negatiue dubitet, an Maleficus habeat modum licitum dissoluendi maleficium; possit licite ab eo dissolutionem petere. pagina. 375
℞ *Posse, saltem aliquando.* ibid.
28. An, si quis à Malefico petat, vt maleficium, sine maleficio (siquidem potest) dissoluat, & illi medeatur: si accidat, vt Maleficus, velit illi mederi, applicando aliquas medicinas superstitiosas, possit Maleficiatus id permittere. ibidem.
℞ *Vt certum: Non posse.* ibid.
29. An teneatur quis petere, & rogare Maleficum, vt dissoluat maleficium, modo licito, cum possit. ib.
℞ *Vt certum: Teneri lege Charitatis, si speret taliter facturum.* ibid.
30. An, licite possit quis petere à diabolo, vt maleficium dissoluat, vel maleficio vexare cesset. ibidem.
℞ *Vt quid certum: Non posse licite.* ibid.
31. An saltem liceat imperare, & mandare dœmoni, quod cesset maleficio illo torquere Maleficiatum. ibid.
℞ *Vt certum: Nec id licere.* ibid,
32. An, liceat cuipiam signa maleficiorum inuenta, veluti, capillos, ligaturas, nodos, & alia soluere, amouere, destruere, & in ignem coniicere, vt sic Malefici salus obtineatur. pagina. 376
℞ *Sed tanquam certum: licere cuipiam.* ibid.
33. An, non solum licitum, sed obligatorium sit ei, qui conscius signi maleficij fuerit, illud destruere, & comburere. ibid.
℞ *Vt certum: Obligari, vel ex lege Charitatis, vel iustitiæ.* ibid.
34. An licea, tmaleficij signum destruere, casu, quo ex illius destructione aliquod damnum in ipsum Maleficium refundatur; eo quod ita pactus est dœmon cum Malefico. ibid.
℞ *Licere omnino.* ibid.
35. An, non solum sit licitum, & obligatorium, signa maleficij remouere, & comburere; sed etiam signum contrarium apponere, quo posito destruatur pactum prius, & dœmon desinat nocere. ibid.
℞ *Etiam esse licitum.* ibid.
36. An possit quis interrogare alium Maleficum, an norit, in quo maleficium consistat, vt sic signum destruatur. ibid.
℞ *Posse.* ibid.
37. An liceat iudicibus volentibus Maleficum torquere, efficere, vt eius corpus abluatur, & capilli totius corporis eius abradantur. pagina. 377
℞ *Tanquam certum: licere.* ibid.
38. An etiam liceat iudicibus, causa curiositatis vel verificandi delicti, aut alterius finis, præcipere Maleficis, vt coram illis exerceant aliquod maleficium, v.g. vt faciant subito ibi apparere ranas; vel striges, vnctione quadam linitas per aëra ferri, &c. ibid.
℞ *Vt certum: Non licere.* ibid.
39. An, scientia, vel arte semel acquisita dœmonis ope, vti postea liceat. ibid.
℞ *Vt certum: licere; dummodo vsus illarum à dœmone amplius non pendeat.* ibid.
40. An pecunia, & alia bona externa, arte dœmonis comparata; possint à quouis retineri; eisque vti licite quis. ibid.
℞ *Posse, dummodo prius pœniteat peccati, quo acquisita fuere; & à dœmone in conseruari non pendeant.* ibidem.
41. An, teneatur Maleficus damna illata integre resarcire. ibid.
℞ *Vt certum: Teneri.* ibid.
42. An, Maleficia potius sint imputanda Maleficis, quam dœmonibus. pag. 378
℞ *Quod Maleficis.* ibid.
43. An, Dœmones ad nocendum, necessario indigeant vsu maleficiorum materialium; vt veneno, ossibus, pilis, &c. ibid.
℞ *Vt certum. Non indigere necessario.* ibid.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

DISPVTATIO IV.

De Lamiis, Sagis, & Strigibus, (Hispane, Brusas) & Veneficis. pag. 378

1. CVt mulieres arti magicæ deditæ, Lamiæ Sagæ, Striges, Veneficæ appellentur. ibidem.

℞ *Ita, vel à similitudine alicuius animalis, vel auis, vel ab aliis actionibus earum, vocari.* ibidem.

2. Quare plures multo fœminæ, quam viri his maleficiis deditæ reperiantur. ibid.

℞ *Ob tres præcipue rationes.* ibid.

3. Cur potius mulieres vetulæ, quam iuuenes, hac magica, ac diabolica arte, vtantur. pagina. 379

℞ *Quia id faciunt ex odio pueritiæ, &c.* ibid.

4. Quæ mulieres inter alias, magis maleficæ inueniantur. ibid.

℞ *Quod obstetrices, meretrices, & adulteræ.* ibidem.

5. Cur Lamiæ, aut Striges præ aliis noceant infantibus. ibid.

℞ *Quia isti, nec resistere, nec reclamare, nec accusare possunt.* ibid.

6. Cur Deus tot puerorum necem permittit. ibidem.

℞ *Quod, vt baptizati, à multis peccatis præseruati; in cœlum citius rapiantur. Non baptizati, vt ne viuentes grauiorem damnationem mereantur, &c.* ibidem.

7. Cur Deus tanta maleficia permittat. ibid.

℞ *Quod ad manifestationem suæ gloriæ: & variam vtilitatem hominum, & ad firmandam Catholicam fidem de potestate, malitia & inuidia dæmonum, &c.* ibid.

8. An sit possibile, quod dæmones ad mulieres accessum habeant, & fiant incubi, & succubi. ibidem.

℞ *Vt quid certissimum (quidquid alij dixerint) esse possibile.* ibid.

9. An, dæmones accedentes ad mulieres, seu viros; peccato carnali delectentur. pagina. 380

℞ *Vt quid certissimum. Quod non.* ibid.

10. An saltem mulieres, aut viri, capiant carnalem delectationem ex coniunctione cum dæmonibus. ibid.

℞ *Vt certum: Quod sic.* ibid.

11. An dæmon possit esse incubus fœminæ, coram multis; absque hoc, quod videatur à circumstantibus. ibid.

℞ *Posse.* ibid.

12. An, ex dæmonis cum muliere concubitu, possit generari proles. ibid.

℞ *Probabilius: Posse, ex semine alicuius hominis.* ibid.

13. An etiam, ex homine mare, & dæmone (assumpto mulieris corpore) succuba; possit generari proles. pag. 381

℞ *Vt certum: Non posse.* ibid.

14. An possint dæmones efficere, vt virgo, sic permanens, prolem concipiat, & pariat. ibidem.

℞ *Probabilius: Quod possint facere, vt virgo concipiat; non vero vt virgo permanens, pariat.* ibid.

15. An, ex præfata dæmonis cum muliere culpa oriatur affinitas aliqua. ibid.

℞ *Æque probabiliter: Quod non.* ibid.

16. An possint dæmones, Sagas, seu Stryges, de loco in locum, breuissimo tempore transferre. ibid.

℞ *Vt certum: Posse, si Deus hoc illis permittat.* ibid.

17. An de facto, Sagæ, aut Strygæ à dæmonibus asportentur & conuentibus intersint vere, & realiter. ibid.

℞ *Vt certum: Quod sic.* pag. 382

18. An, Diabolus portet Sagas, aut Stryges, modo inuisibili, aut visibli. ibid.

℞ *Quod portet vtroque modo.* ibid.

19. An, dæmon possit auferre mulierem Sagam à latere sui Mariti, & eam transportare ad remotissimum locum, absque eiusdem Mariti notitia. ibid.

℞ *Posse.* ibid.

20. An, dæmones in suis nocturnis conuentibus, possint effingere figuras piorum virorum, aut mulierum; vt dictis diabolicis conuentibus, authoritatem præstent. ibid.

℞ *Quod licet possint; non tamen id permittat communiter Deus.* ibid.

21. An detur mons Veneris, in quo dæmones cum Strygibus; certis diebus conueniant. ibidem.

℞ *Dari, secundum Maleficos.* ibid.

22. An dentur aliqui determinati dies, in quibus Sagæ, & Stryges cum dæmonibus in dictis locis conueniant. ibid.

℞ *Dari.* ibid.

23. An, in conuentibus istis conueniantur Sagæ, & Malefici ad adorandum dæmonem; & alia detestabilia exercenda. ibid.

℞ *Quod sic.* ibid.

24. An, dæmones possint homines transmutare in cattum, leporem, mustelam, aut alias bestias. ibid.

℞ *Vt quid certissimum (quidquid alij dixerint) non posse.* ibid.

25. An possit dæmon Maleficum in locum clausum introducere. ibid.

℞ *Vt certum: Posse.* ibid.

26. An, dæmones possint Sagas, aut Maleficas, è carceribus liberare. pag. 384

℞ *Quod licet de possibili possint; non tamen de facto.* ibid.

27. An, Maleficæ, seu Sagæ, possint nocere iudicibus, & iustitiæ Ministris. ibid.

℞ *Probabilius: Posse.* ibid.

28. An, sint remedia aliqua tuendi infantes ab infestatione, seu læsione sagarum, aut Maleficarum. ibid.

℞ *Esse, & præcipue quatuor.* ibid.

29. An dentur aliqua remedia naturalia contra Maleficia. ibid.

℞ *Nulla dari, quæ ex se, vim ad curanda maleficia habeant.* ibid.

30. An, & quæ sint remedia spiritualia contra maleficia. ibid.

℞ *Quæ sint, & certe multa.* Legantur. ibid.

31. An peccatum maleficij, sit inter alia crimina grauissimum. pag. 385

℞ *Esse grauissimum, atrocissimum, & fœdissimum.* ibid.

32. An, quando Maga vltro ad Sacram Confessionem cum aliquo maleficij peccato accedit; debeat

beat Confessarius aliqua interrogare: & quæ. ibid.
℟ *Debere quidem, & multa.* Legantur. ibid.
33. An, Sagæ captæ debeant ante iudiciale examen, ad Sacramentalem Confessionem admitti. ibid.
℟ *Quod licet non sit necessarium; possit tamen.* ibidem.
34. An dum in tormentis Saga versatur, liceat, vel expediat, quæstioni Confessarium assistere. ibid.
℟ *Non expedire.* ibid.
35. An, casu, quo fœmina, coram Confessario constanter neget, se Sagam esse; sed vi torturæ se maleficij crimen, coram iudice fassam fuisse; possit tunc à Confessario Sacramentaliter absolui. pag. 386.
℟ *Vt certum: Posse, imo, & debere.* ibid.
36. An, si dicta mulier, quæ falsa confessione iuridica, crimen sibi imposuit, nolit coram iudice illam retractare, ob metum tormentorum; possit tunc Confessarius non obligare illam ad talem retractationem faciendam. ibidem.
℟ *Probabilius: Non posse non obligari illam: quamuis in facti contingentia, possit oppositum sequi.* ibidem.
37. An, aliquibus modis possit cognosci Maleficus. ibid.
38. An, sit opus rumpendi scriptum, aut Chirographum datum dœmoni, quo Magus se totum dœmoni dicat; antequam à Confessario absoluatur. ibid.
℟ *Vt certum: Non esse opus.* ibid.

§. II.

De pœnis à iure statutis, contra Veneficos, Sagas, Striges, Ariolos, Sortilegos, Diuinos, Magos, & Maleficos. ibid.

39. AN Malefici, Veneficive, vel alij nominati nuper, morte naturali, iure diuino multentur. ibid.
℟ *Vt certum: quod sic.* ibid.
40. An etiam, iure canonico, Malefici, & alij mortis pœna puniantur. pag. 387
℟ *Etiam vt certum, quod non solum iure Canonico, verum etiam ciuili, morte puniantur.* ibid.
41. An Malefici sint morte plectendi, etiamsi nullum hominem necauerint, nec alia patrauerint crimina, quæ pœna mortis multantur. ibidem.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
42. An, Malefici, Sagæ, & alij igni mandari debeant. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
43. An, Magi, Malefici, & huiusmodi, ipso iure afficiantur excommunicatione. ibid.
℟ *Affici, si crimina, quæ committunt hæresim exteriorem contineant: secus alias.* ibid.
44. An si crimina Magorum hæresim formalem externam non contineant: possint absolui à quocumque ordinario Confessore. ibid.
℟ *Posse, nisi alias aliqua illorum crimina sint in aliqua diœcesi reseruata.* ibid.
45. An, Maleficis, aut Sagis in carcere morituris, possit ministrari Sacra Eucharistia. ibid.
℟ *Posse, imo & debere: si id petant.* ibid.
46. An, pro Maleficis. Sagis &c. vltimo supplicio affectis; possint Sacrificia, Missæ, & alia suffragia offerri. pag. 388
℟ *Posse priuatim: quia publice, & cum solemnitate non decet.* ibid.
47. An huiusmodi Magiæ, aut maleficij criminis cognitio, ad Inquisitores Fidei pertineat. ibidem.
℟ *Pertinere, si crimen à Magis &c. patratum, adnexam habeat hæresim; aut expressam suspicionem illius inuoluat, alias non.* ibid.
48. An etiam pertineat ad Inquisitores cognitio huius criminis, si solum est dubium, an sapiat manifeste hæresim. ibid.
℟ *Non pertinere speculatiue loquendo: in praxi vero vix occurrit casus, in quo Inquisitores procedere nequeant.* ibid.

DISPVTATIO V.

de Adiuratione, & de Superstitionibus in ipsa repertis. pag. 388

Q. 1. QVid sit adiuratio. ibid.
℟ *Quod est, contestatio rei Sacræ per quam, aliqua persona, imperio, aut obsecratione, inducitur ad aliquid faciendum, vel omittendum.* ibid.
2. Quotuplex sit Adiuratio. ibid.
℟ *Quod duplex, solemnis nempe, & priuata.* ibidem.
3. An, vt adiuratio licita sit, requirat eosdem tres comites, quos iuramentum requirit; nempe veritatem, iustitiam, & iudicium. pag. 389
℟ *Quod sic.* ibid.
4. An, obsecrare aliquem, aut imperare per falsum deum, vt per Iouem, aut Iupiter, sit peccatum mortale. ibid.
℟ *Vt certum: Esse, & grauissimum.* ibid.
5. An etiam sit mortale, ficta paupertate, petere ob Deum Eleemosynas. ibid.
℟ *Probabilius: Non esse, nisi veniale.* ibid.
6. An, qui adiuraret Deum, ad rem aliquam illicitam obtinendam; peccaret mortaliter. ibidem.
℟ *Quod sic, si res petita est mortalis: secus si esset venialis; quia tunc solum peccaret venialiter.* ibidem.
7. An adiuratio sit actus virtutis religionis. ibidem.
℟ *Quod si, si adiuratio fit per Deum.* ibid.
8. An, adiuratio differat ab Oratione. ibid.
℟ *Differre.* ibid.
9. An, adiuratio, etiam à iuramento differat. ibidem.
℟ *Etiam differre.* ibid.
10. An saltem in omni iuramento promissorio inueniatur adiuratio. pag. 390
℟ *Vt certum: Non inueniri.* ibid.
11. An, Adiurationis sit aliquod præceptum diuinum, naturale, aut Ecclesiasticum. ibid.
℟ *Nullum esse diuinum, aut naturale; imo nec Ecclesiasticum per se; bene tamen per accidens.* ibidem.
12. An, cuilibet licitum sit deprecatiue adiurare aliquem per Deum, Sanctos, aut aliquam personam. ibid.
℟ *Tanquam certum: Quod sic.* ibid.
13. An, adiuratus deprecatiue per Deum, teneatur

sub præcepto obedire adiurationi, aut adiuranti. ibid.
℟ *Tanquam certum. Non teneri.* ibid.
14. An item licitum sit cuilibet superiori, adiurare imperatiue, aut coactiue suos subditos. ibid.
℟ *Vt certum: Esse licitum, si causa existat.* ibid.
15. An subditus peccet mortaliter contraueniens sui superioris præcepto, sibi per adiurationem imposito. ibid.
℟ *Quod sic, si præceptum sit de re graui.* ibid.
16. An subditus transgrediens superioris præceptum, sibi per adiurationem impositum, sit non solum transgressor præcepti, sed etiam periurus, ibid,
℟ *Probabilius: solum esse transgressorem præcepti.* ibidem.
17. An ex transgressione præcepti superioris adiuratione vestiti, consurgat duplex peccatum; nempe & contra virtutem religionis; & contra iustitiam, obedientiam, aut castitatem præceptam. pag. 391
℟ *Probabilius: Non consurgere nisi vnicum peccatum contra virtutem præceptam.* ibid.
18. An adiurans imperatiue eum, in quem nullam habet potestatem, peccet mortaliter. ibid.
℟ *Quod sic, si res est grauis.* ibid.

§. II.

De his, qui adiurare, & adiurari possunt. ibidem.

19. AN, omnis creatura intellectualis, vel rationalis, possit adiurare. ibid.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
20. An, omnes creaturæ rationales possint solemniter adiurare. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
21. An, quisquis possit se ipsum adiurare. ibid.
℟ *Vt certum: Quod non.* ibid.
22. An possit licite ab homine adiurari Deus. ibidem.
℟ *Vt certum: Quod sic.* ibid.
23. An, etiam Angeli Sancti, necnon homines beati, possint à nobis licite, ac sancte adiurari. ibidem. ibid.
℟ *Vt certum: Posse, si debito modo fiat.* ibid.
24. An deinde, dœmones (& alij damnati) possint adiurari licite, ac sancte. pag. 392
℟ *Vt de fide certum: Posse, si modo debito fiat.* ibidem.
25. An etiam Creaturæ insensibiles, vt sal, aqua, nubes, grandines, &c. licite adiurari possint. ibidem.
℟ *Vt certum: Non posse proprie.* ibid.
26. An saltem, creaturæ sensibiles irrationales, vt locustæ, pulgon, & similia bruta, possint proprie adiurari. ibid.
℟ *Vt quid certissimum: Non posse.* ibid.
27. An sit licitum, locustam, bruchum, & alios vermiculos, in iudicium euocare; & contestata lite, excommunicare, & anathematizare. pag. 393
℟ *Vt certum: Non esse licitum, sed vanum, ac superstitiosum.* ibid.
28. An saltem, possit quis prædicta bruta adiurare, si non obsecratione aut imperio morali, physica tamen & efficaci virtute supernaturali. ibid.
℟ *Posse.* ibid.

§. III.

De Assistentia Dæmonum in corporibus obsessis. ibid.

29. AN, vt quis dœmonium habere dicatur, sit necessum, quod dœmon sit in ipso homine, & aliquam potestatem in eo habeat. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
30. An, dœmon vniatur corpori Obsessi, sicuti anima vnitur corpori, quod informat. ibid.
℟ *Tanquam certum: Quod non vniatur sic.* ibid.
31. An, dœmon assistens corpori Obsessi, exerceat in eo, omnes vires eius corporales ad motum localem pertinentes. pag. 394
℟ *Quod sic.* ibid.
32. An, dœmon possit ingredi in corpus humanum, & ab illo egredi, per quamcumque eius partem. ibid.
℟ *Vt certum: Posse.* ibid.
33. An, dœmon possit residere in quauis hominis parte; necnon totus in toto, & totus in qualibet parte illius, instar animæ rationalis. ibid.
℟ *Vt certum: Posse: sed non omnino, vt anima.* ibidem.
34. An, dœmones de facto, regulariter loquendo, in corde, aut prope illud, resideant. ibid.
℟ *Quod sic.*
35. An, in vno, & eodem homine, possint esse multa dœmonia.
℟ *De fide certum; Quod possint.* ibid
36. An, plures dœmones plus vexent corpus Obsessi, quam vnus, & quomodo. ibid.
℟ *Plus vexare communiter loquendo, quomodo.* Legatur. ibid.
37. An, dœmones ex infimo solum ordine, vel gradu, hominum obsideant corpora, eaque vexent. pag. 395
℟ *Vt certum: Quod non solum ex infimo.* ibid.

§. IV.

De signis, quibus aliquis cognoscitur esse dæmoniacus, & à dæmone obsessus. ibid.

38. AN si quis non possit continuare esum carnis hœdinæ per dies triginta; iudicari debeat dœmoniacus. ibid.
℟ *Quod non debeat.* ibid.
39. An sit iudicandus dœmoniacus homo ille, qui oculos terribiles, & horribilem, ac truculentum vultum, &c. habet. ibid.
℟ *Esse iudicandum coniecturaliter tantum: non certitudinaliter.* ibid.
40. An, sit certum signum obsidentis dœmonis, stupor membrorum, & vitalium omnium fere operationum priuatio. ibid.
℟ *Esse signum, sed non omnino certum.* ibid.
41. An sit certum signum hominis obsessi, si habeat vires, quæ excedere videantur facultatem hominis. ibid.
℟ *Esse, sed non certum, & infallibile.* ibid.
42. An sit certum, & indubitatum signum Energumeni, aut obsessi, si loquatur sermonem alienum à patria sua, quem ante morbum non didicerat. ibid.
℟ *Vt quid certum: Esse certum.* pag. 396
43. An,

43. An, possit certo quis iudicari dœmoniacus, si quando leguntur exorcismi super eum, conturbetur. ibid.
℟ *Posse.* ibid.
44. An, suspecti sint de dœmonio inhabitante, qui recusant inuocare nomen Iesu, aut Mariæ; aut recitare aliquem Psalmum aut aliam piam orationem. ibid.
℟ *Esse omnino suspectos.* ibid.

§. V.

De modo eiiciendi dæmones ex obsessis. ibidem.

45. AN, in Ecclesia sit potestas à Christo data coërcendi, & imperandi dœmonibus, eosq; ex obsessis eiiciendi. ibid.
℟ *De fide: Esse.* ibid.
46. An, etiam Ecclesia sit potestas immittendi dœmones in homines, vt eos corporaliter vexent. ibid.
℟ *Probabilius. Fuisse, & esse nunc, talem potestatem; licet non possit occurrere casus, moraliter, in quo possit executioni mandari.* pag. 397
47. An potestas expellendi dœmones possit esse naturalis. ibid.
℟ *Vt certum (quidquid alij dixerint) quod non.* ibidem.
48. An, hæc potestas eiiciendi dœmones solemniter, sit solis Exorcistis concessa. ibid.
℟ *Vt certum: Quod solis.* ibid.
49. An, omnes Exorcistæ potiantur dono Actuali eiiciendi dœmonia. ibid.
℟ *Vt mihi certum: Quod sic.* ibid.
50. An sint aliqui Exorcistæ, qui præ cæteris, efficacius eiiciant è corporibus obsessis dœmonia. ibidem.
℟ *Vt certum: Esse.* ibid.
51. An, Sanctitas, & morum integritas sit requisita in Adiurante dœmones ad eiiciendos illos. ibidem.
℟ *Tanquam certum: Quod non sit, in eo, qui potestatem eiiciendi dœmones, per Ordinem receptum habet.* ibid.
52. An sit aliquod dœmoniorum genus, quod difficilius, quam cætera, ab obsessis abiguntur. pag. 398
℟ *Vt quid certum: Esse.* ibid.
53. An, genus dœmoniorum, quæ difficilius ab obsessis pelluntur, sint dœmones lunatici, surdi, & muti. ibid.
℟ *Difficilius expelli, regulariter loquendo.* ibid.
54. An ad expellenda dœmonia lunatica, surdà, & muta, omnino sit necessum, Exorcistam oratione, & ieiunio muniri. ibid.
℟ *Quod sit necessum.* ibid.
55. An, Exorcismi, quibus nunc vtitur Ecclesia ad expellendos dœmones, vsi fuerint Sancti in primitiua. ibid.
℟ *Quod non.* ibid.
56. An, exorcismi Ecclesiastici habeant virtutem pellendi dœmones, ex opere operato. ibid.
℟ *Quod sic.* ibid.
57. An Exorcismi Ecclesiæ habeant vim, virtutemque infallibilem expellendi dœmonem. pagina. 399
℟ *Probabilius: Quod non; sed ex congruitate &c.* ibidem.
58. An causa, cur exorcismi, contra dœmoniacos effectum non semper habeant, sit sola voluntas, & beneplacitum Dei. ibid.
℟ *Quod licet sit præcipua; non tamen sola; quia dantur aliæ.*
59. An, expulso vno dœmone, omnes consequenter pellantur. ibid.
℟ *Quod licet omnes communiter pellantur; non tamen id sit necessum.* ibid.
60. An liceat, dœmones adiurare deprecatiue, vt ob Dei nomen exeant è corpore obsessi. pagina. 400
℟ *Vt quid certissimum: Non licere.* ibid.
61. An saltem licitum sit, rogare, aut præcipere dœmonibus, vt nobis aliquod obsequium præstent. ibid.
℟ *Vt certum: Nec id licere.* ibid.
62. An liceat Adiuranti, petere à dœmone superiori, vt inferiorem è corpore pellat. ibid.
℟ *Vt certum: Non licere, casu ad minus quo dœmon superior simul cum inferiore in corpore obsessi resideat.* ibid.
63. An saltem, licitum sit adiuranti, præcipere dœmoni superiori v. g. lucifero existenti in inferno; vt dœmonem inferiorem residentem in aliquo homine pellat. ibid.
℟ (*Quidquid alij dicant*) *adhuc non esse licitum.* ibid.
64. An ad minus liceat Adiuranti, præcipere dœmoni superiori simul cum aliis inferioribus hominem obsidenti, vt exeat, & secum pellat inferiores alios. ibid.
℟ *Probabilius: licere, si iussio dirigatur non solum in superiorem dœmonem; verum etiam in inferiores: secus, si solum in superiorem.* ibid.
65. An licitum sit Exorcistæ, præcipere dœmoni, vt abeat in infernum, vel in desertum aliquod, vbi nequeat hominibus nocere. pag. 401.
℟ *Vt certum: licitum esse illi id præcipere; non absolute, sed sub conditione diuini beneplaciti.* ibid.
66. An liceat Exorcistæ annuere dœmoni offerenti egressum ex obsesso, dummodo non releget eum in infernum; neve nouis cruciatibus affligatur. ibid.
℟ *Licere.* ibid.
67. An etiam liceat Exorcistæ annuere dœmoni offerenti egressum ex homine, si permittatur in alium hominem ingredi, ibid.
℟ *Quod liceat illi, ad minus, si concurrat quadruplex conditio.* ibid.
68. An, seclusis illis quatuor conditionibus, adhuc liceat Exorcistæ, supradictæ petitioni dœmonis annuere. ibid.
℟ *Vt fere certum: Quod non liceat tunc.* ibid.
69. An liceat adiuranti, interrogare dœmonem expellendum, ea omnia, quæ ad eius expulsionem conducunt. ibid.
℟ *Tanquam certum: licere.* ibid.
70. An liceat adiuranti, dœmoni præcipere vt manifestet, quod nomen habet: Quæ causa fuerit sui ingressus in hominem, & an ibi assistant plures. ibid.
℟ *Licere: imo, & expedire.* ibid.
71. An, sit etiam licitum adiuranti, interrogare dœmones alia, quæ viderit expedire ad eorum expulsionem. pag. 402
℟ *Vt certum: etiam esse illi licitum.* ibid.
72. An, interrogare dœmonem ea, quæ sunt nociua, aut vana, & inutilia; quæque ad expulsionem non conducunt, sit peccatum. ibid.

℟ Vt

℞ *Vt certum: Esse peccatum, & multoties mortale.* ibid.

73. An in aliquibus casibus peccatum mortale committat Exorcista interrogando dœmonem aliqua, quæ ad expulsionem non conducant. ibid.

℞ *Vt certum: quod sic, & præcipue in quatuor casibus.* ibid.

74. An etiam peccet mortaliter Exorcizans si ex leuitate, & curiositate, vnam, vel alteram rem vanam petat, aut interroget; non deprecando, sed imperando; neque fidem certam dœmoni adhibendo. ibid.

℞ *Probabilius multo: quod non.* ibid.

75. An sit Exorcistis illicitum, cum dœmone iocari, nugaciave miscere. pag.403

℞ *Vt certum: Esse licitum.* ibid.

76. An licitum sit Exorcistæ, petere à dœmone signum aliquod sui è corpore egressus, vt v. g. quod extinguat lucernam, vel vitrum frangat. ibid.

℞ *Vt certum: licitum illis esse.* ibid.

77. An sit licitum Adiuratori, Energumenum vexare flagellis, & alapis, sputis, & similibus. ibidem.

℞ *Esse licitum, si id faciat ad confusionem dœmonis, & in ipsius contemptum, &c.* ibid.

78. An item licitum sit adiuratori, summo hypericontis, rutæ, & cornuum, stercorisque caprini, vexare dæmoniacum. pag.404

℞ *Etiam esse licitum, si id faciat ad confusionem Dœmonis.* ibid.

79. An sint aliquæ rationes, seu causæ, quare ruta à dœmone abominetur, ab illa longe fugiendo. ibid.

℞ *Esse, & præcipue tres.* ibid.

80. An sit superstitiosum applicare aliquas herbas medicinales, aut alia medicamenta dœmoniacis, ibid.

℞ *Vt certum: Non esse superstitiosum, sed licitum.* ibidem.

81. An ad minus, sit superstitiosum, & illicitum, præcipere dœmoni, sub pœna excommunicationis, vt ab obsesso exeat. ibid.

℞ *Vt certum: Esse superstitiosum & illicitum.* ibid.

82. An saltem sit licitum Exorcistæ, præcipere dœmoni, vt ab homine obsesso exeat, sub pœna immersionis in stagnum ignis per annos mille. ibid.

℞ *Vt certum: Esse licitum illi, si id faciat non absolute, sed sub conditione diuini beneplaciti.* ibid.

83. An item licitum sit Adiuranti, nomen dœmonis in aliqua papyro scribere, illudque comburere. pag.405.

℞ *Vt certum: Etiam id esse licitum.* ibid.

84. An, integrum sit, ac licitum Exorcistæ vti terminis iudiciariis, præcipiendo dœmoni, vt nunc exeat, & iterum tali die se iudicio sistat, ad reddendam rationem, cur tale corpus obsederit. ibid.

℞ *Quod nec integrum, nec licitum sit illi.* ibid.

85. An sit conueniens, quod Exorcistæ imponant aliqua nomina irrisiuæ dœmonibus obsidentibus, vt illis irritati, desinant à nocendo, & fugiant. ibid.

℞ *Quod non sit conueniens.* ibid.

86. An, modus adiurandi dœmones, debeat esse durus, & vehemens, & nullatenus amicus. ibid.

℞ *Affirmatiue.* ibid.

87. An possit Exorcista adiurare dœmoniacum in domibus priuatis. ibid.

℞ *Non posse, aut ad minus, non debere.* ibid.

88. An, obsessi sint exorcizandi ianuis Ecclesiæ apertis. ibid.

Se curius esse ianuis clausis. ibid.

89. An deceat, vt mulieres coniurationibus obsessorum intersint. pag.406

℞ *Non decere si obsessi sint viri; secus si sint mulieres.* ibid.

90. An Energumena Monialis debeat intra septa Monasterij exorcizari. ibid.

℞ *Quod, iuxta decretum Congreg. Cardin. debeat in Ecclesia; sed iuxta vsum receptum in Hispania, intra septa Monasterij.* ibid.

91. An sit decens, quod Exorcizator, tempore exorzationis, solus cum dœmoniaco permaneat. ibidem.

℞ *Quod non; præcipue si persona vexata sit fœmina.* ibid.

92. An sint aliqua signa ingressus dœmonum in hominem. ibid.

℞ *Esse, & præcipue quatuor.* ibid.

93. An etiam dentur aliqua signa discessus dœmonum, & omnimodæ liberationis obsessorum, ibidem.

℞ *Etiam esse, & præcipue, quatuor.* ibid.

TRACTATVS

TRACTATVS PRIMVS IN DECALOGVM.

TRACTANT de hac materia D. Thomas 1.2.*q.*110. *art.*4. *&* 2 2 *quæst.*122 *&* *q.*44.*art.*1. Nauarrus *in Sum. cap.*11. Toletus *lib.*4. *&* 5. *Sum.* Sayrus *in Claui Reg. lib.*4. Azor *tom* 1.*lib.*8. Thom. Sanchez *in Sum.lib.*2. *& sequent.* Bonacina *tom.*2. *Sum. à disput* 3. Fagundez *tomo* 1. *&* 2. *in Decalog.* Trullench. etiam *tomo* 1. *&* 2. *in Decalogum.* Sotus *lib* 2. *de Iustitia à quæst.*3. Valentia *tom.*2. *disp.*7.*q.*7. *pun* 4. Reginald *tom.*2. *Sum. à cap.*16. Abulensis *tomo* 2. *in cap.*20. *Exodi.*

DISPVTATIO VNICA præambula in Decalogum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Decalogus.

RESPONDEO breuiter, Decalogum nil aliud esse, aut significare, quam legum omnium aliarum summam, & epithomem: aut summam & breuem epithomem legis naturalis, & diuinæ, decem moralibus præceptis comprehensam. Sic ex D. Augustino, *q.*140. *super Exodum,* & S. Thoma 1.2.*q.*100.*art.*1. docent Catechism. Roman. *in tio explication. Decalogi.* Nauarr. *in Man. cap.*11.*num.*1. Sayrus *in Claui Regia lib.*4. *cap.*2.*n.*3. *&* 4. Reginal. *d.tom.*2.*lib.*16.*c.*4.*num.*40. Trullench. *in decalog. Prælud.*1.*num.*1.

QVÆSTIO II.

Quot, & quæ sint Decalogi præcepta?

RESpondeo vt certum, quod sunt tantùm decem sequentia, constat apertè ex *c.*4. Deuth. vbi hæc verba habetur: *Ostendit vobis pactum suum, & decem verba, quæ scripsit in Tabulis lapideis,* & Exodi 20. vbi tantum decem proponuntur præcepta; Primum: *Non habebis Deos alienos coram me.* Secundum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertium: *Memento vt diem Sabbati sanctifices.* Quartum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Quintum: *Non occides.* Sextum: *Non mœchaberis.* Septimum: *Non furtum facies.* Octauum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Nonum: *Non concupisces vxorem proximi tui.* Decimum: *Non desiderabis domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* Sic docent omnes DD. legantur ex supra citatis, Sotus *lib.*2. *de Iust. quæst.*3. *art.*3. Abulens. *in cap.*20. Exodi *q.*2. Iodocus *tom.*1. *verb. Decalogus, n.*2. Sayrus, & Trullench. & præcipuè D. Thom. 1.2.*q.*100.*art.*3. *&* 11.

QVÆSTIO III.

An, decem Decalogi præcepta, in duabus Tabulis Lapideis scripta fuerint?

RESpondeo vt certum: Quod sic. Quia id constat ex *cap.*4. *Deuther.* vbi ita dicitur: *Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit, vt faceretis, & decem verba, quæ scripsit in duabus Tabulis lapideis.* Et *c.*32. *Exodi, vers.*15. vbi ita habetur: *Et reuersus est Moyses de monte, portans duas Tabulas testimonij in manu sua scriptas ex vtráque parte.* Erant enim (ait Cornelius, à Lapide, hic) paruæ Tabulæ, vtpotè quas Moses manu gestaret, & quæ in arca testamenti exigua depositæ; neque magnæ, neque graues esse poterant: aliàs perfregissent eam sensim suo pondere: literę verò Tabularum erant magnæ, vt eminus legi possent à populo, ideóque ab vtráque parte Tabularum scribendus fuit, vt in iis integra Decalogus scriberetur. Ita Cornelius: ex Abulens. Et tenet communis Doctorum, legantur Iosephus *lib.*3. *antiquit. cap.*6. Abulens. *in cap.*32. *Exodi quæst.*21.22. *&* 23. vbi latè, & doctè de hac agit materia.

QVÆSTIO IV.

An, in singulis Decalogi Tabulis, quina essent scripta Præcepta Dei.

AFfirmant plures Doctores, existimantes, quod præcepta Decalogi scripta essent in vna Tabula, quinque, & quinq; in altera. In prima quidem tabula, hæc: *Ego sum Dominus Deus. Non habebis Deos alienos. Non assumes nomen Dei in vanum. Memento, vt diem Sabbati sanctifices. Honora patrem tuum, &c.* In secunda verò, hæc assignant: *Non occides. Non mœchaberis. Non furaberis. Non falsum testimonium dices. Non concupisces, &c.* sic tenent, apud Abulens. *loc.cit. quæst.* 24. aliqui Hebræi, quibus consonant aliqui, ex Latinis, licèt dissentiant in assignandis quina prima Præcepta. Legantur Trullench. *prælud.* 1. *in Decalog. numer.* 10. & alij apud ipsum.

Sed probabilius Respondeo Negatiuè. Quia probabilius est, quod in prima Tabula, solùm erant sculpta tria priora ex recensitis præcepta; Nempè: *Non habebis Deos alienos. Non assumes nomen domini Dei tui in vanum. Memento, vt diem Sabbati sanctifices.* In secunda verò tabula, septem alia præcepta, quæ suprà *quæst.* 2. enumerauimus. Sic sensêre D. Augustin. *quæst.* 71. *in Exodum.* D. Thomas 1. 2. *qu.* 100. *art.* 4. Medina, & alij Discipuli *ibidem.* Abulens. *in cap.* 22. *Exodi quæst.* 24. Sotus *de Iust. & Iure, lib.* 2. *quæst.* 3. *art.* 4. Catechism. Roman. *in explicat. primi præcepti Decalogi num.* 16. Sayrus *in Clavi Reg. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 6. Iodocus *tom.* 1. *Thesauri. Verb. Decalogus. num.* 5. & communis.

QVÆSTIO V.

An Præcepta Decalogi, sint Iuris naturalis, & diuini positiui.

REspondeo vt certum: Esse vtriusque Iuris. Et quidem, quod sint iuris naturalis, constat: Quia dicta præcepta sunt, quæ pertinent ad bonos mores; mores autem humani dicantur, ad rectam rationem naturalem: ergo. Quod verò sint etiam Iuris diuini positiui, itavt legislator positiuus sit ipse Deus, euidenter constat ex 22. *Exodi.* Vbi habetur, decem verba legis esse à Deo ministerio Angelorum Moysi data in duabus Tabulis lapideis. Sic omnes Theologi Cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 98. *art.* 2. *&* 3. *&* *q.* 100. *art.* 2.

QVÆSTIO VI.

An, Præcepta Decalogi vigeant etiam nunc, in lege Gratiæ.

REspondeo vt certum. Vigere quidem, non ex vi, & authoritate immediati legislatoris Moysis, sed ex vi, & authoritate præcipui legislatoris Dei, & ex vi iuris naturalis, quod continent. Veritatem hanc comprobat totius Ecclesiæ consuetudo: qua inde ab initio Christianus populus, inter cætera Fidei, ac religionis rudimenta, etiam Decalogi præcepta didicit Sic omnes. Legantur D. Thom. 1. 2. *q.* 103. *art.* 3. Bellarmin. *tom.* 3. *de Iustificat. lib.* 4. *c.* 5. *Nauarrus c.* 11. *n.* 2. Fagundez *lib.* 1. *in Decalog. initio.* Trullench. *prælud.* 2. *n.* 8. 9. *&* 10. & alij. Qui & notant, ita permanere in lege Gratiæ præcepta Decalogi, vt solùm permanere censeantur, præcisè, quoad Ius naturale; non verò quoad Ius ceremoniale, aliquod, si quod continet.

QVÆSTIO VII.

An Præcepta Decalogi præcipiant actus virtutis, tam Theologalis, quàm Moralis?

REspondeo quod sic. Quia lex naturalis, & diuina, qualis est lex Decalogi (vt suprà *qu.* 5. est habitum,) ordinat hominem ad Deum, & ipsum hominem cum Deo coniungit: at sic est, quod hæc coniuncto fit per actus omnium virtutum: ergo. Sic omnes. Legantur Sayrus *in Clavi Regia lib.* 4. *c.* 2. *n.* 12. Trullench. *prælud.* 3. *n.* 9. Qui & *n.* 10. notat, quod etsi omnium virtutum actus in præceptis Decalogi contineantur; nihilominus tamen, omnia Decalogi præcepta ad duas virtutes tanquam ad vltimum finem, reducuntur, nempè ad Iustitiam, & Charitatem. Legantur S. Thom. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 1. Iodocus *Verbo Decalogus. num.* 6. & alij.

QVÆSTIO VIII.

An, trangressio cuiusuis præcepti Decalogi, sit ex se peccatum mortale?

REspondeo vt certum, esse; nisi vna istarum trium causarum excusetur. *Prima* est, defectus deliberationis, vt cum S. Thoma docent omnes Theologi, 1. 2. *qu.* 88. *art.* 6. *Secunda* est, materiæ paruitas, modo in eo genere peccati reperiatur paruitas materiæ, vt in furto; secus aliàs: *Tertia* est defectus pleni vsus iudicij, & rationis, vt accidit in ebriis, & sermidormientibus, qui aliquando pollutionem patiuntur, &c. Sic docent omnes. Legantur S. Thom. *loc.cit.* & 2. 2. *qu.* 59. *art.* 4. *ad* 2. Caiet. 1. 2. *q.* 15. *art.* 4. Sanchez *in sum. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 13. Sayrus *in Clavi Reg. lib.* 4. *c.* 2. *nu.* 14. Trullench. *prælud.* 4. *Decalog. n.* 6. Nauarr. *c.* 11. *n.* 4.

QVÆSTIO IX.

An, Præcepta Decalogi sint dispensabilia.

AFfirmauit Occhamus, 2. *sentent. dist.* 19. dum docuit, omnia præcepta Decalogi esse à Deo dispensabilia.

Sed Respondeo: Non esse dispensabilia, nec ab ipso Deo. Quia hæc præcepta prohibent quod intrinsecè ex se, & ex natura sua est malum, & præcipiunt id quod intrinsecè, & ex natura sua est bonum: at implicat, vt aliquid, quod ex natura sua est bonum, sit malum, vel bonum alteri, & non alteri: ergo non possunt hæc præcepta dispensari, nec licentia concedi, vt aliquis, manente lege naturali, quoad alios; ipse contra legem operetur. Sic S. Thom. 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. Sotus *de Iust. & Iure, lib.* 2. *q.* 3. *art.* 8. Altissiodorens. *lib.* 3. *tract.* 7. *q.* 5. Iodocus *tom.* 1. *Thesauri Verb. Decalogus n.* 7. Couarru. *Reg. Peccatum par.* 2. *c.* 6. *n.* 6. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 6. *n.* 14. Nauarius *consil.* 4. *de dispensat. Impuber. n.* 16. Suarez *de legibus lib.* 2. *c.* 14. *n.* 5. *& c.* 15. *n.* 2. *&* 26. Palao *tract.* 3. *de legib. disp.* 6. *pun.* 2. *n.* 5. Barbosa *de Iure vniuerso, lib.* 1. *c.* 2. *n.* 122. Trullench. *prælud.* 5. *n.* 5. qui, *numeris sequentibus*, optimè respondet argumentis, quæ contra hanc doctrinam obstare videntur.

TRACTA

TRACTATVS II.

DE IIS, QVÆ AD FIDEM PERTINENT.

IN PRIMVM PRÆCEPTVM DECALOGI, quod est; *Non habebis Deos alienos, coram me.*

DISPVTATIO PRIMA.

De Essentia, Obiecto, & Subiecto fidei.

QVÆSTIO PRIMA.

An virtus Fidei, eiusquè præceptum, ad primum Decalogi præceptum reuocetur, & pertineat?

RESPONDEO vt certum: Reuocari, & pertinere. Ratio est: quia ad hoc Decalogi præceptum reuocantur quæcumque pertinent ad tres virtutes Theologicas, nempè, Fidem, Spem, & Charitatem: eo quod precisè hæ ad vnius veri Dei debitum cultum, & reuerentiam requirantur. Teste namquè Augustino *in Enchirid. tom. 5. cap. 3. pag. 66.* in virtutibus Deus colitur, & reueretur. Et certè credendo, sperando, & Deum amando, ipsum colimus, veneramur, & honoramus, quod præcipitur primo præcepto Decalogi. Sic docent omnes. Legantur D. Thomas 2.2. *q.* 100. Azor. *tom. 1. lib. 8. c. 1. q. 2.* Sanchez *lib. 2. sum. initio.* Fagundez *lib. 1. in primum præcept. Decalogi, initio.* Trullench. *lib. 1. in Decalogum in principio.*

QVÆSTIO II.

Quid sit Fides? & Quotuplex?

RESpondeo ad Primum, quòd Fides est, *Virtus supernaturalis diuinitùs in intellectu infusa, qua illustratus homo certò, & firmiter assentitur iis, quæ à Deo sunt reuelata, & ab Ecclesia ad credendum proposita.* Hæc definitio, quoad substantiam non differt ab ea, quam D. Paulus *ad Hebr. 11.* & ex illo D. Thomas 2.2. *qu. 4. art. 1.* & communiter alij Patres, tradunt, nempè: *Fides est substantia sperandarum rerum argumentum non apparentium.* Legantur Azor. *loc. cit. quæst. 3.* Fagundez *cap. 1. num. 1.* Trullench. *c. 1. n. 1. & 2.* Bonacina *tom. 2. sum. disp. 3. quæst. 2. punct. 1. num. 1.* Granados *de Fide controuersia 1. tract. 12. disput. 1.* Legantur nouissimè Pater Acacius March. *R. P. Leand. in Decalogum.* de Velasco *tom. 1. Resol. moral. verb. Fe. Resol. 328. numer. 4. & Resol. 329.* vbi *ad 2. partem quæst. sic respondet: la Fee es en dos maneras, vna explicit, à y otra implicita. Explicita se llama, quando con ella creemos algun mysterio en particular; como quando creemos que Christo señor nuestro, se incarnò, murio, y resuscito: entonces se diZe con propriedad que tenemos Fee explicita de aquel mysterio. Fee implicita se llama, quando alguna cosa se cree, no en particular,* & in se ipsa, *sino en otro alguno: como sucede en el que cree lo que la Santa Madre Iglesia cree en comun: este tal se dize que tiene Fee implicita.* Sic ille.

QVÆSTIO III.

Quodnam sit Obiectum Materiale Fidei?

RESpondeo quod Obiectum materiale Fidei, nihil aliud sit, quàm res à Deo reuelatæ, & & propositæ ab Ecclesia vt credendæ. Ratio est: quia illud est Obiectum Materiale Fidei, circà quod Fides versatur: Sed fides versatur, circa res à Deo reuelatas, & ad credendum ab Ecclesia propositas: ergo. Sic communis DD. Legantur Bonac. *num. 3.* Trullench. *num. 3.* Azor *quæst. 3. & 4.* vbi latè explicat, quænam res sint à Deo diuinitùs reuelatæ, & ab Ecclesia ad credendum propositæ.

QVÆSTIO IV.

Quid sit Obiectum Formale Fidei?

RESpondeo quod est authoritas diuina, seu veritas prima vt reuelans; ideſt, Deus ipse in quantum reuelat. Ratio est. Quia Obiectum Formale Fidei, est forma seu ratio principalis, ob quam credimus veritatibus à Deo reuelatis: sed sic est, quod huiusmodi forma, seu ratio, est auctoritas, diuina; ob illam námque solùm credimus, v.g. Deum esse trinum, & vnum; esse remuneratorem bonorum operum &c. quia, scilicet, Deus ipse, reuelauit, & dixit: ergo. Sic communis sententia. Legantur S. Thom. 2.2. *quæst. 1. art. 1.* Bonacina, & Trullench. *loc. cit.*

QVÆSTIO V.

Quænam alia requirantur ad assentiendum Fidei, prout est in nobis?

REspondeo, quòd, Quinque. *Primum* prædicatio rei credendæ. *Secundum*, Motiua externa, quæ efficiunt rem illam credibilem; vt sunt miracula, & similia. *Tertium*, Inclinatio voluntatis, & pia quædam affectio ad credenda. *Quartum*, Lumen Fidei, hoc est, habitus supernaturalis respectu actuũ, qui sunt ab homine fidei: vel auxilium supernaturale respectu primi actus, qui est dispositio ad habitum Fidei, quando Fides habetur per proprium actum, vt in adultis. *Quintum* tandem, assensus aliquis humanus circa res credendas; vt quod hoc, vel illud sit ab Ecclesia determinatum, & propositum ad credendum; ipsum tamen articulum deinde credimus fide diuina. Sic omnino ex Filliucio *tract.22. cap.1.num.4.* docet Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.1. dub.1. num.4.* legatur Granados *controuer.1. de Fide tract.9. à disput.1.*

QVÆSTIO VI.

An, habitus Fidei, sit in Intellectu?

NEgant aliqui: Recentiores, existimantes, habitum fidei immediatè esse, & collocari in Anima rationali. Ita Lugo *disp.15. sect.1.* & Ripalda *de Fide disp.19. sect.1.*

Sed probabilius Respondeo immediatè esse in Intellectu. Ratio est. Quia in ea potentia debet collocari habitus, à qua eliciuntur eius actus: at sic est, quod actus assentiendi, & credendi, qui sunt actus Fidei, eliciuntur ab intellectu; ergo in eo debet collocari Fidei habitus: Sic communiter Theologi. Legantur D. Thom. 2.2.q.4. art.2. Bannes, Aragon, Valentia, Malderus & alij *ibidem.* Granados *controuer.1. de Fide tract.13. disp.6.n.1.* Bonac. *loc. cit. punct.1. num.2.* Trullench. *dub.1. cit. num.7.* Palao *tom.1. oper.moral. tract.4. disp.1. pun.6.n.1.*

QVÆSTIO VII.

An, in Beatis, sit Fidei actus, vel habitus?

AFfirmatiuam sententiam esse probabilem, apertè fatetur Durand. *in 3. disp.31. quæst.3. & 4.* Et quidem, loquendo de habitu Fidei, ita sentiunt aliqui Recentiores, *in cap.13.1. Corinth.* vt notat Luysius, *vbi infrà.* Quibus fauet Suarez, *vbi infrà*, dicendo non videri incredibile remanere habitum Fidei in Beatis, eo quod non repugnet.

Sed, vt certissimum quid, Respondeo *Primò*: minimè manere in Beatis actum Fidei supernaturalis. Patet. Quia, quæ nunc in via videmus per speculum, & in Ænigmate; vident nunc in patria Beati facie ad faciem, vt ait Apostolus *1. Corinth.13.* at sic est, quod cum cognitione clara visionis, non compatitur cognitio obscura, & ænigmatica: ergo. Sic cum communi tenet Suarez, *vbi infrà.*

Respondeo *Secundò*, vt longè probabilius. Nec habitum Fidei infusum permanere in Beatis. Quia vbi præcipuus actus non est, habitus illius superfluit. Sic sentiunt communiter Theologi cum S. Thoma *1.2.q.67. & 2.2.q.5. art.2.* Malderus, Valentia, Becanus, quos citat & sequitur Bonacina *tom.2. disp.3. qu.2. punct.1. num.7.* Ægidius *disp.11. de Fide dub.1. concl.1. & disp.17. dub.4. concl.1. & 2.* Palaus *tom.1. tract.4. disp.1. punct.6.* (non 7. vt leges apud Trullench) *n 7.* Luysius *in 2.2. disp.43. dub.4.* Trullench. *lib.1 in Decalog. dub.1. n.8.* Suarez *de Fide disp.7. sect.5. n.4.* Ouiedo *de Fide controuers.6. punct.6. n.62.*

QVÆSTIO VIII.

An, in Dæmonibus, & Damnatis, maneat Fides supernaturalis informis?

AFfirmarunt Magister *in 3. dist.23. cap.4.* Alensis *3.p. quæst.64. memb.1.* Durand. *in 3. dist.23. quæst.9.* necnon Glossa *ad Roman.1.* & Glossa *in Rubr. de Sum. Trinit. & Fide Catholica.* Qui probant ex illo Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt*: quibus verbis, videtur indicare eandem fidem in Dœmonibus esse, quæ est informis in hominibus fidelibus.

Sed longè multò probabilius, imò & ferè certum, Respondeo; Minimè manere in Dœmonibus, aut in hominibus damnatis, Fidem infusam supernaturalem, nec quoad habitum, nec quoad actum. Ratio est. Quia status damnationis, vtpotè miserrimus, dicit carentiam omnis auxilij, & doni supernaturalis, quale est Fidei habitus, vel actus: ergo quamuis hic præcesserit in Damnato, illo exuitur, dum primum infœliciſſimum damnationis statum subit. Sic communiter tenet Theologorum sententia cum D. Thoma 2.2. *quæst.5. art.2.* Vbi eius Interpretes, præcipuè Bannez *dub.1.* Vbi oppositam sententiam, periculosam, & proximam errori iudicauit. Ricard. *in 3. dist.23. art.6. quæst.5.* Gabriel *quæst.2.* Palud. *quæst.5. art.3.* Et ex Theologis Recentioribus Suarez *de Fide, disp.6. sect.9. num.9. & disp.7. sect.5. numer.3.* Vbi hanc nostram sententiam solùm, longè probabiliorem dicit. Ægidius *disp.17. dub.2.* Lugo *disp.17. sect.2. num.8.* Luysius *disp.43. dub.3.* Vbi oppositam sententiam improbabilem iudicat. Gasp. Hurtad. *de Fide disp.7. diff.4.* Puente Hurtad. *disp.59. sect.3.* Granad. *tract.3. sectio 1.* Merat. *disp.24. sect.3.* Quod omnes citat, & sequitur Ouiedo *tract. de Fide controu. 6. punct. 6. numer.65.* Quibus ego addo Palaum *tom. 1. tract. 4. disp. 61. punct.6. numer.6.* Lorcam *disp.30. num.4.* Bonacinam *tom.2. quæst.2. punct.1. num.9.* Ripaldam *de Fide disp.19. sect.3. numer.23.* dicentes, oppositam sententiam esse falsissimam, & Trullench. *lib.1. Decalogi cap.1. dub.1. numer.9.* Qui ad locum D. Iacobi respondet intelligi debere de Fide naturali, non de diuina, & supernaturali.

QVÆSTIO IX.

An, in Animabus Purgatorij maneat Fides supernaturalis, tam quoad habitum, quàm quoad actum?

NEgat Petr. Hurtadus *disp.99. de Fide, sect.3.* existimans in Animabus Purgatorij minimè manere Fidem; Quia dictæ Animæ (ait) operari possunt per scientiam supernaturalem infusam: ergo.

Sed vt ferè certum, Respondeo In dictis Animabus, verè manere Fidem supernaturalem, tam quoad habitum, quàm quoad actum. Quia inquit Ripalda) neque felicitas illius status tanta est, vt obscuritas Fidei cognitiones ferre non possit ad directionem

nem actuum Spei & Charitatis, quos animæ purgantes eliciunt, cum adhuc sit viæ, & punitionis, & non claræ visionis locus. Sic ille, *loco citato sect.4. numer.41.* citans Suarium *disp.6. sect.9. num (adde tu)* 4. Mæratium *disp.24. sect.3.* Ægidium *disp.17. dub.4.* Granadum *tract. 13. numer.11.* & Lugum *disp.17. numer.8.* His addi possunt Hurtad. Complutens. *disp.7. diff.3.* Ouiedo *controuer.6. punct.6. n.63.* Palaus *tract.4. de Fide. disp.1. punct.6. num.8.* Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.1. dub.1. in fine.* Bonac. *loc. cit. num.9. in fine.*

Qvæstio X.

An, in Hæreticis sit Fides supernaturalis, saltem quoad habitum?

Affirmauit Durandus *in 3. dist.23. quæst.9.* dum asseruit, hæreticum, licèt discredat vni, vel alteri articulo Fidei, non perdere habitum Fidei, si aliquos credat. Quia (inquit) non repugnat credere aliquid Fide supernaturali infusa, quia Deus dicit; & non credere omnia, quæ dicit Ecclesia à Deo esse reuelata: ergo non repugnat manere habitum Fidei in hæretico. Eandem opinionem sequuta fuit Glossa *in cap. Firmiter. de Sum. Trinit.*

Sed tanquàm omnino certum Respondeo. Non esse in Hæreticis supernaturalem fidem, adhuc in illis, qui solùm circa aliquod mysterium Fidei errant. Probatur Primò ex Concil. Trident. *sess.6. cap.15.* dicente sic: *Asserendum est, non modò infidelitate per quam & ipsa fides amittitur, &c.* ergo ex Concilio, clarè constat per infidelitatem amitti fidem: sed Hæresis est pars infidelitatis: ergo per Hæresim fides amittitur.

Secundò. Quia dissentiens alicui fidei articulo, minimè potest illius fidem habere: ergo nec illam potest habere respectu aliorum articulorum; quia Fides non est multiplex, sed vna & indiuisibilis. Sic D. Thom. 2.2. *quæst.5. art.3.* Vbi Caiet. & alij Interpretes. Scot. *in 3. dist.23. q.1. ad 1.* Gabriel. *q.2. art.3.* Capreol. *dist.24. ad argum. contra 3. cõcl.* quos pro hac parte refert, & sequitur Suarez de Fide *disp.7. sect.4. n.2.* dicens, ita esse certam hanc conclusionem, vt sine errore iam negari nequeat. Legantur Ouiedo *de Fide contr.6. pun.4. n.38. & pun.5. n.39. & seq.* Ripalda *disp.17 sect.4. & disp.19. sect.5.* & alij suprà citati.

DISPVTATIO II.

De Necessitate Fidei internæ.

§. I.

De his, quæ, necessitate Medij, necessariò sunt credenda.

Qvæstio Prima.

An Fides sit simpliciter, necessitate Medij, omnibus ad salutem necessaria.

Negavit Erasmus turpiter, & cum eo alij, qui *in Commentar. Tusculanarum qq.* Ciceronem, & Zuingl. qui, *in expositione Christianæ Fidei, art.11.* Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Numam, Camillum, Catones, & Scipiones, & Senecam, quantumuis fidei diuinæ expertes, in cœlis collocarunt.

Negauit item, parum minus turpiter, Vega *lib.6. in Trident. cap.20. & 21.* dum docuit, posse hominem in aliquo casu saluari, sine Fide; per cognitionem naturalem Dei, vel boni honesti, si aliàs faciat quantum in se sit ad vitandum malum, & honestum sectandum. Quod idem sensit Sotus *lib.2. de natura, & gratia, c.11.* licèt postea oppositum docuerit *ibid.* in posteriori editione, *& in 4. dist.1. q.2. art.3.*

Sed, vt quid certissimum, Respondeo: Fidem, siue in actu, siue in habitu, esse omnibus ad salutem necessariam necessitate Medij Hæc responsio est certa ex illo Pauli *ad Heb. 11. sine Fide impossibile est placere Deo*: atqui placere Deo est necessarium ad salutem, hoc est ad gratiam, & gloriam consequendam: ergo & Fides. Et ex illo ad Galat.5. *Nos ex fide spiritum accepimus.* & ad Ephes.3. *Gratia estis saluati per fidem.* & ex Concil. Trident. *sess.6. cap.7.* vbi describitur ordo iustificationis, & exordium illius ponitur in vocatione ad fidem: & infrà docet; *Baptismum esse sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio.* Sic vt quid certum docent omnes Theologi cum D. Thoma 2.2. *quæst.2. art.3.* & cum Magistro *in 3. d.23.* legantur ex Recentioribus Zumel *q.11. art.4. d.2.* Canus *Relect. de Sacram. p.2. quæst.2. concl.1.* Vbi contrariam sententiam erroneam, & pelagianam appellant: & nostram esse de Fide, aut proximam fidei. Bannez. 2.2. *q.2. art.8. dub.1.* Palao *tract.4. disp.1. punct.8. n.2.* & alij Recentiores docent. Suarez *disp.12. sect.1 & 2.* Ouiedo *controuer.7. pun.2.* Ripalda *disp.17. sect.3. num.201.* Sanchez *lib.2. Decalogi cap.2. n.3.* Fagundez *lib.1. Decalog. cap.2. num.7.*

Qvæstio II.

An tam paruulis, quàm adultis, sit Fides necessaria ad salutem; siue, ad Iustificationem?

Negauit Innocent. III. in cap. *Maiores de Baptismo*: quia existimauit, Infantes, seu carentes vsu rationis, minimè esse capaces Fidei.

Sed vt quid certissimum Respondeo omnibus, tam paruulis, quàm adultis, esse necessariam Fidem ad salutem, seu Iustificationem: sed diuerso modo: nam paruulis, seu carentibus vsu rationis, est fides necessaria in habitu, non in actu; quia huius capaces non sunt; & hoc solùm voluit Innocentius III. adultis verò, est Fides necessaria, etiam secundùm actum: quia cùm adulti iam fidei actus sint capaces, tenetur necessariò se ad gratiam suscipiendam aliquo actu fidei supernaturalis, disponere. Hanc responsionem conuincunt loca Sacræ Scripturæ, & Concilij, nuper adducta, cum generaliter, & sine restrictione loquantur. Legantur Suarez *disp.12. sect.1.* Palao *num.3.* & alij suprà adducti.

Qvæstio III.

An, in aliquo casu sufficiat Fides in voto, vt quis salutem consequi possit.

Affirmauit Vega, vt vidimus *quæst.1.* docens, posse homines saluari in aliquo casu sine Fide in re

re ipsa, per cognitionem naturalem, vel Dei, vel boni honesti, si aliàs faciat quod in se est, &c. Fundamentũ eius est; Quia potest contingere, vt quis ita in remotissimis partibus sit nutritus, vt nullo modo notitia Fidei ad eum accedat: atqui hic, si aliàs faciat, quod in se est ad vitandum malum, & bonum sectandum, absque dubio consequetur salutem, & non ex Fide, cum nequeat *credere sine prædicante, ad Rom.* 10. ergo.

Sed vt quid certissimum. Respondeo Nec in dicto vel in alio aliquo casu, posse quem consequi salutem, sine Fide in re ipsa, aut actuali, aut habituali. Quia locutiones scripturæ vniuersales sunt, vt habitum est, *quæst.* 2. Et sic docent omnes Theologi præcipuè *ibi* citati. Qui ad fundamentum Vegæ respondent; quod in præassignato casu, ille rusticus, qui gratia Dei præuentus, legem naturalem seruauerit, verè illuminaretur à Deo ad eliciendum actum Fidei non ex merito ipsius, sed ex pura gratia, quam omnibus facientibus, quod in ipsis est, non denegat illam, sic Suarez *disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 14. Sanchez. *lib.* 2. *sum. cap.* 2. *num.* 4. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 11. & 12. Palao *tract.* 4. *disp.* 1. *pun.* 8. *in fine*, & alij.

Qvæstio IV.

An Fides omnium Mysteriorum, sit necessaria ad salutem, necessitate Medij.

Respondeo vt certum, dicendum, quod sit necessaria Fides implicita omnium Mysteriorum; non verò Fides explicita. Sic docent omnes Theologi. Qui pro intelligentia huius responsionis notant, quòd duplex sit Fides, alia implicita, & alia explicita. Implicita dicitur, cum res aliqua Fidei, non creditur expresè, & in particulari in se ipsa, sed in alia expresè credita, in qua illa continetur: vt v.g. explicitè credens quidquid credit Ecclesia, implicitè credit mysteria omnia Fidei, vt, *Deum in omnibus suis dictis esse veracem; Esse trinum, & vnum, Christum Dominum ex Virgine natum, &c.* Et in hoc sensu, certum est apud omnes, requiri ad salutem Fidem omnium mysteriorum, etiam minimorum. Explicita autem Fides est, quia in particulari, & in se ipsa, creditur expresè aliqua res Fidei; vt cùm quis expresè credit, *Deum esse trinum, & vnum: verbum esse incarnatum, &c.* Et in hac acceptatione, certum etiam est, quod Fides omnium Mysteriorum non sit ad salutem consequendam necessaria, necessitate medij: legantur Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 2. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 3. Suarez *disp.* 12. *de Fide sect.* 3. Arriaga 2. 2. *tract. de Fide disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 7. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. & alij.

Qvæstio V.

An omnibus sit necessarium ad salutem consequendam, credere explicitè, Deum existere, aut esse?

Negant aliqui DD. existimantes, non omnibus esse omninò necessarium ad salutem, habere fidem explicitam existentiæ Dei; quia non omnes possunt habere illam: nam multi Philosophi euidenter cognoscunt Deum existere: atqui cum cognitione euidenti circa idem obiectum Fides non componitur: ergo. Ita sentiunt Caietan. & Carthusian. ad illa verba Pauli *ad Hebr.* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Quibus subscribit Bannez 2. 2. *q.* 2. *art.* 4.

Sed vt certum Respondeo omnibus omninò esse necessariam ad salutem, Fidem explicitam existentiæ Dei; aut, credere Deum existere, & esse. *Primò*, quia id communiter, verbis Pauli nuper adductis, quæ generalia sunt, & de omnibus intelliguntur.

Secundò. Quia si aliquod mysterium debet credi explicitè per fidem, certè hoc est, nempe *Deum existere*: quia si sic Deus non credatur, nec peccati agnoscitur malitia, nec venia speratur, nec amatur Deus super omnia, &c. Sic docent communiter Theologi, inter quos præcipui sunt Suarez *disp.* 12. *sect.* 3. Becanus *cap.* 14. *quæst.* 1. Ægidius *disp.* 14. *dub.* 9. *num.* 24. Luysius 2. 2. *disp.* 26. *dub.* 1. Ioan. de S. Thoma 2. 2. *disp.* 4. *art.* 2. *dicto* 3. Gasp. Hurtad. *disp.* 8. *diff.* 3. Quiedo *controuer.* 7. *pun.* 3. Arriaga *disp.* 12. *sect.* 3. *num.* 22. Qui ad argumentum Caietani respondet negando minorem; quia licèt circa idem omninò obiectum formale viderentur repugnare actus fidei, & scientiæ; circa idem tamen materiale sub duobus formalibus, non video, quæ vel probabilis afferatur repugnantia. Sic ille. Et eodem fere modo respondet Quiedo his verbis. *Ad rationem Caietani, & Carthus. facilè respondetur, posse actum scientiæ cum actu fidei componi: & casu quo componi non possint, scientiæ actus parum durat, intellectus enim facilè in diuersa distrahitur obiecta; & ita nunquam pro tempore, intra quod vrget necessitas eliciendi fidei actum, ex repugnantia cum actu scientiæ impossibilis erit.* Hæc ille.

Qvæstio VI.

An, etiam omnibus sit necessaria Fides explicita Dei, non solùm vt existentis; sed etiam vt remuneratoris, ad Iustificationem consequendam?

Affirmat absolutè communis Theologorum sententia, docens, non posse vnquam Iustificationem impij contingere, sine Fide explicita Dei, provt remunerator est, gratiæ, videlicet, & gloriæ.

Huius sententiæ vnicum fundamentum est, testimonium Pauli ad Hebr. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo: quia accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Quod confirmat Tridentin. *sess.* 6. *cap.* 6. ex eodem testimonio constituens eiusmodi Fidem inter dispositiones ad iustificationem necessarias. Ita, inter alios, tenet nouissimè Quiedo *controuer.* 7. *pun.* 3. *num.* 33. Vbi ita ait: In omni statu (*legis videlicet, gratiæ, & antiquæ,*) necessaria est Fides explicita Dei, non solùm, vt existentis, sed etiam, vt remuneratoris. Ita tradunt Suarius *disp.* 12. *sect.* 3. Turrian. *disp.* 25. *dub.* 4. Coninch. *disp.* 25. *dub.* 9. *n.* 147. Granados *tract.* 10. *disp.* 2. *sect.* 1. Tannerus *q.* 7. *dub.* 2. *num.* 39. Gasp. Hurtado *disp.* 8. *diff.* 4. & constat ex Paulo *loc. cit. &c.* Ita ille. Ioan. de S. Thoma *loco citato.*

Negat contrà Arriaga 2. 2. *disp.* 12. *sect.* 4. *num.* 27. & 28. docens, neque in lege antiqua, neque in lege gratiæ, fuisse in omni casu, necessariam explicitam notitiam Dei, vt Remuneratoris supernaturalis. Probat, loquendo de statu legis gratiæ, sic: Nam si ponamus Puerum baptizatum, qui educetur in syluis, ita vt non amittat postea Fidem propter peccatum

catum hæresis, sed alia grauia peccata committat; instruat hunc postea aliquis ostendendo ei peccata illa esse meritoria pœnæ æternæ (nil dicendo de visione beata, aut gratia habituali) & ex illa instructione, & spe euadendi illam pœnam, excitetur ad dolorem de peccatis, & quia etiam erga confessionem instructus est, confiteatur simul; certè hic cum ea attritione, & confessione, obtinebit remissionem peccati, & consequenter poterit saluari; & tamen ibi non intercedit notitia visionis beatæ: ergo. Hæc Arriaga, & penès illum aliqui Recentiores.

Sed ego clarius Respondeo Primò sic. Certissimum est, apud omnes Theologos, quod omnibus adultis sit, & fuerit in omni statu, omninò necessaria Fides implicita Dei, vt Remuneratoris supernaturalis, hoc est, quod Deus sit Remunerator meritorum, itavt iustis reddat gratiam, & gloriam æternam; & peccatoribus supplicium æternum. Hęc conclusio probata manet ex nuper dictis, præcipuè *quæst.* 4.

Respondeo secundò. Fides explicita Dei Remuneratoris non est necessaria necessitate medij ad salutẽ, seu iustificationem Fidelium: benè tamen ad illã perfectiori modo, & communiori impetrandam. Id namque solum, & non aliud, conuincit Arriaga argumento suo facto. Et tenent Granados *contro.* 8. *de Gratia tract.* 9. *disp.* 3. *n.* 2. Ripalda *de fide disp.* 17. *sect.* 13. *num.* 208. *& sect.* 14. *num.* 229. *&* 233. & alij recentiores.

Respondeo *Tertiò*. Fides explicita Dei Remuneratoris supernaturalis, non solùm est necessaria ad salutem, seu iustificationem Infidelium regulari, & communi, & perfecto modo consequendam, vt vult Ripalda, *loc. cit.* Sed vt absolutè consequatur. Quia talis fides explicita respectu Infidelium, qui nomen volunt dare Religioni Christianæ, omninò est necessaria necessitate salutis; quia ad minus de his intelligi debent Paulus, & Tridentin. *locis* pro prima sententia *adductis*, vt concedunt Ripalda, & Granado *sup.* citati sic à fortiori, sentire debent omnes authores primæ sententiæ.

Qvæstio VII.

An Sanctissimæ Trinitatis fides explicita, fuerit necessaria ad salutem, necessitate medij, in statu legis Naturæ, vel scriptæ, seu ante promulgationem Euangelij?

Respondeo, vt certum: Non fuisse necessariam, necessitate medij. Ratio est, quia mysterium Trinitatis non fuit ita reuelatum, temporibus legis Naturæ, vel scriptæ, vt omnibus hominibus generaliter credendum proponeretur: vnde nec talis Fides erat tunc in præcepto: ergo nec medium omnino ad salutem necessarium: patet, quia media necessaria, & præcipiuntur, & generaliter proponuntur. Sic omnes Theologi. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *ad* 2. Suarez *disput.* 12. *de Fide sect.* 3. *num.* 10. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 2. *in fine*. Luysius 2. 2. *disp.* 27. *dub.* 8. Fagundez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 2. *numer.* 25. Trullench. *ibid. lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 6. & alij omnes docentes, ante sufficientem Euangelij promulgationem, solùm fuisse necessariam ad salutem necessitate medij, fidem implicitam Trinitatis mysterij.

Qvæstio VIII.

An saltem, post Euangelij promulgationem, sit necessitate medij ad salutem, necessaria, Fides expressa, & explicita mysterij Sanctissimæ Trinitatis?

Affirmant quamplures, & grauissimi Doctores. Qui & probant ex illo Matth. 28. vbi Christus Dominus postquam præcepit Apostolis, vt baptizarent, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; addit: Qui *crediderit, & Baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit*, vtique mysterium etiam Trinitatis, de quo facta fuerat expressa mentio, *condemnabitur*. Ita sentiunt Molina 1. *p. art.* 1. *disput.* 2. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 2. *pun.* 5. *in* 2. *concl.* Thom. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 8. *&* 10. Granados *tract.* 10. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 18. & apud eum Bannez Lorinus. *Act.* 2. *vers.* 38. Pesantius *q.* 2. *art.* 7. *dub.* 1. Bonacina *disp.* 3. *q.* 2. *pun.* 2. *num.* 6. Fagundez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 24. Trullench. ibid. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 8. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 1. *num.* 26.

Sed æquè probabiliter Respondent alij, negando esse necessariam necessitate medij, fidem expressam, & explicitam Sanctissimæ Trinitatis, adhuc modo, post promulgationem Euangelij. Quia, neque ex natura rei, neque ex lege Dei talis fides expressa ad iustificationem requiritur: ergo sine illa potest quis saluari: ergo non est necessariam ad salutem necessitate medij. Consequentiæ patent. Antecedens sic probat Ripalda. Quia in primis, non requiritur ex natura rei, quia sine fide expressa Trinitatis, potest fieri amor Dei, & detestatio peccatorum. Potest enim Deus proponi per fidem, summè bonus, sapiens, omnipotens, misericors, & aliis attributis, quin proponatur explicitè Trinus. Deus autem sic propositus, potest amari super omnia amore supernaturali, & ad Iustificationem sufficienti. Similiter, potest proponi offensa Dei, provt contraria Deo summè bono, & summè benefactori, & aliis attributis perfecto, seorsim à Trinitate, & sic proposita odio haberi super omnia. Rursus, nec requiritur ex lege Dei; quia nullum extat testimonium Sacræ paginæ ex quo talis lex arguatur: Nam *Hebræor.* 11. Paulus ad iustificationem solum vendicat fidem Dei existentis, & remunerantis nostra merita, quin vllam fidem Trinitatis exprimat: ergo. Hæc, & alia pro hac sententia, Ripalda *disp.* 17. *de fide, sect.* 15. *n.* 243. Qui & citat Suarium, Torres, Coninch, Hurtadum Salmanticens. Medinam, Vegam, Zumel. & Lugum, vbi *infra*. Quibus addi possunt Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 6. *quæst.* 6. Sa *verb. fides*. Cordub. *lib.* 2. *quæstion.* 4. *Propositio* 3. Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 7. Hurtad. Complutens. *diff.* 8. *diff.* 7. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 11. §. 2. quos pro hac parte refert Quiedo *de fide, contro.* 7. *pun.* 3. *num.* 37. Vbi ex se solum dicit, vtramque sententiam esse æquè probabilem, possequè quamlibet illarum tutissimè sequi.

Sed ego clarius Respondeo *Primò* certissimum est, quod modò post promulgationem Euangelij, verè sit necessaria, necessitate medij, fides Sanctissimæ Trinitatis in voto saltem, quia id ad minus conuincit fundamentum primæ sententiæ, & vt bene Suarez *disp.* 13. *num.* 10. *&* 25. *in fine*, his verbis: *Consequenter dicendum est, hanc necessitatem non esse tam rigorosam, vt in re ipsa semper illa fides exigatur, nam in aliquo casu potest votum eius sufficere cum fide implicita*. Sic ille.

Respondeo *Secundò*. Modo post expressam notitiam Trinitatis, quam habemus in lege noua, necessaria est regulariter, omninò, expressa fides Sanctissimæ Trinitatis, vt integro, ac perfecto, ac consentaneo modo, Infidelibus profiteri Christianam Religionem volentibus, iustificatio contingat. Quia regularis modus iustificationis Infidelium, contingit media instructione ministrorum Christi: at in lege Euangelica primum dogma quod Christus voluit doceri, & prædicari Gentibus à suis Ministris, fuit Trinitatis Mysterium, iuxta illud Matt. *Docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti*: ergo. sic omnino Ripalda *loc.cit.num.* 244. & Petr. Ledesma statim citandus.

Respondeo *Tertiò*, Fides expressa Sanctissimæ Trinitatis, non est omninò, & simpliciter necessaria ad iustificationem Fidelium, necessitate salutis, hoc est, ita necessaria, vt sine illa iustificari quis vnquam nequeat quia oppositum conuincit fundamentum secundę sentētiæ: legatur pro illa Petr. Ledesma *2.p. sum.tract.1.c.2.concl.4.* vbi ita ait: *Necessario es como medio regular, y comunmente conocer por fee explicita, y expressa el mysterio altissimo de la Santissima Trinidad. Esta conclusion enseña S. Thomas, en la question citada y siguenle todos sus Discipulos. La razon es. porque Dios Trino, y vno, es el ojeto principalissimo de la fee, y el author principal de nuestra saluacion: luego fue cosa cõuenientissima, que la diuina prouidencia sobrenatural, ordenasse como medio necessario para nuestra saluacion, el conocer expressamente el mysterio de la Santissima Trinidad. Dixe en la conclusion*, regular, y comunmente, *porque en algun caso extraordinario, se puede vno salvar, sin conocer expressamente el mysterio de la Santissima Trinidad.* Sic ille.

Qvæstio IX.

An, à lapsu Adami, vsque ad aduentum Christi, fuerit necessaria necessitate medij, ad gratiam, & gloriam consequendam, Fides, saltem implicita, Christi?

Respondeo tanquam certum: Fuisse. Quia in multis Scripturæ locis, Fides in Christum, tanquam simpliciter, & omni tempore ad primam, & vltimam salutem, ideſt, ad gratiam, & gloriam consequendam, necessaria, commendatur. Constat ex Acto. 4. *Non enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Similia habentur ad *Rom.* 3. 4. & 5. ad Galat. 2. & 3. & 1. *ad Chorint.* 10. *vers.* 3. & Ratio est. Quia, omni tempore, debuerunt omnes aliquo modo (ideſt, saltem implicitè) credere, id per quod beatitudinem consequuturi erant: atqui hæc comparenda erat meritis Christi: ergo fides eius necessaria semper fuit. Sic omnes Theologi. Legantur Sotus *in 4.dist.5. art.2.* Suarez *de Fide disp.12. sect.3. à num.12.* vbi ait, hanc responsionem, absolutè loquendo, esse de fide. Valentia *2.2. disp.1. quæst.2. pun.4.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.2. num.6.* Fagundez *lib.1. in Decalog. c.2.num.17.* Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.1. dub.2. num.5.* Quiedo *de Fide controuer.7. pun.3. numer.34.* Granad. *de Fide disp.2. sect.2.* Hurtad. Compluten. *disp.8. diff.6.* & Salmanticens. *disp.44. sect.1.* & alij apud ipsos.

Qvæstio X.

An, non solùm Fides implicita Christi mediatoris, sed etiam explicita eiusdem, fuerit necessaria necessitate medij, ad salutem, ante aduentum ipsiusmet Christi?

Affirmat Corduba *in quæst. lib.2. quæst.5. ad 3.* asserens, necessariam esse nunc, & semper fuisse, explicitam Fidem Christi mediatoris, ad salutem cõsequendam. Probatur. Quia loca Sacræ scripturæ supra allegata, absolutè postulant fidem Christi: atqui Fides tantum implicita, non est propria fides Christi, sed alterius obiecti: ergo. Pro hac sententia refertur etiam D. Augustini *epist.89. ad Hilarium quæst.5. & Epist.157. ad Optatum, & lib.1. contra duas epistol. Pelagian.* Vbi asserit, Iustos veteris Testamenti fuisse liberatos eadem fide, qua liberantur Fideles in lege gratiæ.

Sed cum communi omnium Sententia. Respondeo. Non fuisse necessariam, necessitate medij, fidem explicitam Christi, ante eius aduentum; sed sufficisse fidem implicitam. Quia (ait Quiedo) cum eo tempore mysterium Incarnationis peractum non esset, & homines ob ruditatem, & tarditatem, minus essent capaces, tam sublimis Mysterij, non fuit conueniens pro tunc, explicitam fidem Christi, tanta necessitate ab omnibus exigi. Sic ille *punct.3. cit. num.35.* Suarez *num.14.* Fagundez & alij, vbi suprà. Arriaga *in 2.2. disp.12 sect.2. subsect.1. n.7.*

Qvæstio XI.

An saltem, ante aduentum Christi, fuerit necessaria, necessitate medij, explicita Fides Mediatoris alicuius, inter Deum, & homines; quamuis tali fide, non cognosceretur; talem Mediatorem esse Deum, & hominem?

Affirmat Becanus, his verbis: Explicita Fides Mediatoris, seu Redemptoris, semper fuit necessaria ad salutem, tam in veteri, quàm in nouo Testamento, loquor de Fide, quæ sit explicita respectu Mediatoris, seu Redemptoris præcisè, licèt non sit explicita respectu Diuinitatis, & passionis eiusdem Mediatoris: ac proinde de tali Fide, qua quis credit, saltem in confusò, Deum prospexisse nobis de aliquo Mediatore, per quem liberari possimus à peccato, licèt non credat in particulari, hunc Mediatorem esse Deum, & hominem, qui sua morte liberat nos à peccatis. Hoc sensu docent hanc conclusionem Alexan. *3.p. quæst.82. mem.3. art.1.* Albertus *in 3.dist.25. art.1* Bonauent. *ibid. art.1. quæst.2.* Scotus *quæstion.1.* & Gabr. *quæst.1. art.2. concl.3.* Hæc Becanus, *de Fide cap.12. quæst.2. num.2. concl.1. pag. mihi 333.* Horum sententiam nouissimè sequuti sunt Ægidius *de Fide disp.14. dub.9. n.147.* Lorca *disp.21. numer.4.* & Palao *tom.1. tract.4. disp.1. punct.9. num.3.*

Sed probabilius Respondeo: Nec talis Mediatoris, seu Redemptoris fidem explicitam fuisse, necessitate medij, necessariam, ante aduentum Christi. *Primò*, ob rationem nuper adductam; *Secundò*, quia non erat expediens, tunc temporis, fidem Mediatoris, seu Redemptoris explicitam ad salutem exposci: quia dum non cognoscerent Mediatorem illum, esse Deum, & hominem, vt contrarij fatentur,

tur, difficilius de illius vtilitate, quàm de Christo, Deo,& homine fidem conciperent.Sic communiter Doctores, præcipuè Suarez *disp.12.sect.3.numer.17.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap. 2. num.7.* (licèt non ita clarè Ouiedo *loc. cit. num.35.* Fagundez *num.19.* optimè Arriaga *disp.12.cit.sect.2.n.9.*

Qvæstio XII.

In quo actu Fidei explicito, potuit contineri Fides implicita Christi, quam esse necessariam ad salutem, necessitate Medij, diximus?

Respondent Palao,& alij Authores primæ sententiæ *quæst.11.* contineri in explicita fide, seu cognitione alicuius Mediatoris, quo liberandus à peccatis quis esset, & postea gloriam consequuturus.

Sed probabilius Respondeo: Non in dicto fidei actu, (Cum talem non fuisse necessarium ex dictis constet) sed in aliquo actu supernaturali, quo quis expressè, & supernaturaliter crederet Deum esse,& authorem supernaturalium donorum ad peccatorum remedium: Quia in huiusmodi obiecto continetur implicitè Incarnationis mysterium, seu fides implicita Redemptoris, & liberatoris. Sic Valentia 2.2. *disp.1. quæst.2. pun.4. col.317.* & ex illo Sanchez *numer.7. cit.* Fagundez *num.18.* & Suarez *num.17.*

Qvæstio XIII.

An saltem, modo post sufficientem Euangelij Christi promulgationem, cognitio, seu explicita fides eiusdem Christi, sit necessitate medij necessaria, ad vtramque salutem gratiæ,& gloriæ consequendam?

Affirmant absolutè Molina,Valentia,Sanchez, Granad.Lorinus,Bonac. Pesant. Filliuc. Trullench, citati suprà *quæstion.8.* Qui & probant ex Athanasij Symbolo, vbi dicitur: *Sed necessarium est ad æternam salutem, vt Incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.* Et rursus: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterquè crediderit, saluus esse non poterit:* ergò.

Negant verò contra Ripalda, Suarez Ægidius, Luysius, vterque Hurtadus,Medina, Zumel,Vega, Lugo, Azor, Sa,Corduba,Henriquez, & Palao allegati *sup. quæst.8.* pro secunda sententia. Quibus addo nunc Arriagam *disp.12. cit. sect.2. n.7.p.180.* Quorum fundamentum,iactum est ibi.

Alij tandem, media via incedentes, docent, minimè esse necessariam, necessitate Medij Fidem explicitam Christi, ad gratiam, seu iustificationem obtinendam; bene tamen ad obtinendam gloriam, seu beatitudinem.Ita sentiunt Canus (non Caietanus vt scripsit Fagundez) *Relect. de Sacram. in gen. part.2. quæst.2. concl.3.* Bannez 2.2. *quæst.2. art.8. dub.3.* Aragon. *art.5.* & Castro *de lege pœnal. lib.2. cap.14.* Sed sententia hæc, licèt sit grauissimorum Doctorum, communiter ab omnibus Iunioribus reiicitur: eò quòd immeritò requirat maiorem fidem ad salutem gloriæ consequendam, quàm ad salutem gratiæ, siue Iustificationis: Nam de lege Ordinaria, qui filius Dei adoptiuus est per gratiam, hæres est gloriæ, & ad illam obtinendam habet ius: ergo quidquid non est necessarium ad gratiam obtinendam, neque ad gloriam requiretur. Legantur Fagundez *cap.2. cit.num.22.* Ouiedo *pun.3.n.38.* & alij.

Sed ego clarius iuxta dicta *quæst.8.* Respondeo dicendum, *Primò.* Modo post Incarnationem Christi, ac eiusdem Euangelij sufficientem promulgationem, omninò est necessaria expressa Fides Christi, seu eius Incarnationis, vt conuenientiori modo, & magis consentaneo obtineant Fideles iustificationem,& gloriam. Tum quia Tridentin. *sess.6. cap.6.* fidem Redemptionis per Christum, constituit inter dispositiones regularis Iustificationis. Tum quia,inter prima regulas Institutionis Christianæ continetur doctrina Incarnationis, & Redemptionis per Christum. Sic Ripalda *de Fide disp.17. sect.15.n.148.* & id solum conuincit fundamentum primæ sententiæ: nisi velis, verba Athanasij intelligenda esse de necessitate præcepti,de qua necessitate postea.Lege Ouiedum *loc.cit.n.42.*

Respondeo secundò. Fides expressa seu explicita Christi,seu eius Incarnationis, non est omninò, & simpliciter necessaria,necessitate medij, adhuc post Euangelium promulgatum, ad obtinendam gratiam, & gloriam. Quia absolutè loquendo, potest quis, adhuc modo, obtinere gratiam, & gloriam absque Fide expressa, seu explicita Christi, aut eius Incarnationis: ergo, absolutè loquendo, talis Fides non est necessaria necessitate Medij ad obtinendum vtramque salutem,gratiæ, videlicet, & gloriæ.Antecedens constat ex ratione tradita ad probandam secundam sententiam *quæstion.8.* Quam confirmo ex Ripalda hoc modo. Quia potest credi Deus summè bonus,& perfectus, quin Incarnatus credatur, imò quin saluator, & iustificator proponatur: rursus, ex tali fide potest Deus super omnia diligi, cum proponatur bonitas sufficienter, & efficaciter motiua talis dilectionis: ergo potest fieri dilecto Dei super omnia, sufficiens ad iustificationem, sine fide Incarnationis, aut Redemptionis per Christum: ergo &c.Sic tenent omnes Authores pro secunda à nobis adducti.

§. II.

De his, quæ necessitate præcepti Fidei, credere teneantur Fideles.

Qvæstio XIV.

An, omnes Fideles teneantur non discredere, nec minimum obiectum reuelatum à Deo, & ab Ecclesia propositum?

Negarunt quidam antiquiores Authores,vt referunt Bellarmin.& Valentia *vbi infrà*,asserendo, solum teneri quem Symbolum fidei & alios præcipuos articulos credere; de reliquis verò liberum esse cuique, sic vel aliter iudicare. Ita sensêre Erasmus *lib.de Sacram. Eccles. concordia,& lib.20. Epist. ad Carolum, & Ferdinand. Imperatorem*, & Gregor. Cassandrus *lib.de officio pij viri.*& alij.

Sed vt certum de Fide: Respondeo, Teneri non discredere nec minimum obiectum reuelatum à Deo, & ab Ecclesia propositum. Quia, vt communiter Doctores notant, duplex est Fidei præceptum, vnum positiuum actu credendi certa mysteria à Deo reuelata, & ab Ecclesia proposita; & aliud negatiuum,non discredendi obiecta reuelata à Deo, & ab Ecclesia proposita. Hoc vltimum, verè se extendit ad omnia, quæ sufficienter sunt proposita, vt reuelata

reuelata à Deo, & ſemper, & pro ſemper obligat: & ideò qui vel minimam rem à Deo reuelatam, & ab Eccleſia propoſitam negaret, verè eſſet hæreticus; quia re vera negaret Dei authoritatem in dicendo, & Eccleſiæ infallibilitatem in proponendo. Sic omnes Theologi. Legantur d. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. *& art.* 5. Bellarmin. *lib.* 3. *de memb. Eccleſ. c.* 19. Valentia *q.* 2. *pun.* 6. Ouiedo *de Fide, contr.* 7. *pun.* 4. *n.* 467.

QVÆSTIO XV.

An, omnes Fideles teneantur, neceſsitate præcepti, ſcire, & credere, actu poſitiuo, omnia quæ Deus reuelauit, & ab Eccleſia ſunt propoſita?

REſpondeo tanquam certum: Non teneri. Quia præceptum poſitiuum Fidei non ſe extendit ad illa omnia. Conſtat enim non teneri omnes Fideles addiſcere, ſeu poſitiuè ſcire, & credere omnia, quæ ſunt in libris, ſeu Epiſtolis Canonicis ſcripta; ſed ſufficit, ſi nullum eorum negent. Sic Omnes. Legatur Ouiedo *n.* 47.

QVÆSTIO XVI.

An omnes Fideles, etiam rudes, tencantur, neceſsitate præcepti, credere explicitè aliquos articulos Fidei?

NEgarunt olim aliqui Canoniſtæ, qui exiſtimarunt, non teneri ruſticos homines ad credendum explicitè aliquos articulos Fidei; ſed ſatis illis eſſe, credere generatim quicquid credit, & tenet Eccleſia, ita Innocent. *cap. Firmiter in fine, de Summ. Trinit.* Ioan. Andr. Abbas, Hoſtienſ. Imola, Ananias, Baldus, & Zanchinus, quos refert Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. c.* 3. *n.* 3.

Sed, vt quid certiſſimum, Reſpondeo: Teneri omnes Fideles, etiam ruſticos, ad credendum, neceſſitate præcepti, explicitè aliquos articulos Fidei: & ita non ſufficere illis, credere generatim quidquid credit Eccleſia. Quia eſt præceptum Fidei, quo quiſque, etiam rudis, cogitur expreſſim credere aliquos articulos. Sic tenent omnes Theologi, & communiter Canoniſtæ. Sic Valentia 22. *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 4. *poſt* 2. *aſſertionem.* Petr. Ledeſma *tom.* 2. *Summæ tr.* 1. *cap.* 2. *in fine.* Paulus *tract.* 4. *de Fide diſp.* 1. *punct.* 10. *num.* 2. Trullench *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 3. *n.* 6. qui oppoſitam ſententiam, vt erroneam reiiciunt. Imò eam hæreticam dicit Bannez 2. 2. *quæſtion.* 11. *art.* 2. *col.* 3. & Eymericus *in* 2. *p. Directorij Inquiſit. quæſtion.* 10. *hæreſi* 8. illam, inter hæreſes refert, de mandato Pontificis ab Aragoniæ Inquiſitoribus, damnatas. Sanchez *loc. cit. num.* 3. Azor. *lib.* 8. *cap.* 6. *quæſt.* 1. *col.* 939. Fagundez *lib.* 1. *in Decalog. c.* 2. *n.* 27.

QVÆSTIO XVII.

An, ſatisfaciant præcepto poſitiuo Fidei, qui explicitè credunt Deum eſſe remuneratorem bonorum, & malorum punitorem: & implicitè, & generatim, quidquid credit Sancta Mater Eccleſia?

AFfirmarunt Director. & Roſella, vt refert Silueſt. *verb. Fides quæſt.* 3. *num.* 6. docentes, quod ſimplicibus, & fortè omnibus Laicis diſcernentibus, & adultis, ſufficit credere, Deum eſſe præmiatorem omnium bonorum, & malorum omnium punitorem: alios autem articulos ſufficere credere implicitè, credendo, ſcilicet, verum eſſe, quidquid Eccleſia Catholica docet.

Sed, vt quid certiſſimum, Reſpondeo: Non ſatisfacere tali præcepto. Quia ſtultum eſt (ait Silueſt. *loc. cit.*) dicere, quod liceat vtenti ratione, & adulto ignorare Chriſti Natiuitatem, & mortem Crucis, quam impoſſibile eſt talem ignorare, niſi omninò ſuam contemnat ſalutem, & aures verbis diuinis obturet. Sic ille. Sanchez, & alij *vbi ſuprà.*

QVÆSTIO XVIII.

An ſaltem, ſatisfaciant præcepto Fidei, qui explicitè credunt omnia, quæ ex neceſsitate Medij tenentur credere: Cætera verò implicitè?

AFfirmabunt à fortiori Director. & Roſella. Et clarè affirmant apud Fagundez, Medina *lib.* 4. *de Recta in Deum fide, cap.* 6. Ricardus *in* 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 2. & Gabriel 16. *q.* 1. *art.* 2. Quibus fauere videtur S. Thom. *in* 3. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 3.

Sed vt quid certum Reſpondeo ſatisfacere dicto præcepto. Quia ad credenda alia, illo aſtringimur præcepto, vt ex infrà dicendis manifeſtum fiet. Sic communiter omnes. Legantur citati, & præcipuè Fagundez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 2. *numer.* 27. Ouiedo *controu.* 7. *pun.* 4. *n.* 48. qui pro parte contraria ſolum citat Roſellam.

QVÆSTIO XIX.

An, ſatisfaciant huic fidei præcepto, qui explicitè credunt omnes illos Articulos, & non alios, quos Eccleſia ſolemni ritu celebrat?

AFfirmant D. Bonauen. *in* 3. *diſt.* 25. *art.* 1. *q.* 3. Durand. *ibi quæſt.* 1. *numer.* 9. Almain. *q. Vnica* Scotus (non Sotus vt leges apud Trullench) *q.* 1. §. *Sed poſito.* Ricard. *art.* 4. *quæſt.* 1. Angel. *verb. Fides n.* 7. Silueſt. *quæſtion.* 3. Tabiena *verb. Credere.* Nauarr. *in Man. cap.* 11. *num.* 22. & alij, quos refert Sanchez *lib.* 2. *cit. cap.* 3. *num.* 5. (non 6. vt leges apud Fagundez) in quorum ſententiam inclinat Trullench *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 11. Quia tanta (inquit) eſt in re hac adeò graui, Fidelium negligentia, vt non pauci inueniantur, qui nec modo dicto Fidei myſteria explicitè credant, & intelligant.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo. Non ſatisfacere. *Primò*, quia, vt infrà dicemus, multa ſunt Fidei myſteria, quæ ſolemni ritu ab Eccleſia celebrantur, qualia ſunt Circunciſio Domini, eiuſdem Epiphania, & adoratio à Magis, ad quæ credenda poſitiuè non tenentur omnes Fideles ex præcepto. *Secundò.* Quod non ſufficiat ad ſatisfaciendum Fidei præcepto credere ea ſolum myſteria, quæ ab Eccleſia ritu ſolemni celebrantur, conſtat, ex eo quòd, vt infra dicemus, omnes Fideles tenentur credere reſurrectionem mortuorum, iudicium extremum, & communionem Sanctorum, quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur: & tamen hæc non celebrantur ab Eccleſia: ergo. Sic communiter Theologi. Sic Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. capit.* 3. *num.* 6. Valentia *quæſt.* 2. *pun.* 4 §. 4. Ægidius *diſp.* 14. *dub.* 10.

*dub.*10.*num.*190.Palaus,Tannerus,& Gasp. Hurtad. quos citat, & sequitur Ouiedo *de Fide controu.*7. *pun.*4.*num.*54.Fagundez *c.*2.*cit.n.*30.Summa Dianæ *verb.Fides.n.*3.

Qvæstio XX.

An teneantur Fideles, necessitate præcepti, explicitè credere mysteria omnia, quæ in Symbolo Apostolorum, continentur.

NEgant in primis Vazquez 1.2. *disp.*121.*cap.*2. *num.*2. & Sanchez *lib.*2. *in Decalog. cap.*3.*n.*7. *in fine*, quatenus excipiunt Communionis Sanctorum Articulum. Sic enim, ait Sanchez: *At communionem Sanctorum, in Apostolorum Symbolo contentam, non tenentur Fideles,in nostra sententia, explicitè credere. Quippe,nec in Fidei articulis continetur, nec est cognitu facilis: Imò tam difficilis, vt vix Docti eam assequantur,nedum imperitum vulgus.* Sic ille nec non Suarez *disp.*13. *sect.*4.*num.* 10. Ægidus *disp.*14. *dub.*10.*num.*189. Villalob.*tom.*2.*tract.*1.*diff.*4.*num.*3. & dicit probabile Arriaga,*vbi infrà.*

Negat deinde Granados *contro.*1. *de Fide tract.* 10. *disp.*3. *sect.*2. *num.*8. excipiens Articulum Descensionis ad inferos, per hæc verba: *Solus supereſt Articulus de descensu ad inferos, qui non celebratur solemniter in Ecclesia: & quidem non videtur res tanti momenti, vt sit obligatio, præsertim grauis,illam explicitè credendi.* Hæc Granados & tenent alij, vt videbimus *q.*24.*dub.*3.

Negat præterea Azorius(ait, Ouiedo,*controuer.*7. *punct.*4. *num.*51.) *lib.*8.*cap.*6. *quæst.*2. dum excipere videtur, Descensum ad inferos, remissionem peccatorum; item,vnam Sanctam,Catholicam Ecclesiam,& carnis resurrectionem;eo quòd, vt ipse ait, in quatuordecim articulis, provt ab Scholasticis numerari solent,hi non contineantur.Hæc Ouiedo, sed certè non omninò bene citat Azorium pro hac negatiua parte. Nam *quæst.*4. vbi de hac tractat difficultate,absolutè docet, satis esse ad salutem cuique Fidelium explicitè quatuordecim Articulos Fidei, vel Symbolum Apostolorum credere. Quia (addit *in fine quæstionis*) qui credit Deum esse Saluatorem, eo ipso credit vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam,& Sanctorum Communionem,& peccatorum remissionem.Sic Azor.Vnde

Ego absolutè,& nulla,ex prænarratis,exceptione admissa, probabilius Respondeo dicendum, quod omnes Fideles teneantur explicitè credere omnes duodecim Articulos in Symbolo Apostolorum contentos.

Probatur *Primò* ex iure *cap. Ante viginti dies* 54. cap.*Baptizandos.*57.cap.*Non liceat.*58.*de Consecrat. dist.*4.vbi cap. *Deus,qui. De Pœnit.& Remiss.* & ex Catechismo Pij V.*in initio.*Vbi præcipitur,ne adulti ad Baptismum recipiantur, quin pius sciuerint mysteria in Symbolo Apostolorum contenta.

Secundò. Quia hoc Symbolum Apostoli composuerunt, vt eo, omnes fideles instruantur, circa fidem: ergo omnia in eo contenta debent Fideles credere. Sic sentiunt communiter DD. Gabriel. *in* 3.*dist.*25.*q. vnica art.*2. *post* 5.*concl. versic. Ad hoc autem.*Castro, Bannez,Aragon.Marsilius,Sayrus & Valentia,quos pro hac parte citatSanchez *loc.citato. num.*4. Quibus addi possunt Bellarmin. *in explicat. Symboli* §.3.& 5. Becanus *cap.*12. *num.*8. Layman *tract.*1.*cap.*9.*num.*1.*assert.*3. Fagundez *lib.*1.*in Decalog. cap.*2. *num.*30. Luysius *disp.*28. *dub.*1. Vterque Hurtad.Gaspar.*disp.*8.*diff.*1.& Petrus *disp.*44.*diff.*5. Tannerus *quæst.*7. *dub.*3. *num.*65. Palao *tract.*4. *de Fide,disp.*1 .*punct.*10. *num.*3. Bonac. *disp.*3. *punct.*2. *num.*13.Ouiedo *tract.de Fide controu.* 7.*punct.*4.*n.*52. Arriaga *tract.de Fide disp.*13. *sect.*3. *num.*16. *concl.*4. Licèt aliqui ex his Authoribus alibi, aliquem excipiant Articulum,vt videbimus infra *q.*24.

Ad fundamenta oppositarum opinionum, Respondendum est. Et ad primum primæ, dicendum cum Ouiedo, non esse adeò captu difficilem articulum communionis Sanctorum, vt par non fuerit rusticis præceptum apponi, circa illius positiuam fidem.Quia etsi multi interrogati, quid sit Sanctorum communio,respondere nesciunt,ideò est, quia vocis significationem ignorant, non rem significatam, quam credere tenentur,& ab eis credi constat, ex eo quod sepè petant ab aliis, vt pro ipsis orent Deum; & intercessionem Sanctorum apud Deum vtilem esse agnoscant;dum eam à Sanctis petunt, & coram illis preces effundunt. Vnde quantumuis rusticus homo, qui aliquando alij homini dicit, commenda me Deo; vel se alicui Sancto commendat, vt à Deo beneficium aliquod obtineat, rem significatam per has voces, *Communio Sanctorum* & substantiam huius Articuli credere deprehenditur. Sic Ouiedo, & benè.

Ad fundamentum secundæ opinionis, dicendum est, non obstare, quod dictus Articulus solemniter non colatur ab Ecclesia, ad hoc vt explicitè debeat necessariò credi: nam ad hoc sufficit, quod ab Apostolis fuerit in Symbolo cum aliis appositus, in quo nulla gratis, sed omnia necessariò credenda ab eis collecta sunt.

Qvæstio XXI.

An sufficiat Fidelibus, explicitè credere Articulos Fidei, qui in Symbolo Apostolorum continentur?

AFfirmant Ouiedo *tract. de Fide controu.*7.*pun.*4. *num.*51.his verbis: Communior,& longè probabilior sententia fert, Fideles teneri credere omnes articulos in Symbolo Apostolorum contentos, & non alios, ex præcepto Fidei, per se loquendo. Ita tradunt Suares,Vazquez,Valentia, Sanchez, Azor, Becanus, Turrian. Vterque Hurtadus, Granado, Tanner. Palao, & Ægidius, quos locis nuper à nobis citatis, citat. Sed an omnes ita benè, infra videbis.

Negat è contrà cum aliis Lorca *in* 2.2. *disp.*23. *memb.*1.*num.*15. vbi docet,omnibus Fidelibus inesse præceptum explicitè credendi non solùm,duodecim Articulos in Symbolo Apostolorum contentos: verùm etiam quatuordecim Articulos qui in Catechismo puerorum numerantur; & insuper mysteria, quæ in Ecclesia solemniter celebrantur,Decalogum &c. Quia (inquit) Christiana vita indiget notitia omnium istorum, vt iuxta normam Euangelicæ legis agatur, Citatquè pro hac sua sententia Caiet. Siluest. Armillam, & Angel. *verb. Ignorantia*, sed certe sic omnes Authores, de obligatione hæc omnia sciendi ex præcepto Ecclesiæ, non credendi ex necessitate præcepti Fidei, loquuntur, vt videre apud illos potes.

Negant rursus alij DD. docentes, teneri omnes Fideles explicitè credere omnia Fidei mysteria, & sola illa,quę continentur in quatuordecim Articulis, qui in Catechismo puerorum circunferuntur. Quia

Ecclesia,

Ecclesia, colligendo dictos Articulos ex Symbolo Apostolorum, & Niceno, videtur eos proposuisse Fidelibus, vt necessariò credendos. Ita Sanchez *lib.2.in Decalog. cap.3.num.6.* & penès ipsum, Toletus Vazquez, Armilla Eymericus, Peña, Petr. Ledesma, Manuel, & Ludou. Lopez.

Sed ego clarius, aut probabilibus, Respondeo sufficere quidem Fidelibus explicitè credere aut duodecim Articulos in Symbolo Apostolorum contentos: aut quatuordecim in Catechismo puerorum relatos. Quia omnia mysteria Fidei, quæ continentur in Symbolo Apostolorum, continentur etiam in quatuordecim Fidei Articulis in Catechismo puerorum relatis; & è contra; licèt quædam expressius in vno, quàm in altero: ergo sufficiet Fidelibus explicitè credere mysteria, quæ, vel in vno, aut altero continentur. Consequentia patet. Antecedens sic probo ex Fagundio. Nam in primis, quod omnia quæ continentur in quatuordecim Articulis, contineantur in Symbolo, patet conferenti ea inter se. Quod verò mysteria in Symbolo contenta, contineantur etiam in quatuordecim Articulis, probari potest, quia remissio peccatorum, & carnis resurrectio, quæ viderentur alicui desiderari in 14. Articulis, in illis etiam reperiuntur. Remissio peccatorum, in articulo, in quo Deus dicitur *Saluator:* Carnis resurrectio, in articulo in quo Deus dicitur, *Glorificator*, vt optimè aduertit Sanchez *num.7.* Hæc Fagundez *lib.1.in Decalog.cap.2.num.30.* Addo ego, contra ipsum: quod Ecclesiæ Catholicæ Articulus, etiam contineatur in articulo, in quo Deus dicitur *Saluator*, vt docet Azor *lib.8. cap.6. quæst.3. in fine*, his verbis: *Et qui credit Deum Saluatorem, eo ipso credit vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam, & Sanctorum Communionem, & peccatorum remissionem.* Sic ille. Qui ibidem *quæst.3.* totam hanc nostram docet sententiam, per hæc verba: *Mihi tamen videtur dicendum, satis esse ad salutem cuique Fidelium credere explicitè quatuordecim Articulos Fidei, vel Symbolum Apostolorum: hoc enim habet communis Theologorum sententia: & idcirco, quinis credens quatuordecim Fidei Articulos non est cur obligatus esse censeatur ad aliquid aliud nominatim, & expressè credendum, si homo sit vulgaris, & rudis &c.* Sic ille. vnde bene citatur pro se, à Fagundio. Qui etiam citat Nauarrum *lib.5. consil. tit. de Pœnis & Remiss. consil.10. in 2. edit. & 6. in prima.* Sed non ita bene. Nam Nauarrus *ibi* solùm loquitur de his, quæ quilibet Christianus tenetur scire, sub pœna peccati mortalis: non de his, quæ credere debeat, quod quid diuersum est, vt bene aduertit Azor. *loc. cit.* Nam præceptum addiscendi Symbolum &c. est Ecclesiasticum: præceptum verò credendi res Fidei, est diuinum: vt postea dicemus: Accipe nunc tu verba Nauarri loc. cit. *Ad primam respondeo, quod quilibet Christianus, vt Christianus, etiamsi Papa, vel Rex sit, & debet, & sufficit ei scire, duodecim vel quatuordecim Articulos nostræ Fidei: & decem Decalogi præcepta, & Sancta generalia Ecclesiæ præcepta &c.* Sic ille, legatur Sanchez *loc. cit. numer.6.* vbi cum pro se citet Azorium, videtur idem sentire cum illo.

Hæc in communi dicta sufficiant, descendamus ad singulos in particulari nostræ fidei Articulos, & de illis inquiramus, qua distinctione credi debeant. sit ergo.

QVÆSTIO XXII.

An, Mysteria in Symbolo Apostolorum, aut in quatuordecim Articulis contenta; necessarium debeant credi, secundùm, substantiam, & modum, & eorum circunstantias.

REspondeo vt quid certum, quod non: sed sat sit Fidelibus ea cognoscere, quoad illorum substantiam conceptibus respondentibus verbis, quibus in Catechismo puerorum continentur, absque eo quod clarè, & distinctè, eorum quidditas, & ratio constitutiua cognoscatur. Sic communiter Theologi, licèt discordent, in assignando, quid ad singulorum Articulorum substantiam pertineat. Legantur Sanchez *lib.2.cap.3.num.17.* Fagundez *lib.1. in Decalog.cap.2. num.33.* Ouiedo *controu.7.punct.4. num.55.* Palao *tract.4.disp.1. pun.10.n.5.* Azor. *lib.8. cap.6.quæst.5.* Trullench *lib.1.in Decalog.cap.1.dub.3. num.14.*

QVÆSTIO XXIII.

Quid ad substantiam septem Articulorum, qui ad Diuinitatem pertinent; & quos Fideles explicitè credere tenentur pertineat?

REspondeo omissis aliquorum placitis, dicendo, quod ad substantiam horum Articulorum pertineat, credere, simpliciter, Deum esse *vnum, Omnipotentem Creatorem viuersi, hoc est, Cæli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Saluatorem*, idest, omnis iustitiæ Sanctitatis, & gratiæ datorem, & potentem peccata dimittere, & peccatores in suam amicitiam per gratiam adoptionis restituere. *Glorificatorem*, idest, gloriæ, & vitæ cælestis largitorem, in quo summa Beatorum mentium fœlicitas consistit.

Rursus pertinet credere, quod dentur tres Personæ distinctæ, nempe, Pater, & Filius & Spiritus Sanctus, quarum vna non sit alia, & omnes, & singulæ, sint vnus Deus. Nec requiritur alia perfectior huius rei cognitio, sed sufficit Fidelibus in communi præfata. Sic Azor. *cap.5.à quæst.2.& cap.6. quæst.5.* Sanchez, Fagundez, Palao, & alij *locis cit.* Sed circa dicta nonnulla dubia occurrunt. sit

Dubium I.

An sit necesse explicitè credere, Deum creasse mundum, cum hac circunstantia, nempe, *in tempore, & non ab æterno.*

Affirmant Bannes 22.*q.2. art.8.dub.2.vers. Maximum autem*, quem citat, & videtur sequi Luysius *disp.28.dub.1.vers. Disputant.*

Sed probabilius Respondeo, non esse necesse. Quia non apparet vnde talis obligatio oriatur, cum nec contineatur in Symbolo, nec alibi de hac re præceptum inueniatur. Sic Suarez *disp.13. sect.4. num.6.* dicens, oppositum sine fundamento sufficienti, & sine auctore asseruisse Bannez. Sanchez ex Azorio, *cap.3.cit.num.17.* Fagundez *cap.2. numer.34.* Palao *punct.10.num.5.*

Dub. II.

An sit necesse explicitè credere, quòd Spiritus Sanctus à Patre, Filioquè procedat?

Affirmarunt

Affirmarunt quidam, quos, suppressis nominibus, referunt Azor, & Sanchez, *vbi infrà*, quorum fundamentum potuit esse, quod in Symbolo Niceno, loquendo de Spiritu Sancto, additum sit; *Qui ex Patre, Filioque procedit*: ergo.

Sed probabilius longè. Respondeo. Non esse necesse id credere explicitè, ac distinctè; quia de processionibus vnius personæ ab alia, non est opus amplius scire, aut credere, quàm ipsis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti importetur, & quasi per se pateat, intellecta illarum vocum significatione; quia communiter Fideles non sunt capaces maioris cognitionis, nec est cur maior obligatio illis imponatur. Sic Suarez *sect.* 4. *cit. numer.* 6. Azor. *lib.* 8. *cap.* 6. *quæst.* 7. Sanchez *numer.* 17. *cit.* Petr. Hurtado *disput.* 44. *sect.* 4. §. 10. vbi ait: Non esse necesse, explicitè credere Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, neque loquutum esse per Prophetas. Ouiedo ex illo, *controu.* 7. *punct.* 4. *n.* 55. *in fine.*

Qvæstio XXIV.

Quid ad substantiam septem Articulorum, ad humanitatem Christi Domini attinentium, & quos Fideles explicitè credere coguntur, pertineat?

Respondeo. Quod pertinet credere. *Primò*, quod solus Filius Dei, homo factus sit, siue, quod Christus, simul sit Deus, & homo. Nec requiritur, explicitè credere, dari in eo duas Naturas, subsistentiam diuinam &c. *Secundò* quod Christus Filius Dei, conceptus sit de Spiritu Sancto, & natus ex Maria Virgine, vt dicitur in Symbolo. *Tertiò*, quòd passus sit, & mortuus. *Quartò* quòd descenderit, secundùm animam, ad inferos. *Quintò*, quòd tertia die ex mortuis ad vitam immortalem resurrexerit. *Sextò*, quòd ascenderit in cælum, & sedeat ad dexteram Dei Patris omnipotentis, hoc est, in summo, ac dignissimo gradu beatitudinis vt homo est: & æquali Patri, vt Deus est. *Septimò*, quòd in die Iudicij venturus sit iudicare viuos & mortuos, & sæculum. Sic omnes DD. legantur Suarez *disput.* 13. *sect.* 4. *à num.* 7. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 3. *numer.* 17. Azor. *lib.* 8. *cap.* 5. Fagundez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 2. *à numer.* 34. Petr. Hurtad. *sect.* 4. *cit.* Ouiedo *punct.* 4. *numer.* 55. Palao *tract.* 4. *disput.* 1. *punct.* 10. *num.* 7. & alij, qui circa dicta etiam nonnulla dubia proponunt, sit ergo,

Dubium I.

An teneantur Fideles, necessitate præcepti, etiam explicitè credere; mansisse Matrem Dei, Virginem post Partum, ac perpetuò.

Aduerte, mi Lector, non esse dubium, inpræsentiarum, an necesse sit credere, Christum natum esse ex Maria Virgine; an verò sufficiat credere, natum fuisse ex fœmina, etsi illius Virginitas ignoretur, vt malè (licèt inaduertenter) proponit Ouiedo *controuers.* 7. *puncto* 4. *numero* 56. dicens, hoc vltimum sufficere, probabile fuisse Suario, & Sancio, *vbi infrà*. Sed omnino fallitur (vt statim videbimus) nam nemini ferè est dubium sed omnibus communiter certum, necessariò, expressè esse credendum, quòd Christus Dominus conceptus fuit de Spiritu Sancto, & natus ex Maria Virgine. Dubium igitur, quod proponunt Suarez, Sanchez, Palao, Fagundez & alij Doctores, solum est huiusmodi, an satis sit explicitè credere, Christum natum fuisse ex Virgine tempore partus; an verò etiam requiratur, explicitè credere, quod eiusdem Sanctissima Mater, adhuc post partum, virgo permanserit. In quo dubio.

Hoc vltimum non requiri à Fidelibus explicitè, ex necessitate præcepti, credi, sed primum sufficere, affirmarunt Sanchez *l.b.* 2. *in Decalog. cap.* 3. *numero* 17. (non 7. vt leges apud Ouiedum) ex Azorio *lib.* 8. *cap.* 6. *quæst.* 5. quos citat, & sequitur Fagundez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 2. *numero* 35. & dixit probabile Suarez *disput.* 13. *sect.* 4. *numero* 7. Probant. Quia nec veritas hæc, nec necessaria videtur ad vitam benè instruendam; neque in Scriptura reperitur expressa; neque scitur, fuisse omnibus explicitè prædicatum.

Sed probabilius certè. Respondeo; Etiam esse necessarium ex præcepto, ab omnibus explicitè credendum, quòd Maria Sanctissima, etiam post partum Virgo inuiolata permanserit. Quia (ait Suarez) in Symbolo Apostolorum hoc satis significatur cum dicitur, *Natus ex Maria Virgine*. Ibi enim, & significatur Virginitas in partu, atque etiam perpetua post partum, vt ex absoluta Virginis appellatione colligitur. Et confirmatur hoc, quia in Articulis Fidei ita expressè declaratum est, & illi proponuntur omnibus Fidelibus, vt materia suæ Fidei explicitæ: fuit enim hoc valdè necessarium Fidelibus; tum ad vitandos errores, qui in illa materia facilè oriri possunt; tum ad illorum pietatem, ad quam maximè pertinet, vt post Deum, dignam existimationem de illius Sanctissima Matre habeant. Hæc Suarius *numero* 7. *cit.* quem sequuntur Ægidius, *disput.* 14. *dub.* 10. *numero* 189. Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disput.* 1. *puncto* 10. *numero* 5. Ouiedo, *loco cit.* & apud ipsum Tannerus, *quæst.* 7. *dub.* 7. *numer.* 68. Bannez 2.2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 2. *pag.* 425. Granados *tract.* 10. *disput.* 3. *sect.* 2. *numero* 8. Luysius 2.2. *disput.* 28. *dub.* 1. *vers. vocant verò.* Arriaga *disput.* 13. *sect.* 3. *numero* 16. *concluſ.* 4. Lorca *de Fide, disput.* 23. *memb.* 1. *numer.* 11. & 12. Diana *par.* 3. *tract.* 5. *resol.* 48. *vers. Notandum est.*

Dubium II.

An teneantur ex necessitate præcepti, Fideles explicitè credere, Christum Dominum passum fuisse, sub Pontio Pilato; an sufficiat, si passum esse credant? Affirmandum videtur: quia in Symbolo Apostolorum, & Concilij Nicæni, & in Catechismo puerorum, absolutè dicitur: *Quòd passus sit sub Pontio Pilato*: ergo sic expressè debet credi.

Sed probabilius longè. Respondeo: Non tenere Fideles explicitè credere, ex necessitate Fidei præcepti, Christum Dominum passum fuisse sub Pontio Pilato; sed sat esse si credant explicitè, passum fuisse mortem: nam eam fuisse sub Pontio Pilato, solùm est circunstantia, quam explicitè scire præcepto Fidei, necessarium non est. Sic Tannerus *q.* 7. *dub.* 7. *n.* 68. Palaus *punct.* 10. *cit. n.* 4. & 5. Ouiedo *punct.* 4. *n.* 55. Fagundez *c.* 2. *cit. n.* 33. Granados *tract.* 10. *disp.* 10. *sect.* 2. *n.* 8. ibi: & multò minus aliquas circunstantias Passionis, vt quod passus sit sub Pontio Pilato, quod crucem humeris impositam detulerit, & similia.

Dubium III.

An sit necessarium, necessitate præcepti, explicitè credere, Christum Dominum descendisse, secundùm animam, ad inferos.

Negant Granados citatus *quæst.*20. Suarez *tom.*2. *in* 3.*par. disp.*43. *sect.*2. *in fine*, & de Fide *disp.*13. *sect.*4. *numer.*8. *in fine.* Fagundez *loc.cit. numer.*35. & Palao *numer.*5. vbi ait, esse probabile, id non esse necessarium, sub graui culpa. Idem docet Granados *numer.*8. *cit.* ibi: solus supereſt articulus de descensu ad inferos, qui non celebratur solemniter in Ecclesia. Et quidem non videtur res tanti momenti, vt sit obligatio, præsertim grauis illam explicitè credendi. Idem videtur sentire ex Azorio, *lib.*8. *Instit.moral. c.*6. *q.*5. Sanchez *lib.*2. *in Decalog. cap.*3. *n.*17.

Sed probabilius, Respondeo: Esse necessarium, necessitate præcepti, credere Christum Dominum descendisse, secundùm animam, ad inferos. Quia vt Articulus specialis ponitur, & proponitur Fidelibus credendus, tam in Symbolo Apostolorum, quàm in quatuordecim Fidei Articulis in Catechismo puerorum, vt vidimus suprà, *hac eadem quæstione*, ergo debet necessitate præcepti à Fidelibus explicitè credi. Consequentiam probat sic Ouiedo *de Fide controu.*7. *punct.*4. *numer.*52. *Vniuersaliter loquendo de omnibus Articulis in Symbolo Apostolorum contentis. Quia hoc Symbolum Apostoli composuerunt, vt eo omnes Fideles instruerent circa fidem: ergo par fuit, vt in eo continerentur omnia quæ debebant credere Fide diuina, vt eo sufficienter essent in Fide instructi, & ne cum necessariò credendis, alia non necessaria credenda permiscerentur, ne Fideles confunderentur, & discere non possent, quæ illis credere, necesse erat, & quorum actum Fidei positiuum possent inculpabiliter omittere, alioqui, siue per defectum necessariò credendorum, siue per excessum Articulorum, quia supra necessariò credendos, aliis, quos positiuè credere necessarium non erat, adiuncti fuissent, Fideles sufficienter instructi non essent, circa obligationem credendi, & de quolibet Articulo possent dubitare, an illum ex præcepto credere tenerentur, si vel vnus non necessariò credendus fuisset admixtus cum aliis necessariò credendis.* Huc vsque Ouiedo. Et nostram responsionem expresse contra Suarium, defendit Lorca *in* 2.2. *quæstion.*2. *disp.*23. *memb.*1. præcipuè *in fine.* Mediana *in* 3.*p. quæstion.*70. *art.*1. Petr. Hurtado *disp.*44. *sect.*2.§.11. *in fine*, & communiter Doctores, vt fatetur Fagundez.

Dubium IV.

An sit etiam necessarium, ex præcepto Fidei, credere explicitè, quod Christus Dominus, tertia die resurrexerit?

Affirmandum videtur, quia id expresse habetur in Symbolo Apostolorum, & Concilij Niceni, & in Catechismo puerorum: ibi *tertia die surrexit à mortuis*: ergo.

Sed nihilominus, Respondeo dicendum, quod quamuis sit de Fide quod Christus Dominus tertia die resurrexerit, non tamen est necessarium, ex præcepto Fidei positiuè, & explicitè credere, id fecisse tertiâ die; quia hæc solum est circunstantia, quam præcepto Fidei scire non est necessarium: sufficit enim scire Christum è mortuis surrexisse etsi ignoretur, quanto tempore post mortem elapso, id contigerit. Sic communis sententia. Tannerus *q.*7. *d.*7. *n.*68. Quiedo *loc.cit.*

QVÆSTIO XXV.

An Fideles teneantur ex præcepto Fidei explicite credere, Esse Ecclesiam Sanctam?

REspondeo vt mihi certum (quidquid aliqui apud Medinam dubitarint) Teneri. Quia expresse in Symbolo, & in articulis continetur: atqui omnes tenentur explicitè credere omnia, quæ continentur in illis, vt suprà est habitum: ergo. Sic Henriquez *lib.*6. *capit.* 28. *numer.*2. Vasquez 1.2. *disp.*121. *capit.*2. *numer.*6. vbi ait, hanc veritatem à nullo Catholico ignorari, etsi his vocibus ignorent: *Credo Sanctam Ecclesiam*; quia nil aliud est, quàm credere multitudinem Fidelium, esse sub Romano Pontifice, & extra hanc, neminem saluari posse. Suarez *de Fide disp.*13. *sect.*4. *numer.*10. Sanchez *lib.*2. *Decalog. capit.*3. *numer.*8. Luysius *disp.*28. *dub.*1. Granad. *tract.*10. *disp.*3. *sect.*2. *numer.*9. & alij citati suprà *quæstion.*20. pro nostra sententia præcipuè Ægidius *disp.*14. *dub.*10. *nu.*189. Palao *punct.*10. *numer.*5. vbi ait, id nemini posse esse dubium.

QVÆSTIO XXVI.

An item, teneantur ex Fidei præcepto, credere explicitè, Fideles, Communionem Sanctorum?

NEgant Vazquez, Sanchez, Suarez, Ægidius, & Villalobos, vt vidimus supra, *quæst.*20.

Sed probabilius, Respondeo Etiam teneri. Quia hic Articulus, etiam continetur expresse in Symbolo, & in Articulis, ergo. Sic omnes ferè Authores citati pro nobis *quæstion.*20. & conuincitur ratione facta nuper *dub.*3. ad probandam nostram sententiam. Legantur præcipuè Ouiedo *controu.*7. *punct.*4. *numer.*52. & 53. Granados *tract.*10. *disp.*3. *sect.*2. *num* 9. Palao *loc. cit. num.*5. Luysius *disp.*28. *dub.*1.

QVÆSTIO XXVII.

An deinde, teneantur Fideles, necessitate præcepti, credere explicitè mysteria Circumcisionis, Præsentationis in Templo, Aduentûs Spiritûs Sancti, & aliarum festiuitatum, quas solemni ritu Ecclesia celebrat?

AFfirmant aliqui Doctores; quia ideò (inquiunt) Ecclesia horum mysteriorum solemnitates instituit; quia censuit esse de potissimis, & præcipuis Articulis, quorum non solùm ignorantiam habere noluit, sed voluit esse notissimos. Ita Lorca 2.2. *disp.*23. *memb.*1. *num.*11. & 12. Sylueius *ibi q.*2. *art.*8. *concl.*8. Et idem docet Ægidius *disp.*14. *dub.*10. *n.*190. Sed non sub graui obligatione.

Sed probabilius multò, Respondeo, Non teneri Fideles, necessitate præcepti Fidei, dicta mysteria positiuè credere. Quia durum est omnes Fideles hac obligatione astringi: aliàs tenerentur Parochi de iis pœnitentes instruere, quod non est vsu receptum. Sic docent Sanchez *lib.*2. *Decalog. c.*3. *n.*6. Valentia 2.2. *disp.*1. *quæst.*1. *punct.*4.§.4. Gasp. Hurtad. *disp.*8. *diff.*1. Palao *disp.*1. *punct.*10. *n.*6. Ouiedo *punct.*4. *num.*54.

Suarez

Suarez *disp.13. sect.4. numer.3.* Tannerus *in 2.2. disp.1.quæstion.7.dub.3.num.68.* Diana *part.5.tract.5. Resol.48.* & alij citati à nobis suprà *quæstion.21.* præcipuè Arriaga, *disp.13.sect.3.* qui *numer.17.* optimè respondet ad fundamentum oppositæ sententiæ, dicendo, Ecclesiam solùm instituisse dictorum Mysteriorum solemnitatem, vt in illis Fideles audirent Sacrum, & non laborarent; ad quod non requiritur, nisi vt in communi sciant esse Festum, vel, ad summum, esse festum Circuncisionis &c. ex quo constat, solemnitatem illam non inducere obligationem Fidei, erga eas solemnitates.

Quæstio XXVIII.

An rursus Fideles teneantur necessitate præcepti, explicitè credere substantiam Sacramentorum Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ.

Affirmant communiter Doctores, docentes, teneri Fideles, necessitate præcepti, explicitè credere substantiam dictorum Sacramentorum, nempe Baptismi, Eucharistiæ & Pœnitentiæ. Et ideò tenentur credere explicitè, actu Fidei Theologicæ, Baptismum esse necessarium ad salutem, & ipso remitti peccatum Originale, & membrum Christi adaptari, & ad legem Euangelicam obligari. Deinde Eucharistiam, esse sub præcepto eam suscipiendi; & in illa contineri verum, & integrum Christum, verum Dei Filium, & verum hominem. Pœnitentiam esse necessariam iis, qui post Baptismum peccatum mortale commiserunt, in eoquè Sacramento esse peccata Sacerdoti cum dolore confitenda &c. Ratio est: quia, sine Fide explicita horum, non possunt adulti illa petere, & recipere: ergo saltem propter operationem tenentur illa credere. Ita absolutè tenent Azor. *tom.1. lib.8. capit.6. quæstion.3.* (non 5. vt leges apud Trullench) & Sanchez *lib.2. Decalog. cap.3. numer.9.* Trullench *lib.1. Decalogi capit.1. dub.3. numer.19.* qui dicunt hæc includi sub articulo diuinitatis, quo deum Saluatorem, ideſt, peccata remittentem credimus; citantquè Henriquez *lib.6. de pœnit. capit.28. numer.2.* Valentiam 2.2. *disp.1. quæstion.2.punct.5.post 2.concl.* Petr. Ledesm. *concl.9.* Bannez 2.2.*q.2.art.8.dub.2.pag.424.* Adde Granad. *disp.3.sect.2.n.10.*

Alij, alia via procedentes dicunt, teneri quidem Fideles credere explicitè tria dicta Sacramenta, quoad substantiam; non ratione Fidei, seu cognitionis eiusdem; quia ad hoc, inquiunt, sufficit cognoscere Articulos Fidei; sed ratione operationis, seu receptionis eorum; quia videlicet, non possunt Fideles illa Sacramenta petere, & recipere, nisi illa quoad substantiam credant. Ita tenet Fagundez *lib.1. Decalog. capit.2. numer.38.* citans pro hac parte, vltra Sancium, Henriquez, Valentiam, Bannez, & Petrum Ledesmam, *locis nuper citatis,* Suarium *disp.13.sect.4. numer.12.* & Becanum *capit.12.sum. capit.2.numer.111.* (*leges numer.11.*) Sed non bene ex his Sanchez, vt constat ex dictis in prima sententia. Nec Becanum, vt infrà. Tenent tamen Palao *disp.1. cit. punct.10. numero sexto in fine,* & alij quos citat, (sed non omnes bene, quoad modum) & sequitur Diana *par.3. tract.5. Resol.48. vers.quoad Sacramenta.*

Sed ego clarius, ac probabilius Respondeo: *Primò* sic. Minimè tenentur Fideles actu Fidei Theologicæ explicitè, ex præcepto, credere Sacramenta Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ. Quia ex Fidei præcepti necessitate, solos Fidei articulos contentos in Symbolo, & Catechismo cogimur explicitè credere, vt habitum est suprà *quæstion.21.* at hæc Sacramenta non continentur explicitè in dictis Articulis, seu Symbolo: ergo non tenentur ex Fidei præcepto, illa actu positiuo explicitè credere. Sic tenent Becanus, (vt postea *numer.44.* bene vidit Fagundez) Quiedo & alij mox citandi.

Respondeo *Secundò*, Nec propter operationem, seu receptionem dictorum Sacramentorum, tenentur Fideles ex necessitate Fidei, præcepti, credere, actu positiuo Fidei Theologicæ, dicta Sacramenta; licèt teneantur illa credere, quando tenentur illa recipere, ex præcepto religionis. Quia id solum conuincunt argumenta huic opinioni contraria. Sic in primis tenet Becanus (malè allegatus pro se à Fagundio) *capit.12.cit. numer.11.* vt dicunt hæc eius verba: *Dices: Non solum obligatur Christianus ad sciendum, & credendum ea, quæ sunt in Symbolo, sed etiam ad credendum ea, quæ pertinent ad Baptismum, Eucharistiam, Confessionem Sacramentalem: itemquè ad illa, quæ pertinent ad Decalogum. Respondeo. Hæc obligatio non oritur ex præcepto Fidei, sed ex præcepto Religionis, iustitiæ, & aliarum virtutum. Nos autem hîc solùm agimus de obligatione præcepti Fidei.* Hæc Becanus. Cui adiunge Quiedum de Fide *controu.7. punct.4. numer.57.* vbi ita ait. *Præter suprà relata, quæ ex Fidei præcepto, actu Fidei Theologicæ credere debemus, alia plura ex præceptis pertinentibus ad alias virtutes addiscere, eorumquè expressam eorum notitiam habere debemus; veluti præceptorum Decalogi, & Ecclesiæ, quæ obseruare debemus, & Sacramentorum, ad quæ recipienda obligamur, eodem præcepto, eademquè obligatione, qua tenemur, non peierare, & non furari, tenemur scire præcepta quibus hæc prohibentur. Deinde eodem præcepto, quo tenemur Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ suscipere, tenemur scire susceptionem horum Sacramentorum esse nobis præceptam, non enim poterimus obseruare præcepta, quæ ignoramus, etsi contingat aliquando casu facere ea, quæ nobis præcepta sunt, multoties, & frequentius eorum ignorantia in causa erit ne obseruentur.* Sic Quiedo. Et nos infrà amplius *quæstion 57.*

Quæstio XXIX.

An, eodem modo philosophandum sit de reliquis Sacramentis, Confirmationis, Extremæ vnctionis, Ordinis, & Matrimonij.

Affirmat Lorca *in 2.2. disp.23. memb.1. numer.19.* dicens, eandem dari obligationem credendi, actu Fidei explicito, huiusmodi Sacramenta, ac datur credendi reliqua suprà dicta. Ita etiam Palao *num.7.* citans Ægidium *n.192.* & Fauet Nauarra, apud Sancium.

Negant è contra alij, docentes, minimè teneri Fideles, ex necessitate præcepti, credere proposita Sacramenta; nisi in casu, quo aliquis ea recipere vult, vel aliquo iam suscepto vti velit:

quia tunc, inquiunt, tenebitur illud Sacramentum credere; quoniam aliter non poterit tale Sacramentum dignè suscipere, vel suscepto, vti. Ita Suarez Sanchez,& Fagundez *loc.cit.*

Sed ego clarius,& probabilius, Respondeo: Eodem quidem modo esse philosophandum de his Sacramentis,ac de reliquis, de quibus *quæst.antecedenti*; & ideò dicendum: Nullum Fidelem obligari ad credendum expresè & Fidei Theologiæ præcepto, dicta Sacramenta; sed ex præceptis pertinentibus ad alias virtutes, vt constat ex dictis *quæst. antecedenti.* Et tenent Becanus, & Ouiedo *ibi* citati. Necnon Arriaga *disp.*13.*sect.*3.*num.*19.Sed de hac quæstione, dicemus rursus *q.*58. vbi de necessitate sciendi hæc Sacramenta agemus.

QVÆSTIO XXX.

An sit necessarium, credere, Fide diuina, præcepta Decalogi?

AFfirmant aliqui Doctores, eo quòd sine Fide Decalogi, non potest haberi sufficiens notitia ad eius obseruantiam: quia omnis alia notitia est minus certa,quàm Fides. Ita Suarez *disp.*13.*de Fide. sect.*4.*num.*11.& Fagundez *lib.*1.*Decalog.cap.*2.*n.*41. Lorca *n.*19.*cit.*

Sed clariùs, & probabiliùs, Respondeo: Non esse necessarium necessitate Fidei diuinæ præcepti, credere præcepta Decalogi: quamuis aliàs sit necessarium, Fide humana, aut alio modo, illa scire, & cognoscere: vt infrà dicemus. Ratio sit. Quia quisquis Fidelis potest exequi, & obseruare præcepta Decalogi, absque eo quod Fide diuina credat talia præcepta esse Dei,siue furari, occidere &c.esse peccatum contra Deum: ergo talis Fides diuina non erit necessaria, necessitate præcepti, adhuc ad obseruantiam præceptorum Decalogi; consequentia patet, antecedens probatur. Quia (vt ait Arriaga) sufficit, si quomodocunque sciat homo, se non posse furari sine peccato v. g. eo enim ipso tenetur sub peccato non efficere illud. Et sane sæpè in multis materiis, non constat de fide, etiam pro hominibus doctis,quod sit peccatum; & tamen si ratione naturali id constet, aut aliunde id mihi innotescat, peccato, si obiectum illud amplexus fuero; vt cum mihi ex Fide dignis intimatur præceptum superioris, esto non credam, Fide diuina,ita esse, teneor tamen illud exequi. Et verò ipsa obligatio credendi, quam agnosco, antequam credam, & inde teneor ea, quæ proposita sufficienter sunt credere, est sub mortali, & tamen non præcedit Fides de ea obligatione: Ergo licèt sit necessaria distincta notitia eorum præceptorum, in quo omnino conuenio cum Suarez, & aliis, non videtur necessaria Fides supernaturalis de illis ratione operationis. Hæc Arriaga *section.* 3. *citata numero* 18. *pag.*194. Becanus & Ouiedo *quæst.* 28. *citati.* Qui idem, & à fortiori id docent, loquendo de præceptis Ecclesiæ: In quo conueniunt communiter DD. omnes.

QVÆSTIO XXXI.

An,præceptum explicitè credendi Articulos contentos in Symbolo,& Catechismo,sit diuinum?

NEgat Aragon 2.2.*q.*2.*art.*6.*dub.*2.quatenus docet,solum esse de iure Ecclesiastico præceptum credendi explicitè Articulos, Descensus ad inferos, & Communionis Sanctorum, diuinum verò quoad reliquos. Negant & alij dicentes, dictum præceptum esse Ecclesiasticum quoad determinationem materiæ,ita Suarez,& Fagundez,*vbi infrà.*

Sed vt quid certum, Respondeo dicendo absolutè, dictum præceptum esse diuinum respectu omnium Articulorum, qui in Symbolo, aut Catechismo continentur: nec enim vlla potest esse ratio, cur sit Ecclesiasticum respectu vnius, & non alterius, aut è contra, vt benè aduertit Sanchez, contra Aragonium.

Probaturquè ab ipso hoc modo. Quia omnes tenentur, iure diuino amplecti, explicitequè summam doctrinæ Euangelicæ credere, vt constat ex illo Marci vlti. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* At summa Euangelij, in prædictis Fidei articulis, & mysteriis continetur: ergo. Sic Sanchez *lib.*2. *Decalog. capit.*3. *numer.*13. Azor. *lib.*8. *cap.*6. *quæst.*4. *& capit.*7. *quæstion.*2. Bannes 2.2. *quæstion.*2. *art.*8. *dub.*2. Petr. Ledesma 2.*tom. sum. tract.*1. *capit.*2. *concl.*5. Ægidius Trullench *lib.*1. *Decalogi capit.*1. *dub.*3. *numer.*12.Reginald. *lib.*28. *capit.*2. *sect.*1. *numer.*17. Arriaga *disp.*13. *sect.*4. *numer.*21. Gaspar Hurtad. *disp.*8. *diff.*11. Becan. *tom.*2. *sum. capit.*12. *numer.*12. *concl.*3. Suarez *disp.*13. *sect.*4. *numer.*13. Fagundez *capit.*2.*cit. numer.*52 (licèt hic duo vltimi authores hoc præceptum, quoad determinationem materiæ esse Ecclesiasticum, vt suprà diximus, asseuerent) Ouiedo *controu.*7. *punct.*5. *numer.* 65. Gaspar.Hurtad.& Lorca apud ipsum & omnes communiter.

QVÆSTIO XXXII.

An Pueri, qui in infantia baptizati sunt, teneantur dictos Articulos Fidei,ex necessitate præcepti, explicitè credere, statim ac vsum rationis sunt assequuti?

NEgant nonnulli Doctores, docentes, neminem teneri dictos Articulos explicitè credere vsque ad pubertatem, quod accidit, pueris ad decimum quartum; puellis verò, ad duodecimum annum. Quia vsque ad hanc ætatem nullus videtur perfecto vsu rationis vti.Ita sentiunt Ludouic. Lopez 1.*p. instruct. capit.*41. *col.*1. *versu, veniale est.*& Rodrig.*tom.*1.*summ.in* 2.*edit.c.*88.*n.*1.

Sed, vt ferè certum, Respondeo, dictos pueros, necessitate præcepti, teneri; cum primum rationis vsum sunt assequuti, & mysteria credenda fuerint eis sufficienter proposita. Quia nulla est ratio differendi actum credendi; & maximè oportet ad rectam vitam instituendam, statim fidem profiteri; & se Deo tanquam primæ veritati in cognoscendo, & dicendo,subiicere.Sic communiter DD.d.Bonau. 3.*dist.*25.*art.*1.*q.*3.Angel.*verb.Fides.n.*7.Nauarr.*c.*11. *num.*23.Azor.*tom.*1.*lib.*8.*cap.*7.*q.*2.*&* (*cap.*27.*q.*8.)

Philiarc.

Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 9.* Quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 5. numer. 12.* Valentia *disp. 1. quæst. on. 2. punct. 5.* Suarez *disp. 13. de Fide sect. 5. numer. 6.* Granados *tract. 10. disp. 4.* Ægidius *disp. 14. dub. 10. numer. 205.* Tanner. *quæst. 7. dub. 3. num. 79.* Gaspar Hurtad. *disp. 8. diff. 11.* Lorca *disp. 23. memb. 2.* Luysius *disp. 35. dub. 2. &* Palao, *disp. 1. punct. 11. num. 1.* Machado *tom. 1. lib. 2. part. 2. tract. 2. docum. 4. num. 7.* Quos sequitur Ouiedo *controu. 7. punct. 5. num. 66.* Quibus adhuc addo Fagundez *lib. 1. Decalog. cap. 2. num. 58.* Filliucium, & Villalob. Quos sequitur Trullench *lib. 1. Decalog. cap. 1. dub. 3. num. 13.* Didacum Narbon. *de ætate &c. anno 7. quæst. 13. numer. 1. & 3. pag. 84.* Bonac. *disp. 3. quæstion. 2. punct. 2. numer. 7.* Diana *p. 5. tractat. 13. resol. 19.*

An autem dicti pueri, teneantur elicere, actum Fidei in eodem instanti, metaphisico, ac vsum rationis habent, an verò sufficiat in eodem instanti morali: Respondeo in hoc sufficere vt constabit ex dicendis *quæst. 34.*

Qvæstio XXXIII.

An etiam Adulti, qui denuò conuertuntur ad Fidem, teneantur explicitè credere Mysteria dicta cum primùm sit illis sufficienter proposita Fides?

Respondeo vt certum: Teneri. *Primò.* Quia sic colligitur ex illo D. Pauli *ad Heb. 11. Accedentem ad Deum oportet credere.* Secundò, ob rationem, quia ad id adstringi pueros tunc, nuper diximus. Sic Granados *loc. cit. num. 2.* & antea Suarez *sect. 5. cit. num. 6.* Azor. Valentia, & Sanchez apud ipsum.

Qvæstio XXXIV.

An in eodem instanti metaphysico, in quo Fides proposita est sufficienter Infidelibus; teneantur hi ad eliciendos Actus Fidei.

Affirmant Ægidius *disp. 14. dub. 10. numer. 205.* (non 25. vt leges apud Palaum) & Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 12. num. 4.* dicentes, teneri dictos Infideles ad eliciendos actus Fidei, in eodem instanti metaphysico, in quo illis Fides sufficienter proponitur. Fundamentum eorum est; quia in dicto primo instanti, in quo obiecta credendorum, Infidelibus sunt sufficienter proposita, non potest intellectus moraliter loquendo, suspendere omnem actum, circa obiecta proposita, vt Fide diuina credantur, ac proinde, qui in eis positiuè non credit, discredet, vel voluntariè dubitabit; ac proinde peccatum infidelitatis committet. Nec cogitari potest ratio vlla assensum suspendendi pro aliquo tempore; cum nulla de veritate credibilium sit dubitatio, & Deus auxilium supernaturale ad eliciendum actum concedat.

Sed probabilius Respondeo: Non teneri ad eliciendos actus Fidei, in eodem instanti metaphysico, in quo mysteria Fidei sunt sufficienter proposita; sed in eodem instanti morali, hoc est, post quandam moralem durationem breuem. Quia ex communi Theologorum sententia, omnia præcepta positiua obligare incipiunt cum aliqua temporis latitudine, & non in primo indiuisibili instanti, mathematicè sumpto: at hoc præceptum credendi res Fidei, est positiuum: ergo. Sic Ouiedo ita Scribens: *Sto pro communi sententia asserente hanc obligationem, sicut quamlibet aliam præcepti positiui, esse cum aliqua temporis latitudine: Nam voluntas pro aliqua exigui temporis morula, sufficiens motiuum potest inuenire ad differendum imperium, circa talem actum, scilicet, vt homo se expediat ab aliis negotiis, vt cum maiori attentione, & conatu, actum postea eliciat: vel, vt aliquantulum magis penetret, & inspiciat credibilitatis motiua, vel, vt exercitio aliorum honestorum actuum se disponat ad actum Fidei; aliisque pluribus de causis.* Hæc Ouiedo *controu. 7. punct. 5. num. 67.* ex cuius verbis, solutum manet fundamentum Ægidij, & Palai. Sic etiam nobiscum tenent Suarez *disp. 13. de Fide sect. 5. nu. 6.* Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 1. num. 3.* Granados *tract. 10. dist. 4. numer. 2.* Fagundez *lib. 1. Decalog. capit. 1. numer. 6.* his verbis: *Aduertendum tamen, cum diximus, proposita primo sufficienter Fide, statim teneri quemlibet ad eliciendum actum Fidei; illud statim, non metaphysicè, sed moraliter accipiendum esse, itavt prudentis arbitrio, notabilis mora non interponatur.* Sic ille. Lorca etiam *in 2. 2. disputation. 23. memb. 2. numero 29. vers. Assero 2.* Petrus Hurtad. *in 2. 2. disput. 93. §. 3. pag. mihi 792.* & Gasp. Hurtad. *disput. 8. diff. 11.*

Qvæstio XXXV.

An, præter supra dicta tempora, obliget hoc Fidei præceptum, ad eliciendos illius actus, omnibus festis diebus?

Affirmatiuam sententiam videtur amplecti Scotus (non Sotus, vt leges apud Fagundez *in 3. dist. 27. q. vnica. §. Quantum ad secundum.* quatenus innuit, Ecclesiam assignando tempus ad colendum Deum, designasse etiam tempus ad amandum illum: atqui Fides magis necessaria est ad colendum Deum, quàm amor: ergo à fortiori, idem tempus assignauit ad credendum.

Sed vt certum Respondeo: Nullo modo obligare Fidei præceptum pro omnibus festis diebus. *Primò* quia nec pro illis diebus obligat præceptum amoris, erga Deum, vt docet Suarez hîc, & *tom. 1. de Relig. lib. 1. de festis, capit. 16.* & nos cum communi 3. *parte tract. 2. disp. 2. qusstion. 72.* ergo, nec obligabit, pro illis diebus, præceptum Fidei. *Secundò.* Quia fides actualis non est necessaria ad obseruanda præcepta de diebus festis; cum bene possit quis, sine actu Fidei vacare ab operibus seruilibus, & audire Missam, modo sufficienti, ad illud præceptum implendum. Sic communis sententia. Suarez *disp. 13. de Fide sect. 5. numer. 2.* Fagundez *lib. 1. Decalogi capit. 1. numer. 13.* Gaspar. Hurtad. *disp. 8. de Fide diff. 11. vers. circa posterius.* Arriaga *disputat. 13. de Fide sect. 4. numer. 22.* Ouiedo *controu. 7. punct. 5. num. 70.* legantur dicta à nobis 1. *p. tract. 5. disput. 1. q. 33.*

QVÆSTIO XXXVI.

An per se obliget præceptum Fidei, ad exercendum actum illius, si non in omnibus festis, & de omnibus mysteriis, saltem singulis festis, circa illud mysterium, quod illo die celebratur.

AFfirmauit Nider *in suo præceptorio*, vt refert Aragon 2.2.*q*.2.*art*.6.

Sed, vt certum etiam, Respondeo: Nec his diebus obligare. Quia in rigore, non est necessarium ad obseruantiam alicuius mysterij Fidei, internum actum illius, circa tale mysterium exercere; quamuis sit vtile, & consulendum. Sic Suarez Fagundez, Hurtad. Arriaga, & Quiedo *locis citatis*.

QVÆSTIO XXXVII.

An obliget, per se, præceptum Fidei, ad actu credendum, semel in singulis annis?

AFfirmat Petr. Ledesma 2.*tom.sum.cap*.8.*concl*.4. per hæc verba. *El que por espacio de vn año estuiesse sin tener obra de creer en Dios con Fee sobrenatural, entiendo, y tengo por cierto, que pecaria mortalmente, contra este precepto affirmatiuo. Assi suelen philosofar los Theologos de los preceptos affirmatiuos. La razon es porque el precepto affirmatiuo diuino de confessar y comulgar que los dejo Christo indeterminados, los determinò la yglesia, que fuesse vna vez en el año: Luego lo mismo sera del precepto affirmatiuo de creer con Fee sobrenatural.* Hæc Petr. Ledesma cui assentitur Petr. Hurtad. *in* 2.2.*disp*.93.§.5. quem citat, & transit, Diana *p*.5.*tr*.13.*Res*.19.

Sed probabilius certè Respondeo: Non obligare. Quia non est vnde talis obligatio colligatur: Quia (ait Sanchez) non ex voluntate Ecclesiæ, quæ Sacramentis Pœnitentiæ, & *Eucharistiæ recipiendis, tempus anni præfixit, colligitur præcepta alia iuris diuini affirmatiua obligare semel in anno: Quippe hæc obligatio non est ex Ecclesiastico præcepto: nullibi enim reperitur. Nec etiam ex diuino. Quia nullus dicit, secluso Ecclesiastico præcepto, obligare ius diuinum ad confitendum, & communicandum semel in anno.* Sic ille *lib*.2.*Decalogi capite* 1.*num*.3.§. *Quartum tempus est.* Sed, ego, admissa doctrina Ledesmæ dicentis, obligare ius diuinum ad confitendum semel in anno, vt admisimus 1.*p*.*tract*.5.*disp*.3.*quæst*.13. Nego tamen consequentiam, quia discrimen ex se patet, & deducitur ex à nobis traditis 1*p*.*tract*.5.*disp*.1.*qu*.48. de quo etiam Arriaga *disp*.13.*sect*.4.*numer*.24. *in fine*, Trullench *l*.*b*.1.*cap*.1.*dub*.6. *in fine* Fagundez *lib*.1.*cap*.1.*n*.12.

QVÆSTIO XXXVIII.

An, saltem obliget per se hoc præceptum, ad credendum semel in vita, non pro tempore determinato; sed pro tempore ad arbitrium ipsius credentis?

AFfirmarunt nonnulli, quos tacito nomine, refert Suarez *numer*.4. eo quod existimarint, non posse aliam certam regulam designari.

Sed, vt certissimum, Respondeo obligare per se, non pro tempore assignando arbitrio ipsius credentis; sed pro tempore determinato. *Primò* quia vt supra est habitum) hoc præceptum per se obligat, cum primum quis vsum rationis assequitur; aut cum primum obiecta credenda sufficienter alicui proponuntur: ergo iam datur tempus determinatum pro quo hoc præceptum obligat.

Secundò. Quia ex opposita sententia sequeretur, quod posset aliquis, absque peccato, non exercere toto vitæ tempore actum Fidei, sed illum relinquere ad mortis articulum: consequens autem est valdè absurdum; cùm sit contra rectam institutionem Christianæ vitæ, cuius fundamentum est Fides: ergo. Sic Suares Fagundez, & Hurtado *loc*.*citatis*, & omnes.

QVÆSTIO XXXIX.

An, hoc diuinum Fidei præceptum obliget per se, vt quis eliciat actum Fidei in articulo mortis.

AFfirmat Valentia *disp*.1.*quæst*.2.*par*.3.*quæst*.7. Quem affert, & sequitur Petr. Hurtad. *disp*.93. §. *cit*. verbis istis: *Præter hæc tempora, nullam occasionem obligandi per se ad fidem recognoscit P. Thomas. Ego existimo alia duo tempora per se obligare*: Alterum est, *cùm mors imminet: cùm enim actibus Fidei iaciamus fundamentum ad ædificium cælestis Hierusalem, cum iam simus ad eius conspectum adducti, lex Fidei per se obligat. Quia nullum potest esse grauior occasio, quam momentum illud, à quo pendet æternitas: ob quod ex Ecclesiæ consuetudine moribundi, cum Viatico donantur, excitantur à Sacerdote ad actus fidei: & cùm aliquis vltimo, & publico afficitur supplicio, animatur ad Symbolum recitandum à circumfuso etiam populo.* Aliud tempus est, *intra singulos annos. Qui enim toto anno fidem non exercet, in graui periculo est eam amittendi: Quia dissuetudine senescere videntur habitus.* Ita ille. Quem citat, nescio an, sequatur, Diana *p*.5. *tract*.13. *Resol*.19. Hanc eandem sententiam, vt verissimilem, tuetur Suarez *disp*.12. *de Fide sect*.5. *num*.6. *in fine*, si quidem ita ait: *Verisimile etiam est, in articulo mortis iterum recurrere hanc obligationem* (*nempe*, eliciendi actum Fidei) *propter periculum, & in hoc etiam nobiscum sentiunt Valentia, Sanchez, & Azor. suprà citati.* Ita Suarez.

Sed miror grauissimum, hunc Doctorem, citantem pro hac parte, adminus Thomam Sanchez, cum expressè oppositum sentiat *loco* ab ipsomet *citato*, nempe, *l*.*b*.2. *Decalog*. *cap*.1. *num*.3. per hæc verba: *Tertium tempus est in mortis articulo. Tunc enim tenetur quis hoc præcepto elicere actum Fidei, quo se aduersus dæmonis tentationes muniat, & coniungat cum Deo per huius virtutis actum, quæ prima est, & quasi reliquarum omnium fundamentum.* Sic Valentia 2.2.*disp*.1.*quæst*.2.*pun*.5. *quæst*.2. Cæterùm hoc non placet, vt potè, quod nulla ratione, aut textu probatur. Et ideò ex hac sola articuli mortis ratione, non teneretur ad Fidei actum, nisi concurrerent aliæ circunstantiæ, quæ tunc obligarent; vt graues Fidei tentationes. Huc vsque Sanchez. Malè igitur citatur à Suario. Nec Azor. huic authori fauet, nam *li*.8. *cap*.27.*q*.8. vbi citatur à Suario, non agit expressè de nostro casu; igitur.

Probabilius respondeo: Hoc diuinum Fidei præceptum, nullo modo obligare per se, aut ex vi ipsiusmet præcepti, ad eliciendos actus Fidei in articulo mortis. Quia nec ratio, nec textus aliquis cogit ad oppositum asserendum. Sic communiter Doctores.

Quibus

Quibus absolutè loquendo, videtur, vt quid probabilius, assentire Suarez *loco citato num.6.* quatenus hæc verba profere. *Post illud verò tempus*, (nempe, Initij Christianæ vitæ) *si homo seruauit præceptum, & fidem exercuit, rarò, vel fortasse nunquam, occurrit dicta obligatio exercendi actus Fidei; nisi quando tentatio aliqua, contra ipsam Fidem, vel interna, vel externa occurrit, cui per actum Fidei resistere necesse sit; quia tunc illa necessitas non est extrinseca, sed ex ipsiusmet Fidei.* Sic ille. Arriaga etiam *disp.13. sect.4.n.26.* Gaspar. Hurtad. *disp.8. diff.11.* Granados *controu.1. tract.10. disp.4. in fine*, Ouiedo *controu. 7. punct.5. numer.68.* ibi: *Admitto, in articulo mortis hominem teneri elicere actum Fidei, vt eliciat contritionis actum, & tutissimum medium apponat ad suam salutem: verumtamen hanc obligationem oriri existimo ex præcepto suam salutem consequendi, & propter actum charitatis, & iustificationem ab actu Fidei dependentem, & non præcisè propter actum Fidei, de quo agimus; sed ex præcepto consequendi suam iustificationem, quod prædicti authores non distinguunt, & frequenter quamplures inuoluunt obligationem eliciendi actus Fidei ortam ex Fidei præcepto, cum obligatione eliciendi eundem actum orta ex aliis præceptis distinctis.* Sic Ouiedo. Et in substantia, Fagundez *lib.1. Decalog. cap.1. in fine.* Palao *tract.4. de Fide punct.12.n.6.*

Qvæstio XL.

An, quando quis graues Fidei tentationes patitur, obligatus sit, ex vi præcepti Fidei, ad eliciendos actus illius, ne tentationi succumbat?

Affirmant, vt vidimus) Sanchez, & Suarez, *vbi suprà.* Azor. *lib.8. Instit. cap.7. quæst.6.* Valentia *loc. cit. punct.5.* Granados *disp.4. cit. numer.5.* Petr. Ledesma *tom.2. sum. tract.1. cap.7. concl.8.* Fagundez *lib.1. Decalog. cap.1. num.8. & 9.* (licèt author satis confuse loquatur.) Villalob. *tom.2 tract.1. diff. num.2.* Diana *p.5. tract.13. Resol.19.* Machado *tract.2. cit. docum.4. num.11. pag.251.* Trullench. *lib.1. cap.1. dub.6. num.5.* Quorum sententiam censet probabilem Arriaga *disp.13. sect.4. numer.26.* & eam etiam sequi videtur Palao, *loco citato, punct.12.n.6.* ibi: *solùm de tempore, quo de Fide grauiter tentaris, videris obligatus Fidei actum exercere, ne tentationi succumbas:* iuxta illud 1. *Petri.5. cui resistite fortes in Fide.* Ita ille.

Ratio eorum est. Præceptum, quod obligat ad aliquid fugiendum, obligat etiam ad ea, quæ sunt necessaria ad talem fugam: atqui præceptum Fidei obligat ad vincendas tentationes Fidei: ergo etiam ad eliciendum actum Fidei, quoties aliter tentatio Fidei vinci nequit.

Sed probabilius Respondeo; Nec in hoc casu esse obligatum quem per se, & ex vi præcepti Fidei ad eliciendos actus illius, ne tentationi succumbat. Ratio est. Quia nec in tali casu, est medium necessarium simpliciter ad vincendas tentationes, contra Fidem, elicere actu Fidei: ergo per se non obligat tunc præceptum Fidei. Consequentia etiam contrariis placet. Antecedens ex eorum doctrina probatur sic. Quia tentatio, contra Fidem, potest vinci aliis mediis, quàm exercitio actuum Fidei: ergo hoc non est medium simpliciter necessarium ad vincendas tentationes Fidei. Antecedens clarè admittit Palaus *loc. cit. num.6.* vt dicunt hæc eius verba: *Solùm de tempore, quo de Fide grauiter tentaris videris obligatus Fidei actum exercere, ne tentationi succumbas, &c. verum non semper hic modus resistendi internis tentationibus necessarius est; quia sæpè tentationem depellere potes, & fortè facilius, si cogitationem aliò diuertas. Coninch disp.14. de Fide dub.10. num.214. Imò, vt tentationes cessent, & imaginatio quiescat, potest aliquando esse conuenientius, nullum actum positiuum Fidei in illa tentatione exercere, ne scilicet, imaginatio magis turbetur, & vehementiori tentatione vrgearis, &c.* Huc vsque Palao. Et benè sed in mei fauorem.

Addo etiam, quòd etiam dato, quod esset medium simpliciter necessarium ad vincendas tentationes contra fidem, exercere actus Fidei; tunc non obligaretur adhuc quis ad id faciendum ex vi præcepti affirmatiui Fidei, sed negatiui, non discredendi, quia tunc vt huic satisfaciamus, tenemur ad affirmatiuè credendum, vt optimè notat Gaspar Hurtadus *disp.8. de Fide diff.11.* Qui hanc nostram tenet sententiam. Necnon alter Hurtadus, Ouiedoquè, & fauet satis Arriaga *loco citato, num.26.* imò, & tenet, vt videre potes. Imò id ipsum contra seipsum docet Fagundez *numer.8. & 9. citatis.* Legatur attentè.

Qvæstio XLI.

An saltem obligetur quis, per se, & ex vi præcepti affirmatiui Fidei, ad exercendum actum Fidei, casu, quo vrgeat Tyrannus ad negationem Fidei?

Affirmat, Suarez *loco cit. num.6.* cuius verba relata suprà *quæst.39.* planè id dicunt. Cuius sententiam esse probabilem ait Arriaga *loco cit.*

Affirmant etiam alij docentes, obligari quidem eo tempore per accidens, ex præcepto Fidei, ad eliciendum actum Fidei coram Tyranno; quia tunc hoc præceptum (inquiunt,) obligat, non per se, sed per accidens, ratione præcepti adiuncti, ad eliciendum actum Fidei. Vnde inferunt vnicum admitti peccatum non eliciendo tunc talem Fidei actum; nimirum, contra illud præceptum adiunctum, quod impletum non est; sic Sanchez *lib.2. Decal. cap.1. n.3. §. Quintum tempus est.* Valentia *punct.5. cit. quæst.2.* Fagundez *loc. cit. num.10.* Qui non ita benè citat Suarez. Azor. Ægidius, quos citat & sequitur Palaus *num.6. cit.* Qui tamen nullam adhibet distinctionem, qua colligamus, an loquatur de obligatione orta ex Fidei præcepto, de quo loquimur; an orta ex alio præcepto distincto. Vnde claritate solita.

Probabilius Respondeo dicendum *Primò.* Casu, quo Tyrānus vrgeat quem ad negandam fidem, non obligarur iste per se, ac ex vi præcepti Fidei positiui, aut affirmatiui (sed aliunde) ad eliciendum actum Fidei. Quia probabilius est, quod præceptū positiuum, & affirmatiuum Fidei, per se, & ex sua vi, ac natura, solùm obligat ad eliciendum eius actum, eo tempore quo Fides alicui primum sufficienter proponitur, iuxta dicta suprà *quæst.32. & sequent.* In hac conclusione conueniunt authores secundæ sententiæ, & communiter alij.

Respondeo *Secundò.* Quamuis in proposito casu, teneatur fidelis, ac obligetur ad eliciendum actum Fidei, coram Tyrāno vrgente ad negationem Fidei, hæc tamen obligatio, non oritur ex præcepto positiuo Fidei; quia tunc non obligat; sed oritur per se ex præcepto negatiuo Fidei, hoc est, ex præcepto non negandi fidem (quod quidem obligat semper, & pro semper) ob cuius impletionem obligatur

tunc Fidelis ad confitendam fidem, & credendum eam esse veram. Itaque benè admittimus, quod in proposito casu teneatur fidelis elicere actum Fidei, internum etiam, vt probat Palao; negamus tamen, quod talis obligatio oriatur ex Fidei positiuo præcepto, de quo agimus; sed ex præcepto Fidei negatiuo, ob cuius adimpletionem obligatur ad credendum positiuè. Legantur pro hac conclusione. Gasp. Hurtad. *disp.* 8. *difficul.* 11. *versu Post initium.* Quiedo *controu.* 7. *punct.* 5. *numer.* 68. Arriaga *disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 26.

QVÆSTIO XLII.

An teneatur quis, ex præcepto Fidei positiuo, elicere actum Fidei; quando exerceri debent actus voluntatis supernaturales, ad quos prærequiruntur actus Fidei?

AFfirmatiuam sententiam tueri, videtur Lorca *in* 2.2. *disp.* 23. *memb.* 2. *num.* 29. & indistinctè pro illa citatur Suarez à Roderico de Arriaga *disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 16 *pag.* 196. sed non ita clarè, vt debuerat. Clarius ergo.

Respondeo dicendum *Primò.* Neminem teneri ex per se, & ex vi directa præcepti positiui Fidei, ad eliciendos actus illius, quando exerceri debent actus supernaturales voluntatis ad quos prærequiruntur actus Fidei. Patet: Quia in hoc casu, habitus Fidei non elicit suos actus, propter se, aut propter suam honestatem, sed propter acquisitionem aliarum virtutum: ergo præceptum Fidei ex se, & directè, neminem cogere potest ad eliciendos dictos actus. Sic tenent communiter DD.

Respondeo *Secundò.* Omnis Fidelis coarctatur, & obligatur ad eliciendos actus Fidei, quando hi prærequiruntur ad exercitium præceptum aliarum virtutum: sed hæc obligatio nullo modo oritur ex præcepto positiuo Fidei, sed ex illo alio, vnde oritur necessitas exercendi actus Fidei, & obligamur ad credendum. Sic expresè Suarez *disp.* 13. *de Fide sect.* 5. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 3. *numer.* 3. *vers. vltimum tempus.* Palao *tract.* 4. *disp.* 12. *numer.* 2. Quiedo *controu.* 7. *punct.* 5. *numer.* 68. & 71. Gasp. Hurtad. *diff.* 11. *citata.* Trullench. *lib.* 1. Decal. *dub.* 6. *n.* 7. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 2. *n.* 9. Arriaga *loc. cit.* Fagundez *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 11. Vbi sequutus Suarium, Valentiam, & Sanchez, sic ait: In aliis verò casibus, in quibus actus Fidei, necessarius est ad aliquem alium actum internum, vel externum cuiuscúmque alterius virtutis sit, v. g. ad orandum Deum cum magna fiducia, quod requirit Fidem iuxta illud ad *Rom.* 10. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Vel ad conterendum de peccatis, quoties quis in mortali existens tenetur ad amicitiam Dei redire, & amissam gratiam recuperare, erit quidem obligatio eliciendi actum Fidei, si actus, vel opus talis virtutis sit sub præcepto: attamen talis obligatio non propriè à præcepto Fidei, sed à præcepto talis virtutis orietur; & contra illum tantùm peccabit, qui in eo euentu non eliciet actum Fidei: non erit tamen diuersum peccatum, & in confessione explicandum, in casu, quo quis actum præceptum alterius virtutis non eliceret. Ita ex præcitatis authoribus, Fagundez. Et benè quoad substantiam nostræ sententiæ. Legantur dicta à nostris, 1. *p. tract.* 5. *disp.* 8. §. 7. *quæst.* 19. & *disp.* 1. *quæst.* 48. vbi latè contra Gasp. Hurtadum, *disp.* 6. *de Pœnit. diff.* 6. & 8. & contra Luysium *de Fide disp.* 32. *dub.* 2. docuimus: Non teneri peccatorem elicere expresè actus Fidei, aut Spei, ad obtinendam in sacramento pœnitentiæ primam gratiam; sed sufficere illos elicere implicitè, aut illos aliquando explicitè elicuisse, ex Bonacina, Maldero, Azorio, Sancio, Filliucio, Valentia, & Ægidio Trullench. *ibi* citatis.

QVÆSTIO XLIII.

An, detur præceptum sciendi res Fidei?

REspondeo vt certum: Dari. Quia certum est, quod id, quod Fideles tenentur explicitè credere, iuxta suprà dicta, teneantur quoquè inquirere, & addiscere; vt, vel sic id sciant, & consequenter credant, vel eliciant actus Fidei, quando sunt necessarij ad operandum benè. Sic communiter DD. Valentia 2.2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 3. Azor. *lib.* 8. *instit. cap.* 7. *quæst.* 1. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 3. *nu.* 1. Gasp. Hurtadus *disp.* 8. *de Fide difficul.* 11. *vers. Addimus.* Trullench. *lib.* 1. *Decal. cap.* 1. *dub.* 3. *numer.* 1. & 5. Fagundez *lib.* 1. *Decal. cap.* 2. *num.* 57. Suarez *disp.* 13. *de Fide sect.* 5. *n.* 6. & 7. Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 10. *à num.* 6. & *punct.* 11. *à nu.* 1. Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *par.* 2. *tract.* 2. *docum.* 4. *n.* 4.

QVÆSTIO XLIV.

Qua ætate præceptum hoc, sciendi, & addiscendi res Fidei, obliget?

REspondent Lopez, & Manuel citati suprà *q.* 32. obligare à pubertatis tempore. Quia tunc incipit quis perfecto vsu rationis vti.

Sed vt ferè certum Respondeo, obligarem omnes Fideles cum primum vsum rationis assequuntur, quod communiter accidit, citra septimum ætatis annum. Quia ferè certum est, obligare ex tunc præceptum credendi explicitè mysteria Fidei, vt habitum est *quæst.* 32. ergo & præceptum ea addiscendi, vel sciendi, quia absque scientia mysteriorum Fidei, non possunt hæc credi, vt patet. Sic docent Bonauen. Angelus, Nauar. Azor, Sanchez, Suarez, & alij citati *quæst.* 32.

QVÆSTIO XLV.

An, Fideles, ita obligentur, scire, aut addiscere Misteria Fidei; vt illa memoriâ retineant?

NEgandum videtur. Quia Fideles ex vi præcepti positiui Fidei, solùm tenentur credere mysteria Fidei, dum ad vsum rationis perueniunt, vel quando ipsis sufficienter proponuntur vt super. est habitum: ergo si amplius ad ea credenda per se, & ex vi dicti præcepti non tenentur, minimè erit illis necessaria ex præcepto, memoria dictorum mysteriorum.

Sed vt certum, Respondeo ita obligari, ad scienda, & addiscenda mysteria Fidei, vt illa memoriâ retineant, quantum in ipsis est. Sic præcipiunt plura Concilia Rhemense *cap.* 1. Bracarens. 2. & Cabilonens. *cap.* 46. relata *de consecrat. dist.* 4. *cap.* 20. & *sequent.* & Moguntin. *cap.* 46. & Forliens. ibi: *Symbolum verò, & orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis ætas,* (intellige, discretionis)

tionis) *omnis sexus, omnis conditio, masculi, fœminæ, iuuenes, senes, liberi, pueri, coniugatæ, innuptæque puellæ; quia sine hac benedictione, nullus poterit in cælorum regno percipere portionem.* Sic Concilium. Et optimè. Quia meritò postulatur ab homine Christiano, vt sit paratus ad exercendam, vel profitendam Fidem, suam, quantum oportuerit. Sic communis sententia Suarez *disp.13.sect.5.num.7.* Fagundez *lib.1.cap.2.n.59.* & alij supra allegati.

Ad fundamentum in contrarium, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Quia independenter ab adimpletione præcepti Fidei, necessaria est homini Fideli mysteriorium Fidei memoria, vel ad profitendam fidem, quam profitetur, aut quod in idem incidit, vt possit homo reddere rationem suæ Fidei. Quia planè indignum est, & contra rationem naturalem, vt homo de Fide, quam vt necessariam ad salutem amplectitur, non possit reddere rationem, nec dicere, saltem, præcipua capita illius, sed quod solùm interrogatus respondeat; *sciui olim, iam non scio.* Sic Arriaga *disp.13.sect.4. num.26.*

QVÆSTIO XLVI.

An Fideles teneantur ex præcepto, habere memoriter, Symbolum, aut Articulo Fidei; non solùm, quoad res ipsas; sed etiam, quoad verba?

NEgat, apud Suarium, vterque Medina, alter *lib.4. de recta in Deum Fide, cap.6.* Alter verò, *Cod. de Oratione cap.10.* docentes, nullum dari præceptum de addiscendis Articulis, aut aliis rebus Fidei verbaliter, seu quoad verba, sed sufficere memoria eas retinere, quoad substantiam. Quia hæc solùm memoria, non illa, est per se necessaria, & inuenitur sufficienter præcepta. Huic sententiæ adhærere videtur Hurtad. *disp.8. diff.11.* vbi ait, non esse necessarium hæc ita sciri, vt possit referri; sed sufficere ita habitualiter scire, vt quis de eo interrogatus, possit sufficienter respondere. Ita etiam Trullench. *lib.1.cap.1.dub.3.num.20.* Machado *lib.2. par.2.tract.2.docum.4.num.4.*

Sed probabilius Respondeo, teneri ex præcepto, habere in memoria Symbolum, aut Articulos Fidei, non tantùm quoad substantiam ipsorum, sed etiam quoad verba ipsa. Quia id suadent Concilij verba supra citata: Et meritò quidem: quia maximè conueniebat, quod de Articulis Fidei præciperetur, memoria verborum; vtpotè, quia non vtilis modo, sed pœnè necessaria esset ad conseruandam memoriam rerum: præterquam, quia si verba memoriæ non mandarentur, facilè, errarent Fideles vtendo verbis impropriis, & quæ sensum, sæpè contrarium efficerent. Sic Fagundez *lib.1. Decal.cap.2. num.60.* ex Suario *de Fide disp.13.sect.5.num.8.* Azorio *lib.8. Institut. cap.7. quæst.4. & 5.* Sanchez *lib.2. cap.3. num.19.* citante Nauarrum *in Man.cap.11.num.22. vers. septimo, & cap. Quando. de Consecr. d.1. cap.3. num.20. & cap.20. num.20.* Peñam, Paludan. & Lopezium. An autem hoc præceptum obliget ad mortale, dicemus *quæst.48.*

QVÆSTIO XLVII.

An præceptum addiscendi Symbolum, aut Fidei Articulos, & retinendi illos memoriâ, quoad res ipsas, & secundum earum substantiam, obliget sub mortali?

REspondeo vt certum: Quod sic. Quia memoria rerum, est maximè necessaria ad vsum Fidei, & vitam consequendam æternam. Adde quod saltem de hac rerum Fidei memoria, loquuntur Concilia, dum ita Fidelibus seuerè præcipiunt, vt memoriter sciant Symbolum, & orationem Dominicam. Sic omnes. Legantur Suarez. *loc. cit. num.7. in fine.* Fagundez. *num.61.* Sanchez *lib.2. cap.3. num.16.* & alij plures apud ipsum.

QVÆSTIO XLVIII.

An etiam, obliget sub mortali, præceptum retinendi memoriâ verba ipsa Symboli, aut Articulorum Fidei, &c.

AFfirmant apud Dianam, Angelus *verb. scientia num.1.* Siluest. *ibid. num. vnico. vers. secundum est.* & Tabiena. *ad finem,* Farinac. *de hæresi quæst.179. §.5. num.8.* Naldus *in sum. verb. Christianus. num.1.* Syluius *in 2.2. quæst.2. art.8. conc.8.* Palatios *in 4. dist.15. disp.9.* Nider *in sum. præcepto. 1. cap.3.* & Ioannes de Cruz *in director. part.1. art.1. dubit. concl.2.* quos omnes pro hac parte refert Diana *par.2. tract. 16. & 2. Miscel. Resol.12.* (non 14. vt legi apud Trullench.) *& par.3. tract.5. Resol.48.* Sed ex his ad minus, id non affirmant Angel. Siuest. & Tabiena, quia (vt bene notat ex Azorio, Sanchez) licèt in principio dicant, peccare mortaliter non addiscentem Orationem Dominicam, Symbolum, & præcepta Decalogi; statim se explicant, vt hæc obligatio sub mortali, non sit addiscendi memoriter, nisi quoad eorum substantiam. Accipe verba Angeli. *Vnde ex dictis in d. §.6. patet, quod parentes, qui non docent filios, & filias, se signare, dicendo:* In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen; & Credo *paruum; & decem præcepta legis;* & Pater noster, *videntur peccare mortaliter; quando omittunt ex negligentia eos docere, vel doceri facere, si possunt. Similiter non excusantur à mortali, qui nescientes talia non addiscunt, si possunt, cùm sint necessaria ad salutem. Aduerte tamen, quod quis posset scire præcepta, putà, si interrogatur; adorare Deos alienos, est contra præceptum? responderet, sic: & idem de aliis. Vnde tali sufficit, licèt nesciat ordinatè dicere. Et idem posset dici, de aliquo, qui nescit* Credo *paruum: tamen si interrogaretur, Deus est vnus? responderet, quod sic; & quod creauit omnia: Iesus Christus est eius Filius; & sic de cæteris? responderet, quod sic: quod sufficeret sibi, licèt nesciret præfatum* Credo. *Et idem dicerem de* Pater noster, *quod quando quis scit, quod est orandum, & petenda salus & gratia, & remissio peccatorum, & huiusmodi, licèt nesciret dicere,* Pater noster, *quod excusaretur: licèt consulendum sit omnibus, & potius, tam* Pater Noster, *quàm* Credo, *addiscant.* Huc vsque Angelus. Quod idem docent Siluest. & Tabiena.

Alij autem (vt innuit P. Suarez) è contrà dicunt, nec obligari sub veniali ad addiscendum memoriter, eo ordine, quo proponuntur, symbolum, seu Arti-

culos;

culos, & cætera. Quia non colligitur vnde hæc culpa oriatur venialis. Legantur pro hac opinione Hurtad. & Machado *q.46.citati.*

Sed probabilius Respondeo. Non obligari sub mortali: sed sub venali tantùm, ad sciendum, vel addiscendũ memoriter Symbolum, aut Articulos, &c. eo ordine, & verbis, quibus addiscenda proponuntur. Ratio est. Quia licèt Concilia, & Canones rigidè videantur loqui, & sub mortali obligare; at consuetudo iam illos expositit, obligationem hanc non esse tanti momenti, vt illius transgressio, non excedat culpam venialem. Addo quod sufficienter explicari possunt, si dicatur, loqui de memoria rerum: præcipuè cum materia leuis videatur memoria verborum, si præcisè in ipsis verbis vel in eorum ordine sistatur. Sic Nauarr. *in Man. cap.11.num.22. vers. septimo.* Azor. *tom.1. lib.8. cap.7. quæst.50.* Ludou. Lopez. *1. par. instruct. cap.41. vers. veniale est.* Sanchez *lib.2. Decalog. cap.3. num.19.* Suarez *disp.13. de Fide sect.5. num.8.* Bonac. *tract. de legib. disp.3. q.6. punct.2. num.14.* Filliuc. *tom.2. tract.22. cap.2. quæst.3. num.37.* Layman. *lib.2. tract.1. cap.9. num.4.* Tannerus *in 2.2. disp.1. quæst.7. dub.3. num.67.* Ægidius *num.194.* Diana *par.2. tract.16. Resol.12. & par.3. tract.5. Resol.48. in fine.* Fagundez *lib.1. in Decal. cap.2. num.62.* Machado *lib.1. cap.1. dub.3. num.20.* Palaus *tract.4. disp.1. punct.10. num.8. & 9.*

Qvæstio XLIX.

An, omnes Fideles, præter Symbolum, aut Articulos Fidei, teneantur sub mortali, scire, ac tradere memoriæ Orationem Dominicam.

NEgat Suarez *disp.13. de Fide sect.4. num.12.* sub his verbis: *Denique addi hic solet, teneri omnes Fideles ad sciendum Orationem Dominicam, quia id grauiter ordinatur in Concilio Rhemensi cap.2. & in Concilio Moguntiaco primo, cap.45. sed non constat sufficienter de tali præcepto, quamuis probabile sit, non excusari à culpa, saltem veniali, qui propter negligentiam illud ignorauerit, provt docuit Nauarr. in sum. cap.11. num.22. cum Paludano in 4. dist.15. art.5. & aliàs.* Hæc Suarez. Quem (non citatum) sequitur Granados *controu.1. tract.10. disp.3. sect.2. in fine.* & Gasp. Hurtad. *disp.8. diff.11.* (non 1. vt leges apud Ouiedum.)

Affirmant è contra Farinac. & Naldus, citati suprà, *quæst. antecedenti*, asserentes teneri talem Orationem sub mortali memoriter scire.

Sed clariùs, & probabiliùs Respondeo, teneri quidem omnes Fideles scire, ac tradere memoriæ Orationem Dominicam, quoad substantiam, sub peccato mortali; quoad modum verò, seu quoad ordinem & verba, sub veniali. *Prima pars* probatur: Quia omnibus est datum præceptum orandi, & deprecandi Deum: atqui nulla deprecatio esse potest efficacior ad salutem, quàm ea, quæ in Oratione Dominica continetur: ergo tenentur illa scire. *Secunda verò pars* conuincitur authoritate Conciliorum quæ pro sua sententia citat Suarez. Et ideò sic tenet Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.3. num.10.16. & 19.* Angel. Silueſt. Tabiena, citati *quæst.48.* Valentia *2.2. disp.1. quæst.2. punct.5. vers. Item.* Ægidius *disp.14. dub.10. concl.4.* Palao *punct.10. cit. num.8. & 9.* Fagundez *lib.1. Decalog. cap.2. num.43. iuncto num.46.* Trullench *ibid. cap.1. dub.3. num.20. & 21.* Diana *part.2. tract.16. Resol.12. & 3. p. tract.5. Resol.48.* Layman. *tom.1. lib.2. tract.1. cap.9. num.4.* Sa *v. Fides. num.2.* Ouiedo *controu.7. punct.4. numero 59. & 60.*

Qvæstio L.

An item, teneantur Fideles sub mortali addiscere, & memoriâ retinere, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ?

NEgat in primis Michaël de Medina *lib.4. de recta in Deum Fide, cap.6.* existimans, satis esse, si Fideles sciant illa duo principia moralia: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias: & Quæcúmque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quia ex his duobus principiis, facilè (inquit) potest vnusquisque in particulari, iudicare, quid sibi faciendum sit ad honestè operandum, seu viuendum. Sed hæc sententia probabilis non est, vt ait Suarez, quia ex illis principiis, cum ad proximum pertineant, non potest sumi regula, honestè operandi in ordine ad Deum. Vnde hac opinione reiecta.

Alij contrà docent, teneri sub mortali Fideles scire, ac memoriâ retinere omnia præcepta Decalogi, eo ordine, quo proponuntur addiscenda. Ita Farinac. *de hæresi quæst.179. §. 5. num.8.* & Naldus *verb. Christianus num.1.* nec non Syluius *in 2.2.q.2. art.8. concl.8.* & Ioan. de Cruce *par.1. sum. art.1. dub.2. concl.2.* quos pro hac parte citat Diana *2. & 3. parte vbi suprà.* Sed ex his Cruz, non ita clarè id, sicut citatur, docet. Solùm enim ait: Omnes Christianos, ex præcepto Ecclesiæ teneri, scire memoriter articulos Fidei, sicut & præcepta Decalogi, provt cuique sit possibile. Quia *dist.4. de consecrat. cap. Baptizandos. & cap. Non liceat.* præcipitur, quod nullus baptizetur, nisi sciat Symbolum Apostolorum, & memoriter reddat: ergo à fortiori ad id tenentur Baptizati. Sicut Religiosi professi, potius quàm Nouitij tenentur scire suas leges. Sufficiet autem pro memoriæ labilitate, cum fecerint quod in se est, si interrogati, an talis, vel talis veritas sit de Fide? an si v.g. furtum sit contra aliquod præceptum Decalogi? sciant respondere veritatem. Hæc Cruz.

Sed clarius ac probabilius Respondeo teneri sub mortali addiscere & memoriâ retinere quoad substantiam, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ: sub veniali verò, quoad verba, & ordinem, quo addiscenda proponuntur. Ratio primæ partis est. Quia omnes Fideles tenentur ex præcepto exequi præcepta Decalogi, & Ecclesiæ: ergo ex præcepto tenentur illa scire: patet, quia ea ignorantes, id præstare nequeunt.

Ratio verò secundæ partis ex dictis constat. Quia ad adimplenda hæc præcepta sufficit, si quis ea sensum calleat, & substantiam memoria retineat: ergo nil amplius sub graui culpa requiritur: ergo solùm requiritur sub veniali, vt quis dicta præcepta sciat ordine, quo sunt composita. Sic Sanchez *loco citato, numer.10.* Silueſt. Angelus, Tabiena, Armilla, Valentia, & Nauarr. ac alij apud ipsum. Ægidius, Palao, Fagundez Trullench. & Diana *qu. st. antecedenti citati.* Suarez *disp.13. sect.5. num.8.* Layman. & Sa *loc.cit.* Sayrus *in Claui Reg. lib.2. cap.9. num.31.*

QVÆSTIO LI.

An etiam teneantur Fideles, sub aliqua culpa, addiscere Orationem Angelicam?

AFfirmat Paludan. *in* 4. *dist.*15. *quæst.*5. *art.*1. dum ait, teneri Fideles addiscere Orationem Dominicam, Angelicam, & Symbolum, eo quòd sint prima Fidei rudimenta, quæ omnem discipulum addiscere oportet,& docent cum Paludano, Ledesma,& Nauarr. *apud Sanchez.*

Alij è contra negant, & à fortiori vt colligitur ex Suario citato *sup. quæst.* 48. & negare videtur Azor. si attentè legatur, *lib.*8. *cap.*7. *quæst.*5. *per totam.* (licèt pro contraria citetur à Sanchez.) Negat & Filliuc. *tract.*22. *cap.*2.*quæst.*8. *num.*51. his verbis: *De Salutatione Angelica, & Salue Regina,non est dubitatio vlla: communiter enim Doctores affirmant,neminem teneri ad illa scienda, quamuis bonum,& laudabile sit ea scire.* Ita ille, quem citat & sequitur Trullench. *lib.*1.*cap.*1.*dub.*3.*n.*19.

Sed clariùs, iuxta nuper dicta, Respondeo teneri Fideles addiscere Salutationem Angelicam; sed solùm sub peccato veniali. Sic Layman. *cap.*9. *cit. num.*4. his verbis: *Adde, quod attinet ad Orationem Dominicam; Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum esse Ecclesiasticum præceptum, longâ consuetudine firmatum, vt ea memoriter ediscantur, sicuti colligitur, ex cap. vos ante omnia. dist.*4. *de consecrat. & docet Palud. in* 4. *dist.*15. *quæst.*5. *art.*1. Nauarr. *loc. cit.*§.*septimo.* Lopez. *cit. cap.*3. *num.*19.*vbi tamen admonent, huiusmodi obligationem memoriæ mandandi esse solùm sub peccato veniali.* Hæc Layman. Diana etiam *p.*3. *tract.*5. *Resol.*48. *vers. Et tandem*, & alij apud ipsum, Sanchez. *lib.*2.*cap.*3.*num.*19.

QVÆSTIO LII.

An satisfaciat obligationi, sciendi memoriter Symbolum, Orationem Dominicam, & Angelicam, & alia suprà dicta, & infrà dicenda, qui ignarus linguæ latinæ, ea latinè addiscit?

AFfirmant Nauarr. *in Man. cap.*11. *num.*18. quem citat, & sequitur Azor. *lib.*8. *cap.*7.*q.*5. in fine vbi ita ait: *sed quæres, qua lingua & sermone, prima Christianæ Doctrinæ, & Fidei elementa quisque discere debeat. Quidam aiunt vernacula lingua, & sermone ea esse singulis perdiscenda, quo facilius capiantur: & certè id videtur commodius, & vtilius, & mori, ac vsui Ecclesiæ congruentius. Cæterùm & latina, & vernacula lingua ea quisque discere iure potest, vt Nauarrus insinuat: nam sufficit vnicuique, cum de singulis rogatur, si verè, & rectè respondeat.* Hæc Azor. necnon & Lopez. 1.*p. instruct. cap.*41. *col.*2.*versic.veniale est.*

Sed ego clarius, vt certum Respondeo *Primò.* Quod minimè satisfaciat dictæ obligationi ille, qui omninò ignarus linguæ latinæ,Symbolum, & cætera suprà dicta latinè addiscit. Quia iste non intelligit sensum verborum: atqui hoc simpliciter est nescire: ergo. Deinde quia, in tali modo addiscente, solùm datur scientia verborum, non mysteriorum: at sic est quod hic notitia mysteriorum Fidei est, quæ expostulatur: ergo. Sic DD. infrà citandi.

Respondeo *Secundò.* Verè satisfaciet dictæ obligationi, qui solùm confuso, & imperfecto modo intelligens linguam latinam, latinè addiscit Symbolum, &c. Quia ad id satis est, quod quodammodo percipiat sensum verborum, quamuis omnia verba explicare non possit. Et fortè in hoc sensu loquuti sunt Authores primæ sententiæ, vt notat Fagundez. Et quidem primam nostram responsionem communiter sequuntur Doctores, Bannes 2.2.*q.*2. *art.*8. *dub.*2. *fol.*429. Sanchez. *lib.*2. *cap.*3. *num.*16. & 19. *in fine.*Ægidius *disp.*14.*dub.*10.*num.*194.Petr. Ledesma *tom.*2. *tract.*1. *cap.*2. *concl.*8. *vers. Delo qual sefigue.* Fagundez *lib.*1. *Decalog.cap.*2. *num.*63. Palao *disp.*1.*punct.*10.*num.*9.& antea Suarez.*disp.*13. *sect.*4. *num.*15.Trullench.*lib.*1.*Decalog. cap.*1.*dub.*3. *num.*20.

QVÆSTIO LIII.

An saltem satisfaciat obligationi sciendi supradicta, qui ea, linguâ maternâ addiscit, non tamen sensum verborum percipit?

AFfirmabunt à fortiori Nauarr. Azor.& Lopez. nuper adducti, nisi aliàs loquantur in sensu à nobis explicato.

Sed vt certum Respondeo. Non satisfacere: ob rationes, quas nos pro probanda responsione præcedenti, adduximus. Sic tenet Sanchez, *loco citato, num.*16. ibi: *Nec tamen sufficit hæc memoriter scire, & non intelligere instar psittaci, sed oportet proprium verborum sensum, vtcunque, & crasso modo percipere. Quia scire memoriter, non intelligendo, non est scire.* Sic ille, & penès ipsum, Nauarrus *in cap. Quando. de consecr. dist.*1. *cap.*3. *num.*20. Valentia, Bannes & Petr. Ledesma *loc. cit.* Fagundez. & Palao, etiam Trullench. *cap.*1. *dub.*3. *num.*20. & est communis doctrina.

QVÆSTIO LIV.

An sit mortale, nescire se signare Signo Crucis?

AFfirmant Angel. Siluest. & Tabiena citati *sup. quæst.*48, necnon & Armilla *verb. scientia n.*3. ita dicens: *Parentes videntur mortaliter peccare, negligentes docere filios Signum Crucis, Pater noster, Credo, Præcepta decem, & Articulos Fidei necessarios: quia dicit Apostolus*, Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, Fidem negauit. *Similiter, qui non addiscunt prædicta cum possunt; secus, quando non habent instructorem, licèt de necessariis nullus possit se excusare.* Hæc Armilla. Quem sequi videtur Villalob. *tom.*2. *sum. tract.*1. *diffic.*4. *num.*12.

Sed probabilius longè Respondeo.Non esse mortale; sed veniale ad summum. Quia *cum hæc res* (ait Sanchez.) *parua sit, dura res videtur obligatio hæc sub mortali: erit igitur solùm venialis ignorantia.* Sic ille *lib.*2. *cap.*3. *num.*14. *in fine.* Diana 3.*p. tract.*5. *Resol.* 48. *in fine.* Trullench. *lib.*1. *Decalog. cap.*1. *dub.*3. *num.*19.vbi ita dicit: *Erit tamen talis ignorantia graue veniale peccatum: transgreditur enim traditio Apostolica: tum etiam,quia per Signum Crucis profitemur mysterium Trinitatis, atque adeo saltem erit graue veniale, non autem auderem sub mortali condemnare; quia non omnes traditiones Apostolicæ obligant sub mortali.* Sic ille.

QVÆSTIO LV.

An teneantur, Fideles, ſub veniali ſaltem, Salue Regina *addiſcere?*

REſpondeo vt certum : Non teneri, licèt valde laudabile ſit, talem ſalutationem ſcire. Ratio eſt. Quia de hoc, nec vllum datur præceptum ; nec traditio vlla Apoſtolica : ergo ignorantia illius, nec veniale peccatum erit. Sic Filliuc. & Trullench. citati *ſup. quæſt.* 51.

QVÆSTIO LVI.

An aſtringantur Fideles, ſcire, aut addiſcere memoriter, Opera quatuordecim Miſericordiæ?

AFfirmat Valentia 2.2. *diſp.*1. *quæſt.*2. *punct.*5. dicens, teneri hæc Opera ſcire, ſaltem pro tempore, quo debent illa exercere.

Sed longè probabilius Reſpondeo. Non teneri ſub culpa vlla, hæc opera memoriter ſcire ; ſed ſat eſſe in genere ſcire aſtringi, & obligari aliquando Fideles, ad ſubueniendum proximiorum neceſſitatibus, quas vel in corpore, vel anima patiuntur. Nam (vt benè Sanchez) deſcendere ad caſus ſpeciales, iudicarequè, quando ſit extrema neceſſitas, aut grauis, obligans ; & quando concurrant circunſtantiæ ad id petitæ, vix docti aſſequuntur. At vulgus, eius generali præcepti conſcium, poterit circa caſus occurrentes dubitare, ac peritos conſulere. Sic ille *lib.*2. *cap.*3. *num.*10. *verſic. inſuper.* Fagundez *lib.*1.*cap.*2. *num.*47. Trullench.*lib.*1.*cap.*1.*dub.*3. *num.*19.

QVÆSTIO LVII.

An ſub mortali culpa ; teneantur Fideles adulti, ſcire, ac addiſcere, ea, quæ ad Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ pertinent?

REſpondeo vt certum : Teneri. Quia Fideles tenentur ſub mortali peccato, hæc ſacramenta recipere : ergo, & ſub eadem culpa, tenentur ſcire, quas diſpoſitiones expoſcant, quem fructum ferant, &c. patet : quia ſine hac notitia, dignè id præſtare non poſſunt. Tenentur igitur Fideles ſcire, Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem : quia per illum remittitur peccatum Originale : & per illum, adaptantur membra Chriſti, & ad obſeruandam legem Euangelicam ligantur. Pœnitentiæ Sacramentum, eſſe neceſſarium ei, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccauit. Euchariſtiam, eſſe Sacramentum, ſub quo Chriſtus Dominus continetur, adoratur, & ſumitur à Fidelibus, ad cuiuſque ſumptionem ſuo tempore obligantur. Sic omnes. Negant Sanchez *cap.*3.*cit. num.*9. Suarez *diſp.*13. *ſect.*4. *numer.*12. Ægidius *diſp.*14. *dub.*10. *num.*191. Henriquez *lib.*6. *cap.*18. *num.*2. Valentia 2.2. *diſp.*1. *quæſt.*2. *punct.*5. *dub.*1.*poſt* 2. *concl.* Palao *tom.*1.*tract.*4.*diſp.*1.*pun.*10. *num.*7. Ouiedo *contro.*7. *punct.*4. *num.*58. & dicta à nobis *ſuprà quæſt.*28.

QVÆSTIO LVIII.

An etiam ſub mortali culpâ, teneantur Fideles addiſcere, aut ſcire ea, quæ ad ſubſtantiam, & diſpoſitiones aliorum ſacramentorum, Confirmationis, Extremæ vnctionis, Ordinis, & Matrimonij pertinent?

NEgat Valentia, *loco nuper citato,* loquendo præcipuè de Sacramentis Confirmationis, & Extremę vnctionis. Quia illud, tempore infantiæ recipi poteſt, vt nos diximus 1.*p.tract.*3.*diſp.*4.*q.*1.2.*&* 3. Et hoc, ab adulto vſu carenti rationis, ſi illum aliquando habuit, vt diximus etiam 1.*p. cit. tract.*4. *diſp.*3.*quæſt.*8. ergo. Citant etiam pro hac parte Palaus, & Ouiedo, Sapientiſſimum Suarium *diſp.*13. *ſect.*4. *num.*12. ſed non benè omnino, vt infrà.

Alij verò probabilius, Reſpondent. Non teneri abſolutè Fideles prædicta Sacramenta, quoad eorum ſubſtantiam, & diſpoſitiones ſcire ; niſi caſu, quo quis ſui compos, ea recipere velit. Quia tunc verè ſub mortali obligatur, ſcire prius eorum ſubſtantiam, & diſpoſitiones, vt ea dignè recipere poſſit. Sic Sanchez *lib.*2. *cap.*3. *num.*9. Bannes 2.2.*q.*2. *art.*8. *dub.*2. Petr. Ledeſma *tom.*2. *ſum.tract.*1.*cap.*2. *à concl.*9. Tannerus *num.*72. quos citat, & ſequitur Ouiedo *punct.*4. *cit.num.*58. Et hanc ſententiam ſic explicatam videtur amplecti Suarez *loc. cit. num.*12. *in fine*, vt dicunt hæc eius verba : *De aliis verò Sacramentis, non eſt tanta ratio neceſſitatis ; monendi tamen ſunt Fideles, vt ea non ignorent, & quicumque aliquod illorum recipere vult, tenetur prius ſcire quid recipiat, vt ad illud dignè ſe præparare. & accedere valeat.* Sic Suarez.

Sed Palaus *tom.*1.*tract.*4. *diſp.*1.*punct.*10. *num.*7. abſolutè affirmat, teneri quem ſcire dicta Sacramenta, quoad eorum ſubſtantiam, &c. etiam antequam illa velit recipere. Ita enim ait, *loc. cit. Dum autem non decernis illa ſuſcipere, etſi probabile ſit, te non eſſe obligatum illa ſcire : at probabilius credo, obligari : tum, vt poſſis, ſi velis, illa recipere : tum, vt gratum te Deo exhibeas pro tot remediis ad tuam ſalutem inſtitutis. Et ita tenet expreſsè Coninch. diſp.*14. *dub.*10. *concl.*3. *numer.*192. *quamuis inclinet non eſſe obligationem ſub graui culpa. Conſentit Sanchez lib.*2. *cap.*3.*num.*9.*fine.* Hæc Palaus, ſed malè in hoc, quod dicit, conſentire Ægidio Sanchez. Minimè enim id facit, vt conſtabit legenti.

Sed ego clarius, ac probabilius Reſpondeo *Primò.* Nullus Fidelium tenetur præfata Sacramenta ſcire, antequam ea recipere decernat, necdum ſub culpa veniali. Quia ſunt omninò voluntaria : ergo nemo obligatur ad illa ſcienda, antequam decernat illa ſuſcipere. Hanc reſpoſionem tenent omnes Authores ſecundæ ſententiæ, & à fortiori Valentia, qui eſt primæ.

Reſpondeo *Secundò.* Omnis Fidelis ſui compos, tenetur ſub mortali, ſcire dicta Sacramenta, antequam illa recipiat, caſu, quo ſe ad illa recipienda determinet, vt docent Authores ſecundæ ſententiæ. Quia id conuincit ratio ab illis aſſignata.

QVÆSTIO LIX.

An, possint Prælati compellere subditos sub pœnâ excommunicationis; vt doctrinam Christianam addiscant; & Parochos, Parentes, & Dominos; vt eam doceant?

NEgandum videtur. Quia, *vt suprà* est habitum, præceptum retinendi memoriâ verba Symboli, Orationis Dominicæ, & Decalogi, &c. non obligat sub mortali: ergo nullus compelli potest ad hæc, modo dicto, addiscenda, sub pœnâ excommunicationis; cùm hæc culpam mortalem supponat.

Sed vt certum ferè Respondeo posse. Quia possunt certè occurrere speciales rationes, ob quas Prælati iudicent, memoriam verborum esse, non modò vtilem, sed etiam maximè necessarium ad professionem fidei. Sic Fagund. *lib.* 1. *Decal. c.* 2. *n.* 64. & quod absolutè id possint facere omni tempore Prælati, docent Sanch. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 15. Perez *lib.* 1. *Ordinamenti tit.* 1. *l.* 1. §. *aliud etiam.* Vbi refert, Episcopo Caurien si id præcipiente, sub excommunicationis pœna, rem per appellationem ad Metropolitanum delatã esse, ac mandatum Episcopi ab eo confirmatum. Rodrig. etiam *t.* 1. *o. sum. in* 2. *edit. c.* 88. *n.* 3. Palao *disp.* 1. *cit. pun.* 11. *n.* 3. (per errorẽ 4.) Trullench. *lib.* 1. *c.* 1. *dub.* 4. *n.* 8. Barbosa *de potest. Episcopi, par.* 3. *allegat.* 76. *num.* 8.

QVÆSTIO LX.

An, illi, qui, ita rudes sunt, & agrestes, vt ea, quæ in Symbolo, aut Articulis continentur, nec memoriâ percipere, nec sensum intelligere possunt; excusentur ab hac sciendi & credendi obligatione?

RESpondeo: Excusari quidem ratione impotentiæ à credendis explicitè, ac sciendis ea, quæ in Symbolo continentur, dummodò implicitè ea credãt. Sic Valent. 2. 2. *disp.* 1. *q.* 2. *pun.* 4. Azor. *l. b.* 8. *c.* 2. *q.* 6. Marsil. & Guillelm. quos refert, & sequitur Sanch. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 18. Suar. *disp.* 13. *sect.* 4. *n.* 15. Palao *disp.* 1. *pun.* 10. *n.* 10. Qui tamen bene aduertunt, quod dictæ personæ non debeant esse contentæ, si semel aut iterum mysteria Symboli audiant, & illa non percipiant; curare enim debent sæpius de illis instrui, & cogitare, vt sic aliquam sufficientem notitiam acquirant. Et in hoc tenentur ministri Ecclesiæ, & præsertim Parochi iuuare, quantum commodè potuerint, iuxta præscriptum Trident. *sess.* 24. *c.* 4. *de Reform.* Trullench. *lib.* 1. *c.* 1. *dub.* 3. *n.* 15. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 1. *diff.* 4. *n.* 9. Filliuc. *tract.* 22. *cap.* 2. *n.* 39. & 54. & alij.

QVÆSTIO LXI.

An, omnes Fideles teneantur æqualiter habere explicitam notitiam Mysteriorum Fidei?

AFfirmant Hæretici nostri temporis, docentes, quemlibet Fidelium, quantumuis simplicem, & laicum, teneri ad scienda omnia mysteria Fidei, & ad legendam Sacram Scripturam, vt inde possit intelligere quæ sibi credenda sint. Ita refert hunc errorem Suarez.

Sed, vt plusquam certum, Respondeo. Non teneri omnes ad habendam æqualiter explicitam notitiam Fidei. Hæc assertio est de fide. Et probatur. Quia ex Paulo *ad Rom.* 12. non omnia membra Ecclesiæ sunt æqualia: ergo non omnia membra obligantur ad æqualiter viuendum: ergo neque ad æqualem Fidei explicitam notitiam: sic omnes Catholici. Legantur Valent. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 2. *pun.* 3. Suar. *disp.* 13. *de Fide sect.* 6. *n.* 2. & 3. Palao *disp.* 1. *pun.* 10. *n.* 11. & alij Theologi cum D. Thoma 2. 2. *q.* 2. *art.* 6. Quod ex dicendis magis patefiet. Sit ergo.

QVÆSTIO LXII.

Ad quam Fidei explicitam notitiam, teneantur Fideles laici?

RESpondeo. Teneri ad illam, & solam, quam in superioribus quæstionibus teneri, tam ex necessitate medij, quàm præcepti, docuimus. Quia non est aliud præceptum eis impositum, vnde noua alia obligatio oriatur. Rursus, neque ratione officij, vel muneris, ad aliud quid tenentur; cùm cura rerum supernaturalium ad eos non pertineat; & ideò in his, quæ pertinent ad perfectam intelligentiam mysteriorum Fidei, potius tenentur laici implicitè credere, quod Ecclesia credit, & ita suo muneri satisfaciunt, vt bene docet Suar. *loc. cit. n.* 4. Ex quo solutum manet fundamentum hæreticorum, *q. antecedenti* adductum.

QVÆSTIO LXIII.

An, Ecclesiastici teneantur ad maiorem, magisquè explicitam cognitionem mysteriorum Fidei, quàm sæculares tenentur?

RESpondeo vt certum: Teneri. Quia ad Ecclesiasticos pertinet docere laicos, & illuminare illos de Fidei mysteriis: ergo ad maiorem cognitionem eorum tenentur: patet consequentia; quia superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè, credere, vt ait D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 6. *in corp.* sic ibi expressè, & *in addit. ad* 3. *p. q.* 36. *art.* 2. & omnes Theologi cum eo. Legantur Suar. *loc. cit. n.* 5. Aragon. 2. 2. *q.* 2. *art.* 6. *in princ. explicationis Articuli.*

QVÆSTIO LXIV.

An, obligatio sciendi mysteria Fidei, sit in omnibus Ecclesiasticis æqualis?

RESpondeo vt certum: Quod non. Quia non omnes Ecclesiastici habent æquale munus. Sic omnes cum D. Tho. *in addit. ad* 3. *p.* vbi suprà, Suarez *disp.* 13. *de Fide, sect.* 6. *n.* 6. vbi statum Ecclesiasticum in tres gradus diuidit. *Primus* est, simplicium Clericorum, vsque ad Sacerdotes, qui curam Animarum non habent. *Secundus* est Parochorum. Et *Tertius* est Episcoporum. De quorum singulorum obligationibus in ordine ad scientiam, quam de Fidei mysteriis habere tenentur, breuiter agemus. Sit ergo.

QVÆSTIO LXV.

An, Sacerdotes simplices teneantur ad Fidem magis explicitam; & ad maiorem cognitionem mysteriorum eius, quàm alij Fideles?

RESpondeo vt certum: Non teneri ad Fidem magis explicitam, quàm alij Fideles: exceptis his, quæ ad suum munus obeundum, vti ad conficiendum Sacramentum, & similia pertinent. Ratio est. Quia ex vi Fidei, nullum speciale præceptum est illis impositum:

positum: ex vi autem muneris, sat est, vt eam cognitionem habeant, quæ ad suum munus ritè, & rectè exequendum est necessaria: ergo. Sic omnino Suarez *num.6. citato* ex Angelico Doctore, *vbi suprà.*

QVÆSTIO LXVI.

An Parochi, seu Curati, teneantur ad maiorem cognitionem mysteriorum Fidei, quàm alij Sacerdotes simplices, seu non Curati?

REspondeo vt certum: Teneri. Quia habent maiorem obligationem; si quidem ratione officij tenentur, quoad doctrinam pascere gregem suum: & quoad mores, Sacramentum confessionis ministrare, & consequenter tenentur ad maiorem doctrinam, & cognitionem misteriorum Fidei; & ideò ad sciendos articulos, secundùm declarationem, quæ communiter habetur in Catechismis, præsertim Romano, qui ad Parochos est directus. Sic omnes. Legantur D. Thom. & Suarez *loc. cit.* Filliuc. *tract. 22. cap. 2. num. 35.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 1. dub. 3. n. 16.* Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 10. n. 11.* ita dicens: *Parochi autem, Confessarij, Concionatores, & reliqui omnes, quibus cura incumbit alios docendi, tenentur eam scientiam mysteriorum habere, vt explicare, & aliqualem rationem de illis reddere, & difficultatibus communiter occurrentibus satisfacere possint; aliàs non videtur, quia ratione possint alios rectè instruere: quod facere tenentur iuxta Tridentin. sess. 25. cap. 2. de Reformat. & sess. 24. cap. 5. de reformat.* Sic Coninch. *disp. 14. dub. 10. conc. 6.* Suarez *disp. 13. sess. 6. numer. 6.* Hæc Palaus.

QVÆSTIO LXVII.

An Episcopi, & alij Ecclesiæ Pastores, obligentur ad maiorem cognitionem rerum Fidei, & morum; quàm obligantur Parochi, & alij mediocres Prælati?

REspondeo vt certum: Obligari. Quia hi, vtpotè maiores Prælati, maiorem habent obligationem sciendi, ac docendi, necnon defendendi mysteria Fidei, & difficultates aduersus illa insurgentes, dissoluere: & eos, qui contradicunt, arguere, & conuincere, iuxta illud Pauli ad Titum 1. *Oportet Episcopum esse iustum, amplectentem eum, qui secundùm Doctrinam est, Fidelem sermonem, vt possit exhortari, & eos, qui contradicunt arguere.* Sic Apostolus, & D. Petrus loquente de Episcopis etiam, ita ait: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* Et sic docent etiam Sacri Canones *dist. 23. 36. & 38.* & in septima Synodo *sess. vltima cap. 2.* & in Concil. Lateranense sub Alexandro III. & in Tridentino, *sess. 7. cap. 1. & sess. 22. cap. 2. de Reformat.* Legantur Suarez, Filliuc. Trullench. Palao, Coninch. *loco citato*, Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 3. numero secundo*, Petr. Ledesma *tom. 2. sum. tractat. 1. cap. 2. concl. 6. & 7.* vbi sic ait: *Los Obispos estan obligados à saber explicitè, y distintamente los tres Symbolos, y todas las subtilezas, y profundidades de los mysterios de la Fee.* Quiedo *controu. 7. punct. 4. in fine.*

QVÆSTIO LXVIII.

An Pœnitens ignorans ea, quæ ratione Medij sunt necessaria ad salutem, possit à Confessario absolui?

REspondeo vt certum: Non posse absolui, nisi priùs ab ipsomet Confessario instruatur, itavt explicitam eorum, quæ diximus, esse necessaria medij necessitate ad salutem, Fidem concip at, & promittat se accuratius & plenius addiscere. Ratio est: Quia Pœnitens in dicto euentu, caret medio simpliciter necessario ad salutem: ergo dum illud, modo quo potest, non obtineat; incapax erit absolutionis. Sic Filliuc. *tract. 22. cap. 2. quæst. 5. num. 42.* & ex illo Trullench. *lib. 1. cap. 1. dub. 4. num. 2.* Palaus, *tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 11. numer. 7.* ibi: *Et quidem debere, Pœnitentes, instrui ante confessionem mysteriis necessariò necessitate medij cognoscendis, nemini est dubium: nam sine illorum cognitione, prima salus haberi non potest: horum tamen rarus, vel nullus est ignorans.* Sic ille.

QVÆSTIO LXIX.

An saltem possit absolui Pœnitens, qui scit illos articulos Fidei qui sunt necessarij necessitate Medij; ignorat tamen alios, quos, solùm necessitate Præcepti, debet cognoscere, ac scire?

NEgat adhuc absolutè Medina, *lib. 2. summæ cap. 7 fol. mihi 279.* his verbis: *Fuera destos casos, à nadie aunque sea el Rey, ha de confessar, sino ha hecho suficiente diligencia, ni tan poco al que no sabe la Doctrina Christiana: y en estas dos cosas se ha de poner gran pecho, y animo, para que no se pierda el medico, y el enfermo.* Sic ille.

Huic authori assentitur Manuël *to. 1. Summæ, c. 88.* apud Sanchez, Fagundez, & Trullench. apud me verò, *cap. 163. in fine*: per hæc verba: *Acerca desto, deuen notar los Confessores que no confiessen, ni absueluan al que no sabe la Doctrina Christiana: loqual encomienda Medina se haga con gran fortaleza. Empero fray luys Lopez, 1. p. instruct. Confes. cap. 27. moderando este rigor dize, que no ha lugar en los esclauos, por que estos como no son libres, no tienen culpa por la ignorar. Y en confirmacion de su opinion, trae algunas razones, no aduirtiendo, que sus señores tienen culpa en no se la enseñar, losquales viendo que absueluen à sus ignorantes esclauos, se descuydaran mas en el cumplimiento de su obligacion; y assi la opinion deste Padre siguiera yo en caso que el esclauo fuesse tan bozal, que no pudiesse aprenderla, poniendo sus señores la diligencia possible en enseñarla.* Hæc Manuel.

Alij verò benignius docent, prædictum Pœnitentem non esse statim absolutione priuandum; sed priùs instruendum à Confessore, & si instructus didicerit, esse adsoluendum; si verò secus contingat, differendam fore absolutionem, Ita Bannes, *2. 2. quæst. 2. art. 8. dub. 2.* & Petr. Ledesma, *tom. 2. tract. 1 cap. 3. concl. 7.* vers. *De lo qual se sigue.* his verbis: *y si los Confessores entendieren, que los penitentes no saben la Doctrina, que estan obligados à saber, han los de enseñar, y de otra manera no han de oyr sus confessiones, ni absoluerlos.*

La

La razon es, porque estos tales, estan en estado de pecado mortal: porque. la tal ignorancia es pecado mortal, &c. Hæc Ledesma

Sed ego clarius sic Respondeo. *Primò*: si Pœnitens solùm ignorat Doctrinam Christianam, seu omnes Articulos in Symbolo contentos, & alia quæ necessitate præcepti scire tenetur, non retinendo memoriâ verba, cum res ipsas sciat, & interrogatus de his rationem reddat, absque dubio est absoluendus. Quia tunc pœnitens non est in statu peccati mortalis, cum solùm obligetur sub veniali ad retinendam memoriâ Doctrinam Christianam quoad verba: vt cum communi Doctorum diximus suprà *quæst.*48. ergo ob id, non est reiiciendus à Confessione, seu absolutione. Sic expressè Fagundez, *lib.1.cap.2.num.69.*

Respondeo *Secundò*. Si Pœnitens, non solùm, quoad verba; sed etiam, quoad res, seu quoad substantiam, omnes articulos contentos in Symbolo ignoret; cùm potuerit scire; tunc Confessarius eodem modo se cum illo gerere debet, ac cum aliis peccatoribus. Ideoquè si iterum, vel iterum confiteatur, & dicat se dolere de negligentia præterita, & habere propositum emendæ, semper erit absoluendus. Quia sic cum relapsis in alia peccata fieri solet, iuxta doctrinam nostram habitam 1. *p. tract.5. de pœnit. disp. 7. quæstion.51.* si verò sæpè sæpiùs admonitus nullam diligentiam addiscendi adhibeat, differenda erit ei absolutio, quo vsque supradicta sciat, vel saltem scire inceperit, sic Azor. *tom.1. libr.8. capit.8. quæst. finali.* & ex illo Sanchez, *libro secundò, Decalog. capite tertio num.21.* Qui addit, in praxi nunquam aut rarissimè denegandam esse absolutionem, ob Doctrinæ Christianæ ignorantiam. *Quia rustici* (inquit) *ignorantes, non habent commodè Doctorem: & Confessor potest illos instruere; nec ipsi maiorem addiscendi capacitatem habent.* Sic Sanchez. Cui subscribunt Fagundez *capit.2. cit. numer.70.* Trullench. *numer.4.* Filliuc. *numer.44.* Ægidius, *disp.14.dub.11. in fine.* Ioan. Sanchez, *in selectis, disp.9. num.18.* Palao *tom.1. tract.4. disp.1. punct.11. in fine.* Remigius, *in sum. tract.2. capite primo §. 1. vers. Pero notese.*

Qvæstio LXX.

An Confessarij teneantur interrogare omnes Pœnitentes, Doctrinam Christianam?

Respondeo: Teneri interrogare Pœnitentes, sed non omnes: sed solùm illos, quos probabiliter iudicat Doctrinam Christianam ignorare. Quia tenentur interrogare peccata, quæ verisimile est pœnitentem commisisse, iuxta suum statum, vt diximus 1. *p. tract.5. disp.11. quæst.124.* at huiusmodi est hæc ignorantia: ergo. Dixi, *non omnes, &c.* Quia non est necesse de hoc interrogare personas nobiles, aut benè à pueritia educatas, aut quæ studio litterario vacant, aut frequenter ad Confessiones accedunt. Quia meritò præsumi potest, hac Doctrinam non ignorare. Sic Azor. *tom.1. lib.8. cap.8. quæst. finali.* Petr. Ledesma *2.tom.sum. tract.1. cap.3. concl.7. vers. De lo qual.* Bannez *2.2. quæst.2. art.8. dub.2. pag.429.* quos citat, & sequitur Sanchez *lib.2. cap.3. num.21.* Filliuc. *tract.22. cap.2.quæst.10. numer.55. & 56.* Trullench. *lib.1. Decalog. cap.1. dub.4. num.6.*

Qvæstio LXXI.

An Doctrina Christiana sit necessariò docenda?

Respondeo dicendum, quod Doctrina Christiana (quæ comprehendit Rudimenta Fidei, quæ iuxta superius dicta, sunt, Symbolum Apostolorũ, seu Articuli Fidei, decem Decalogi præcepta, Oratio Dominica, septem Sacramenta, &c.) omninò est publicè docenda. Quia id expressè præcipit Episcopis Tridentin. *sess.24. cap.4. de Reformat.* his verbis: *Idem* (idest, Episcopi) *etiam, saltem Dominicis, & aliis festiuis diebus, pueros in singulis parochiis, Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & Parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, & si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent.* Hæc Concilium. Legatur Possevinus *de officio Curati cap.4.quæst.4.pag.mihi* 80. & Catechism. Roman. *in præfat.n.12.pag.6.*

Qvæstio LXXII.

An Parochus, seu Curatus, teneatur docere suas oues, Doctrinam Christianam?

Affirmat absolutè Remigius, ex Possevino *loco cit.* his verbis: *Los Curas, y los que tienen a su cargo cuydado de almas, tienen obligacion de enseñar a los niños de su Parroquia en los dias festiuos, y Domingos la Doctrina Christiana, y los rudimentos de nuestra Santa Fé Catholica, la Obediencia para con Dios, y sus Padres, assi lo ordena expressamente el Tridentino, y vna constitucion de Pio V. tan apretada, que comunmente los Doctores iurgan que ce Cura que en esto fuere remisso, peca mortalmente.* Ita Remigius *in sum.tract.2.c.1.§.1.pag.3.*

Sed clarius Respondeo. Teneri Parochos, sub mortali, docere suas oues Doctrinam Christianam; non præcisè ex vi Concilij Tridentini; quia Concilium, vt constat ex verbis nuper relatis, non declarat munus docendi Christianam Doctrinam, ad Parochos spectare; sed, quia praxis vniuersalis, ita interpretatur, & generaliter in Synodis Diœcesanis id præcipitur: & ideò dicendum, quod deficiente, qui eam doceat, teneatur Parochus sub mortali eam docere. Sic in primis Possevinus *q.4.cit.* & Victorellus, *ad illum.n.9 pag.88.* Sa *verb. Parochus.n.5.* ita dicens: *Negligentia magna Parochi in docendo ad salutem necessaria, nempe, Symbolum, Decalogum, & Pater noster, mortalis est; vbi passim magnus est abusus eorum, qui contenti docuisse Symbolum latinè, non explicant populo rudi mysteria Fidei, præsertim Trinitatis, & Incarnationis, tantoperè ad salutem necessaria. Væ Parochis, væ Episcopis, væ Prælatis.* Hæc Sa. Trullench. etiam *lib.1. Decal.cap.1.dub.4.n.7.* ex Petro Ledesma *tom.2.sum. tract.1.c.3.concl.7.* Soto *lib.10. de Iust.q.1.art.3.vers. secundùm ad idem.* Filliuc. *tract.22.c.2.q.6. Dicto 3. num.47.*

Qvæstio LXXIII.

An Parochus, non solùm publicè, verùm etiam in particulari, teneatur quemlibet Fidelem subditum docere Doctrinam Christianam, seu Rudimenta Fidei?

Respondeo. Non teneri; sed sufficere in communi, in propriis Ecclesiis hęc docere, per se ipsum vel per alium. Sic Petrus Ledesma per sequentia verba:

A esta duda se responde, que no estan obligados à enseñarlos en particular; sino que basta enseñarles estas cosas en comun, en sus proprias Yglesias: ò proueer de alguna persona, que en sus Yglesias enseñen la Doctrina Christiana a sus hijos. Esta resolucion es de S. Thomas, y sus Discipulos. La razon es por que de otra manera no tendrian los proprios Parrochos lugar de hazer en todo el año otra cosa, si tuuiessen obligacion de enseñarlos a todos en particular. Pero, como dije, tienen obligacion de amonestar à sus proprios padres, que les enseñen la Doctrina Christiana, persuadiendoles que son padres de familias de toda su casa, y por consiguiente, tienen obligacion de cuy dar de que sus familiares sepan la Doctrina: porque su casa no ha de ser casa de Gentiles, sino de Christianos, que professan la ley de Christo. Sic ille *cap.3.cit.concl.7.* & ex illo Trullench.*loc.cit. n.7.* Luysius, ex Bannesio, *disp.28.dub.2.in fine.*

Qvæstio LXXIV.

An inter Infideles possit dari ignorantia inuincibilis mysteriorum nostræ Fidei, quæ à peccato excuset?

NOn posse dari talem ignorantiam inuincibilem in aliquo, saltem pro notabili tempore, sensère, apud Ouiedum, Bonauent. (lic lege, non *Barrab.* vt offendi apud illum) *in 3. distinct. 25. art. 1. quæst. 2. ad vltim. & quæst. 3. ad penult.* & Adrianus, *quodlib.2.q.1.* tenent & alij, apud Aragonium, *2.2.q.10.art.1.*

Sed, vt certum, Respondeo: Posse dari talem ignorantiam excusantem à peccato, inter Infideles. Quia potest contingere id in remotissimis nationibus, quæ fidei notitiam non habuerunt: at in his ignorantia mysteriorum fidei, minimè habet rationem peccati; cum eam vitare non possint, nisi fidei notitiam habendo, iuxta illud Apost.ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient, sine prædicante?* ergo. Sic D. Thom. *2.2. quæst. 10. art. 1.* Aragon. & alij DD. *ibidem.* Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.1.dub.5.n.1.* Ouiedo, *tract.de fide controu.7.punct.5. in fine* & alij, præcipuè mox citandi.

Qvæstio LXXV.

An, etiam inter Fideles, possit dari dicta ignorantia inuincibilis mysteriorum nostræ Fidei, quæ à peccato excuset?

NEgant aliqui Doctores. Nam, eo ipso, quod Fideles sint, & inter eos nutriantur, sæpè audire solent Articulos Fidei, cum eos de more proponat Ecclesia, & ab ipsa solemnizentur, & à Prædicatoribus explicentur: ergo non videtur, quod possit aliquis, quantumcunque rudis, sine culpa eos ignorare, cum facilè possit Magistros Ecclesiæ de illis interrogare. Ita D.Thom. *1.ad Corinth. 11. lect. 4.* D. Bonauent. *3.d.25. art.1.quæst.3.* & ibi Durand. *q.1.n.9.* Gabr. *quæst.vnica art.2.post.5. concl.* Manuel *1. tom. sum.2. edit.cap.88.num.4.* Angel.& Syluester *verb. Fides.*

Sed probabilius. Respondeo: Posse dari, apud aliquos rusticos, hanc inuincibilem Articulorum Fidei ignorantiam, & ratione illius, excusari à peccato eos ignorandi. Quia sæpè inueniuntur homines, etiam inter Fideles degentes, vt nec semel audierint obligationem sibi esse sciendi, vel interrogandi aliqua mysteria nostræ fidei: vel si audierint, nil instar brutorum percepisse: aut si perceperint, aliis negotiis distracti, statim oblitos esse: vel tépore, quo addiscere potuerint, Doctore à quo instruerentur, caruisse, ergo. Sic Nauar. *in summ.cap.11.n.22.* Bannez *2.2.q.2. art.8. dub.2. pag.428.* Vasquez *1.2. q.76.art.2.disp.121.c.2.n.3.* Azor *tom.1.lib.8.c.6.q.7. & c.7.q.3. & c.8.q.vltima.* Petr.Ledesma *tom.2.sum. tract.1.c.3.concl.7.* Sayrus *in claui Regia lib.2.c.9.n.15. fine*, quos omnes citat, & sequitur Sanchez *lib. 2. Decal.c.3.n.20.* quibus addi possunt Fagundez *lib. 1. Decal.c.2.n.67.* Trullench.*lib.2.cap.1.dub.5.n.2.* Ægidius *disp.14.dub.11.* Gasp.Hurtado *de fide disp.8.diff. 12.* Petr.Hurtad. *disp.65.sect.2.* (non 22. vt offendi apud Ouiedum, Lorca *1.2.disp.30.sect.4.* Suarez *de Fide disp.15 sect.1.n.10.* Ouiedo *controu.7.pun.5.fine*, Palaus *tom.1.tract.4.disp.11.n.5.* Filliuc. *tract.22.c.2. q.6.dicto 2.n.46.* vbi refert, non multis ab hinc annis, in agro Romano, repertum esse rusticum, qui solem adorabat, & nihil audierat de Fide: nunquam enim adierat ciuitates, & oppida, vnde potuisset audire aliquid de Fide, sed pascendis gregibus Ouium, & armentorum continuam operam dederat. Lege Dianam *par.4.tract.4.resol.36.* & Luysium *de Fide disp. 28. dub.2.*

Qvæstio LXXVI.

An inter Christianos sæpè hoc ignorantia contingat?

NEgant Bannez, Petr.Ledesma, Azor, Filliucius, Trullench. & aliqui alij, ex nuper citatis, sentientes, hanc mysteriorum fidei ignorantiam vix inter Christianos contingere, propter quam plurima Concionatorum, Parochorum, & Religiosorum, media, quæ passim suppetunt ad ignorantiam depellendam.

Affirmant absolutè alij, veluti Vasquez *loc. cit.* necnon Azor.*c.7.cit.q.6.* quos citat, & sequitur Sanchez *loc.cit.n.20.fine.*

Sed distinctius, & probabilius, sic Respondeo. *Primò.* Inter Fideles Christianos, non sæpè, sed rarò contingit, aliquem habere ignorantiam inuincibilem illorum Fidei mysteriorum, quæ sunt necessaria ad salutem necessitate medij. Nam cum, hæc (iuxta superius dicta) in cognitione Dei existentis, ac potentis remittere peccata, & gratiam, ac gloriam concedere, consistat, rarissimus esse potest, cuius mentes hæc notitia, saltem sub dubio, non imbuerit. Sic Palao *tom.1.tract.4.disp.1.punct.11.n.5.in principio*, & à fortiori, omnes DD. pro prima sententia adducti.

Respondeo *secundò.* Loquendo de Fidei mysteriis, quæ de necessitate præcepti quis scire tenetur, non solùm rarò, sed frequenter datur inter Fideles, qui dictorum mysteriorum habeat ignorantiam inuincibilem excusantem à peccato. Quia id experientia constat: & conuincitur ratione facta pro nostra sententia *quæstione antecedenti.* Et sic tenent à fortiori Vasquez, Azor, & Sanchez nuper adducti: nec non Suarez, Ægidius, quos sequitur Palaus *n.5.citato.* Sa *verb.Fides n.mihi, 1.* vbi ita ait: *Necesse esse explicitè credere Fidei mysteria, quæ publicè in Ecclesia celebrantur, sentiunt multi cum D. Thoma: alij, excusari multos ignorantia, præsertim cum deest qui doceat; sufficereque illis cum Baptismo credere, quod credit Ecclesia, quam opinionem, etsi adhuc solebam improbare, nunc autem*

autem non ausim. Quid enim? dicemus perire infinitam Christianorum, alioqui bonorum multitudinem, qui de mysterio, etiam Trinitatis, & Incarnationis, vix quicquam rectè norunt, imò pervers è sentiunt si interroges? Potius crediderim condemnari istorum Pastores, ob negligentiam docendi. Sic Sa.

Quæstio LXXVII.

An possit dari ignorantia inuincibilis, excusans à peccato, illorum præceptorum, quæ sunt principia communissima, & vniuersalissima antecedentia Decalogum, qualia sunt: Malum est fugiendum; bonum amplectendum, &c.

Respondeo. Non posse dari. Quia huiusmodi principia, *Malum est fugiendum, bonum amplectendum. Quod tibi vis, alteri fac. Quod tibi non vis, alteri non feceris*: sunt euidentissima, & de se ipsis constant: ergo de ipsis nequit ignorantia inuincibilis haberi. Sic communis. Legantur D. Thom. 1. 2. *qu.76. art.* 2. Petr. Ledesma *in sum. tom.2. tract.2. c.3. concl.*8. vbi ita ait. *No puede hauer ignorancia inuencible de los principios morales vniuersalissimos: quales son; que no se ha de hazer mal: y que se ha de hazer bien; y que lo que vno no quiere para si, no lo ha de querer para los demas. Esta conclusion enseñan todos los Thomistas con S. Thomas, en el lugar immediatamente citado, y los siguen todos los Doctores. La razon es clara, porque estos principios, por si mismos, sin otro medio ninguno, son claro y euidentes: luego no puede auer ignorancia inuincible dellos.* Sic ille, & bene. Diana *par.4. tract.4. Resol.36. vers. sed si aliquis.* Tannerus *in* 1.2. *disp.4. quæst.9. dub.*1. & alij penès ipsos. Trullench. *lib.*1. *Decalog. cap.*1. *dub.5. nu.*3.

Quæstio LXXVIII.

An possit dari ignorantia inuincibilis præceptorum, quæ in Decalogo continentur?

Affirmat Diana, posse dari, vel rarò, & pro breui tempore, his verbis: *Respondeo cum Tannero in* 1.2. *D. Thom. disp.4. quæst.9. dub.*1. *nu.*14. *Ex communi, & vera sententia, ignorantiam inuincibilem contingere posse, non solùm circa ius positiuum humanum, ac particulares facti circunstantias; sed etiam circa ius positiuum diuinum, & mysteria Fidei nostræ: imò etiam, circa ius naturale, non quidem, quoad vniuersalissima præcepta iuris naturæ, sed quoad alia, facilius quidem, & frequentius circa ea, quæ difficilius ex præceptis vniuersalibus naturæ deducuntur: vt est, v.g. bigamia, accipere lucrum ex mutuo, proprias iniurias vlcisci, & simplex fornicatio, aut etiam mendacium officiosum, &c. difficilius autem, nec ferè, nisi pro breui tempore, circa præcepta illa, quæ facilè ex vniuersalibus illis præceptis deducuntur; vt sunt cultus vnius veri Dei, & cætera, quæ directè continentur in præcepto Decalogi.* Hæc diana 4. *par. tract.4. Resol.36.* ex Tannero. Et antea Petr. Ledesma, & ex illo Trullench. *locis citatis.*

Sed clarius Respondeo: Posse quidem dari ignorantiam inuincibilem præceptorum, quæ etiam directè in Decalogo continentur, non solùm pro breui tempore (vt Authores nuper citati dicunt) sed pro multo tempore; licèt hoc non in multis, sed in raris contingat hominibus. Probatur. Quia in primis, furtum, directè prohibetur in Decalogo, & tamen, vt notat D. Thom. 2.2. *q.94. art.*4. certa gentium natio, sine vlla ratione exiſtimabat, non esse peccatum: ergo de hoc præcepto, potest, & pro multo tempore, dari ignorantia inuincibilis. Rursus, fornicatio simplex, etiam est directè vetita in Decalogo, & vt Diana, cum Tannero admittit, frequentius potest de illa ignorantia hęc dari: ergo, si non æqualiter de omnibus, de aliquibus tamen Decalogi præceptis potest dari, etiam non rarò, nec pro breui tempore ignorantia inuincibilis. Legantur Ouiedo hîc, *tract. de Fide controu.7. in fine, &* 1.2. *tract.6. contr.6. punct.*4. *n.*24. Qui tamen minimè admittit ignorantiam inuincibilem respectu homicidij, & furti. Vazquez 1.2. *disp.*122. *c.*1. Montsin. ibi, *disp.*8. *q.*5. & alij apud ipsos.

DISPVTATIO III.

De externo Actu, vel Confessione externa Fidei, eiusquè obligatione.

Quæstio Prima.

Quid sit Actus externus Fidei?

Respondeo nil aliud esse, quàm Confessio externa alicuius Fidei mysterij crediti: vt quãdo quis pronuntiat, aut dicit: *Deus est trinus, & vnus, quia ita reuelatum est.* Sic omne. Legantur Arriaga *tract. de Fide disp.*21. *sect.*1. *n.*1. & Ouiedo *de Fide controu.*8. *pun.*1. *n.*1. vbi ita ait: *Externus Fidei actus, est actio illa, qua exterius notum facimus actum internum Fidei, & significamus obiectum Fide creditum, siue hoc fiat vocibus, siue nutibus, siue alia quacumque ratione instituta ad hoc significandum.* Sic ille. Et sic etiam Beccanus *de Fide, cap.9. in principio.*

Quæstio II.

An hæc externa Fidei confessio, eliciatur, ab habitu, aut Virtute Fidei?

Respondeo vt certum: Quod non. Quia hæc externa Confessio, nil aliud est, quàm quædam prolatio externa verborum (seu nutuum, &c.) à potentia loco motiua oris, & linguæ facta, &c. atqui motus externus non procedit immediatè ab habitu voluntatis, vel intellectus; vt in omnibus externis constat, de quibus quoad hoc eadem est ratio: ergo. Sic communis. Legantur Arriaga *loco cit. n.*1. Ouiedo etiam *n.*1. Beccanus *cap.9. concl.*3. Granados, *contro.*1. *tract.*11. *sect.*1.

Quæstio III.

An saltem huiusmodi externa Confessio Fidei impetretur ab ipsomet habitu Fidei?

Affirmant aliqui Recentiores cum D. Thoma *hîc art.*3. inter quos est Granados *loco citato.* Alij è contrà negant, docentes talem confessionem externam non esse propriè imperatã ab habitu

Fidei, sed ab habitu aliarum virtutum. Ita aliqui, apud Arriagam *sect.1.cit.n.2.* & Ouiedum *loc.cit.*

Sed probabilius, Respondeo, Imperari quidem ab habitu Fidei, ad quem, ex se pertinet; & imperari petit, sicuti erogatio externæ eleemosynæ ab actu interno misericordiæ; & si imperari etiam aliquando possit ab habitibus aliarum virtutum, propter illarum honestatem. Sic Banez *2.2.quæstion.10. art.1.* Vazquez Valentia, Luysius, Becan. Vterque Hurtadus, quos citat, & sequitur Quiedo *loc. cit. num.2.* Legatur etiam Arriaga *loc.cit.concl.2.*

QVÆSTIO IV.

An, detur præceptum, de non neganda Fide exterius.

NEgarunt Hæretici Elcesaitæ, Anabaptistæ, Libertini, & alij, docentes sufficere ad salutem, Fidem animo retinere, ac proinde nunquam esse peccatum, illam exterius negare.

Sed Respondeo dicēdum, quod sit certum de Fide, dari præceptū diuinū de non neganda Fide exterius. Quia præceptū, cum sit negatiuū, obligat semper, & pro semper; sicut & alia præcepta negatiua. Colligitur clarè hæc veritas ex illo Christi Domini, *Math.10. 33. Qui me negauerit corā hominibus, negabo & ego eum corā Patre meo.* At qui exterius Fidem negat, etiamsi animo retineat, verè negat Deum corā hominibus: ergo dignus est, vt negetur à Christo coram Patre. Sic tenet communis Fidelium consensus. Sic docent Concilia, Nicenum, *Can.11. & 12.* Anciran. ferè per totum. Elebertin. *can.1. & 2.* Arelatens. *11. cap.11.* Legantur PP. Augustin. *tract.66. in Ioan.* Chrysost. *in Matth.* vbi supra, & alij Theologi cum D. Thoma *2.2.quæst.3.art.2.* Suarez *de Fide disp.14. sect.1.* Sanchez *lib.2.Decal.cap.4.num.1. & 2.* Granad. *controu.1. de Fide sect.2.* Becanus *de Fide cap.9. q.2. & 3.* Fagundez *lib.1. Decal. cap.3. numer.2.* Ouiedo *controu.8. de Fide punct.2.* Arriaga *tract. de Fide disp. 22. sect.1.* Palao *tom.1. tract.4. disput.1. punct.13.n.1. & 2.* Luysius *de Fide disp.35. dub.3.* Ægidius *ibi, disp.15. dub.1. & 2.* Trullench, *lib.1. Decal. dub.7. à num.2.* Petr. Hurtad. *de Fide disp.48. sect.2.* Accacius March. de Velasco *tom.1. Resol. Moral. verb. Fee. Resol. 330.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO V.

An, ad euitandam mortem, infamiam, & similia damna, liceat alicui, negare Fidem, corde simul & ore?

REspondeo, Tanquam certum de Fide. Non licere. *Primò*, quia vt constat ex dictis, præceptum de non neganda Fide, est negatiuum: ergo obligat semper, & pro semper. *Secundò* Quia (vt bene Fagundez) nulla potest fingi causa excusans à malitia talis negationis, præcipuè quoad animum: quia non est dabilis casus, in quo necessaria sit ad euitanda tormenta, mortem, infamiam, & similia damna: cum ad omnia hæc euadenda satis sit negatio externa facta voce, vel alio signo externo, sed non animo; cum aliqua amphybologia ad vitandum mendacium, vt per se patet, si quidem animus semper est hominibus incognitus. Sic ille. Et omnes etiam Hæretici.

QVÆSTIO VI.

An ad minus, liceat, ad euitanda prædicta damna, negare Fidem, non corde, sed solo ore, aut alio signo exteriori?

AFfirmarunt Hæretici suprà citati, docentes, licere cuilibet Fideli ad euitanda tormenta, aut mortem, negare exterius Fidem, dummodo interius eam retineat. Quia exterior negatio, solùm tunc fit, propter alios homines: ergo poterit quis, ob vitandam mortem, eos decipere.

Sed, adhuc tanquam certum de Fide, Respondeo dicendum minimè licere propter vlla damna, etiam grauissima, vitanda, Fidem exterius negare, etiam si interius integra permaneat. Probatur *Primò* ex Scripturæ loco, *quæst.4.* citato, & Lucæ *quæst.26. Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.* Quod confirmatur ex facto Machabeorum, qui ne Fidem exterius negarent glorioßissimum tolerauere Martyrium. *lib.2.c.6.*

Secundò, Quia exterius Fidem negare, quantumuis interius retineatur, est exterius dicere, Deum non esse veracem, & esse falsum, id, quod infinita authoritate illius stabilium est: at hoc dici, aut pronunciari non potest, sine iniuria graui contra ipsum Deum: ergo. Sic tenent omnes Catholici. Legantur præcipuè Granados, Ouiedo, Fagundez, Becanus, & Arriaga, qui de hac quæstione latè, & doctè agit.

QVÆSTIO VII.

An, Fidelis interrogatus, à persona priuata, de sua Fide, in odium eiusdem Fidei, teneatur respondere, & Fidem profiteri?

AFfirmant plures DD. eò quòd tunc Fidem non profiteri, sit implicitè, & tacitè illam negare, quod nullo modo licet: ergo. Ita sentiunt Caiet.2.2. *quæst.3.art.2.* Angel. *verb. Fides, numer.8.* & Siluest. *ibid. quæst.5.* Abulens. *cap.10. Matth. quæst.129.* Toletus *lib.4. Summæ cap.2. numer.4.* & Vasquez *in manuscriptis* (citatus à Gaspar Hurtado *disput.9. diff.4.*) Idem docent de rogato à Tyranno, non distinguentes an Tyrānus fungatur authoritate publica, vel sola priuata, Aragon.2.2.*q.3.art.2.concl.2.* & Manuel *1.tom. sum.c.119. num.1.* & Suarez *disp.14. sect.3.num.6.*

Sed probabilius Respondeo: Non teneri tunc respondere, nec Fidem exterius positiuè profiteri; sed posse licitè fugere, aliovè modo responsionem recusare, ac tacere. Ratio est. Quia nolle in hoc casu interroganti respondere, nec implicitè est negare Fidem: ergo. Antecedens probatur: quia, (vt bene Ouiedo) ex eo quòd sic interrogatus non respondeat, non potest præsumi Fidem interius non tenere; ac proinde nec tacitè, nec implicitè illam negare. Cum enim negando Fidem, responsio grata daretur interroganti, & interrogatus se indemnem seruaret, nullam rationabilem rationem habere posset, ad Fidem exterius non negandam, & veritatem aperiendam, si illam interius non haberet. Sic ille, *controu.8. punct.3. numer.28.* & antea, Valentia *2.2. disp.1. quæst.3. punct.2. dub.3.* Azor. *tom.1. lib.8. c.27. quæst.1.* Bannes *2.2.quæst.3.art.2. dub.1. concl.3.* Petr. Ledesma *2.tom. sum. tract.1. capit.4. concl.6.* Ludou.

Lopez

Lopez 1.*p. instructor. cap.*41.*vers. Peccat mortaliter.* Tabiena *verb. Fides q. vltima* , vbi hæc ait : *Multis sæcularibus,ac Religiosis in naui congregatis , quendam, fortè ebrium, euaginato ense, sic dixisse fertur ; Si quis ex vobis Catholicus est , in medium prodeat , à me perimendus : & omnes tacuisse , nec tanquam alicuius culpæ,reos damnatos esse à viris doctis de hac re consultis.* Sic ille.Sanchez *lib.*2. *Decal. cap.*4. *num.*6. nec non Lorca *disp.*24.*memb.*2.*n.*22. Ægidius *disp.*15. (non 5. vt legi apud Gasp. Hurtad.) *num.* 109. Tannerus *quæst.*7.*dub.*5.*num.*120. Granado *tract.*11.*sect.*2.*n.*8. Gasp.Hurtad.*disp.*9.*diff.*4.Palao *tom.*1.*tract.*4.*disp.*1. *punct.*14.*num.*3. *dicto* 2. Arriaga *disp.*21.*sect.*3.*n.*17. Becanus *cap.*9.*de Fide quæst.*4. *num.*3. Petr. Hurtad. *disp.*48.*sect.*2.§.17. Filliuc.*tract.*22.*cap.*3.*q.*2.*dict.*2. *num.*64.Villalob. *tom.*2.*tract.*1.*diff.*5.*n.*5.Trullench. *lib.*1. *decalogi cap.*1. *dub.*7. *num.*6. Bonac. *disp.*3.*q.*2. *punct.*3.*n.*4. Reginald.*lib.*17.*num.*15. Acacius *tom.*1. *verb. Fee resol.*330. *n.*6.Azor, Layman,& Malderus apud ipsum.

Quæstio VIII.

An ad minus Fidelis interrogatus de sua Fide à Rege Tyranno , seu ab alia persona publica iurisdictionem habente; teneatur respondere, Fidemquè exterius fateri ?

NEgant adhuc plures DD. eo quòd ex præcisa taciturnitate fidelis,non potest Princeps colligere, aut præsumere , illum Fidem negare , sed potiùs implicitè illam fateri , eo quod responsionem gratam sibi negat ; & quia iuxta illud axioma , *Qui tacet , consentire videtur.* Ita Ægidius , Tannerus, Lorca , vterque Hurtad. Granados, Palao, Ouiedo, *locis citatis.*

Sed probabilius Respondeo : In hoc casu , tenere Fidelem Regi Tyranno respondere , fidemquè suam exterius fateri ; nec satis esse illi tacere ; aut Tyranno, nolens ei respondere , dicere: *Quid ad te, non teneor tibi respondere ; quia non habes ius interrogandi.*

Ratio sit *Primò.* Quia quando quis Fidelis interrogatur à persona fungenti publica authoritate,siue Tyrannus sit,siue verus Rex,aut Iudex , tunc agitur publicè de honore Fidei : ergo in casu tali , tenetur palàm respondere , fidemquè suam , magna cum libertate fateri ; pater, quia publica potestate interroganti, magnus ex fidei confessione honor in Deum redundat,qui tacendo illi subtraheretur:ergo tunc tacens reus esset mortalis culpæ.

Secundò. Quia, quando ille , qui de fide interrogat,est Iudex, Princeps , aut Rex, censetur posse interrogare iuridicè ; ergo censeri debet obligationem esse respondendi. Antecedens probatur , quia (ait Arriaga) licèt non ad occidendum, aut vexandum, attamen saltem ad imponendas diuersas leges politicas,& diuersas contributiones, ad assignandum distinctam habitationem Christianis , præ Paganis, &c. habet Paganus Rex ius sciendi , qui sunt Christiani in suo Regno : ergo ea interrogatio est satis conformis iuri Principis. Sic ille *disp.*21.*sect.*3.*num.* 19.*& num.*20.*in fine,* sic ad idem probandum , argumentatur : *Talis Princeps interrogat in foro externo, & aliorum Gentilium præsentium cum vero iure , vero, inquam , inuincibiliter apud omnes illos , reputato, aut saltem quoad me , non potest reiici , nisi eo ipso detegam meum animum:ergo teneor illi respondere,saltem propter omnes præsentes:ergo tunc obligat præceptum confessionis Fidei.* Hæc ille.

Ex quo iam patet quid dicendum ad fundamentum contrariorum ; nempe , non solùm teneri Fidelem interrogatum in eo casu implicitè fateri fidem suam, sed etiam explicitè, vt sic satisfaciat præcepto confitendi exterius Fidem. Ideoquè hanc sententiam tenent Bannes,Valentia,Azor,Petr.Ledesma,Lopez Sanchez , Acacius , Aragon, Manuel,& Trullench. *vbi suprà.*

Quæstio IX.

An etiam teneatur respondere , & fateri exterius fidem, Fidelis , qui non publicè , sed secretò, de illa interrogatur à Tyranno, publica potestate fungente ?

AFfirmare , à fortiori tenentur omnes Authores pro prima sententia *quæst.* 7. adducti. Nec non & Bannez, quem citat , & sequitur Sanchez *cap.* 4. *cit.num.*6.ibi:*Similiter, ob eandem rationem,non refert, siuè publicè, siue priuatim à publica potestate , ea interrogatio fiat.* Ita ille,Filliuc. *tract.* 22. *cap.*3. *num.* 63. Trullench. *lib.* 1. *decalogi cap.*1. *dub.*8. *num.*6. & alij. Quorum fundamentum est : quia quando Tyrannus interrogat secretò, tunc etiam agitur publicè de honore Fidei : ergo tunc etiam datur obligatio grauis respondendi.

Sed , distinctius ,ac clarius , sic probabilius Respondeo dicendum , quod illa persona , publica authoritate fungens , potest se gerere dupliciter in illa sua , de Fide , interrogatione , nempe, & vt persona priuata,& vt persona publica.Si ergo Tyrannus ille, aut Iudex , vt persona priuata interroget , tunc licitum erit Fideli tacere,imò & respondere illi. *Quid ad te de mea Fide,& conscientia ?* vt constat ex dictis: si ille acquiescere noluerit , & veniatur ad publicam interrogationem , seu ad hoc , quod vt publica persona interroget , tunc obligabitur Fidelis ad respondendum ; quia etsi ille Iudex , non interroget publicè,sed intra priuatos parietes, & solus , habet tamen tunc ius aliquod interrogandi , (iuxta doctrinam suprà traditam) & sic erit obligatio respondendi. Sic in primis debent tenere , primam partem nostræ responsionis , Ægidius , Tanner. Granad. Gaspar. Hurtado , nuper *quæst.*7. *&* 8.*citati.* Et secundam, Bannez,Valentia,Azor.Ledesma,Sanchez,Aragon, Manuel,& Trullench.nec non Arriaga *sect.*4.*citata, num.*24.& Ouiedo *pun.*3.*n.*33.

Quæstio X.

An deinde , Fidelis teneatur exterius fateri Fidem , si de illa interrogetur à persona priuata publicè tamen,& coram multis ?

AFfirmabunt à fortiori Caiet.Angel. Siluest. & Vasquez relati suprà *quæst.*7. Necnon Valentia *q.*3.*pun.*2.*dub.*3. Tanner.*quæst.*7.*dub.*5.*num.*120. apud Ouiedum *loc.cit.pun.*3.*n.*25.

Sed clarius , & probabilius Respondeo Non Teneri tunc Fidelem fateri fidem,& exterius illam manifestare , per se , (an autem teneri possit per accidens,ratione scandali,aut Fidei grauis iacturæ , dicemus postea.)

Hæc nostra responsio probatur ex dictis. Quia illa persona priuata, etiamsi sit magnæ authoritatis,

nullam ſupra Fidelem interrogatum, habet iuriſdictionem, vel ſaltem apparentem: (niſi id faciat ex commiſſione Principis, in quo caſu iam cenſetur ipſe Princeps interrogare,) ergo tunc Fidelis per ſe non tenetur interroganti reſpõdere, ſed prudentiſſimè, (etiam apud ipſos inimicos Fidei præſentes) poteſt tacere; quia per hoc contemnitur interrogans. Vel certè poteſt ei dicere: *Quid hoc ad te? Quo iure tu me examinas &c.* Nam per hæc verba, nullam præſentibus, ad ſuſpicandum malè, cauſam præbet; ſed ſolùm vtitur iure ſuo, & impudentiam perſonæ interrogantis vſurpantis officium Magiſtratus retundit. Sic Arriaga *diſp.21.ſect.3.num.18.* & à fortiori; multi ex citatis pro noſtra parte *quæſtion.7.*

Qvæstio XI.

An ſi ille, qui de Fide interrogatur à perſona priuata, ſit magnæ authoritatis; teneatur tunc reſpondere?

AFfirmat, ex Valentia *loc. cit.* Sanchez *lib.2.c.4. num.6.in fine.* Ita dicens: *In eo tamen caſu, peccabit in Fidei confeſſionem tacendo, interrogatus à priuato, ſi interrogatus perſona grauis ſit. Quia eo ſilentio, ob perſonæ conditionem tacentis, ingens detrimentum honos Dei, & Fidei patietur.* Sic Sanchez.

Sed, iuxta nuper dicta, probabilius Reſpondeo. Nec tunc teneri per ſe interrogatum reſpondere interroganti de ſua Fide, ſed poſſe tacere, aut aliqua ratione illudere interrogantem, & retundere eius audaciam. Ratio eſt. Quia nec in hoc caſu, vt conſtat, interrogatur iuridicè: ergo per ſe non tenetur reſpondere interroganti. Dixi, *non teneri reſpondere per ſe:* Quia per accidens, & ratione aliquarum circunſtantium occurrentium, teneri poteſt ad reſpondendum in hoc, & in ſimilibus caſibus, veluti, ſi ſuo ſilentio, aut eluſione interrogationi, cenſetur à circunſtantibus negare Fidem, aut in ea vacillare; aut eam contemnere; nam id, non ſolum ratione ſcandali, ſed de ſe, ratione grauis iacturæ Fidei, & detrimenti honoris Dei, eſſet graue peccatum. In hoc addito conueniunt omnes DD. Legantur Arriaga *loc.cit.n.19.* Ouiedo *n.31.* Gaſp. Hurtad. *diſp.9.diff.4.*

Qvæstio XII.

An Superiori Catholico Eccleſiaſtico interroganti de Fide; tenęatur Fidelis ad clarè reſpondendum?

REſpondeo vt certum: Teneri. Quia ex vna parte in tali confeſſione nullum periculum ſubeſſe poteſt: ex altera verò, adeſt magna vtilitas, & alioquin in interrogante eſſe poteſt ius: ergo omni ex parte erit obligatio reſpondendi. Sic Arriaga *loc. cit.ſect.2. numer.5.* Qui idem putat dicendum, caſu, quo ea interrogatio fiat à Catholico Principe ſæculari: quia licèt per ſe ad ſæculares non pertineant interrogationes de Fide; attamen aliquando poſſunt habere illi iuſtas cauſas, vt id ſciant, tum propter contributiones: tum quia negant non Catholicis in eo Regno &c. Sic ille & antea Sanchez *loc. cit.n.6.verſ.Nec refert.*

Qvæstio XIII.

An, tempore perſecutionis, liceat Chriſtiano fugere; ne cogatur Fidem negare?

NEgauit Tertulian. *lib. de fuga in perſecutione,* quem poſtea ſequuti ſunt Montaniſtæ, eo quod, qui in perſecutione fugit, inſinuat ſe eſſe in conſtantem, & vacillare in Fide: at hoc nulli licet: ergò.

Sed vt certum, Reſpondeo: Ex obiecto, & per ſe, licere Chriſtiano cuilibet, fugere, & occultare ſe, tempore perſecutionis. Conſtat, tum ex verbis Chriſti Matth.10. *Cum autem perſequentur vos in vna Ciuitate, fugite in aliam.* Nec non & ex facto eiuſdem, qui ſæpè, ne lapidaretur, aut ne occideretur in odium ſuæ Doctrinæ, fugit Matth.2.& 4. & Ioan.8. 10.& 11. & exemplo Apoſtolorum, Petri *Act.12.* & Pauli 2.*ad Corinth.12.* tum etiam, Quia fuga in tali occaſione, nullo iure eſt prohibita, vt patet: ergo per ſe, & ex obiecto licita erit. Notanter dixi, *eſſe licitam per ſe, & ex obiecto*, quia aliquando per accidens poteſt eſſe illicitam; vt ſi fuga eſſet occaſio contemptus Fidei, veluti, quia quando Paſtor fugit, & Fidem non defendit infideles illam contemnunt &c.

Ad fundamentum Tertuliani, neganda eſt maior, quia potius, qui eo tempore fugit inſinuat implicitè confiteri Fidem & eam eſſe certam. Sic Gaſp. Hurtad. *diſp.9.diff.5.per totam.* Palaus *tom.1.tract.4. punct.15.* dicens, hanc reſponſionem eſſe de Fide. Legantur pro illa Nicolaus Papa relatus *in cap. Sciſcitaris 7.quæſt.1.* & D. Auguſtin. *tract.46. in Ioan.* D. Athan. *in Apolog.ſuæ fugæ*, & alij apud Ægidium *de Fide, diſput.5.concl.2.numer.98.* Suarez *diſput.14. ſect.3.num.9.* & alios.

Qvæstio XIV.

An, Non ſolùm liceat Chriſtiano, fugere perſecutorem; verùm etiam ad id teneatur; ſaltem ſe occultando, & diſſimulando?

NEgaret à fortiori Tertulianus, vt vides.

Sed vt certum Reſpondeo, Non ſolùm licere, per ſe Chriſtiano fugere perſecutorem, ſed in ſequentibus caſibus, ad id teneri:

Primò, quando perſona eſt talis, vt eius vita ſit valde neceſſaria Eccleſiæ, & magnus ab eo fructus expectetur, tenetur, per ſe loquendo, ſe occultare. Sic D. Auguſt. *tract.46. in Ioan.* exemplo D. Pauli, qui ſe in vtilitatem Fidelium, ſeruauit; & ob eandem vtilitatem Angelus liberauit Petrum è carcere. Sic etiam Suarez, Ægidius, Arriaga, Palaus, & alij.

Secundò. Si quis timeat, ne tormentorum vi oppreſſus, neget fidem; tunc tenetur etiam ſe occultare; quia aliàs eſſet tentare Deum, exponendo ſe grauiſſimo periculo peccati. Colligitur ex *cap. Sciſcitaris 7. quæſt.1.* & docent Suarez Ægid. Arriaga, Palaus, & alij.

Tertiò. Quando quis credit, quod ſe obſeruando, multò magis fidem, Dei cultum, & aliorum Salutem eſt promoturus, adminiſtratione Sacramentorum, concionibus, conſiliis &c. Sic Ægid. Palaus.

Quartò. Quando quis probabiliter timet, periculum

lum fore vt ex sua publica confessione, spontè oblata, grauiter irritetur Tyrannus, & atrocius in Catholicos dæseuiat, & grauioribus cruciet tormentis, quibus timere potest, plures à Fide defecturos. Legantur pro his casibus, Suarez *disp.* 14. *sect.* 3. *à numer.* 10. Ægidius *disp.* 15. *dub.* 5. *à numerò* 95. Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 15. *num.* 3. Arriaga *de Fide disp.* 22. *sect.* 7. *n.* 55. & alij.

Quæstio XV.

An, etiam è contra, liceat aliquando Christianis, non fugere persecutorem; tametsi periculum vitæ eis immineat?

Respondeo vt certum: Aliquando licerè. Patet. Quia si non timeatur prudenter defectio à Fide, & maior vtilitas (iuxta nuper dicta) non spectetur à fuga, vt potest sæpè contingere, non est cur ad illam obligentur Christiani, dum adest contra Fidem persecutio. Confirmatur id exemplo innumerabilium Martyrum, qui cum fugere potuissent, noluerunt tamen, sed constantes expectarunt Tyrannos; Imò multi etiam vltrò se illis obtulerunt, inter quos enumero S. Sebastianum, qui se Fidelem dissimulauit quousque fidem Marci, & Marcelliani periclitari sensit: tunc enim prodiit, eiusque manifestatio multis nominibus ab Ecclesia commendatur. Sic omnes. Legantur Suarez *disp.* 14. *sect.* 3. *n.* 11. Caietan. & Salmeron apud ipsum. Palao *loc. cit. n.* 2. Arriaga *n.* 55. *citato, concl.* 5.

Quæstio XVI.

An, non solùm liceat Christianis, aliquando persecutorem non fugere; verùm etiam ad id teneantur?

Respondeo, Ad non fugiendum aliquando teneri. *Primò* namque, quando ex Christiani fuga, graue esset inter omnes scandalum. *Secundò* quando ex ipsa præsentia, & constantia in toleranda morte, crederetur prudenter, animandus esset Christianus populus. Sic Arriaga *loc. cit. n.* 55. & 56. Acacius *tom.* 1. *verb. Fee. Resol.* 330. *n.* 3.

Quæstio XVII.

An etiam, possint licitè fugere persecutorem Episcopi, Parochi, & alij Pastores; an verò semper teneantur sistere, Fidemque palam profiteri?

Negat Pesantius, posse dictos Pastores fugere persecutorem; sed teneri semper profiteri palam fidem, etiam cum vitæ periculo; quia aliàs oriretur scandalum inter oues &c. 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 1. *concl.* 2. §. *Dixi initio.*

Sed vt quid certum Respondeo: Posse etiam dictos Pastores, aliquando licitè persecutorem fugere: Vel se inter oues occultare. Nam *Primò* licitum est illis fugere, quando Tyrannus solum ipsos Prælatos persequitur, & reliquum populum permittit pacificè viuere: quia tunc eorum fuga populo erit conueniens, ac per consequens non solùm licita, verum & obligatoria, vt constat ex dictis *qu.* 14. Sic Ægid. Suarez, Palao, Arriaga, & Acacius *vbi suprà.*

Secundò erit licitum illis fugere, quando id faciunt, vt se in commodius tempus reseruent; & interim Ouibus suis, aliis Clericis ibi manere volentibus, prouideant. Quia tunc dici non potest, quod Pastores dimittant Oues, & fugiant; cùm hæ non maneant Pastore distetutæ. Sic D. August. & D. Thom. quos afferunt & sequuntur Suarez *disp.* 14. *sect.* 3. *n.* 12. Arriaga *num.* 55. Palao *punct.* 15. *cit. numer.* 4. Ægidius *disp.* 15. *dub.* 5. *num.* 103. Qui id, exemplo Christi Domini, & Apostolorum, qui verè Prælati, & Pastores fuêre, apertè conuincunt. Acacius *loco citato* Caiet. Bannez, Malderus, & Reginaldus apud ipsum.

Quæstio XVIII.

An, è contra, teneantur aliquando dicti Pastores, etiam cum periculo vitæ, ad non fugiendum, nec dimittendum Oues?

Respondeo vt certum: Teneri in his casibus. *Primò*; Quando Oues in graui necessitate, & periculo amittendi fidem sunt constitutæ: quia tunc non solùm ratione charitatis, verùm etiam iustitiæ, ratione sui muneris, tenentur non dimittere Oues. vt bene declarat Nicol. Papa *in cap. Sciscitaris*, 7. *quæstion.* 1.

Secundò; Tenerentur ad non fugiendum: quando eorum fuga graue esset inter omnes scandalum, vt diximus *quæst.* 16. legantur Suarez, Ægidius, Palaus, & Arriaga *vbi suprà.* Qui idem docent, (casu, quo Pastores deficiant) de aliis non habentibus curam animarum, si illorum præsentia, valde videatur necessaria pro animando populo; tunc enim ratione Charitatis, etiam cum periculo vitæ, tenentur permanere.

Quæstio XIX.

An, negaret quis, saltem indirectè, Fidem, si negaret explicite, esse Christianum, Catholicum, aut Papistam.

Respondeo vt certum dicendum, quod verè negaret Fidem indirectè. Sic omnes, præcipuè Sanchez *lib.* 2. *Decalog. cap.* 4. *num.* 7. Ita scribens: *Si quis Christianum se esse neget, siue rogatus, siue non, hoc enim semper est mortale, aduersus præceptum negatiuum inclusum in Confessionis Fidei præcepto, præscribens in nullo euentu licere confessionem Fidei negare. Et hoc est peccatum à D. Petro admissum, dum præ timore, se Christi discipulum negauit.* Sic ille, & penès ipsum Abulens. *c.* 10. *Matth. qu.* 130. Bannez 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 2. & ibi Aragon. *dub.* 2. *concl.* 1. & Petr. Ledesma 2. *to. tr.* 1. *c.* 4. *concl.* 4. His addi possunt Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *c.* 27. *q.* 1. *in fine.* Ægidius *disp.* 15. *dub.* 2. *n.* 9. Suarez *disp.* 14. (non 4. vt leges apud Fagundez, nec 15. vt apud Palaum) *numer.* 10. Qui hac ratione id probat: Quia, qui negat se esse Christianum, negat se credere in Christum; nam hoc est quod nomine Christiani significatur, &c. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 5. Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 13. *num.* 3. Arriaga *disp.* 22. *sect.* 1. & 2. Filliuc. *tract.* 22. *cap.* 3. *q.* 2. *dicto* 3. *num.* 63. Gasp. Hurtad. *disp.* 9. *diff.* 2. Trullench *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 7. Bonac. *disp.* 3. *quæstion.* 2. *punct.* 3. *num.* 4. & alij.

QVÆSTIO XX.

An, etiam negaret indirectè Fidem, qui interrogatus, an sit Christianus, vsurpando nomen Christiani, non ad significandam Religionem, sed nationem, aut factionem aliquam Gentis, id negaret ?

RESpondeo, Tunc, nec indirectè negare Fidem. Ratio est manifesta. Quia nemo dicet, quod negaret fidem ille, qui se Hispanum, vel Italum &c. negaret : atqui, qui se negaret Christianum in assignato casu, solum se negaret Hispanum, vel Italum, &c. ergo minimè negaret Fidem. Sic Palao *loco cit. num.* 4. per hæc verba : *Verum aliquando, nomen Christiani, non religioni, sed nationi accommodatur ; vt contingit in bello inter Infideles ; qui si interrogent, an sis Christianus, negare potes, cum adest aliqua grauis causa negandi, restrictione tamen in mente retenta : quia tunc non negat Fidem Christianam, siquidem de illius professione non rogaris, sed solum negas, te esse talis nationis, cuius incolæ reputatæ sunt hostes, & inimici.* Sic ille *num.* 4. Et antea Azor. *loc. cit. quæst.* 1. & 2. Bannez *concl.* 4. Sanchez *num.* 8. Suarez *num.* 10. Fagundez *n.* 6. Filliuc. Trullench. & alij, *vbi suprà* Arriaga *disp.* 22. *sect.* 2. *n.* 15. Acacius *Resol.* 330. *n.* 7.

QVÆSTIO XXI.

An, neget Fidem Fidelis, qui interrogatus, an sit Turca, vel Lutheranus, affirmat, esse ?

RESpondeo ex dictis dicendum, quod verè neget Fidem, si interrogatio fiat, intuitu religionis, illius professorem sub illo nomine intelligendo : non verò si fiat intuitu nationis. Probatur vtraque pars ex dictis. *Prima* ; quia idem est, se Turcam, vel Lutheranum dicere ; atque se Christianum negare : at qui negat, se esse Christianum peccat contra Fidem : ergo ; *Secunda.* Quia, qui se Turcam, vel Lutheranũ diceret, loquendo cum interrogante accipiente nomen Turcæ, vel Lutherani, ac si esset nomen nationis, veluti v. g. Anglus, vel Olandus, tunc solùm se diceret huius, vel illius nationis, v. g. Anglum, vel Olandum, quod non repugnat cum Fide Catholica. Sic Caiet. 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. Aragon. Azor. Sanchez, Suarez Filliuc. Fagundez, Trullench. *vbi suprà.*

QVÆSTIO XXII.

An, peccet mortaliter contra Fidem, qui, apud Hæreticos rogatus, sit ne Clericus, Sacerdos, aut Religiosus ? neget, se talem esse ; cum sit ?

RESpondeo vt certum : Non peccare contra Fidem. Quia non negat illam, sed statum. Nec enim ob id negat esse Christianum ; cùm multi sint Christiani, qui non sunt Clerici, aut Sacerdotes, aut Religiosi ; sed negat se esse in tali statu, vel ordine Christianorum. Sic Caiet. *in sum verbo, Habitus, in fine,* Azor. *lib.* 8. *c.* 27. *quæst.* 2. quos sequitur Sanchez, *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 10. Qui addunt, hoc etiam esse verum, etsi hæretici perserutentur, an sit clericus &c. ad indagandum, an Fidem Ecclesiæ Romanæ amplectatur, vt sæpè accidit in Anglia : quia cum eam quoque Laici amplectantur, id nullatenus est negare Fidem. Sic etiam tenent Suarez *disp.* 14. *sect.* 1. *n.* 11. Becanus *cap.* 9. *q.* 3. *n.* 4. Fagundez *lib.* 1. *Decal. cap.* 3. *n.* 8. Palao *punct.* 13. *cit. n.* 4. Trullench. *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 10. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 1. *diff.* 5. *n.* 12. Filliuc. *c.* 3. *cit q.* 3. *n.* 68. & alij, qui idem addunt dicendum de quacunque alia actione, sine qua potest subsistere Fides ; vt si Sacerdos ab Hæreticis interrogetur, an sacrificauerit, vel soleat Missam dicere ? quamuis id neget non negat Fidem : & potest excusare mendacium, modo nunc dicendo.

QVÆSTIO XXIII.

An, qui, in casibus nuper assignatis, negaret esse Christianum, Clericum, vel Sacerdotem &c. licèt non peccaret, contrà confessionem Fidei ; committeret saltem culpam mendacij venialem ?

AFfirmat absolutè Becanus *num.* 4. *cit.* per hæc verba : *Quæres, an is peccaret contra confessionem Fidei, qui negaret se esse Sacerdotem, aut Religiosum, si alioqui esset ? Respondeo, peccaret quidem mentiendo, contra veritatem, & esset mendacium officiosum, ac veniale (si fieret sine damno alterius) non tamen peccaret contra confessionem Fidei.* Hæc Becanus. Et antea Sanchez *loc. cit. numero* 10. licèt breuioribus verbis.

Sed clarius, iuxta nuper dicta, Respondeo dicendum, quod, qui in dictis casibus, negaret esse Christianum, vel clericum, &c. verè committeret culpam mendacij venialem, si alias ; vt potest, excusaret illam, vtendo restrictione aliqua mentali : vt v. g. si dicat ; *Non sum Christianus, intelligendo, in eo sensu, quo tu accipis nomen Christiani. Non sum Clericus, vel Sacerdos ; vt tenear tibi dicere &c.* Prima pars responsionis conuincitur ratione Becani. Secunda, hac : Quia quando interrogans non habet ius interrogandi ; nec alioqui respondens habet obligationem rem manifestandi, locus datur amphibologiæ, sine vllo peccato, si honestus proponatur finis : atqui hæc omnia inpræsentiarum reperiuntur : ergo. Sic ex Nauarro *lib.* 5. *consil.* 15. *num.* 2. *sub titulo de Hæreticis,* & ex Suario *disp.* 14. *sect.* 2. *n.* 11. docet Fagundez *lib.* 1. *Decal. cap.* 3. *num.* 9. Palao *punct.* 13. *cit. num.* 3. (vt habes *quæst.* 20.) Imò, hoc ipsum, & non aliud, volunt authores primæ sententiæ, vt clarè colligitur ex doctrina Sanchez, vbi suprà *n.* 12.

QVÆSTIO XXIV.

An, peccent contra confessionem Fidei, Clerici, vel Religiosi, qui dum per loca Infidelium transeunt, vt incolumes euadant, habitum sæcularem induunt ?

RESpondeo. Non peccare, contra Fidei confessionem. Quia deponere vestes clericales, aut Religiosas, non est negare Fidem, cum non sint Fidei, sed status signa : ergo. Imò, nec peccabunt venialiter mendacij peccato, si in eo facto non intendant se sæculares fingere ; sed solum fiatum clericalem, ob vitandam mortem, celare. Sic Caiet. 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. *in fine :* & ibi Aragon *concl.* 2. *vers. Tertio*

qui

qui vtitur Philiarcus *de offic. Sacerd. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 11. Filliuc. *tract.* 22. *cap.* 3. *quæst.* 3. *dicto* 2. *num.* 69. Trullench *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 7. *numer.* 11. Acacius *tom.* 1. *verb. Fee, Resol.* 330. *numer.* 5. Sic dicens: *Si algun hereje pregunta a vn Christiano, si es Sacerdote, ò Religioso, ò Clerigo, y el lo negare, siendo lo, no peca contra el præcepto de no negar la Fe. la razon es, porque negar que no es Sacerdote, ò Religioso, ò Clerigo, no por esso niega ser Christiano; porque los legos, tambien son Christianos, y Catholicos.* Sic ille.

Qvæstio XXV.

An, aliquando liceat, graui de causa, factis, aut rebus, falsam Sectam, Fidei contrariam, simulare?

Affirmant Adrianus *in* 4. *tract.* 1. *de Baptismo. quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 5. *argumentum.* Vbi docuit, licitum esse homini Christiano, & Catholico, vt occultet se talem, ne forte cognitus occidatur, sectam falsam, factis, aut rebus simulare; dummodo id tantùm faciat animo simulandi, absque interna voluntate illam profitendi. Pro hac etiam sententia citant aliqui D. Hieronymum *in cap.* 2. *ad Galat. & Epist.* 89. *ad D. Augustin.* Vbi variis exemplis Scripturæ Sacræ id satagit probare. Propter quod, Valentia *quæst.* 3. *punct.* 2. *dub.* 4. ait, hanc opinionem non videri omnino improbabilem. Et certè esse probabilem aperte innuit Bonac. *disput.* 3. *quæstion.* 2. *punct.* 3. *num.* 28.

Sed tanquam certum Respondeo dicendum, quod, vrgente etiam quauis causa, minimè licitum sit homini Christiano, rebus, aut factis, falsam Religionem, aut sectam, simulare, aut fingere; etiam absque interna voluntate illam profitendi; sed solùm ad se Christianum occultandum. Ratio sit. Quia quando medium ex se est illicitum, & intrinsicè malum, vllus finis honestus illud honestare valet: atqui vti rebus, aut factis ad falsam sectam significandam formaliter institutis, est medium ex se illicitum, & intrinsecè malum: ergo. Sic in primis tenet hanc sententiam D. Augustin. *Epist.* 19. Vbi acriter carpit D. Hieronymum, quem pro sententia opposita stare præsumebat. Cum Augustino sentiunt Irinæus, Cyprianus, Tertulianus, & Origines, quorum verba refert Valentia, vbi suprà. Eandem tradunt Sanchez *lib.* 2. *sum. capit.* 4. *numer.* 14. Suarez *disput.* 14. *sect.* 4. *numer.* 4. & apud ipsum, D. Thomas, Caiet. Valent. Alens. Anton. Siluest. Armilla, Angel. Nauarr. Tolet. & Vazquez. Ægidius *disp.* 15. *dub.* 2. *num.* 14. Granad. *tract.* 11. *disp.* 3. *sect.* 2. Tannerus *quæst.* 7. *dub.* 5. Hurtad. Compluten. *disp.* 9. *diff.* 6. Salmanticensis, *disp.* 48. *sect.* 4. *subsect.* 2. §. 38. vbi ait, oppositam sententiam à Fide esse alienam, nequè à D. Hieronymo, aut alio Doctore Catholico, vnquam fuisse traditam, quod latè ex verbis ipsiusmet Hieronymi probat Luysius *disp.* 35. *dub.* 5. Becanus *cap.* 9. *quæst.* 5. Fagundez *lib.* 1. *Decal. cap.* 6. *num.* 4. Arriaga *de Fide d sp.* 22. *sect.* 5. Ouiedo *controu.* 8. *pun.* 4. *à num.* 38. Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disput.* 1. *punct.* 16. *per totum.* Acacius *tom.* 1. *verb. Fe. Resol.* 330. *& sequent.* Sed vt hæc nostra Doctrina generaliter tradita, melius intelligatur, necessum erit ad particulares casus deuenire. Sit ergo.

Qvæstio XXVI.

An, liceat homini Christiano, ob mortem vitandam, exercere per simulationem, actiones; quæ immediatè sunt institutæ in cultum falsæ religionis: v. g. adolere idolo insensum flectere coram illo genua &c.

Affirmauit, vt vidimus, Adrianus, variis scripturæ Exemplis. Nam inprimis Iehu Rex Israëlitarum (4. *Reg.* 10. 19.) simulauit, se velle Sacrificium offerre Idolo Baal (vt haberet occasionem occidendi omnes Sacerdotes illius) his verbis: *Ego seruiam, & Sacrificabo Baal, imitans, & superans Achab.* Cuius Simulationem Deus approbauit, dum illi dixit: *Studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo feciſti contra Domum Achab.* ergo licita fuit simulatio Iehu.

Deinde exemplo Naaman Syri, qui cùm vt satisfaceret suo Regi gentili, statuisset animo simulato, Idolo pariter cum Domino genuflectere, & adorare illud; petit ab Eliseo licentiam, cui Propheta annuens respondit *vade in pace:* ergo &c.

Sed, vt quid certissimum, Respondeo: ob nullum mortis timorem, id licere. *Primò*, Quia prædictæ actiones, vel ita fiunt, vt à præsentibus reputentur seriò fieri, & in cultum Idolorum; & tunc manifestè erunt malissimæ, vtpotè scandalosæ, & in præiudicium Fidei, & cultus diuini: vel ita fiunt, vt præsentes nil horum suspicentur; & tunc cum non possint habere vtilitatem, quam quærit Adrianus, quod, scilicet, occultent Fidem, erunt omnino otiosæ, & ex eo capite grauiter malæ, eo quod hic, & nunc non possint fieri, sine aliqua tali significatione, maximè quando non est in eis vtilitas, nisi ea significatio: ergo.

Secundò, Quia adorare Idolum, illi sacrificare, & similes actiones intrinsecè, sunt malæ: ergo ob nullum mortis adhuc timorem, exerceri à Christiano possunt. Antecedens probatur: quia huiusmodi actiones intrinsecè continent superstitiosum cultum, cùm per se primò impositæ sint ad vsum religiosum, nec aliud habent moralem vsum, & ideo ab illo separari non possunt: atqui cultus superstitiosus intrinsecè est malus, vt potè contra religionem: ergo. Sic omnes Doctores citati suprà *quæstion.* 25. inter quos, Legantur Arriaga, Fagundez, Sanchez, Becanus, Ouiedo, Vterque Hurtadus, Suarez, & alij.

Ex quibus ad primum exemplum Iehu Regis, dicendum, quod Deus non laudauit mendacium, aut simulationem adorationis externo cultu promissæ; sed zelum, quo executus est iram Dei in cultores Baal, & deletionem domus Acab Regis, estò in eo mendacio grauiter peccauerit, vt colligitur ex contextu *loc. cit.* Vbi dicitur: *Non ambulasse in lege Domini Dei Israël, in toto corde suo.*

Ad secundum exemplum, dicendum, quòd Naaman non petierit ab Eliseo licentiam simulandi adorationem Idoli, sed genuflectendi, vt Dominum adorantem sustineret, quo ei solitum obsequium exhiberet; atque id tanquam licitum Propheta concessit. Sic ex Lyra, Burgensi Abulensi, Azorio docet Sanchez *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 21. *& lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 14. Ouiedo, Arriaga, & alij ex citatis, licèt alij aliter respondeant. Videantur.

QVÆSTIO XXVII.

An, saltem, sit licitum Fideli; vsurpare cæremonias falsæ legis, non qua tales sunt; sed, ob honestum finem; vt si quis vellet, se circuncidere, vel ob mortificationem, vel ob imitationem Christi; non, ob protestationem Iudaismi?

AFfirmant aliqui Doctores probantes id *Primò* exemplis allatis pro sententia Adriani. *Secundò* Quia Apostoli etiam post promulgationem, legis, sæpè vsi sunt eiusmodi cæremoniis, quando earum vsus erat omninò illicitus. Nam Paulus *Actor 16.* Timotheum circuncidit, *& c.21.* cum aliis purificatus templum intrauit. *Tertiò*, Quia Abassini hodie ex permissione Ecclesiæ vtuntur Circuncisione: ergo &c. ita Adrianus *vbi suprà*, Caietan. *3.p. quæst.37.art.1.* & Medina *1.2. quæst.103.art.4.* Quos refert, & sequitur Lorca *2.2.disput.24.memb.1.à n.7.* & antea *1.2.sect.5.disp.35.n.2.*

Sed, vt quid certum, Respondeo Minimè esse licitum Fideli vsurpare cæremonias legis falsæ, ac proinde nec circuncidere se, ob mortificationem carnis, vel ob imitationem Christi: nisi fortè talibus ceremoniis quis vtatur, vt apertè appareat exterius, id fieri ob finem alterum, nullo verò modo ob cultum, aut religionem aliquam, sicut iis vtuntur qui agunt in Theatris, aut sicut vteretur Circuncisione is, cui ea esset necessaria ad sanitatem recuperandam.

Probatur generaliter loquendo, argumentis factis contra Adranum *quæst.antecedenti.*

Secundò, loquendo de Circuncisione in particulari, sic probo ex Arriaga; nam in primis, ea vti non licèt, ob deuotionem solam; quia est quædam mutilatio corporis, quæ licita non est, ob solam mortificationem: quod si contingeret eam necessariam esse propter vitam hominis tuendam, tunc posset assumi, non vt cæremonia, sed vt medicina, id, quod deberet ita exterius fieri, vt constaret de motiuo, ideoquè nullum esset scandalum. Deinde, nec potest licitè vsurpari ad imitationem Christi: Nam Christus Dominus eam vsurpauit, vt præceptam à Deo, vt verè tunc obligantem, vt viuam: ergo si in ea accipienda volo Christum imitari, debeo eam, vt Sanctam vsurpare; id quod nunc apertè illicitum est: alioquin possem etiam nunc ad aliorum legis veteris Sanctorum imitationem, offerre Deo holocausta, arietem &c. & Paschalem Agnum, iuxta ritum totum antiquum, comedere; sicut comedit Christus: quæ omnia haud dubiè sunt manifestè absurda. Sic Arriaga *de Fide disput.22. sect.5.numer.44. & 45.* & antea Valentia, *disput.1. quæst.3.punct.2.dub.4.* Sanchez *lib.2.cap.4. num.14.* Vazquez *1.2. disp.182. num.19. & 77.* Luysius *22. disp.35.dub.5.* quos citat, & sequitur Ægidius *disput. 15.de Fide dub.3.à n.38.* Diana *part.3.tract.5. Resol. 49. vers. Notandum est.* Vbi non audet damnare improbabilitatis oppositam sententiam. Sed Ausonius, in summa ipsius Dianæ, *verb.Fides, numer.10.* apertè dicit, illam fuisse damnatam à Congregatione Sancti Officij. Ouiedo, *de Fide controu.8. punct.5. numer.66.*

Ad *Primum* argumentum in contrarium iam diximus suprà. Ad *Secundum*, dico, quod initio legis gratiæ, etiam post promulgationem Euangelij, aliquandiu fuit licitus vsus veterum cæremoniarum, vt sic lex vetus non statim tanquam mala damnaretur; sed paulatim abrogaretur: modo autem iam minimè. Sic respondet & latè Ægidius à *n.42.*

Ad Tertium, negandum est in primis Ecclesiam probare, quod Abassini, suos filios circuncidant, sed semper hunc ritum damnare, sicut aliàs eorum hæreses. Ita Ægidius *num.47.* & alij. Addit etiam Ouiedo *num.67.* quod etiam dato, quod vsus circuncisionis esset apud illos homines licitus, eo quod communi illarum Prouinciarum acclamatione, protestatum est, talem vsum, non esse in obseruationem legis Mosaycæ; apud nos verò, talis vsus non ita receptus est, & ita quicunque illum exerceret, esset de Fide Christiana valde suspectus, & cultor Mosaycæ leges præsumeretur.

QVÆSTIO XXVIII.

An liceat homini Christiano, ob vitandum aliquod graue periculum, vti vestibus, directè, & per se destinatis, ad cultum, vel honorem falsis Diis exhibendum, sicuti sunt vestes, quibus Sacerdotes Infidelium ad offerendà Sacrificia falsis Diis, inducuntur?

AFfirmatiuam sententiam, vt probabilem, defendit Petr. Hurtado, *de Fide disp.48.sect.4.subsect.4.§.54.* Qui id multis rationibus probare intendit, sed præcipue, hac. *Quia si aliqua ratione vsurpatio huius vestis esset illicita, maximè quia videtur esse qui dà cultus: sed non est omni casu: ergo. Probo minorem, quia vestis sacerdotalis non est cultus in Deum, sed habitus, quo exerceantur cæremoniæ, & cultus in Deum. Sacerdos enim Iudaicus non colebat Deum sola impositione Mitræ, sed quando sic vestitus mactabat victimas, aut adolebat incensum: si autem, extra templum extraheret Mitram, nullum præterea cultum exerceret, sed posset illam extrahere, vel ne caput infrigidaretur, aut vt elegantior muliercula videretur.* Ita ille. Qui pro hac sententia refert Lorcam. *1.2. quæstion.103. art.4.* & *2.2.quæstion.24.art.7.* Caietan. *3.p.quæst.31.art.1.* Medinam *1.2.quæst.103. art.4.* Versu. *Sed dubitabis.* Valentiam *disp.1.quæst.3.p.2. vers. Hæc opinio.* Thomam Sanchez *lib.2. Decalog.cap.4.num.20.* & Azorium *tom.1.lib.8. cap.27. quæst.4. vers. Mihi hoc probabilius.* Sed certè, vt bene vidit Ouiedo, in vanum trahit hos Authores pro hac sententia, præcipuè Sanchium, & Azorium, (quidquid etiam Suarez, *vbi infrà* de Sanchio, & Azorio sentiat,) legatur Ouiedo *loc.cit.n.60. & 61.*

Respondeo igitur, vt certum, dicendum, quod nullo modo liceat homini Christiano, quantumuis graui causa, & periculo etiam vitæ occurrente, vti prædictis vestibus. Probo ex Ouiedo sic. Quia illæ vestes, quibus Infideles Sacerdotes vtuntur in Sacrificiis, à nullo, quantumuis callido, & astuto, præsumi possunt esse desumptas, nisi causa offerendi Sacrificium, & vt reuerenter, & authoritatiuè offeratur, quod est, cultum deferre falso Deo, cui Sacrificium offertur: ergo illarum vsus non potest exui à significatione cultus exhibiti, vi illarum, & medio Sacrificio falso ordinantur Deo exhibendo. Consequentia patet: antecedens probatur: quia cùm vestes illæ superponantur aliis vsualibus, quibus corpus est sufficienter coopertum, & à frigore defensum, non potest præsumi ad hunc finem desumi, nisi, præcipuè cum sæpè immoderatum, & excessiuum calorem afferant. Deinde, non

potest

potest præsumi desumptas esse ad corporis elegantiam & pulchritudinem ; cum aliis occasionibus , in quibus hæc elegantia & pulchritudo maximè intenditur , vestes illæ non assumuntur , neque eas liceat assumere,sed tantum causa offerendi Sacrificia : ergo quotiescunquè hæ vestes assumuntur,significatur cultus interior exhibitus Deo , cui tales vestes consecratæ sunt.Sic Ouiedo *controu.*8.*pun.*5.*num.*62. ex cuuis argumento , iam ad illud Hurtadi quid sit respondendum constat. Sicque communis Theologorum, & ita certum , & à plerisque ita indubitatum , vt iuxta Fidei principia necessariò tenendum sentiant. Legantur Valentia *qu.*3. *punct.*2. Suarius *lib.*8.*contra Regem Angliæ c.*9.*n.*30. *&* 31. *& de Fide disp.*14.*sect.*5. *num.*8. *&* 12. & apud ipsum , Caiet. Siluest. Tolet.Aragon,Lopez,& Bensonius. Gaspar Hurtad.*disp.*9.*diff.*7.dicens,in hoc omnes conuenire. Sanchez *lib.*2.*c.*14.*n.*14. Azor.*lib.*7.*cap.*7.*q.*6. Petr. Hurtad. *loc.cit.*§.53. Luysius , Ægidius , Tanner. & Vazquez,quos citat,& sequitur Ouiedo *num.*54.60. *& sequent.* Becanus *cap.*9.*q.*5.*num.*27. citans pro hac parte Sanchium *c.*4.*cit. n.*19. & Azorium *c.*27. *q.*4. Palao *to.*1.*tra.*4.*disp.*1.*pun.*17.*n.*7. *&* 8. vbi etiam & bene citat pro nobis, Sanchium *n.*19. Arriaga , *disp.* 22.*sect.*3.*n.*19. citans etiam Sanchium. Diana , *vbi infrà.*Acacius *Resol.*331.*in fine.*

Qvæstio XXIX.

An saltem licitum sit Christiano,vti ex rationabili causa , vestibus Infidelium , institutis ad corpus tegendum,& simul ad sectam ipsorum Infidelium manifestandam ?

Affirmant nouissimè Diana *part.*3.*tract.*5. *Resol.* 49.vbi sibi proponenti, *An in terris Turcarum, si quis vtatur pileo Turcico cum Tobalia alba , vt securus pertranseat,peccet mortaliter ?* ita respondet : *Dico id esse licitum,ob periculum mortis , aut iustam ab hoste victoriam reportandam; vel ob aliam causam satis grauem,& necessariam.Et ratio est , quia huiusmodi vestes per se , & directè non sunt protestatiuæ falsæ religionis, sed sunt secundùm se indiferentes : ergo &c. Ex his infertur,posse aliquem Romæ gestare pileum cum signo flauo,more Iudæorum , vt dum ad necem quæritur,incognitus effugiat.* Ita Diana citans pro se Tannerum *in* 2.2.*disp.*1.*q.*7.*dub.*5.*n.*110.Bannesium 2.2.*q.*3.*art.*2. *dub.*2.Thomam Sancium *lib.*2.*c.*4.*n.*20.Layman.& Villalobos, Ægidium *disp.*15.*dub.*3. & Emanuelem Sa *verb.Fides n.*5.(non 4.vt ait Palaus) Quibus addi possunt Azor.*lib.*8.(non 4.vt leges apud Gasp. Hurt. & Suarium,*c.*27.*q.*4.Suarez *disp.*14.*sect.*5. (non 15. vt offendes apud Ouiedum)*n.*7. *&* 8. & apud ipsum, Benzon. Petr. Ledesma , Lopezius , & Rodriguez Luysius 2.2.*disp.*35.*dub.*4.Petr. Hurt.*disp.*48. *sect.*3. Gasp. Hurt.*disp.*9.*diff.*8. & apud ipsum Vazquez *in manuscriptis q.*3.*art.*2.*dub.*3. Granad.*tract.*11.*disp.*3. *sect.*2.Palao *disp.*1.*cit.punct.*17.*n.*3. Aragon.2.2.*q.*3. *dub.*1.*concl.*2. Acacius *loc.cit.n.*2. Trullench *lib.*1.*c.*1. *dub.*7.*num.*19.Filliuc.*tract.*22.*c.*3.*q.*6.*n.*79. & rursus Diana *par.*5.*tra.*7.*Resol.*33.iuxta quorum placitum, dicendum est,quod ad mortem vitandam, aut victoriam reportandam , aut ob aliam causam grauem, licitum sit Christianis in terris Turcarum vti pileo Turcico, cum tobalia alba , vt securi pertranseant.

Sed licèt hæc sententia , ob auctoritatem Doctorum eam tuentium sit satis probabilis; nihilominus cum aliis probabilius Respondeo, Non esse,licitum, in nullo casu ; etiam,ob vitandam mortem , vti vestibus institutis ad purè infidelitatem significandam, veluti pileo Turcico cum tobalia alba (Hispanè, *Turbante*) quos Turcæ gestant.

Probo hanc partem efficaciter ex Becano & Arriaga. Quia perinde est,siue quis verbo , siue facto, profiteatur falsam religionem,aut sectam : at verbo nunquam profiteri licet , etiam ob vitandam mortem,vt constat ex dictis,& concedunt Authores sententiæ primæ ; ergo nec facto.Maior est D. Thomæ *quæst.*111.*art.*1. Vbi sic ait : *Non refert autem vtrum aliquis mentiatur verbo,vel quocumque alio facto :* ergo à pari,non refert vtrum aliquis voce,vel alio externo signo profiteatur falsam sectam:ergo sicut non est licitũ vnquã dicere;*Ego sum Iudæus , aut Mahometanus*;aut,*Ego non sum Christianus.sed Gentilis,aut Mahometanus*,multò minus erit licitũ vti vestibus institutis,vt primariò significent eas gestantẽ,esse Iudæũ, Gentilẽ,aut Mahometanum,nam(vt patet)magis denotatur per gestationem earum, desertio veræ Fidei. Sic Becanus *cap.*9.*q.*5.*à num.*35. & Arriaga *disp.*22. *sect.*3.*à num.*20.Qui fusè,& doctè hoc argumentum dilatant. Sic etiam Caiet.2.2.*qu.*3.*art.*2. D. Anton. *part.*2.*tit.*12.*c.*6.*sub fine.*Angel.Tabiena,& Armilla, *verb.Infidelitas.*Siluest.*verb.Apostasia q.*1.*n.*4.Nauarrus*c.*11.*n.*17.Philiarcus *de offic. Sacerd. tom.*1.*part.*2. *lib.*3.*c.*9.Valentia *q.*3.*pun.*2.Toletus *lib.*4.*cap.*2.*n.*7. Ouiedo *contr.*8.*pun.*5.*concl.*3.*n.*70.Vbi hanc nostram sententiam longè probabiliorem vocat , eamquè sic probat. *Quia hoc est vti signo externo instituto ad præstandam falsam religionem , & ita formalissimè est eam exterius protestari , & fingere ex quacumque intentione id fiat : intentio enim interna ad significationem , quam habent signa iam instituta,est omnino impertinens,neque potest vim significandi infringere in effectu externo.Deinde , quia etsi substantia vestium deseruiant ad corpus tegendum , & defendendum à temporis inclementia, illa specialis forma,& peculiaris color , primariò , & per se, ad protestationem falsæ sectæ deseruit.* Sic Ouiedo. Ex cuius argumento, solutum manet contrariorum. Sic etiam Fagundez *lib.*1.*c.*7.*n.*9. Legatur Arriaga *loc. cit.qui n.*19. aduertit , quod Sanchez *sup.num.*27.& Ægidius *num.*73. talem suæ sententiæ limitationem adhibeant,vt verè relabantur in nostram.

Qvæstio XXX.

An adminus,sit licitum Christianis, vti vestibus significantibus aliquam falsam sectam; institutis tamen , ob finem politicum ; vt ad discernendam vnam sectam ab alia , ob vectigalia specialia;ob vitandas rixas &c ?

Affirmant,& à fortiori,omnes Authores primæ sententiæ quæst. antecedentis , necnon aliqui sectatores nostræ,præcipuè Ouiedo *n.*68. Bonac.*pun.* 3.*n.*20.Becanus*c.*9.*q.*5.*à n.*29.qui *n.*31.His argumẽtis,id probat. *Primò* Quia si esset peccatum mortale vti talibus vestibus,præcipuè, ob grauem causam,sequeretur hos omnes peccare mortaliter. *Primò*,Turcas portando habitũ Turcicum.*Secundò*,Iudæos,portando flauum signum in pileo.*Tertiò* Pontificẽ,mandando vt Iudæi portent huiusmodi signum;qui enim mandat,vt alius peccet mortaliter , etiam ipse peccat mortaliter.*Quartò*,Christianos,qui insuis triremibus, vtuntur signis Turcarũ,vt incolumes euadant.*Quintò* Speculatores Christianorũ Principũ , qui in proprio Turcarũ habitu,expiscantur arcana ipsorum consilia, *Sextò* , Catholicos qui in bello contra Hugonottos,

affigunt signa vexillis suis, quæ Hugonottorum propria sunt. Quis autem credat, hæc omnia esse peccata mortalia? Huc vsque Becanus. Et licèt satis probabiliter, vt docet item Petr. Hurt. *disp.* 48. *sect.* 3. *per tot.*

Sed certè absolutè loquendo, probabilius Respondeo, Nec adhuc esse licitum Christianis, etiam ob grauem causam, vti præfatis vestibus. Probatur ex dictis. *Primò.* Quia etiam in prædictis vestibus manet ratio signi infidelitatis, seu falsæ sectæ, non minus quàm in verbis: atqui hanc nullo modo licet fateri verbis: ergo neque signis illis.

Secundò, quia licèt dictæ vestes, ex intentione Principis, aut Reipublicæ, non sint primario institutæ ad ostendendam falsam religionem, seu sectam, sed ad distinctionem & cognitionem personarum illam profitentium, eo quod sic expediat Reipublicæ, ob rixas, & alia incommoda, quæ solent oriri, si non distinguantur; secundariò tamen, aut per necessariam sequelam, institutæ remanent ad falsam sectam profitendam: patet quia tales vestes non possunt distinguere infidelem à fideli, seu Christiano, nisi quatenus significant illas gestantem infidelem esse: atqui hoc profiteri etiam modo explicato est intrinsecè malum: ergo omninò illicitum. Sic tenent Caiet. Nauarr. Angel. Tabiena Armilla, Siluest. D. Anton. Philiarc. Tolet. vt fatentur Fagundez & Palao. Arriaga etiam *disp.* 22. *sect.* 4. *per tot.* Ex quo, & Ægidio *disp.* 15. *dub.* 3. *concl.* 8. *à n.* 69.

Ad argumentum Becani, nego sequelam: ad cuius primam, & secundam probationem, dico, minimè peccare prædictos, vestes recensitas, gestando, si id faciant præcisè, vt obediant Principi, aut Pontifici præcipientibus, vt eas vestes ob dictum finem politicum gestent. Nego tamen, non peccare Christianos, si eisdem vtantur. Potest namque (ait Arriaga) licitè Princeps mandare, vt qui sunt Iudæi, dicant coram se, aut aliis se esse Iudæos, seu scribant sua nomina, vt passim fit in ordine ad contributionem, & alios fine: Vbi certum est, eos dicentes, *ego sum Judæus*, non peccare; neque item profiteri suam fidem, eo sensu, quo ab argumentante vsurpatur; & tamen inde nullo modo debet inferre: ergo Christianus sine peccato dicere poterit; aut se subscribere: *ergo non sum Christianus*, vt bene notauit, *vt sup.* P. Coninch. Absolutè ergo respondeo, aliud esse dicere; *Ego sum Gentilis*; aliud, actu colere idola. Hoc secundum, est superstitiosum, & peccatum, neque vllus Princeps illud licitè potest imperare, etiam ipsis Gentibus, &c. Primum verò nihil habet de superstitione, ideoquè imperari licitè potest, vt quilibet dicat cuius est sectæ. Ergo ex eo quod vestes, seu signa (de quibus agimus) æquiualeant verbis, quoad hoc, vt per ea dicat ille, *Ego sum Iudæus*) ac propterea, non liceat Christiano eis vti; vt non licet verbis dicere: *Ego sum Iudæus*, nullatenus infertur, nec ipsis Iudæis licitè posse Principem imperare eis signis vti. Hæc Arriaga. Ex quo iam patet ad tertiam instantiam, videlicet, minimè peccare Pontificem mandando Iudæis, vt pileum flauum portent. Ad alias instantias per singulas quæstiones respondebimus.

QVÆSTIO XXXI.

An, liceat Christianis pugnantibus, contra hæreticos, aut Turcas; affigere suis vexillis signa, quæ in suis, ipsis gestare solent, modò non sint alicuius falsi Dei?

NEgare posset quis, & probabiliter, vt innuit Ouiedo, *vbi infrà.*

Sed probabilius longè, & verius Respondeo licere. Quia ea signa non sunt falsæ religionis, aut sectæ, sed Principis, sub quo exercitus militat; & sunt ex se indifferentia: ergo & licita. Sic Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *c.* 27. *q.* 6. dicens, ideò esse licitum, id facere, quia hoc nihil aliud est, nisi quoddam insidiarum militarium genus, quibus hostes vtuntur, vt sic, vel interitum effugiant, vel eos certe incautos vincant, & capiant. Sanchez *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 23. Becanus vbi sup. *n.* 34. Suarez *disp.* 14. *sect.* 5. *n.* 4. Lu sius *disp.* 35. *dub.* 7. Bonac. *disp.* 3. *qu.* 2. *pun.* 3. *n.* 20. *in fine*, & apud illum, Reginald. Ouiedo *controu.* 8. *pun.* 5. *n.* 72. Trullench *lib.* 1. *Decal. c.* 1. *dub.* 7. *n.* 21. Petr. Hurt. *disp.* 48. *sect.* 3. §. 28. Palao *to.* 1. *tra.* 4. *disp.* 1. *pun.* 17. *n.* 5. & à fortiori Tannerus, Layman. & Diana mox citandi.

QVÆSTIO XXXII.

An, non solum præfata signa, sed etiam illa, quæ sunt imaginis Mahometi, Mercurij, vel aliorum, quos, vt Deos Gentes colunt; liceant Christianis in suis vexillis, in bello gestare.

AFfirmant adhuc Tannerus, 2. 2. *disp.* 1. *q.* 7. *dub.* 3. *num.* 117. & Layman, *lib.* 1. *tra.* 5. *c.* 11. *n.* 4. Quos citat, & sequitur Diana *p.* 3. *tract.* 5. *Resol.* 49. vbi ita ait: *Notandum est Secundò, contra Azorium to.* 1. *lib.* 8. *c.* 72. *q.* 6. *& alios, licere vexilla signis consuetis Turcarũ insignita in classe, vel exercitu erige; etiamsi esset signum Martis, Palladis, aut Iouis, Lunæ, Solis, & etiam Mahometis.* Ita Diana. Cui adiunge Ouiedum *n.* 72. *cit.* necnon, meo videri, Petrus Hurtad. *lo. cit.* §. 58. vbi latè de hac re, & Layman, *libro* 2. *tract.* 1. *cap.* 11. *numer.* 4. & dicit probabile Acacius mox citandus.

Sed probabilius longè. Respondeo, Non licere. Quia cum prædictæ imagines sint falsæ sectæ signa, & consequenter per illa cultus exhibeatur Mahometo, Mercurio, aut aliis Diis, illicitum profecto erit Christianis, talibus signis, seu imaginibus, in suis vti vexillis. Sic Sanchez, Becanus, Bonac. Trullench. Luysius, Palao, & Azor *loc. cit.* Qui ex dictis colligit, eum grauiter peccare, qui in gratiam Paganorum, Deorum falsorum, & inanium, quos ipsi venerantur, simulacra, vel imagines depingeret, vel statuas faceret, vel delubra, & fana construeret: quia horum singula, per se ad probandum superstitionem, & impietatem; cui sunt consecrata, valent. Sic ille. Ex quibus iam constat quid sit dicendum ad sextam instantiam Becani, adductam contra nos *qu.* 30. tenet etiam nostram sententiam Acacius *verb. Fee, Resol.* 332. *num.* 7.

QVÆSTIO XXXIII.

An licitum sit Christianis, in triremibus, & nauibus portare signa Turcarum; vt eos aggrediantur tutius, & fugiant securius?

NEgandum videtur consequenter ab Authoribus pro nostra opinione adductis, *qu.* 29. ob rationem, ibi assignatam.

Sed probabilius longè Respondeo licitum illis esse *Primò*, Quia ita habet vsus omnium fidelium, etiam Deum timentium, qui sine vllo scrupulo, dicto remedio vtuntur ad suas actiones rectè dirigendas, vt fatetur Suarez *disp.* 14. *sect.* 5. *n.* 4.

Secundò, & à priori quia ita videtur quasi cõmuni, vsu Gentium receptum, vt in præfatis occasionibus,

vti

vti liceat eiusmodi industria, & quasi stratagemate, licèt non liceret in aliis sine causa, vt ait Suarez ipse, *num.5. in fine.* Sic etiam Sanchez *lib.2.c.4.n.22.* ex Retulio Benzonio *n.19.* Fagundez *lib.1.c.7.num.12.* Palao *pun.17.cit.n.5.* Becanus vbi suprà. Petr. Hurtad. *disp.48.sect.3.§.28. Quia commune* est (inquiens) *hostes indui suorum hostium vestibus, vel vt eos capiant, vel fugiant: vnde Turca videns in mari nauim cum gentilitio lunæ, imprudenter censet nauim illam esse Turcarum; sed si prudens sit, debet timere, ne sit Christianorum, se signo alieno dissimulantium.* Sic ibi. Et *sect.4.§.56.* id ipsum probat, ex communi gentium consuetudine, & *sect.5.§.76.* ibi: quia stratagemata, & incautorum delusio per signa, frequentissima est omnibus gentibus.

Quæstio XXXIV.

An item, liceat Christianis exploratoribus, (vulgò, Espias) vti lingua, & habitu Infidelium, ad scrutanda illorum secreta, postea detegenda Principibus Christianis?

Respondeo dicendum: licere etiam. Quia ita more gentium, apud omnes nationes est introductum, & apud nos passim, sine scrupulo, & bona cum conscientia fit. Rutilius Sanchez, Fagundez, Palao, & Becanus *loc.cit.* Bonac. *disp.3.q.2.punct.3. num.26.* Acacius, *verb. Fe, Resol.3 3 1. in fine.*

Quæstio XXXV.

An, in Comœdiis, & tragœdiis, quæ populo exhibentur, liceat vti habitu Infidelium, quantumuis sit, vanæ religionis signum?

Respondeo vt certum: licere. Quia, cùm tunc res non agatur seriò, sed ficta personarum repræsentatione, nullus profecto cultus tribuitur falsæ sectæ seu idolo, sed solùm fingitur dari; & ita omnes auditores, & spectatores intelligunt. Sic Azor. *lib.8. cap.27.q.6.* Sanchez *lib.2.c.4.num.15.* Valentia 2.2. *disp.1.q.3.pun.2. dub.4.* Fagundez *lib.1.c.7.num.12.* Suarez *disp.14.sect.5.fine.* Arriaga 2.2. *disp.22.sect.2. num.16. vers. Quarto aduerto.* dicens id esse certum apud omnes, Quod idem ait Trullench *lib.1.cap.1. dub.7. in fine.*

Quæstio XXXVI.

An, si Fidelis quis nudus esset, & grauissimè plueret, liceret ei, imponere sibi pileū flauum; & vestibus destinatis pro idolorum sacrificiis, se contra pluuiam tegere?

Negat vtrumque Arriaga 2.2. *disp. 22. sect.4. n.31.* vbi huic, quam contra se infert, illationi: Ergo, si quis esset sine pileo, & grauissimè plueret, non liceret ei imponere sibi pileum flauum, vt se à pluuia defenderet. Respondet *Primò.* Idem argumentum posse fieri de vestibus destinatis pro Sacrificiis, si quis esset nudus, an posset se illis tegere contra pluuiam. Vbi omnes Auctores docent, absolutè non esse licitum eis vti: cur non dicam ego, neque hîc, cum eadem de vtrisque sit ratio? Hæc Arriaga. Sed non ita benè.

Respondeo igitur dicendum *Primò.* quòd in præassignato casu, licitè posset Fidelis imponere sibi pileum flauum Iudæorum, vt se à pluuia defenderet. Quia (vt bene *Secundò* respondet Arriaga *n.32.*) tunc vsus pilei est omnino materialis; cum præsentibus omnibus clarè constet, non accipi ad significandum Iudaismum, sed ne pluuia illi noceat.

Respondeo *Secundò*, etiam potest licitè, quis, in dicto euentu, & fortituo casu, induere se vestimentis destinatis pro Sacrificiis. Quia eadem currit ratio; nempè, quod vsus earum rimis materialis sit &c. Sic in primis tenent Suarez *disp.14. sect.5. in fine.* & ex illo Fagundez *lib.1. Decal.c.7.n.10.* Quiedo 2.2. *contr. 8. pun.5.n.62. in fine.* Vbi sic ait: *Hæc dixerim, quando huiusmodi vestes induuntur eo modo, & sub illis circunstantiis, sub quibus, illis vtuntur Infideles, qui mediis illis intendunt cultum deferre falsis diis: nam, si quis illis indueretur in comœdia, representationis causa, certum est, tunc non significare cultum diis falsis exhibitum: sicut cum histrio, personam infidelis agens, verba blasphemiæ profert, non censetur blasphemus; sed representator alienæ blasphemiæ. Similiter, si homo aliis vestibus nudus, humi iaceret vestibus sacerdotalibus inuolutus, absque vllo ornatu, & pompa, non censeretur eis vti, cultus causa; sed extrema necessitate coactus; quia non habebat vestes alias, quibus corpus tegeret, & à frigore defenderet.* Hæc Quiedo. Ex quibus constat, non bene dixisse Arriagam, omnes Authores contrarium huic nostræ responsioni docere.

Quæstio XXXVII.

An, si Aliquis Infidelis Princeps, v.g. Turca, mandet omnibus existentibus in suo Regno, cuiuscumque sectæ prius fuerint, vt assumant tale signum, v.g. turcicum, ad protestandum, quod iam sint Mahometani; possint tunc Christiani, ad euadendam mortem vti tali signo?

Respondeo vt certū: Non posse. Quia per assumptionem talis signi, verè protestarentur, se esse Mahometanos: atqui hoc, nec ad euadendam mortem est licitum, vt supra est habitum: ergo. Sic communis Theologorum consensus. Legantur Sanchez *lib.2.c.4.n.27.* Ægidius *disp.15. dub.3.n.73.* Arriaga *disp.22. sect.3. à n.27.* Palao *to.1. tra.4. disp.1. punct.17. num.8.*

Quæstio XXXVIII.

An saltem, possent licitè vti tali signo Christiani, casu, quo Turca mandaret; vt omnes qui essent Mahometani in Regno eius, illud signum gestarent, nihil dicendo de aliis, qui non sunt Mahometani?

Affirmant in hoc casu posse Christianos licitè vti tali signo ob mortem fugiendam; Sanchez & Ægidius *loc.cit.* Quia cum in hoc casu (inquiunt) non cogat Turca, vt Christiani deserant suam Fidem, (vt facit in casu antecedenti) illud signum, assumere, eoquè vti, non esset signum abnegationis Fidei, sed desiderij latendi.

Sed probabilius Respondeo, Nec in hoc casu, posse. Quia, quod Princeps (ait Arriaga) solis Mahometanis illud signum præscripserit non autem omnibus subditis, planè est per accidens ad rem præsentem: non enim propterea tollitur ab eo signo determinata significatio Mahometanismi: imò (liceat dicere) magis augetur inde. Nam si omnes cogeret ad illud, moraliter esset certum, multos animo non Mahometanos, vsupros illo signo, vt vitam saluarent; &

consequenter non esset tam infallibile signum infidelitatis interioris illorum: at si solùm præcipiatur his, qui re ipsa tales sunt, & alij verò impunè possint eo signo carere, profecto gestatio eius signi, quia magis libera, magis etiam denotabit serium animum, non fictum, ac propterea magis infallibile signum erit desertæ Fidei. Hæc, & alia Arriaga *loco cit. à num.* 29.

QVÆSTIO XXXIX.

An si Princeps Gentilis mandet, in odium Fidei; vt omnes Christiani gestent vestes, sub certa aliqua forma, qua cognoscantur esse Christiani; liceat Christianis, ob vitandam mortem, dimittere tale signum?

NEgant aliqui DD. docentes id nullo casu licere, si lex sit in viridi obseruantia. Quia Christiani in eo casu interrogantur de sua Fide per legem: ergo tenentur eam confiteri, & non occultare; patet ex supra dictis: quia, qui publica authoritate interrogatur de Fide, tenetur eam fateri. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. Tolet. *lib.* 4. *sum. c.* 2. (non 3. vt leges apud Fagundez) *n.* 6. & alij apud Suarium, *vbi infrà.*

Sed probabilius longè Respondeo licere tunc Christianis non vti tali veste, vel signo, sed alia veste qua se occultet. Ratio sumitur à contrario. Quia si non liceret dimittere talem vestem, aut signum ad vitandam mortem, vel id esset, propter legem, quæ præcipit vsum illius signi; vel quia illa lex habet vim interrogationis, publica authoritate facta. Non prius; quia lex humana etiam iusta, non obligat cum periculo vitæ. Nec posterius; quia lex, quæ aliquid absolutè præscribit, non censetur habere vim interrogandi; alioqui in qualibet alia lege includeretur huiusmodi interrogatio, quod est inauditum.

Adde, quod tunc omissio vestium, non pertinet ad negationem positiuam Fidei, sed ad non manifestationem suæ Fidei, quæ non obligat semper, & pro semper, cum constet, non semper teneri, dicere, *nos esse Christianos*, licèt nunquam possimus dicere *Non sumus*. Ita tenent communiter DD. Suarez *disp.* 14. *sect.* 5. *n.* 10. Palao, Valentia, & alij apud ipsum Becanus *c.* 9. *q.* 5. *n.* 39. Sanchez *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 29. (non 20. vt leges apud Fagundez) Rodriguez, Lopez Bannez, & Aragon apud ipsum. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 7. *in fine*. Arriaga *disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 37. Qui secus dicendum putat, & bene, casu, quo Tyrannus dicat, Mando, vt qui sunt Christiani, eam vestem gestent, ita vt qui ea caruerint, eo ipso censeantur esse Gentiles; quia tunc obligarentur omnes eam gestare, non quidem vi legis imperantis; sed vi voluntatis Principis dantis significationem idololatriæ ei carentiæ signi.

QVÆSTIO XL.

An, accedere ad Templa Hæreticorum; aut audire eorum conciones; sit signum, quod accedens sit eiusdem sectæ cum illis?

REspondeo vt certum. Non esse signum. Quia, sicut intrare quem scholam vbi docetur Theologia non est signum, quod sit Theologus; cùm ad intrandum possit habere diuersas causas, putà curiositatem sciendi quid Magistri doceant, aut noscendi ingenium alterius; ita in concionibus potest dici; siquidem in illis potest subesse alia ratio, nempe ad predicantes postea redarguendos &c. Sic communiter DD. legantur Becanus *cap.* 9. *q.* 5. *dub.* 3. *n.* 16. Arriaga 2. 2. *disp.* 22. *sect.* 7. *n.* 50. Fagundez *li.* 1. *Decal. c.* 6. *n.* 9. Sanchez *li.* 2. *c.* 4. *n.* 26. Azor. *li.* 8. *c.* 27. (non 21. vt leges apud Sancium) *q.* 5. Petr. Hurt. 2. 2. *disp.* 48. *sect.* 5. §. 62. *& seqq.* Bonac. *disp.* 3. *q.* 2. *pun.* 3. *à n.* 21. Ouiedo 2. 2. *contr.* 8 *pun.* 7. Ægid. *disp.* 15. *dub.* 3. *à n.* 55. Gasp. Hurtad *disp.* 9. *diff.* 10. Trullench. *li.* 1. *c.* 1. *dub.* 7. *n.* 28.

QVÆSTIO XLI.

An licitum sit interueniente aliqua causa, adire Templa Hæreticorum, aut Paganorum, necnon Synagogam Iudæorum?

REspondeo vt certum: Esse licitum. Sic communis. Legatur P. Hurtado *disp.* 48. *sect.* 5. vbi ita ait: *Multas ob causas licitus est Catholicis aditus in hæreticorum, aut paganorum Templa: nempe, quoties ingressus non est argumentum professionis falsæ sectæ. Quæ doctrina nulli Catholico est dubia, vt constabit decurrente sectione. Si enim hostes vrbem inuadunt, in qua sit infidelium templum fortissimum, licèt cuilibet Catholico illud adire ad propugnandam vitam, & vrbem. Licet item militi debellanti Turcas, Mahometis templum petere ad spoliandum. Licet item Episcopo Catholico intrare in templum hæreticorum ad illud purificandũ. Iter autem facienti licet ad ea templa diuertere, vt fecit S. Gregorius Taumaturgus, qui dæmoni silentium indixit, nocte in eius templo, diuersans. Ratio à priori: quia eiusmodi actio non est intrinsecè mala, sed indifferens; neque prohibita Catholicis cum illis circunstantiis: quia illæ adimunt rationem professionis externæ religionis falsæ: ob quam solam prohibitæ sunt actiones illæ, quæ cum illis circunstantiis, nec formaliter, nec materialiter sunt professio, aut simulatio religionis alienæ.* Sic Hurtado. Et bene. Lege alios authores nuper citatos.

QVÆSTIO XLII.

An, peccet mortaliter, qui sola curiositate ductus, Templa hæreticorum adit, & eorum concionibus assistit?

NEgant aliqui DD. docentes, licitum esse Catholicis ingredi Templa Hæreticorum (nemine præcipiente) ad audiendas eorum conciones; dummodo id neque animo addiscendi illam sectam faciant, neque cum scandalo aliorum. Ita sentire videtur Gasp Hur. *disp.* 9. *diff.* 10. dum in hæc absolutè prorumpit verba: *Addimus licitum esse Catholico, si non adsit scandalum, neque propriæ peruersionis periculum, adire Templa Infidelium, & eorum conciones audire: quia id ex se non est protestatio infidelitatis.* Ita Hurt. Cui satis fauent Becanus *c.* 9. *q.* 5. *d.* 3. *num.* 16. dicens, multos viros bonos, quos damnare non possumus, sine vllo scrupulo conciones hæreticas audire. Fagun. *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 10. Acacius *to.* 1. *verb. Fe. Resol.* 332. *n.* 1.

Sed probabilius longè Respondeo Peccare mortaliter. Quia, qui Templa hæreticorum adit, & concionibus illorum assistit, verè est in causa, vt reputetur hæreticus: ergo. Sic Sanchez *lib.* 2. *c.* 4. *num.* 26. quem citat, & sequitur Ægidius *disp.* 15. *dub.* 3. *n.* 55. ibi: *Vnde etiam Sanchez suprà, satis apertè improbat eos, qui sola curiositate eas adeunt: neq; ego eos vnquam probare potui.* Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *pun.* 17. *num.* 12. vbi ex doctrina horum authorum, sic hanc responsionem probat: *Quia vti signis Hæreticorum propriis, absque graui*

graui causa, est occasio reputandi illis vtentem, vel hæreticum esse, vel talem velle videri. Item semper adest aliquod periculum peruersionis, cui sine causa, peccatum est, se committere; requiritur enim causa legitima, hæc enim esset, si timeres grauem iacturam honoris, vel diuitiarum, nisi adires. Hæc Palao. Et ex illo Ouiedo *controu.8. punct.7. num.88.* Arriaga *2.2. disput. 22. sect. 7. num. 51.* Addens, quod licèt in hominibus doctis, ad refutandam doctrinam hæreticorum, possit esse aliqua excusatio; in vulgaribus tamen rarò id erit licitum: nam semel, aut bis, etiam ob solam curiositatem, non putarem esse graue peccatum, secluso scandalo. Ita ille. Cuius additum sustineri potest, ob Auctoris auctoritatem.

QVÆSTIO XLIII.

An etiam sit mortale adire, sola curiositatis causa, Synagogas Iudæorum, & officiis ab illis celebratis assistere?

NEgat Arriaga esse mortale, nisi accessus sit valdè frequens; per hæc verba: *Respondeo, hîc longè minorem esse difficultatem; nam & periculum peruersionis, est longè minus, & longè certius, quod frequententur ob solam curiositatem; ac denique cum eis non fiat vlla exhortatio ad Iudaismum, sed purè cantentur aliqua, vel ex Psalmis, vel ex Testamento veteri, non est vllum periculum seductionis. Vnde nisi scandalum esset, aut nimis frequenter veniretur; itavt posset ingenerare aliquam suspicionem, quod esset erga eos bene affectus, non erit mortale eas Synagogas adire. Loquor quando non est specialis prohibitio eâ de re, vt in aliquibus partibus esse solet.* Hæc Arriaga *loc. cit. vers. vbi inquiri.*

Sed ego clarius per partes. Respondeo. *Primò sic.* Certissimum est, esse mortale peccatum, adire, (etiam semel) Synagogas Iudæorum, & officiis ab illis celebratis interesse (ob solam adhuc curiositatem) existente de hac re prohibitione Prælati. Patet: quia tunc daretur transgressio præcepti rei grauis: ergo esset mortalis, etiam semel admissa.

Respondeo *Secundò.* Etiam est peccatum mortale (secluſa adhuc prohibitione,) frequenter adire dictas Synagogas, & assistere officiis, quæ in eis celebrantur à Iudæis. Quia ex hac frequentatione, absque dubio potest generari suspicio, quod ita frequentans sit bene affectus ad Iudæos, vt bene vidit Arriaga: ergo.

Resp. *Tertiò.* Probabile est, quod si quis non frequenter, sed semel aut iterum adeat Synagogas Iudæorum, & eorum assistat officiis, non peccet mortaliter; sicuti peccat, qui adit Templa hæreticorũ, eorumquè concionibus assistit (vt diximus antecedenti quæstione:) quia (vt bene Arriaga) hic periculum peruersionis, aut est nullum, aut longe minus, quàm illud quod in audiendis concionibus hæreticorum datur: ergo & peccatum.

QVÆSTIO XLIV.

An, si Princeps aliquis hæreticus præcipiat Catholicis, sub mortis pœna; vt Templa hæreticorum adeant, non Religionis gratia, sed ob alias causas; vt ad defendendum Templum ab hoste aut, ob aliud negotium ciuile, tunc licitum sit Catholicis subditis Principi, templa adire?

REspondeo vt certum: Esse licitum: Quia tunc Catholici, solùm debitam obedientiam suo Principi præstant, neque ad aliquid mali concurrunt: quia quamuis Rex sit infidelis, & communiter Fideles talia non frequentent Templa, tamen ingressus præfatus non pertinet ad Religionem. Sic omnes Azor *lib.8. cap.27. q.5.* Sanchez *lib.2. Decal. c.4. n.27.* Petr. Hurtad. *disp.48. sect.5. §.64.*

QVÆSTIO XLV.

An (etiam sit Catholicis licitus talis ingressus, ad euitandam mortis pœnam; casu, quo Princeps hæreticus præciperet talem ingressum ad audiendas cõciones hæreticas, vel ad alias actiones exercendas, in honorẽ suæ falsæ religionis?

AFfirmarunt nonnulli DD. esse licitum ad euitandam mortem, talem in templum ingressum, dummodo Catholici adeuntes publicè protestarentur se non adire religionis gratia, aut causa hæresis profitendæ; sed solum parendi Principi, & vitandi mortem. Ita tenuit Azor *tom.1. lib.8. c.27. q.5.* docens, non esse peccatum, nisi alias cum scandalo id fiat.

Sed vt certum Resp. Non esse tunc licitum talem ingressum. *Primò.* Quia in tali actione, vestita adhuc relatis circunstantiis, & reperitur scandalum, & superstitiosus cultus, & protestatio, in re, falsæ sectæ, & illius honor: ergo, adhuc ob euitandam mortem, non erit licita.

Secundò. Quia ita decisum fuit à Paulo V. (non Pio V. vt sæpius leges apud Ouiedum) in Bulla edita, 10. *Kalen. Octobris, anno Domini 1606. & secundo sui Pontificatus:* Vbi postquam fuerat interrogatus, An liceret Catholicis, apud Anglos commorantibus, adire Infidelium templa, ob vitandas grauissimas pœnas à Rege impositas: sic prædictos Catholicos alloquitur: *Nihilominus zelo pastoralis officij nostri impulsi, & & pro paterna sollicitudine, qua pro salute animarum vestrarum assiduè laboramus, cogimur monere vos, atque obtestari, vt nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis: non enim licet vobis hæc facere, sine detrimento Dei cultus, & vestræ salutis.* Hæc verba Bullæ, vt referuntur à Patribus Suarez *in defens. Fidei lib.6. c.9.* Petro Hurtado *disp. 48. sect.5. §.70.* & Ouiedo *controu.8. pun.7. n.93.*

Et licèt dicta Bulla non inueniatur in nouo Bullario, vt bene notauit Arriaga *n.52.* nihilominus non est dubitãdum (vt ipse dubitat) de illius expeditione, dum multæ sint expeditæ, quæ in Bullario non sint. Sufficiat authoritas tantorum Patrum illam referentium: quibus adiungi possunt, Sanchez *lib.2. cap.4. n.27. vers. His tamen minimè obstantibus.* Ægidius *aisp. 15. dub.3. n.59. vers. quæ confirmantur.* Palao *to.1. tract. 4. disp.1 pun.17. n.13.* Filliuc. *to.22. cap.3. q.8. n.86.* Trullench. *lib.1. Decal. cap.1. dub.7. n.28.* Bonac. *disp.3. q.2. pun.3. n.22.* Acacius *Resol.332. n.3.* Machado *lib.2. par.2. tract.2. docum.5. n.7.* & alij. Qui post decisionem Pauli V. vno ore fatentur, oppositum esse improbabile.

QVÆSTIO XLVI.

An, liceat famulis Catholicis, suos dominos hæreticos; & ancillis, suas Dominas, ad templa hæreticorum comitari?

REspõdeo vt certũ: licere; dummodo ita se gerant, vt solũ dominis suis, non hęreticorum ritibus, reuerentiã exhibere videantur. Quia tunc solũ præstãt obsequiũ debitũ illis, quib⁹ ex officio prestare tenẽtur.

Sic omnes. Legantur Sanchez *lib.2.c.4.n.26.* Becanus *cap.9.q.5.num.13.* Pesantius *2.2.q.3.art.2.disp.1.q.3.* Malder. *ibid.mem.3.* Ægidius *loc.cit.n.62.*

QVÆSTIO XLVII.

An, seruo Christiano, apud Turcas, vel Gentiles, captiuo, liceat comitari Dominum templa Idolorum adeuntem, ac cum illo genuflectere, coram Idolo; ac humeris sustinere illum Idola adorantem?

REspondeo. Ex sæpè dictis, licere illi hoc facere: dummodo captiuus ipse nullum cultum Idolo tribuat. Quod certè potest, si dum hoc seruitium debitum domino suo præstat, simul, orandi studio, ad Deum verum, animum attollat. Ratio est. Quia in eo quod captiuus præstat, solum præstat, quod suo officio, & munere, vbique suo domino præstare tenetur.

Ex quo planè sequitur, quod etiam sit licitum Christianæ ancillæ apud Turcas, vel Gentiles captiuæ, & caudam vestis dominæ suæ gestare solitæ; genuflectere vna cum Domina in templo Idolorum genuflectente; & se se prosternente; quia id facere vbique consueuit. Sic omnes Authores præcipuè nuper citati: & clarius Azor. *lib.8.c.27.q.7.*

QVÆSTIO XLVIII.

An, in aliquo casu sit licitum, ingredi Templa Infidelium, vel hæreticorum, ad communicandum cum eis, in cæremoniis, & ritibus suæ falsæ religionis.

REspondeo vt certum: In nullo casu esse licitum. Quia in nullo casu est alicui licitum, ritus, vel cæremonias hæreticorum exercere, cum id sit superstitiosum cultum falsæ sectæ exhibere, quod est intrinsecè malum; ergo neque erit licitum ad hunc finem ingredi in templa. Sic omnes. Legantur Fagundez *lib.1.Decal.c.6.n.12.* Palao *punct.17.n.11.* Arriaga *disp.22.sect.7.n.52.* & alij, ex quib u constat illicitum esse ingredi Templa hæreticorum, ad fundendum preces, aut genuflectendũ cum ipsis &c. nisi id fiat in casibus, & cum circunstantiis, suprà assignatis *q.46.* & *47.* & aliis mox adducendis.

QVÆSTIO XLIX.

An, si vrgente morte, deesset Catholicus, qui posset baptizare; posset quis ingredi Templa hæreticorum, ad recipiendum Baptismum ab eis?

REspondeo vt quid certum: Posse ingredi ad recipiendum Baptismum, ab eis in eo casu necessitatis extremæ (non extra illum, quia tunc impium esset, & scandalosum petere ab hæreticis baptismum.) Ratio est. Quia Baptismus, qui ab Hæreticis, Lutheranis, & Caluinistis (adminus) confertur, non est institutus ad cultum falsæ suæ sectæ, sed nostræ veræ Religionis; nam est idem Baptismus cum nostro igitur in necessitate extrema possumus illum ab ipsis petere, cum in hoc non communicemus eis in ritibus suæ falsæ sectæ. Sic Becanus *cap.9.q.5.n.19.* (non 10. vt legi apud Fagundez) & Fagund. *loco cit. n.13.* legantur dicta à nobis *1.p.tract.1.disp.4.q.2.* & *disp.5.q.8.* & *tract.2.disp.4.q.4.*

QVÆSTIO L.

An item, licitum sit Catholicis, in articulo mortis, recipere Sacramentum Pœnitentiæ à Sacerdotibus hæreticis, si desint Catholici?

NEgare debent, qui negarunt hæreticos Sacerdotes habere iurisdictionem ad absoluendum à peccatis, adhuc in articulo mortis. Sunt autem Medina, Couarru. Marsil. & alij, quos retulimus *1. part. tract.5. disp.11. q.16.* Sed oppositum esse omnino certum, ex Concil. Trid. clarè probauimus *ibi.* Quo, suppositio.

Respondeo dicendum; licitum esse in prædicto casu, ab hæreticis Sacramentum Pœnitentiæ recipere; dummodo ipsi verum pœnitentiæ Sacramentum cognoscant; & non sit scandalum proprium, vel alienum, & non vrgeat præceptum confitendi Fidem. Sic Fagundez *c.6.cit.n.13.* Et ego *loc.cit.* & *p.2. tract.7. de Eucharist. disput.4. quæst.22.* Extra verò necessitatis casum, minimè erit licitum, vt omnes concedunt.

QVÆSTIO LI.

An deinde, sit licitum, in articulo mortis recipere Eucharistiam de manu Sacerdotis hæretici, in defectu Sacerdotis Catholici?

NEgant Sylvest. Henriquez & Fagundez citati à nobis *p.2.q.22. nuper citata.*

Sed probabilius iterum Respondeo. Esse licitum: dummodo non detur scandalum præsentibus; nec sequatur infamia Christianæ Religionis; nec animetur hæreticus ad permanendum in suo peccato. Ratio est. Quia si est licitum recipere Sacramentum Pœnitentiæ in articulo mortis ab hæretico, dummodo adsint prædictæ conditiones; etiam erit licitum recipere Sacramentum Eucharistiæ. Sic Nauar. Mendosa, Suarez, Diana, & Serra, quos citauimus, vbi suprà *q.22.* Imò & Fagundez idem sentit alibi, vt ibidem vidimus. Legatur hîc *lib.1. Decalogi, c.6.n.13.* Vbi concedit, quod in casu, quo moribundus esset in peccato, & dubitaret de contritione, & pœnitentiam suscipere non posset, quia non aderat qui validè absoluere posset, vel vellet; tunc posset recipere Eucharistiam, & Extremam Vnctionem ab hæretico, qui validè illam administrare voluisset; vt si fortè non habeat contritionẽ, peccata ei indirectè remittantur, & ex attrito, per Sacramentum fiat contritus. Sic ille. Legatur de hac re Becanus *c.9.q.5. dub.4.n.18.* vbi aduertit, hanc doctrinam non debere intelligi loquendo de hæreticis Caluinistis, & Lutheranis; quia vel ipsi non habent verum Sacramentum Eucharistiæ ex defectu Sacerdotum consecrantium; vel si aliquando habent, docent peculiarem errorem, circa idem Sacramentum.

QVÆSTIO LII.

An rursus, licitum sit Catholicis, Matrimonium contrahere cum Hæreticis?

REspondeo vt certum. Non esse licitum (saltem generaliter loquendo.) Quia facerent contra prohibi

prohibitionem Ecclesiæ cap.*Caue.*& cap. *Non oportet.*28.*quæst.*1.Legantur dicta à nobis *part.*2.*tract.*9. *de Matrimon. disput.*12. *quæst.*5.6.& 7. & Sanchez, Basil.Hurtad.Ægid.&alij plures à nobis ibi adducti. Legatur etiam Becanus *de Fide cap.*9. *quæst.*5. *n.*20. & 21.Palao *tract.*4.*disput.*1. *pun.*17.*n.*14. & alij penes ipsos.

Qvæstio LIII.

An, licitum sit Catholicis, amicitiæ causa, ire ad Nuptias Hæreticorum?

Respondeo vt certum, Esse licitum ire ad Nuptias Hæreticorum, eisquè gratulari; dummodo sine communicatione in ritibus, & ceremoniis hæreticis id fiat. Sic Ægidius *disput.*15. *dub.*3. *numer.*62. per hæc verba: *Licet Catholicis in locis hæreticorum habitantibus, amicitiæ causa, adire eorum conuiuia nuptialia, iisque bene precari, etsi more hæretico contrahant; atque adeo interesse ipsi contractui. Et simili modo licitè comitantur eorum funera, similiaquè amicitiæ officia ipsis in huiusmodi rebus præstant: modò hæc ita faciant, vt in cæremoniis, & præcibus cum iis non communicent, sed ea tanquam ad nihil ad se pertinentia, & quasi actionem profanam spectent.* Sic, ex Tertulliani doctrina, & Maldero 2.2. *quæst.*3. *art.*3. *memb.*3. Ægidius. Sic etiam Arriaga *disput.*22.*sect.*7.*num.*52.Palao *disput.*1. *cit. punct.*17. *in fine.*

Qvæstio LIV.

An, liceat Catholicis, contrahere Matrimonium, coram Ministro hæretico, ex præscripto Principis hæretici id præcipientis?

Respondeo vt certum: Non licere. Quia illâ ceremoniâ testarentur Catholici, se agnoscere Ministrum illum, tanquam veræ Fidei ministrum, eiusquè ceremonias honorarent, & inillis communicarent, quæ omnia sunt intrinsecè mala: ergo illicita omninò à Catholicis fieri. Sic Malder. Ægidius, & Palaus *loc.cit.* Qui addunt, secus esse dicendum, si coram Magistratu hæretico ciuili contraherent; aut testarentur se contraxisse, modo ritu catholico prius, vel postea contraherent; quia illud solum in finem politicum exigitur, vt scilicet, publicè constet quinam sint coniuges.

Qvæstio LV.

An, Fidelis existens, aut transiens per Terras Hæreticorum, aut Turcarum; possit comedere carnes, in diebus ab Ecclesia prohibitis, ad occultandum, se esse Catholicum, ne aliàs graue subeat periculum?

Respondeo vt certum: Posse, (nisi aliàs comestio carnis institutæ sit, in signum falsæ religionis, vt infra) *Primò.*Quia talis comestio non est, nec implicita Fidei negatio, quando non est instituta in signum falsæ religionis, vt constat nec contra præceptum ab Ecclesia positum, cum hoc non obliget cum tanto periculo, ergo. Sic communis sententia, sic Azor, Pasqualig. Lublinus, & alij citati à nobis *3.p. tract.*5. *disput.*2. *quæst.*20. Sanchez hîc *lib.*2. *capit.*4. *num.*25. Ægidius *disput.*15.*dub.*3.*num.*50. (non 5.vt leges apud Ouiedum) Tannerus *quæstion.*7. *dub.*5. *num.*118.Palao *tom.*1. *tract.*4. *disput.*1. *punct.*17.*n.*9. Gaspar Hurtad.*de Fide, disput.*9.(non 4.vt leges apud Ouied.) *diff.*10. Becanus *cap.*9.*q.*5.*dub.*5.*numero* 22. Ouiedo *contro.*8.*punct.*6. Arriaga *disput.*22. *sect.*6. Petr. Hurtado *disp.*48.*sect.*6. *à* §.79. Fagundez *lib.*1. *cap.*6.*à n.*14. Trullench *lib.*1.*c.*1.*dub.*7. *à n.*22. Acacius *Resol.*332.citata *n.*8.

Qvæstio LVI.

An etiam liceat Catholicis, vt Christianam religionem occultent, & hoc modo mortem vitent; comedere carnes in diebus, quibus ab Ecclesia prohibentur, & ab hæreticis instituti sunt in signum suæ falsæ sectæ: v.g. Feria Sexta apud Anglos, inter quos signum est Caluinismi, vesci ea die carnibus.

Affirmant aliqui Doctores; eo quod, cibi huiusmodi, licèt extrinsecè habeant rationem signi hæresis Caluinismæ, intrinsecè tamen ordinantur ad corpus reficiendum: ergo instanti morte, aut alia graui causa, licitum erit Catholico eis vesci, propter finem intrinsecum illorum, nulla habita ratione, ad finem extrinsecum, & ratione signi illis à Principe infidelibus impositum. Ita sentiunt Sanchez *lib.*2.*capit.*4. *num.*25.Azor *lib.*8. *cap.*27. *quæst.*3. Becanus *capit.*9. *quæst.*5.*num.*23.Adrianus, Lyra, Abulens. & Lorca quos omnes sequitur Petr. Hurtado *sect.*6. *citata* §. 99. Duuallius, quem citat, nec reprobat Diana *part.*5.*tract.*7. *Resol.*33. *in fine.* & sic debent sentire omnes, qui tenent causa mortis vitandæ licere vti vestibus deseruientibus ad corpus tegendum, & simul institutis à Tyranno Principe, in protestationem suæ falsæ sectæ quos relatos habes suprà *quæstion.*29.

Sed probabilius Respondeo Non licere; Quia probabilius est, nec licere, adhuc ad mortem vitandam, vti dictis cibis. Ratio est. Quia etiamsi dicti cibi alium vsum habeant, nempe reficiendi corpus; semper tamen retinent vim significandi falsam religionem. Sic omnes DD. suprà *quæst.*29. pro nostra sententia adducti. Legantur specialiter Valentia 2.2.*disp.*7.*quæst.*5.*punct.*6.*qu.*4.*casu* 4.Ouiedo *contro.*8.*punct.*6.*num.*80. Gaspar. Hurtad. *disput.*9. *diff.*10.docens, tunc Catholicum oppositum facientem, duplex committere peccatum, alterum contra Fidem; & alterum contra temperantiam. Ausonius *in summa Dianæ* (meo videri contra ipsum) *verb. Fides.num.*10.dicens, contrarium nullo modo esse admittendum, lege Me ipsum *3.p. tract.*5. *disput.*2. *quæst.*20.

Qvæstio LVII.

An saltem possit vesci carnibus, in diebus dictis, qui alios non habet cibos, & ita fame, aut morbo vrgetur; vt si illis non vescatur, animam aget?

Negandum adhuc videtur. Quia id videtur expresè tenere D. Augustin. vt postea videbimus.

Sed oppositum Respondeo dicendum, posse in hoc casu vesci carnibus, in dictis diebus prohibitis. Quia cum dictus homo in eo vitæ periculo constitutus, illis vesceretur, nemo posset prudenter suspicari id facere dependenter à ratione extrinseca significandi illis imposita, sed omnes deberent iudicare id agere, ratione vrgentissimæ necessitatis, quam habet comedendi carnes, ne fame, vel morbo opprimatur, cum certissimum sit illis esse vesciturum, & ad vescendum teneri, casu quo talis significatio illis non inesset. Hinc fit in eo casu, comestionem carnium non habere vim significandi falsam religionem, nec pro illo potuisse illis rationem signi imponi; hæc enim tantum potest affigi rebus, quæ liberè exerceri, & non exerceri possunt; non verò illis, quæ necessariò sunt exercendæ: ridiculum enim esset instituere in signum huius, vel illius religionis respirationem hominis, quæ sine morte vitari non potest. Deinde, quia cum in his casibus præceptum naturale sit carnibus vesci, contra illud, non ita præualere potest, iniqua Tyranni lex, vt abstinentiam à carnibus, qua homo certò moriturus est, necessariam reddat. Sic omninò Ouiedo *loco cit. num.*81. & antea Vazquez 1.2.*disp.*162. *cap.*5. Suarez *de legib. lib.*30. *cap.*30. *numer.*9. Salas ibi, *tract.*14. *disp.*11. *num.*26. & latè Petr. Hurtad. *disp.* 48. *subsect.*1. §. 80. *& seqq.* Et à fortiori omnes Authores, qui asserunt, licere vti eiusmodi cibis, extra casum necessitatis prædictæ, ad religionem Catholicam celandam, casu quo ex eius manifestatione immineret infligenda à Tyranno mors, de quo suprà *quæst. antecedenti.*

QVÆSTIO LVIII.

An in eodem casu extremæ necessitatis, etiam liceat Catholico, vesci Idolothytis?

NEgare videtur D. August. *epist.*154. ad Publicolam, quatenus ait; Idolothytum etiam in extremo vitæ, esse respuendum, & moriendum virtute Christiana.

Sed, iuxta nuper dicta, Respondeo dicendum. Etiam licere. *Primò*, ob rationes, *quæst. antecedenti*, pro nostra sententia traditas. *Secundò.* Quia id constat ex facto Dauidis præcipientis panes sacros comedi à laicis, quibus huiusmodi esus erat vetitus, vt constat *ex* 1. *Reg. cap.*2. & exemplo Machabeorum, qui die Sabbato bellum egerunt, in quo lege diuina erat prohibitum: qui tamen licitè operati sunt ratione necessitatis grauiter vrgentis: ergo &c. Sic Vazquez, Hurtado, & Ouiedo *loc. cit.* Arriaga *disp.*22. *sect.*6. *in fine.* Quia id probat ex Apostolo Paulo. 1 *ad Corinth.*10. vbi docet, posse Christianum quidquid ei apud Gentiles apponitur comedere. Vbi suadet ne interroget Christianus, an sit immolatum Deo, ne forte inde generetur scrupulus aliquis. Addit Apostolus; si dicantur esse immolata, non debere propter alterius conscientiam comedi, ne scandelizetur, &c. Sic Arriaga. Legantur etiam Ægidius *disp.*15. *dub.*3. *à num.*54. & Ouiedo *n.*84.

Ad Augustinum (quidquid alij sentiant) dicendum est, ibi concilium dedisse, non præceptum insinuasse: Non enim dixit Augustinus illicitum esse tunc vesci Idolothyto; sed melius esse ab illo, virtute Christiana, abstinere. Legantur Cornelius *cap.*10.1. *ad Corint. numer.*64. Petr. Hurtad. Ægid. & Ouiedo *loc. cit.*

QVÆSTIO LIX.

An Peccaret Fidelis, qui comederet carnes, vetitas, ab hæretico Principe, vel ab alia publica persona, appositas, ad explorandum, an sit Catholicus?

REspondeo vt certum: Peccare contra præceptum negatiuum Fidei. Quia illa comestio, verè esset negatio externa Fidei Catholicæ: ergo. Sic Gasp. Hurtad. *disp.*9. *diff.*10. docens, huiusmodi Fidelem, peccare tunc duplici peccato, nempe, & contra Fidem, & contra temperantiam. Sic etiam Azor. *tom.*1. *lib.*7. *cap.*29. (*non* 9. vt legi apud Ouied. *quæst.*7. ad finem: quem citat, & sequitur Sanchez *lib.*2. *cap.*4. *num.*25. ibi: *At verius est, hos non peccare, nisi vel aliorum sit magna offensio; aut nisi exploretur, & tentetur eorum religio, authoritate publica, vel inde religionis nostræ despectus oriatur.* Sic ille, Ægid. *disp.*15. *dub.*3. *num.*50. *adiuncto num.*53. Fagundez *lib.*1. *cap.*6. *in fine.* Filliuc. *tract.*22. *cap.*3. *quæst.*7. *numer.*84. Trullench. *lib.*1. *capit.*1. *dub.*7. *num.*24. Ouiedo *controu.*8. *punct.*6. *in fine.* & alij penès ipsum.

QVÆSTIO LX.

An eodem modo peccaret Fidelis, qui vesceretur dictis carnibus, appositis ad explorandam eius Fidem, à persona priuata?

NEgare videntur Azor. Sanchez, Gasp. Hurtad. quatenus expressè dicunt, appositas debere esse, authoritate publica. Et clarius id negat Fagundez *loco cit.* qui & probat sic: quia quando persona est priuata, & non occurrunt circunstantiæ suprædictæ, nullum peccatum est celare Fidem. Imò posset esse peccatum abstinere à carnibus, quando, scilicet, non daretur obligatio confitendi Fidem, & ex abstinentia nullus speraretur fructus alius, quam concitare in se hæreticorum furorem cum periculo detegendi Catholicos. Ita Becan. *cap.*9. *num.*24. *in fine.* Huc vsque Fagundez.

Sed probabilius Respondeo. Etiam eodem modo peccare. Quia illa comestio carnis, verè determinatur ad significandam professionem contrariam Fidei; etiam si eius esus apponatur à persona priuata ad explorandam illam: ergo. Sic sentiunt Ægidius *n.*50. *cit. adiuncto* 53. *casu* 4. Ouiedo *num.*86. dum absolutè quærentes, an si aliqui mutuò se conuenirent, & dicerent, videamus, an inter nos sit aliquis Catholicus, aut Papista, qui non audeat carnes comedere, Fidelis ne, qui cum illis carnes comederet, peccaret contra præceptum negatiuum Fidei? & respondent: Peccare. Ecce vbi absolutè, & sine distinctione Personæ publicæ, vel priuatæ, nostram amplectuntur sententiam. Et meritò quidem, cum nec coram persona priuata licita sit actio, qua positiuè negetur Fides. Legatur attente Ouiedo *num.*86. *cit. in principio*, vbi expressè docet hanc nostram sententiam, licèt pro illa non ita benè citet aliquos authores. Et sic intellige quæ passim diximus 3. *p. tract.*5. *disp.*2. *quæst.*20. *in fine.* Verum est, Quod in hoc casu, posset Catholicus, aliquo colore honesto quæsito, comestionem carnis euitare, iuxta dicta à nobis *sup. quæst.*7. *& sequent.*

Qvæstio LXI.

An si qui cogerent Catholicos ad esum carnium, die prohibito, contemptum legis Ecclesiasticæ, possent illis, ad euitandam aliàs mortem, vesci?

Respondeo vt certum: Non posse: etiam casu, quo Catholici publicè contestarentur id à se fieri, ob obseruandam vitam, non in contemptum legis Ecclesiasticæ. Ratio est. Quia, etsi lex Ecclesiastica, absolutè loquendo, non obliget, cum discrimine vitæ, vt sæpè diximus, obligat tamen quando imminet eius contemptus. Nam tunc ad minus datur obligatio naturalis, & diuina prohibens contemptum iustarum legum: ac proinde moriendi potius, quàm illas contemnendi. Nec obstat illa publica contestatio, cùm factum illud externum comedendi esum prohibitum prudenter abscribatur irreligioni, & infidelitati. Sic Petr. Hurtad. *disp.* 48. *sect.* 6. *subsect.* 3. §. 100. Ouiedo, & Ægidius *loc. cit.* & omnes Theologi, Legantur alia dicta à nobis, circa hanc materiam 3. *p. tract.* 5. *disp.* 2. *à q.* 20.

Qvæstio LXII.

An Catholicus, qui videt Christum Dominum ab Hæreticis contumelis affici; vel imagines conculcari Sanctorum; teneatur, publicâ confessione, fateri Fidem Christi? etiam cum periculo vitæ?

Negat Ægidius *disp.* 15. *dub.* 5. *num.* 93. quatenus dicit, ad id teneri, quando sine graui periculo suo, læsum Fidei honorem possit reparare; secus aliàs. Ægidio fauet Palaus *tract.* 4. *disput.* 1. *pun.* 13. *num.* 7.

Respondeo vt certũ: Teneri. Quia tunc verè subtrahitur honor Deo, non cõfitendo Fidem Christi: ergo ad id Fidelis tenetur. Sic expresè Aragon. 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *dub.* 2. *post* 2. *concl.* his verbis? *Si aliquis Christianus audiret, Christum ab infidelibus contumeliis affici; vel videret Crucem Domini, aut Sanctorum imagines conculcari; vel denique aduerteret, si taceat, & Fidem non confiteatur Infideles credituros Fidem non esse veram, aut alios Fideles, qui adsunt, auertendos esse à vera religione, proculdubio teneretur, etiam non interrogatus, publicam sui confessionem facere, vt docet D. Thom. in hoc articulo.* Hæc Aragon. Rodrig. etiam 1. *tom. in* 2. *edit. cap.* 119. apud Sanchium, apud Me verò *cap.* 197. *numer.* 2. Vbi infert: *Que estando muchos Christianos cautiuos, y entre ellos ay vno mas noble, y sabio, obligacion tiene este de confessar publicamente la Fée, aunque sea con manifiesto peligro de la vida, si aduierte, que de su confession, esta colgada la Fée, de los demas, y callando el, peligraran en ella.* Sic ille. (Et etiam Aragon. *loc. cit.*) Sanchez *lib.* 2. *capit.* 4. *numero quinto*, Bonac. *disp.* 3. *quæstione secunda pun.* 3. *numero* 13. Filliuc. *tract.* 22. *capite tertio, quæstion.* 4. *numero* 74. Trullench. *libro primo Decalog. capit.* 3. *dub.* 7. *num.* 5. *in fine.*

DISPVTATIO IV.

De communicatione externa cum Hæreticis, & Infidelibus.

§. I.

De rerum Fidei Disputatione.

Qvæstio Prima.

An licita sit de rebus Fidei disputatio, si fiat animo scholastico?

Respondeo vt certum: Esse licitam, & honestam, vt habet praxis omnium vniuersitatum. Sic omnes DD. qui de hac tractant materia. Sunt autem præcipui D. Thom. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 7. Aragon. & Bannez. Malder. & Luysius *ibidem.* Valentia *tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 26. Sanchez *lib.* 2. *Decalogi cap.* 6. Becanus *de Fide cap.* 15. *qu.* 7. Suarez *de Fide disp.* 20. *à sect.* 1. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 4. Ouiedo *contro.* 9. *de Fide, punct.* 6. Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 4. Fagundez *lib.* 1. *Decalog. cap.* 8. Arriaga *de Fide disp.* 23. *à sect.* 1. Gasp. Hurtad. *de Fide disp.* 10. *diff.* 11. Ægidius *disp.* 18. *dub.* 9. *à num.* 136. Trullench. *lib.* 1. *Decalog. cap.* 1. *dub.* 9. Petr. Hurtad. *de Fide disp.* 74. & alij.

Qvæstio II.

An licita sit etiam cum Catholicis disputatio, de re Fidei, tanquam de dubia?

Respondeo vt certum: Minimè esse licitam; sed omnino illicitam. Quia disputare de re Fidei (siue fiat cum Catholicis, siue cum Hæreticis) dubitando, an sit vera, supponit animum hæreticum: ergo omninò est malum: ideóque prohibitum in Concil. Calcedo. *actione* 5. & à Leone 1. *epid.* 48. *Ad Martianum Augustum.* Sic expresè D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. *in corp.* per hæc verba: *Ex parte quidem disputantis est consideranda intentio. Si enim disputet tanquam de Fide dubitans, & veritatem Fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens; proculdubio peccat tanquam dubius in Fide, & infidelis. Si autem disputat aliquis de Fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium, laudabile est.* Sic Doctor Sanctus. Et cum eo omnes DD. Legantur Sanchez, Valentia, Becanus, & Arriaga *loco citato.*

Qvæstio III.

An sit licitum, absolutè, & secundùm se, disputare de rebus Fidei, cum Hæreticis, & Infidelibus?

Respondeo vt certum. Esse licitum, & laudabile: imò & sæpè obligatorium. Probatur *Primò* ex Scriptura, Paul. ad Titum 1. *vt possit eos, qui contradi-*

contradicunt arguere. Deinde, quia id fecit Christus Dominus cum Phariſæis. *Ioan* 8. Stephanus cum Iudæis *Act.6.& 7.* Paulus cum Græcis, & Iudæis *Act.9.* Et etiam idem fecerunt cum Hæreticis Sancti Auguſtin. Hieronym. & alij Patres. Necnon & Concilia, Nicænum, 1. & 2. Conſtantinopol. 3. Florentin. & Tridentin. quatenus inuitarunt hæreticos ad diſputandum.

Secundò. Quia diſputatio cum Hæreticis, ex parte Catholici, eſt proteſtatio noua veræ Fidei: Deinde ex parte ipſius Hæretici, cum quo agitur, nec non & ex parte audientium, poteſt eſſe vtilis, vt vel magis confirmentur in Fide, ſi ſint Fideles; vel vt reducantur ad Fidem, ſi Hæretici, vel Infideles ſint: ergo ex omni parte eſt licita. Sic omnes DD. Legantur citati.

QVÆSTIO IV.

An ſit licitum docto Catholico, diſputare cum Hæretico, adeò pertinaci, vt nullam ſpem de ſua reductione concipiat?

REſpondeo abſolutè loquendo, Non eſſe licitum. Quia talis diſputatio, cùm ſit nullius fructus, vt ſupponimus, eſt otioſa: ac proinde ex obiectio, venialis. Poſſet tamen eſſe etiam mortalis ex adiunctis circunſtantiis; veluti ſi Hæreticus, cum quo diſputat Catholicus, deſumeret occaſionem noua peccata committendi, quæ ipſemet Catholicus tenetur ex Charitate vitare. Sic Valentia 2.2. *diſp.1. quæſt.* 10. *punct.4. concl.* 1. & ex eo Sanchez *lib.2. Decalog. cap.6. num.* 2. Suarez *diſp.20. ſect.1. num.*13. *in fine, verſ. Denique notant.* Palaus *tom.1. tract.4. diſp.2. punct.4. num.2. ad finem.* Ouiedo *controu. 9. punct. 6. numer.*83. Petr. Hurtad. *diſp.* 74. *ſect.2.* §. 15.

QVÆSTIO V.

An ad minus, dicta diſputatio cum Hæretico pertinaci, & duro, fieret licita; ſi, licèt non ei, aliis præſentibus prodeſſet?

REſpondeo: Tunc iam fieri ex adiunctis circunſtantiis licitam; cùm enim præſentibus diſputatio eſſet vtilis, deſineret eſſe otioſa, & redderetur honeſta. Sic expreſsè Sanchez, Suarez, Ouiedo, & Palao, vbi ita ſcribit: *Ex circunſtantiis autem, regulariter mortale erit: quia Hæreticus diſputans, obſtinato animo, multa peccata committit aduerſus Fidem, quæ ex charitate teneris vitare, niſi ob aliquam cauſam grauem excuſeris; & tunc iam diſputatio licita erit, etiam cum hæretico pertinaci. Cauſa autem grauis eſt, ſi hæc diſputatio aliis prodeſt; & poteſt prodeſſe Catholicis, & Hæreticis; Catholicis, illos in Fide confirmando, Hæreticis, eorum audaciam reprimendo, vel ad Fidem conuertendo: quicúmque ex his effectibus contingat eſt ſufficiens honeſtare diſputationem.* Hæc Palaus, & Arriaga *diſp.23. ſect.3. n.*19.

QVÆSTIO VI.

An laicis ſit prohibitum, iure poſitiuo, de rebus Fidei, publicè, vel priuatim, diſputare?

REſpondeo tanquam certum: Eſſe prohibitum *in c. Quicumque.* §. *Inhibemus de Hæreticis, in 6.* his verbis: *Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publicè, vel priuatim de Fide Catholica diſputare, qui verò fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Quam excommunicationem non eſſe latam, ſeu ipſo facto incurrendam, vel inferendam, communiter notant Doctores. Legantur præcipuè Sanchez *lib.2.cap.6.num.3.* Suarez *diſp.20. ſect.1. à numero* 9. Ouiedo *controu.9.punct.6.num.*85. Arriaga *numer.*18. Acacius *tom.1.verb. Fe, Reſol.*333.*num.*1.

QVÆSTIO VII.

An hæc iuris prohibitio, comprehendat omnes Laicos, etiam doctores?

NEgant aliqui Doctores, cenſentes talem prohibitionem non comprehendere Laicos doctos, ſed indoctos tantùm. Ratio eorum. Quia ceſſante fine legis, ceſſat & lex: atqui finis huius prohibitionis deſumitur ex defectu ſcientiæ, & doctrinæ, quæ communiter in laicis contingit: ergo hoc, in laico docto ceſſante, ceſſabit in illo prohibitio. Ita tenet in primis apud Suarium, Gloſſa *in dicto cap. Quicúmque.* §. *Inhibemus. verb. laicæ.* Sed licèt verùm ſit, quod quamuis in principio, quaſi dubitanter, per *laicos*, exponat *indoctos*, vt aduertit ipſemet Suarez, *in fine*, tamen oppoſitum abſolutè tenet, dicens ad id tenendum, ſufficere, ita eſſe ſcriptum. Tenent tamen expreſsè Caiet. 2.2. *quæſt.*10. *art.7 dub.1.& ibi* Bannez & Petr. Ledeſma *tom.2. ſum.tract.1. capit.5. concl.*13. ibi: *Lo terrero aduierte Cayetano, que ſi el ſeglar es hombre docto, y que tiene letras podra diſputar, aun formalmente, principalmente en caſo de neceſſidad Porque la razon de la ley es, que los ſeglares comunmente no tienen letras, para diſputar con los herejes, y confirmar los dudoſos: y eſta razon ceſſa en el tal caſo.* Et paulò poſt. *A eſta duda ſe reſponde, que con todo eſſo, el tal ſeglar puede diſputar contra los herejes. Eſto conſta del vſo muy recebido. Los ſeglares que ſon hombres doctos, diſputan contra los herejes, no ſolamente con palabras, ſino tambien con eſcriptos, como lo hizo el Rey de Inglaterra Henrico octauo.* Hæc Ledeſma cuius opinionem expreſsè fatetur Sanchez, eſſe probabilem. Et meritò, cum poſt illum, expreſsè illam tueantur Granados *tract.15.diſp.9. numer.5. & 6.* vbi reſpondet argumentis Suarij oppoſitum ſentientis. Petrus Hurtado *diſp.75.ſect.3.* §.24. Reginald. *lib.17. num.*22. Acacius *Reſol.*333. *numer.*1. & alij apud ipſum.

Sed probabilius Reſpondeo comprehendere omnes laicos, etiam doctos: ac proinde nulli quantumuis docto licere cum hæreticis de rebus Fidei diſputare. Ratio eſt. Quia ius abſolutè & indiſtinctè, vt vidimus, de laicis perſonis loquuntur: ergo omnes comprehendit.

Nec obſtant argumenta contrariorum: ad quæ dicendum eſt, minimè ceſſare finem legis in prædicto caſu; quia non innititur indiuiduo caſu accidentali, ſed illis, qui communiter contingunt: atqui laici frequenter ſunt indocti: ergo. Sic docent Gloſſa *cit. verb. laicæ. in fine*, vt benè vidit Sanchez, (vnde malè illam citat Fagundez, *vbi infra* pro parte contraria.) Suarez *diſp.20. ſect.1. num.*9. dicens (ſed rigidè) oppoſitum eſſe omnino improbabile. Dominicus *in dicto cap. Quicúmque num.1.& 2.* & Francus *num.1.* Roſella, *verbo Infidelis* 1. *fine.* Silueſt. *verb. diſput. num.*1. Nauar. *lib.5. conſil. tit.de Hæreticis in* 1. *edit. conſil.17.num.2.in 2.conſil.24.num.*2. Caſtro *lib.1. de Iuſta hæret.punit.c.*19. Albertin. *de agnoſcendis propoſitionibus*

tionibus quæst. 13. *num.* 2. Aragon. 2.2. *quæst.* 10. *art.* 7. *notab.* 2. Valentia 2.2. *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 4. *post* 2. *concl.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 1. quos omnes refert, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *Decalogi cap.* 6. *n.* 5. Quibus addi possunt Becanus *c.* 15. *qu.* 7. *n.* 5. Ægidius *disp.* 18. *dub.* 9. *n.* 145. Palao *to.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *pun.* 4. Gasp. Hurtad. *disput.* 10. *diff.* 11. Fagundez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 8. *num.* 6. (Qui etiam citat pro hac parte sicuti pro contraria, Glossam) Ouiedo *controu.* 9. *punct.* 6. *num.* 89. Trullench. *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 9. *nu.* 1. Arriaga *disp.* 23. *sect.* 3. *nu.* 18. Card. de Lugo *disp.* 22. *sect.* 5. *numer.* 139. Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 2. *vers. Addo.*

Qvæstio VIII.

An saltem sit licitum laicis doctis, disputare cum hæreticis de rebus Fidei, ex mandato Clericorum?

Affirmant aliqui Doctores, existimantes, solùm esse prohibitum Laicis assumere ius disputandi cum Hæreticis, propria authoritate. Sic ex Suario *disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 11. docet Palao, *punct.* 4. *cit. num.* 7. his verbis: *Tertiò limita, vt hæc disputatio assumatur à laico propria authoritate: nam si iussus, vel rogatus à Clericis disputationem suscipiat, non peccabit: quia tunc nomine Clericorum disputat: neque verificari potest sibi ius dicendi, & disputandi vendicara, quæ est materia prohibitionis, vt colligitur ex Leone Papa, Epist.* 62. *cap. vltimo, vt tradit Suarez. num.* 11. Hæc Palao. Et postea Fagundez *cap.* 8. *cit. nu.* 9. *vers. Tertius casus est.*

Sed probabilius Respondeo. Nec in eo casu esse licitum Laicis disputare cum Hæreticis. Ratio est. Quia cum aliqua actio absolutè laicis prohibetur, non excusantur à culpa, si id faciant ex mandato Clericorum, etiam si illud efficere ad Clericos pertineat: atqui in citato *cap. Quicúmque.* §. *Inhibemus*, absolutè prohibetur laicis disputare cum hæreticis: ergo iure attento, non licebit illis id facere, adhuc de mandato Clericorum. Sic Lugo, *loco citato*, & ex illo, Ouiedo *num.* 90.

Qvæstio IX.

An dicta prohibitio vetans Laicis, sub censura, cum Hæreticis de re Fidei disputare; obliget illos sub mortali?

Respondeo vt certum: Obligare illos ex suo genere, sub mortali. Quia materia ex suo genere est grauis: ergo, nisi aliàs vrgeat aliqua necessitas, vel detur parùitas materiæ, quæ excuset; obligabit sub mortali. *Confirmatur* Quia censura ferri non potest, propter solùm veniale, vt diximus *par.* 4.

Sic communis, Sa *verb. Fides numer.* 3. Caiet. Armilla, Nauarro, & Albertin. quos affert & sequitur Sanchez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. Fagundez *cap.* 8. *cit. num.* 11. Arriaga *num.* 18. Suarez, Ouiedo, & alij, præcipue *suprà* citati.

Qvæstio X.

An in Germania, & aliis Prouinciis, in quibus Hæretici grassantur & mixti habitant Hæretici, & Catholici, possint Laici docti cum Hæreticis disputare?

Respondeo vt certum: Iam posse. Quia in dictis Prouinciis non est in vsu dicta prohibitio; sed per contrariam consuetudinem abrogata; ac proinde non obligat. Sic in primis Valentia *quæst.* 10. *punct.* 4. *assertione* 2. *vers. Alij etiam.* Sanchez *libr.* 2. *cap.* 6. *num.* 7. *in fine.* Suarez *disp.* 20. *sect.* 1. *numer.* 11. *in fine.* Becanus *cap.* 15. *quæst.* 7. *num.* 6. Ægidius *n.* 148. Petr. Hurtadus *disp.* 74. (non 75. vt inuenies apud Ouied.) *sect.* 3. §. 22. Lugo *num.* 142. Tannerus *q.* 9. *dub.* 5. Gasp. Hurtad. *disp.* 10. *diff.* 11. Quiedo *controu.* 9. *punct.* 6. *num.* 87. Fagund. *lib.* 1. *Decalog. cap.* 8. *num.* 8. fine, Palaus *punct.* 4. *numer.* 8. & alij. Ex quo constat, minimè peccasse Albertum Phigium comitem, & Henricum Octauum Angliæ Regem, tempore quo fuit Catholicus, qui quamuis laici cum lutheranis strenuè disputarunt; quia in eorum Prouinciis iam abolita erat prædicta iuris inhibitio, vnde diluta manet ratio Petri Ledesmæ, quam, exemplo relato, nobis *quæst.* 7. obiecit.

Qvæstio XI.

An casu, quo aliquis Hæreticus cum Fidei iniuria loqueretur; aut aliquos Fideles peruerteret, & nullus Clericus, vel Religiosus adesset, qui posset illi resistere; tunc liceret Laico docto, Hæreticum arguere, & cum illo de re Fidei disputare?

Respondeo vt certum mihi: licere (imò & teneri) Quia dicta iuris inhibitio, non habet locum in casu magnæ necessitatis, vel vtilitatis, vt est propositus: esset namque tunc eius obseruatio nociua, vtpotè contrà bonum Fidei, & proximorum. Sic Aragon. 2.2. *quæst.* 10. *art.* 7. *notab.* 2. Valentia, Sanchez, Ægidius, Hurtad. Complutens. Becanus, Lugo, Ouiedo, Suarez, Fagundez *loc. cit.* & alij. Qui idem dicendum putant, in casu, quo magnæ Fidei exaltatio disputatione cum hæretico accresceret.

Qvæstio XII.

An omnibus Clericis, etiam sola prima Tonsura initiatis, licitum sit, disputare de re Fidei cum Hæreticis?

Respondeo vt certum: licitum illi esse, dummodò docti sint. Ratio est. Quia *in cap. Quicúmque.* citato *quæst.* 6. solùm prohibetur personis Laicis disputare cum Hæreticis: atqui Clerici, etiam sola prima Tonsura insigniti, non sunt Laici, nec sub tali nomine veniunt: ergo. Sic Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 26. *quæstione prima.* Sanchez *libro secundo capite sexto, numero* 6. Suarez *disput.* 20. *sect.* 1. *numero* 10. (non 4. vt leges apud Ouiedum) Ægidius *numero* 145. Lugo *disput.* 22. *sect.* 5. *numero* 157. Vterque Hurtadus, Petrus, *disput.* 74. *sect.* 3. §. 32. & Gaspar. *disput.* 10. *diff.* 11. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 10. Ouiedo *controu.* 9. *punct.* 6.

*punct.6. num.*91. Palao *tom.*1. *tract.*4.*disp.*2.*punct.*4. *num.*4. Acacius *Resol.*333. *cit. num.*2.

Qvæstio XIII.

An etiam Religiosis destinatis ad chorum, etiamsi actu non sint initiati aliquo ordine Ecclesiastico, adhuc prima Tonsura; sit licitum disputare de Fide, cum Hæreticis? si aliàs sint Docti?

NEgatiuum sententiam esse satis probabilem, indicat satis Arriaga dum *disp.*23.*sect.*4. *n.*18. hæc verba profert: *Secundò requiritur ex iure Ecclesiastico, vt disputans sit Clericus. Ita in cap.*2.§. *Inhibemus.de hæretic.Ratio est: quia in laicis non supponitur scientia ad id necessaria. Vbi aduertendum nomine* Clerici *probabiliter intelligi omnes Religiosos scholares, esto actu non sint initiati Sacris.* Hæc Arriaga. Quibus verbis clarè denotat probabilem, & satis, esse sententiam negatiuam. Et meritò, nam illam ex Azor. tenet Petr. Hurtad. *loco cit.*§.32. his verbis: *Censeo tamen,* Laicâ personâ, *significari omnes. qui carent Tonsurâ, & habitu clericali, etiam Religiosos: quam doctrinam colligo ex Patre Azor. ea qu.*1. *probante, sententiam asserentium,* Laicum *intelligi, qui nullo est Ecclesiastico ordine initiatus; etiam prima Tonsura.* Hæc Hurtadus.

Sed probabilius Respondeo. Esse licitum: Quia probabilius est, quod Religiosi ad Chorum destinati, nec sint, nec appellentur personæ laicæ; sed personæ Ecclesiasticæ, etiamsi omni Ordine adhuc primâ Tonsurâ, careant. Sic ex Dominico,& Franco, docet Sanchez *lib.*2.*cap.*6.*n.*6.*in fine.* Suarez *disp.*20. *sect.*1.*num.*10.Lugo *disp.*22.*sect.*5. *num.*138. Gaspar. Hurtad. *disp.*10.*diff.*11. Trullench.*lib.*1.*cap.*1. *dub.*9. *num.*1.Ouiedo *punct.*6.*cit.numer.*91. Fagundez *lib.*1. *cap.*8.*num.*10.Palao *tom.*1.*tract.*4.*disp.*2. *punct.*4.*n.*4. Ægidius *disp.*18.*dub.*9. *num.*145. Bonac. *disp.*3.*qu.*2. *punct.*4 *num.*2. Lorca 2.2.*quæst.*10.*art.*7. in eius annotat. vers. *Primò, persona laica.* & alij,quorum sententiam esse probabilem tandem fatetur Petr. Hurtad.*loco cit.* hæc dicens: *Cæteros Religiosos post nouitiatum, probabile est, non comprehendi ea lege: non quòd Religiosi sunt; sed quia sunt per se adscripti Ordini Tendendi ad Clericatum: & quia prima Tonsura frequenter ornantur, damquè operam literis.* Hæc ille, & Acacius *loco citato.*

Qvæstio XIV.

An item, Religiosis ad officia domestica destinatis, qui communiter vocantur Laici, *siue* conuersi,*aut* mutilati, *licitum sit (si aliàs sint docti) disputare cum Hæreticis de rebus Fidei?*

NEgant plures Doctores, eo quod existiment, hos Religiosos comprehendi in illa iuris prohibitione: quia verè sunt *personæ Laicæ*: non Ecclesiasticæ; cùm nunquam sint ad Ordines Ecclesiasticos proponendi. Ita sentunt Cardin. de Lugo.Gasp. Hurtado, Ouiedo, Lorca,Petr Hurtado,*loco cit.*nec non Ægidius *num.*145. *cit.* (vnde malè citat illum Palaus pro oppositâ parte.) & dicit probabile Suarez, *vbi infra.*

Sed probabilius Respondeo etiam esse his Religiosis licitum. Quia etiam est probabilius, illos non comprehendi dicta iuris prohibitione, cum non veniant nomine *personæ laicæ.* Ratio est. Quia,quando in iure fit illa bimembris partitio *Laicorũ, & Clericorum,*sub *Clericis*, comprehendi solet totus status Ecclesiasticus, ad quem etiam Religiosi Laici spectant; cum Clericorum priuilegio gaudeant: ergo. Sic Suarez, *disp.*20.*sect.*1.*num.*10. *in fine.* Fagundez *num.*10. *citato,* vbi citat Azorium, & Sanchez pro hac parte. Palaus *punct.*4.*num.*4.*citato.*

Qvæstio XV.

An denique, sit etiam licitum Monialibus omnibus, de rebus Fidei disputare,attento iure citato, quo personæ laicæ prohibentur disputare?

NEgant & à fortiori, aliqui Authores ex his, quos nuper pro prima sententia adduximus: eo quod grauior sit ratio, quàm in Religioso Laico: at huic est interdicta disputatio cum Hæreticis: ergo à fortiori Sanctimonalibus; cum his non liceat docere, nec disputare. Ita Petr. Hurtad. & Ouiedo, *locis citatis.*

Sed probabilius consequenter Respondeo dicendum, quod,quamuis aliàs, propter imperitiam, & communem Ecclesiæ consuetudinem, nequeant Sanctimonialis de rebus Fidei disputare; attento tamen iure Ecclesiastico adducto, minimè sit illis illicitam. Quia probabilius est, quod non comprehendantur prohibitione lata *in cap. Quicúmque.cit.* §. *Inhibemus*: cum non sint personæ laicæ, sed Religiosæ; sicuti sunt Laici Religiosi,vt nuper diximus. Sic Lorca 2.2. *quæst.*10. *in annot.art.*7. licèt non ita consequenter, cum id quod concedit Monialibus omnibus, tam ad chorum, quàm ad officia domestica destinatis, neget Religiosis Laicis. Debuerat enim distinguere (vt aduertunt Hurtad.& Ouiedo) inter Moniales ad chorum, & aliàs, ad domestica officia deputata, sicut inter Religiosos distinguit, quod non facit. Nos igitur consequenter de omnibus affirmamus.

Qvæstio XVI.

An saltem, Clericus, vel Religiosus, si indoctus sit, peccet mortaliter, contra inhibitionem Iuris; disputando de Fide cum Hæreticis?

AFfirmandum videtur eo quod *in l. Nemo Clericus. C.de Summ. Trinit.* etiam Clericis prohibetur publica disputatio de Fide: ergo.

Sed Respondeo vt certum:Peccare,sed non contra inhibitionem Iuris;sed solùm contra ius naturale. Sic Becanus *c.*15.*qu.*7.*n.*7. hæc scribens: *Dices 3. si Laicus,quia indoctus est, peccat disputando de Fide, etiam Clericus peccabit, si indoctus sit: & sic erit par vtriusque ratio. Respondeo. Clericus non peccat contra illam inhibitionem Alexandri Papæ; quia illa comprehendit solos laicos: sed tamen peccat contra ius naturale; quia exponit se periculo erroris. Hinc sequitur, tam Laicum, quàm Clericum indoctum peccare; sed Laicum, contra legem naturalem, & Ecclesiasticam; Clericum contra alteram tantùm. Deinde, Laicum ex ea parte excommunicari, non autem Clericum: quamuis hæc excommunicatio non sit latæ sententiæ, sed ferendæ, &c.* Sic ille.Et benè.Azor.etiam *loc.cit.cap.*26.*qu.*1. & 2.

Sanchez

Sanchez *lib.2. cap.6. num.8.* Fagundez *lib.1. cap.8. n.12.* Petr.Hurtad.*disput.74.sect.3.§.29.& 34.*

Nec fundamentum, quod ad contrarium sentiendum, adducere quis, posset,obstat: nam respondetur, quod lex ciuilis (vt est præfata) quæ disponit de rebus spiritualibus,non obligat Clericos,nisi iure canonico confirmetur: hæc autem lex minimè est ab illo confirmata, legantur Azor. Becanus,& Fagundez.

QVÆSTIO XVII.

An sit peccatum disputare de Fide, coram indoctis, aut rudibus?

REspondeo vt certum:Esse peccatum; (nisi casu, quo Doctor disputans, adeò excellens esset, vt commodissimè argumenta hæreticorum ita soluere, & ea claritate solutionem exponere; vt meritò posset intelligere, auditores facilè esse percepturos.) Ratio huius responsionis est, quia ex disputatione coram rudibus de re Fidei facta,(etiam exercitij gratia) imminet periculum,vt illi,auditis hæreticorum argumentis, in Fide titubent, minúsque firmi permaneant: ergo talis disputatio illicita, & peccaminosa est. Sic D.Thom.2.2.*qu.10.art.7.* & ibi Caiet. Valent.2.2.*disput.1. quæst.10. punct.4.* Becanus *c.15. quæst.7.num.9.* Sanchez *lib.2. cap.6. num.10.* Suarez *disput.20.sect.1.num.14.* Fagundez *cap.8.cit. num.13.* Palaus *tract.4. cit. disput.2.punct.4.num.9.* Petr.Hurtad.*disput.74.sect.4.§.36.* Ouiedo *controu.9.punct.6. num.93.* Trullench.*lib.1.dub.9.n.2.*Arriaga *disp.23. sect.3.num.19.vers.Quartò requiritur.*

QVÆSTIO XVIII.

An dicta coram rudioribus, de rebus Fidei disputatio, sit venialis tantùm.?

AFfirmant multi DD.solùm esse venialem communiter loquendo: eo quod rarissimè damnum, seu periculum imminens auditoribus, excedat metas leuis. Ita ex Sanchez docet Fagundez *libro primo capit.8. numero 15.* his verbis: *Quæres, quænam culpa sit disputatio formalis de rebus Fidei, coram rudioribus habita? Respondeo, id iudicandum ex maiori, vel minori periculo, quod ex tali disputatione incurrent auditores. Communiter tamen erit solùm veniale imprudentiæ; quia periculum non semper, sed rarò solet esse graue. Ita Sanchez tom.1. in Decalog. lib.2.cap.6. numero 10. quia communiter non ita infirmi sunt auditores, vt deficiant à Fide, eo quod perfectè non intelligant solutionem argumentorum, contra Fidem; quia id propriæ ruditati, & ingenij imbecillitati attribuunt.* Ita Fagundez.

Sed alij contrà docent, existimantes, talem disputationem, communiter loquendo, esse mortalem; rarissimè verò venialem esse. Quia, communiter loquendo, semper adest periculum peruersionis, si coram rudibus, & plebeis hæc disputatio inniatur. Ita sentit Palaus *tom.1. tract. 4. disput.2. punct.4.n.9.vers.Addit Sanchez.*

Sed ego clarius Respondeo *Primò.* Disputare de rebus Fidei, coram rudioribus, & simplicioribus, est ex suo genere peccatum mortale: Quia est contra charitatem proximi, & in damnum Fidei; exponere enim hominem tanto periculo, est graue damnum. Sic omninò Petr. Hurtad. *disp.74. sect.4. §. 38.*

Respondeo *Secundò.* Disputare de re Fidei coram prædictis, licèt aliquando possit esse veniale, ob leue damnum, quod imminere potest; frequentius tamen erit mortale, vt colligitur ex responsione prima, & ex ratione à Palao confecta.

QVÆSTIO XIX.

An saltem licita sit disputatio, coram rudioribus, fidelibus; casu, quo ab Hæreticis solicitentur ad Fidei defectionem?

REspondeo tunc esse omninò licitam; imò ad illam ineundam, teneri viros doctos; opponendo se hæreticis. Quia in hoc casu semper spetari potest aliquis fructus talis disputationis; nam vel rudes non decipientur; vel saltem non ita facile. Sic D. Thom.2.2. *quæstion.14. art.7.* ab omnibus receptus, vt ait Sanchez. *cap.6. cit. num.10.* Becanus *quæst.7. num.10.* Fagundez *num.14.* Palao *numero 9. citato.* Suarez, & Valentia apud ipsum, & omnes.

QVÆSTIO XX.

An Disputatio de rebus Fidei, coram Principibus, tanquam coram Iudicibus habita; sit illicita?

NEgandum videtur. Quia ex D. Augustino *tom.1. in breuiculo*, constat, disputationem habitam fuisse coram Tribuno, & aliis,ex mandato Constantini Imperatoris: ergo.

Sed vt certum, Respondeo omninò esse illicitam, & mortalem. Quia ad laicos neque docere,neque præsidere pertinet, sed discere, & à sacerdotibus doceri. *cap. si Imperator dist.96.* ergo si ipsi tanquam Iudices iubeant coram se disputare, culpa erit grauis id facere. Et ideò D. Ambrosius vocatus ab Imperatore Valentiniano, vt cum Auxentio Ariano Episcopo coram ipso disputaret, iustissimè comparere noluit, propter incompetentiam Iudicis politici, vt ipse de se testatur *Epist.31.* Sic Fagundez *libro primo, capite octauo numero 17.* Petr. Hurtad. *loco citato §. 39.* Qui ad rationem dubitandi optimè respondet, dicendo, cognitorem illum non fuisse disceptatorem controuersiæ; sed armis, & Imperiali authoritate securos reddidisse disputantes, & fecisse describere disputantium argumenta, atque responsa, vt in Germania nunc contingit interdum.

§. II.

De Politica communicatione cum Hæreticis, & Infidelibus.

QVÆSTIO XXI.

An prohibitum sit Fidelibus, communicare cum Hæreticis?

REspondeo Esse prohibitum, propter excommunicationem hæresi annexam. De qua materia latè diximus *par.4.tr. de Excomm. in Cœnam Domini.*

vbi etiam tractauimus,de prohibitione eorum libros legendi, & de aliis ad hanc materiam attinentibus. Legantur ergo ibi dicta.Nam hic solum de communicatione cum aliis Infidelibus, Iudæo, videlicet, & Pagano,est nobis agendum;sit igitur,

QVÆSTIO XXII.

An,communicatio ciuilis,& humana,cum Infidelibus, sit ex se mala, aut iure diuino prohibita?

REspondeo tanquam certum: Nec ex se esse malam;nec iure diuino prohibitam. Quod constat ex eo quod Paulus 1. *ad Corinth.* 7. apertè permittit omnem domesticam, & humanam communicationem fideli coniugi cum infideli:ergo. Verum tamen est, quod ex vi diuini, ac naturalis iuris, teneatur vnusquisque fidelis eam communicationem cum infidelibus vitare; quæ,vel periculum ipsi afferat, vel aliis sit in scandalum. Sic omnes. Legantur D. Tho. 2.2.*q.*10.*art.*9. Suarez *de Fide disp.*18.*sect.*6. *num.*4. Palaus *to.*1.*tract.*4.*disp.*2.*pun.*9.*n.*3.Ouiedo,*tr.de Fide controu.*9.*pun.*7.*n.*98.& alij infra citandi.

QVÆSTIO XXIII.

An, in aliquibus casibus, prohibeatur, iure positiuo Ecclesiastico,communicatio cum Iudæis, & aliis Infidelibus?

REspondeo. Prohiberi; & iure optimo, ratione periculi peruersionis ex eorum communicatione imminentis. Hæc responsio constabit ex testimoniis adducendis pro prohibitione decem casuum, quos communiter referunt Doctores. Azor *tom.* 1. *lib.*8.*cap.*22.*quæst.*1. Sanchius *lib.*2.*cap.*31.*numero* 4. Suarez *disput.*18. *de Fide sect.*6.*à numero* 6. Ægidius *disp.*18.*dub.*11.*& num.*166.Bonac.*disp.*3.*q.*2.*punct.*5. Palao *loc.cit.n.*6.Ouiedo *loc.cit.à n.*99. Trullench.*lib.* 1.*Decal.c.*3.*dub.*20.

QVÆSTIO XXIV.

An, de facto, prohibita sit Fidelibus, familiaritas, & conuersatio frequens cum Iudæis?

AFfirmat absolutè Suarez *sect.* 6. *cit. num.* 6. (non 3. vt inueni apud Ouied.) vbi solum existimat familiaritatem nimiam cum Iudæis permitti iis solis personis in fide ita firmis, vt infidelium conuersio specialiter commissa sit. Ita Suarez cuius sententiam esse probabilem expressè dicit Palaus. Et meritò.

Sed probabilius Respondeo dicendum, solam illam familiaritatem cum Iudæis prohibitam esse fidelibus, ex qua ipsis aliquod periculum peruersionis oriri timeatur; aut aliquod adsit scandalum; nam tunc iure naturæ illicita erit: alias non. Sic D. Thomas 2.2.*quæst.* 10. *art.*9. Ægidius *disput.*18. *dub.*11.*num.*167.Lugo *disput.*22.*numero* 106. Gasp. Hurtad. *disput.*10. *diff.*7. Bonacin. *disput.*3.*quæst.*2. *punct.*5.*vers.Primus casus.* Ouiedo *punct.*7.*cit.n.*100. Qui tamen non bene omnino citat Sanchium pro sententia Suarij: nam licet illam ex parte; nostram autem, adæquatè tenet *c.*31.*cit.n.*2.*&* 3. his verbis: *Hinc fit non esse interdicendam hanc communicationem fidelibus, qui ita in Fide firmi sunt, vt nullum peruersionis periculum immineat; sed potius infidelium conuersio ex dicta communicatione probabiliter speretur. Quia cum dicta communicatio ratione periculi interdicatur, vbi id periculum cessat, cessat quoque prohibitio. Sic D.Thom. eod.art.*9. *ab vniuersis receptus.* Hæc Sanchez (quem ipsemet Suarius, contra seipsum citat.) Nec non & Palaus *tract.*4. *disp.*2.*pun.*9.*n.*7. & communis. Sed iam ad casus singulares descendamus. Sit ergo.

QVÆSTIO XXV.

An, prohibeatur Christianis, cum Iudæis simul habitare?

REspondeo absolutè prohiberi *in cap. Ad hæc de Iudæis.* Et extenditur hæc prohibitio ad Sarracenos: nam id habetur expressè *in cap. Iudæi el* 2. *eod.tit.* vt docet ibi Glossa, *verb. Iudæi.* Sanchez *cap.* 31.*cit.num.*5.Ægidius *disput.*18.*dub.*11.*num.* 168.*cit.* Ouiedo *num.* 100.*cit.* Palaus *num.*8. & communiter omnes, inter quos solùm est, aut potest esse dissensio quid nomine *cohabitationis*, intelligatur, pro quo sit.

Dubium I.

An liceat Christianis absolutè in vna domo,simul cum Iudæis habitare, si neutri *famulentur aliis.* Negant Suarez *disp.*18.*sect.*6.*n.*7.& alij.

Sed iuxta dicta probabilius. Respondeo: Licere, si alias nullum immineat peruersionis periculum. Ratio est, quia in dicto cap.*Ad hæc de Iudæis*: solum prohibetur ea cohabitatio cum Iudæis, quæ continet diuturnam Christiani in famulatu subiectionem. Sic Ægidius,Ouiedo,Palaus,Azor,&alij *loc.cit.*quod clarius ex mox dicendis patebit.

Dubium II.

An,liceat Christiano,Iudæum habere in seruum? Negant aliqui apud Ægidium vbi infra. Alij contra, cum Sanchez respondent quidem licere; non tamen debere cum eo morari, itaut eum habeat familiarem, eo quod Iudæi obstinatiores sint; & difficilius ad fidem redeant:ac sint ad subuertendum peritiores.Sic ille *lib.*2.*c.*31.*n.*6. & penès illum,Angel. Sylvest.Armilla,& Tabiena.

Sed clarius, & probabilius Respondeo: licere Christiano Iudæum habere in seruum;& consequenter cohabitare cum illo in eadem domo. Quia id concessum est fidelibus in cap. *Et si Iudæi, de Iudæis*; vt bene concedit Suarez: ergo. Confirmatur. Quia (vt cum communi, Sanchez concedit) licitum est Christianis habere Sarracenos, & alios Infideles, tanquam seruos: intra eandem domum, vt praxis vbique recepta demonstrat: ergo etiam similiter licebit illis habere in seruos Iudæos. Sic tenent Suarez,*loc.cit.* Ægidius *num.*167.Ouiedo cum aliis *num.* 100.Palaus *num.*8. Bonac. *quæst.*2.*cit punct.*5.*num.*2. & alij. Qui tamen bene notant, quod licèt hoc sit illis licitum, expediat tamen, ipsis familiaritatem semper vitare.

Dubium

Dubium III.

An etiam liceat Christiano, cum Iudæa commorari, seruiendo vterque Domino Catholico? Resp. Licere; dummodo, vt supra diximus, absit periculum peruersionis. Quia, vt nuper est habitum, in cap. *Ad hæc.* solùm prohibetur Christianis cohabitare cum Iudæis, illis seruiendo, aut famulando: quod in præsenti non contingit. Sic Palaus *tract.* 4. *disput.* 2. *pun.* 9. *num.* 8.

QVÆSTIO XXVI.

An interdictum sit Christianis, azymis Iudæorum vesci?

REspondeo absolutè: esse interdictum per *c. Nullus.* 28. *q.* 1. vbi sic habetur: *Nullus eorũ, qui in sacro sunt Ordine constituti, aut Laicus, azyma Iudæorum manducet, aut cum eis habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eis percipiat, aut cum eis in balneo se lauet, si verò quisquam hæc fecerit, si Clericus deponatur; si laicus, excommunicetur.* Sic Canon. Et sic absolutè loquendo omnes, licèt dissentiant in eius intelligentiam. Pro qua sit?

Dubium I.

An sit peccatum lethale, azymis Iudeorum vesci? Affirmant multi, inter quos videtur Sanchez *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 7. vbi docet, interdictum esse Christianis azymis Iudæorum vesci, etiamsi seorsum à Iudæis id faciant; quia sunt (inquit) cibi discreti à Iudæis. Ita Siluest. *verb. Iudæus. quæst.* 1. *dicto.* 3. Hæc Sanchez.

Negat contrà Gasp. Hurtad. *disp.* 10. *diff.* 7. docens absolutè, neque illicitum esse.

Sed clarius Respondeo. *Primò.* Esse quidem lethale peccatum azymis Iudæorum vesci, ritu Iudaico, idest, tanquam ceremonia legis, siue vt hæc obseruetur (Quod quidem verum est, siue talia azyma comedantur simul cum ipsis Iudæis, siue seorsum ab illis, siue quocúmque alio modo.) Quia talis manducato est per se mala, & ideò illicita, etiam in casu extremæ necessitatis. In hac responsione conuenerunt omnes, & præter ciratos, ita sentiunt Suarez *disput.* 18. *num.* 7. Ægidius *disput.* 18. *dub.* 11. *numer.* 168. Lugo *disput.* 22. *num.* 118. Palao *punct.* 9. *num.* 9. Ouiedo *num.* 101.

Respondeo. *Secundò.* Etiam est peccatum mortale, manducare azyma cum ipsis Iudæis, vel accipiendo illud ab ipsis; etiamsi talis manducatio non fiat in obseruationem legis Mosaycæ. Quia talis manducatio ex se afferret suspicionem, & generaret scandalum: ergo ex se esset mortalis. Sic Suarez *loc. cit.* & innuunt cæteri DD. citati.

Respondeo. *Tertiò.* Manducare absolutè panem azymum, sine vllo scandalo, aut sine vllo respectu ex præfatis, nullum erit peccatum patèt; ex vsu Christianorum, cum inter illos sæpè vsurpetur: & aliàs non liceret comedere panem consecrationis præparatum, quia hic azymus est: quod nullus dicet. Sic Ægidius, Suarez, Palao, *loc. cit.* & communis, & à fortiori Hurtad. vbi suprà.

Dubium II.

An sit prohibitum sub mortali Christianis; inuitare Iudæos; vel ad eorum conuiuia accedere, & vnà cum eis cibum sumere?

Affirmant absolutè Siluest. *verb. Iudæus.* & penès illum, Innocent. Ioan. Andr. Goffred. Rayner. & D. Anton. Et probatur. Quia sic grauiter prohibetur in Concil. Aurelian. III. *cap.* 23. & in Concil. Agathensi *capit.* 40. quod refertur *in cap. omnes* 28. *quæstion.* 1. vbi sic dicitur: *Omnes deinceps Clerici, siue Laici, Iudæorum conuiuia euitent, nec eos ad conuiuium quisquam excipiat: quia cum apud Christianos communibus cibis non vtantur, indignum, atque Sacrilegum est, eorum cibos à Christianis sumi; cum ea, quæ Apostolo permittente (1. Timot. 4.) nos sumimus, ab illis iudicentur immunda ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quàm Iudæi, si nos quæ ab illis apponuntur, vtamur, illi verò à nobis oblata contemnant.* Hæc, omnis capitis textus: ergo ex illo clarè constat, esse sub mortali Christianis interdictum, cibum cum Iudæis sumere. Et ita nouissimè sentit Trullench. *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 20. *num.* 2. *in principio.* & innuit Suarez *loc. cit. num.* 7.

Sed alij contrà respondent, dicendo; tunc solùm esse mortale sumere cibum cum Iudæis, quando Iudæus inter edendos cibos discernit; aliàs non. Sic Angelus *verb. Iudæus. numero primo*, per hæc verba: *Dicit tamen Hugo in dict. cap. Omnes, quod si cibos non discernunt, liceat comedere cum eis: sed vbi cibos discernunt, nullo modo licet.* Sic Angel. & Rosel. *eod. verb.* Quos videtur sequi Azor. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæstione tertia.* Quorum placitum verè habet fundamentum *in dict. cap. omnes.* vbi (vt vidimus) specialis redditur huius prohibitionis ratio; quia Iudæi discernunt cibos, quod non licet Christianis. Legatur Palaus *disp.* 2. *pun.* 9. *n.* 13.

Sed ego clarius Respondeo dicendum, quod attenta ratione, ob quam interdictum est Christianis, cibum cum Iudeis, sumere probabilior sit secunda sententia: in praxi verò, ob periculum, & suspicionem, quæ ex tali familiaritate, oriri potest, sequenda sit prima.

Dubium III.

An saltem, liceat Christianis, accipere à Iudæis eos cibos, quos ipsi discernunt, & abiiciunt; & postea, absque vllo Iudæorum consortio, iis vesci?

Negat Sanchez *libro secundo capit.* 31. *numero* 7. in fine, non absolutè loquendo, sed casu solùm, quod talis cibi comestio esset cum nota, & offensione aliquorum: aliàs non.

Sed ego probabilius absolutè Respondeo. Nullo modo licere, etiam casu, quod Christiani dictis cibis vescantur, absque nota, & scandalo aliorum. Quia etiam in hoc casu militat ratio tradita *in c. Omnes. cit.* nimirum, nè cum ipsis Iudæi cibos discernant, non omnibus vtentes, sed quosdam vitantes, nos autem non vitamus, videamur illis inferiores, ac minus Sancti. Hoc autem sequitur planè, si Christiani eos cibos accipiant, & edant, quos Iudæi reiiciunt, respuunt, atquè contemnunt. Sic Azor. *q.* 3. *cit.* Trullench. *num.* 2. *cit.* Probabile autem existimo, quod si Christiani non acciperent dictos, quos reiiciunt, cibos à Iudæis; sed ex ab ipsis reiectis, sine nota, & offensione vlla, nutrirentur, non peccarent, eo quod in hoc casu, causa prohibitionis omninò cessaret. Et in hoc sensu admitto probabiliter quod dicit Sanchez.

QVÆSTIO XXVII.

An, interdictum sit Christianis, Iudæos medicos accersere, ad eorum morbos curandos?

REspondeo vt certum: Esse interdictum Christianis aduocare Medicos Iudæos, nec non & Sarracenos, & Paganos ad eorum infirmitates curandas. Quia id constat, non solùm ex *c. Nullus* (cuius verba habes *q.26.* in principio) sed ex speciali Bulla Gregorij XIII. edita anno 1581. quæ incipit: *Alias piæ memoriæ*, estquè 28. ipsius in Bullario, in qua hæc prohibitio continetur. Cuius prohibitionis ratio producit esse, ad vitandum, tam speciale animæ periculum, quàm corporale. Sic omnes. Legantur Suarez *disp.* 18. *sect.6.n.*8. Sanchez *lib.*2. *Decal.c.*31. *n.*8. Ægidius *disp.*18. *dub.*11. *n.*165. Bonac. *disp.*3. *q.*2. *punct.*5. *vers. Tertius casus.* Ouiedo, *controu.*9. *punct.*7. *n.*102. Palaus *tr.*4. *disp.*2. *punct.*9. *n.*10. Angel. Armilla, Tabiena, & Sylvest. *verb. Iudæus*, & alij citandi. Sed circa hoc interdictum; sit,

Dubium I.

An licitum sit Christianis Medicum Iudæum, vel Sarracenum vocare; quando Medicus alius non adest, & morbus grauiter vrget?

Negatiuam sententiam tenere aliquos, innuit aliqualiter Ægidius, *loc.cit.n.*165. cum solum dicat, quod multi (*non omnes*) excipiant casum necessitatis, vt si alij Medici desunt, aut non sunt tam periti, &c.

Sed vt certum Resp. licitum esse Christianis, vti in casu, quo non sit alius Medicus; & morbus vrgeat, sitque periculosus. Quia necessitas caret lege; excusatvè ab hoc; sicut ab aliis præceptis Ecclesiæ. Sic Sanchez, *loc.cit.* & penès illum, Angel. Armilla, Sylvest. Tabiena. Suarez, etiam Ouiedo, Bonac. & Palaus, *loc.cit.* Ægidius *lo.cit.n.*168. *versu, Deinde, in fine.* vterque Hurtad. Complutensis quidem, *disp.*10. *diff.* 7. Salmanticens. *disp.*76. *sect.*2. *subsect.*4. §.42. Lugo *disp.*22. *n.*119.

Dubium II.

An etiam sit licitum, prædictis Medicis vti, casu, quo morbus; ita sit grauis, vt Catholici Medici pro eo morbo non sufficiant; vel quia tantum adest vnus, vel alter, & morbi grauitas multis medicis indigeat; vel si adsint multi, non sunt ita periti ac docti, sicut Medicus Iudæus, vel Sarracenus?

Resp. vt certum: Etiam esse licitum in omnibus iis casibus, Iudæis vel Sarracenis Medicis vti. Quia in omnibus iis casibus, re vera deficiunt Medici Catholici pro eo morbo. Sic Sanch. Ouiedo, Lugo, Bonac. & Palaus *loc.cit.*

QVÆSTIO XXVIII.

An sit prohibitum Christianis; recipere Medicinas à Iudæis, exhibitas?

REspondeo: Esse prohibitum à Iure *in cap. Nullus.* 28. *q.*1. vt habes supra, *q.26.* Et generaliter loquendo, ex dicto cap. *nec non*, ex Bulla què Greg. XIII. *cit.* docent omnes DD. præcipuè citati, inter quos, aliqua circa hanc prohibitionem excitantur dubia; sit ergo,

Dubium I.

An prohibitum sit Christianis, medicinas præparatas emere à Iudæis?

Negant aliqui DD. existimantes, non posse Christianos recipere à Iudæis medicinas iam præparatas; bene tamen medicinalia, postea per Christianos præparanda. Ita videtur sentire Glossa *c. Nullus.* 28. *q.*1. *verb. Nullus.* quam citant, & sequuntur Angel. *verb. Iudæus, n.*7. Armilla *n.*9. Tabiena *q.*5. *n.*6. Rosella *n.*1. & alij, quos sequitur Bonac. *n.*2. *cit. vers. Quartus casus.*

Sed probabilius Resp. Non esse illis prohibitum; sed posse licitè recipere medicinas, etiam præparatas, à Iudæis, etiamsi ab ipsis vltrò offerantur, vel dentur (quidquid renuat Azor *lib.* 8. *c.*22. *q.*5.) dummodo illas non recipiant per manus, & ministerium eorum. Ratio est: quia ius, *in c. cit.* non interdixit medicinam à Iudæo præparatam, quomodocumque accipere, sed ita vt Iudæus eam sic præparatam per proprias manus applicet, & exhibeat ægroto. Quia hæc applicatio medicinarum est propriè quædam curatio, & saltem reduci potest ad prohibitionem factam à Gregorio XIII. Sic Sanchez *lib.*2. *c.*31. *n.*9. & penès illum, Archid. Bellamera, Turrecrem. & Hugon. Suarez *disp.*18. *sect.6. n.*8. Ouiedo, *controu.*9. *pun.*7. *n.*103. qui tamen malè affert Bonacinam pro hac parte. Lugo *n.*119. *cit.* Palaus *punct.*9. *n.*11. & alij. Qui omnes limitant; nisi excusat necessitas, deficienti Catholico, qui benè præparet, medicinas, ac exhibeat.

Dubium II.

An licitum sit Christiano Medico, vendere medicinas, & applicare illas Iudæo ægroto.

Negat Sanchez *loc.cit.n.*10. docens, quod quamuis possit medicus Christianus Iudæo (aut Sarraceno) vendere medicinas, non tamen possit illas exhibere, aut applicare, nisi in casu necessitatis, modo supra explicato. Quia (inquit) eadem est ratio, cum eadem familiaritas contrahatur, siue Christiano medeatur Iudæus, siue Iudæo Christianus. Sic ille. Et apud ipsū Archidiac. Bellamera, & Turrecrem. *in c. Nullus cit.*

Sed probabilius Respondeo licitum omninò illis esse. Quia prohibitio non est extendenda, extra casum in verbis legis comprehensum, etiamsi similis sit. Præterquam quod in præsenti, non militat eadem ratio: quia cum Iudæus Christiano medicinam præparatam applicat, Christianus manet obligatus Iudæo, quod potest esse peruersionis occasio; quando verò Christianus medicinam applicat Iudæo, Iudæus obligatus manet Christiano, & non Christianus Iudæo, & ita non est illa peruersionis occasio. Sic Palao *punct.9. cit. n.*11. Lugo *disp.*22. *n.*119. Ouiedo *pun.* 7. *n.*103.

Dubium III.

An liceat etiam Christiano, extra casum grauis necessitatis, vocare Iudæum, vt illi venam scindat, cucurbitas applicet, aut chirurgi officium, applicando ægro alia medicamenta, exerceat?

Respondeo. Ex dictis: non licere. Quia talis medicinarum applicatio, est quædam curatio, prohibita in Bulla Gregorij. Sic Sanchez *num. 9. in fine.* Palao *num.*11. *cit.*

Dubium IV.

An saltem liceat Catholico, vocare Barbitonsorem

rem Iudæum; vt illi Barbam radat, aut capillos tondat?

Affirmat absolutè Palaus. *loc. cit. n.* 11. Quia hæc, & similia efficere, non est applicare medicinam : ergo.

Sed clarius Respondeo licere quidem Catholico vocare Iudæum, ad radendam barbam, aut tondendos capillos, cuiusuis hominis sani : secus verò ægroti, aut infirmi, si hæc actio fiat, ob salutem infirmi; quia tunc verè interueniret applicatio medicinæ. Sic innuit Sanchez *numero nono cit. in fine*, vbi ita ait : *At in alijs ministeriis non spectantibus ad medicinam ægro applicandam, non video, vbi interdicatur Catholico, vti ministerio Barbitonsoris Iudæi; vt ad scindendos capillos hominis sani, &c.* Hæc Sanchez.

Qvæstio XXIX.

An prohibitum sit Catholico, simul cum Iudæo in balneum ingredi?

NEgant nonnulli, prohibitum esse expresè, nisi *in c. Nullus. 28. qu. 1. vt vidimus. qu. 26.* cuius authoritatem legitimam non esse, notant Lugo, Ægidius, Hurtad. Palaus, & ex illis Ouiedo.

Alij contrà absolutè docent esse prohibitum *in d. c. Nullus.* Quam prohibitionem esse legitimam non dubitant. Legantur Sanchez *lib. 2. cap. 31. num. 11.* Suarez *disp. 18. sect. 6. num. 8. versu, Additur sexto,* & alij antiqui DD. Quicquid tamen de hoc sit, omnes (excepto vno Hurtado, quæ non vidit Ouiedo) concedunt, ingressum cum Iudæo in balneum, sæpè posse illicitum esse, licitum sæpè; pro qua resolutione denodanda, sit.

Dubium Primum.

An licitum sit Christiano, balneum ingredi cum Iudæo, in casu necessitatis, nempè, sanitatis causa, &c.

Respondeo vt certum : Esse licitum : quia prohibitio non obligat in hoc casu, vt supra est habitum. Sic communis, & specialiter Sanchez *n. 11. cit.* vbi docet, cuilibet esse licitum sanitatis causa, ingredi in balneum, quod Iudæi quoque simul ingrediuntur; quia ipse cum subditus sit, & à Principe permittatur, prohibere nequit. Sic ille ex Philiaco *de offic. Sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 12.*

Dubium II.

An etiam sit licitus Christiano talis ingressus; si solùm causa recreationis fiat?

Respondeo. Etiam esse licitum; dummodò Christianus non ingrediatur cum Iudæo, tanquam socio, & quasi ex condicto, nec ei in Balneo familiaritatem se exhibeat. Quia hæc solum lotio, *in dicto cap.* prohibetur; vt rectè Sanchez *num. 11. cit.* Palaus *punct. 9. num. 12.* Ouiedo *punct. 7. num. 103. in fine.* & Suarez *loc. cit.* his verbis: *Additur sextò, vt Christiani cum Iudæis simul in eodem balneo non lauentur, vt dicitur in d. cap. Nullus. quod intelligendum est per se, idest, vna cum illis incedendo, seu ex intentione coniunctim id faciendo; quia tunc interuenit propria societas, & familiaritas, quæ in his omnibus maximè prohibetur, propter periculum : & ideo si per accidens contingat, ad huiusmodi locum accedere, quando alius ibi lauatur, non procedit prohibitio; neque tunc Christianus commoditatem suam omittere, aut differre cogitur.* Sic Suarez, & Petr. Hurtado, *disput. 76. sect. 2. subsect. 4. §. 42.* & à fortiori alter Hurtad. *disput. 10. diff. 7.* vbi absolutè docet, neque vesci azymis Iudæorum, neque cum eis in balneo lauari, esse illicitum.

Qvæstio XXX.

An Christianis fœminis prohibitum sit filios Iudeorum, in horum domibus nutrire?

REspondeo vt certum Esse prohibitum *in cap. Ad hæc. de Iudæis.* his verbis : *Quod etiam obstetricibus, & nutricibus eorum* (ideſt, Christianorum) *prohibere curetis, ne infantes Iudæorum in eorundem domibus nutrire præsumant : Quoniam Iudæorum mores, & nostri in nullo concordant : & ipsi de facili, ob continuam conuersationem, & assiduam familiaritatem ad suam superstitionem, & perfidiam, simplicium animos inclinarent,* Hæc Alexand. III. Et idem decreuit Innocent. III. *in cap. Etsi Iudæos. eod. titulo.* & docent omnes DD. Legantur Panormitan. Gloss. Ioan. Andr. *in d. cap. Ad hæc.* Angel. *verb. Iudæus. num. 4.* Armilla *num. 8.* Sanchez *lib. 2. cap. 31. num. 19.* Suarez *disp. 18. sect. 6. num. 8. in fine.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 22. quæst. 9.* Ouiedo, *contro. 9. punct. 7. num. 105.* Palaus *disput. 2. punct. 9. num. 14. & alij omnes.* Sed sit.

Dubium I.

An saltem liceat dictis fœminis, filios Iudæorum, extra horum domus nutrire?

Negant Ioan. Andr. Anton. Butrius, & Abbas, quos citat, & sequitur Azor. docentes, nec extra domus Iudeorum licere fœminis Christianis illorum filios nutrire, ac lactare. Quia eadem militat iuris ratio: cum id iura vetent, ob familiaritatem cum Iudæis cauendam; & nè Christiani eis inseruire videantur, & vt inferiores famulari. Pro hac sententia referunt Palaus, & Ouiedo, Siluestr. *verb. Iudæus. qu. 2. dicto. 3.* Sanchium *lib. 2. c. 31. n. 19.* & Suarium *disp. 18. sect. 6. n. 8. in fine,* & possent referre etiam Angelum, Armillam, & Tabienam, apud Sanchez.

Alij contrà censent, licere dictis fœminis nutrire filios Iudæorum, extra horum domus. Quia *in c. Ad hæc. cit.* solùm prohibetur Christianis fœminis, nè nutriant filios Iudeorum in eorum domibus: ergo non est prohibitum Christianis fœminis nutrire in domibus suis propriis infantes Iudæorum. Ita sentiunt Zabarella *in c. Ad hæc.* & apud Sanchium, Cardin. Abbas, & Glossa *in d. cap.* Bonac. *quæst. 2. punct. 5. num. 2. vers. septimus casus est.* Ægidius *dub. 11. cit. num. 170.* Lugo *disp. 19. n. 167.* Palao *pun. 9. n. 14.* Ouiedo *pun. 7. num. 105.* Petr. Hurtad. *disp. 76. sect. 2. subsect. 4. §. 38. & 43.*

Sed ego clarius Respondeo dicendum, quod, attento iure, probabilior sit hæc secunda sententia; in praxi tamen sequenda sit prima ob eius fundamentum & rationem. Id, & non aliud, sentit Suarez *loc. cit.* vt denotant, per hæc verba : *Vnde colligi potest, non esse prohibitum Christianæ fœminæ nutrire in domo sua propria Infantem Iudæum; quia verba legis hoc non comprehendunt, & non videntur extendenda. Sed licèt hoc ex verborum rigore, ita sit; nihilominus propter familiaritatem, & specialem affectionem, quæ moraliter loquendo, inde contrahi solet, hoc etiam vitandum est.* Sic Suarez. Et antea Silues. *v. Iudæus. quæst. 2. num. 3. dicto. 3.* vbi ait, secundam opinionem à nobis relatam esse veram, secundum verba legis: primam verò secundùm sensum, quando ex nutritione extra domum, sequitur familiaritas nimia.

Dubium II.

An licitum sit Christianæ fœminæ, interdum adire Iudæorum domos, ad eorum infantes lactandos?

Respondeo esse licitum. Tum quia lex, solum prohibet illis; *Ne infantes Iudæorum in eorum domibus nutrire præsumant*, quæ verba assiduitatem significant. Tum etiam; quia cessat ratio legis, cum ex vna, vel altera infantis lactatione, nulla singularis, & periculosa possit oriri familiaritas: ergo. Sic Petr. Hurtado *loccit.* §. 38.

Dubium III.

An Episcopus possit dispensare, vt fœmina Christiana nutriat infantem Iudæum, in propria Iudæi domo?

Respondeo vt certum: Non posse. Tum, quia ista prohibitio est in honorem fidei. Tum etiam, quia in faciendis contra ius non dispensat Episcopus, nisi hoc ei expressè, vel tacitè sit concessum. Sic ex Cardin. docent Angel. *verb. Iudæus num.* 5. Sylvest. *num.* 4. Armilla *num.* 8. *cit.* Qui & id limitat, & bene; nisi necessitas naturalis vrgeat; quia hæc legi non subiacet. Sanchez cum aliis *loc. cit. num.* 27. & nos de omnibus prohibitionibus dicemus infrà.

Qvæstio XXXI.

An liceat Catholico, famulari, & seruire Iudæo; in propria domo ipsius Iudæi, tanquam famulus habitando?

Respondeo vt quid certum: Minimè licere. Quia id expressè prohibuit illi Alexand. III. *cap. Ad hæc de Iudæis*, his verbis: *Ad hæc omnibus Christianis, qui sunt in iurisdictione vestra, genitus interdicatis, & si necesse fuerit districtione Ecclesiastica compellatis eosdem, ne Iudæorum seruitio se assiduè pro aliqua mercede exponant.* Hæc Pontifex. Et idem decreuit Innocent. III. *in cap. Et si Iudæos. eo. tit.* Et meritò quidem, quia hæc subiectio in terris Christianorum indigna est Christiano. Sic docent omnes DD. præcipuè Glossa *in cap. Ad hæc cit.* Palud. Hostiens. & alij Canonistæ. Angel. *verb. Iudæus n.* 2. Sylvest. *n.* 6. Armilla *n.* 6. Sanchez *lib.* 2. *c.* 31. *n.* 20. Ægidius *disp.* 18. *dub.* 11. *n.* 171. Azor *to.* 1. *lib.* 8. *c.* 22. *q.* 7. Petr. Hurtad. *disp.* 76. *sect.* 2. §. 43. Filliuc. *tract.* 22. *c.* 5. *q.* 2. *n.* 130. Bonac. *disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 5. *n.* 2. *vers. Primus casus.* Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 9. *n.* 15. & Ouiedo *tract. de Fide contron.* 9. *punct.* 7. *n.* 106.

Dubium I.

An saltem, liceat Christiano, famulari Iudæo, habitando, extra propriam domum ipsius Iudæi?

Affirmant quamplures DD. existimantes, *in citato cap. Ad hæc.* non prohiberi Christianis famulari Iudæis, extra propias domus ipsorum; sed intra tantùm. Quia solùm, qui ibi habitat, & per propriam personam Iudæo administrat, famulus censetur. Ita sentiunt Hostiens. *in d. cap. Ad hæc.* & ibi Ioan. Andr. Ægid. *num* 171. *cit.* Bonac & Palaus *vbi suprà.* Eandem sententiam defendere Angelum, Sylvestrum, Armillam, & Tabienam, (quos refert Sancius) affirmat Ouiedo, *vbi suprà.* Sed malè omnino. Quia nec sunt pro hac sententia, sed potius pro opposita, vt infra, nec pro illa referuntur à Sanchio. Vnde

Probabilius Respondeo. Nec licere Christiano famulari, seu seruire Iudæo, etiamsi habitet extra propriam domum Iudæi. Quia probabilius est, etiam famulatum, extra propriam Iudæi domum prohibitum esse *in d. cap. Ad hæc.* Sic inprimis tenent Angelus *verb. Iudæus num.* 1. ex Panormit. Armilla *n.* 6. Tabiena *q.* 2. *n.* 6. Sylvest. *q.* 1. *dicto* 3. (licet ij Authores id negent, quando famulatus est assiduus, & diuturnus, de quo infra) & ratio eorum est; tum, quia textus citatus nullam facit mentionem de domo, loquendo de huiusmodi famulatu; sicut fecit de nutritione filiorum Iudæorum, vt vidimus *quæst. antecedenti.* Tum etiam. Quia ratio prohibitionis, quæ est, *ne Iudæi superiores Christianis sint, & filij liberæ seruiant filiis ancillæ*, etiam in hoc præsenti casu militat: ergo. Sic sentiunt etiam Sanchez *loco cit. n.* 20. Lugo *disp.* 19. *n.* 66. Azor, Filliuc. & Ouiedo, *loc. cit.* Sic etiam Petr. Hurt. §. 43. *cit.* licet antea §. 38. *in fine*, oppositum dixerit, attento *cap. Ad hæc.*

Dubium II.

An ad minus, liceat Christiano, præstare famulatum Iudæo; si famulatus sit interpolatus, non assiduus, & diuturnus.

Affirmant Angel. Armilla, Sylvest. Tabiena, *loco cit.* nec non Glossa *in d. cap. Ad hæc. de Iud. verbo, assiduè*; & ibi, Abbas, Ananias, & alij, docentes, posse Christianum præstare famulatum Iudæo, extra huius domum, non intra; dummodo non sit assiduus, & diuturnus, sed interpolatus. Quia id colligitur ex his verbis textus: *Ne Iudæorum seruitio se assiduè pro aliqua mercede exponant.*

Eandem sententiam, sine vlla distinctione de famulatu, intra domum Iudæi, vel extra, docet Petr. Hurtado §. 38. *cit.* ita scribens: *Rectè autem obseruat Glossa, non esse prohibitum famulatum interpollatum: quia non est assiduus, nec est eiusdem periculi.* Sic Petr. Sed certè Glossa, solum id concedit loquendo de famulatu, extra domum, non de intra. Accipe verba Glossæ, *loc. cit. Et est argumentum, ex eo, quod dicit*, assiduè, *quod interpolatim possunt seruire, quod intellige secundum illius c. sup. eo. multorum.* §. 1. *Sed in domibus nullo modo, prout infra sequitur &c.* Hæc Glossa.

Sed probabilius Resp. Adhuc non posse Christianum præstare famulatum Iudæo siue intra, siue extra illius domum, etiamsi famulatum præstet interpolatum & rarum; non frequentem, nec assiduum. Quia adhuc pro breui tempore, aut paruo, valdè dedecet, & inconuenit, quod Iudæi videantur superiores Christianorum: quod quidem contingeret pro toto illo tempore, quod Christiani famularentur Iudæis, siue intra, siue extra domus illorum. Sic sentiunt Azor, Sanchez, Filliucius *loc. cit.*

Dubium III.

An etiam prohibitum sit Christianis, res suas, vt currus, boues, iumenta, &c. locare Iudæis?

Respondeo vt certum: Non esse illis prohibitum à iure: & ideò licitè possunt Christiani iumenta, boues, & alia ad onera ferenda, præstare Iudæis. Quod quidem, vt fatetur Filliucius, passim fit Romæ, & alibi, ex necessitate. Nam cum ipsi illa non habeant, & aliquando indigeant, locanda erunt à Christianis. Sic Filliuc. *tr.* 22. *c.* 5. *q.* 2. *dicto* 2. *n.* 131. *fine.* Et antea Azor *lib.* 8. *c.* 22. *q.* 8. *vers. Non est item.* Sanchez *lib.* 2. *c.* 31. *n.* 21. *fine.*

Dubium

Dubium IV.

An item, licitum sit Christianis, operas suas locare Iudæis præsentibus, & assistentibus?

Negat Sanchez *num.*21. *cit.* his verbis: *Non interdicitur Christiano locare operas suas Iudæo, siue in domo, siue extra; dummodò Iudæi non sint præsentes. Vt potest mercede conductus colere agros Iudæi, vel in domo fabricare aliquod ædificium; Iudæo tamen absenti. Quia si Iudæus præsens sit, quædam familiaritas contrahitur: & videtur Christianus ipsi inseruire.* Sic ille, qui citat Siluestrum, Angelum, Azorium, & Tabienam.

Alij è contra affirmant absolutè licere operario Catholico, suas operas Iudæo locare, siue in domo, siue extra, siue Iudæus assistat, siue non: Quia huiusmodi operarij, & Coloni, non sunt propriè famuli, nec habent eam subiectionem, quàm verè famuli erga dominum habent. Sic Petr. Hurtad. *loco cit.*§.38. Lugo *disp.*19. *num.*66. & alij apud Ouiedum, *loc. cit. num.*106. licèt hic author non ita bene citet Sanchium, & Azorium pro hac parte.

Sed ego clarius, ac probabilius Respondeo *Primò.* Nullo modo est prohibitum Christiano, locare operas suas Iudæis; si isti non sint præsentes. Quia id iura permittunt, vt habet textus *in cap. Multorum de Iudæis.* In hac responsione conueniunt Authores vtriusque sententiæ, & est certa.

Respondeo *Secundò.* Probabilius est, spectato iure, quod non liceat Christiano locare operas suas Iudæo præsenti; secus verò spectata consuetudine, & praxi. Prima pars probatur. Quia locare operas suas Iudæo præsenti, est quodammodò fieri famulus Iudæi, quod à iure est vetitum: ergo.

Secunda verò pars constat ex praxi Romanæ Curiæ vbi passim Christiani locant operas suas Iudæis, extra domum ipsorum. Et certè textus *in cap. Multorum,* non distinguit absens, vel præsens sit Iudæus culturæ agrorum, vel domorum ædificationi. Sic Filliuc. *loc. cit. quæst.*2. *dub.*2. *num.*131.

Qvæstio XXXII.

An prohibitum sit Christianis, aliquid legare in testamento, collegio, aut vniuersitati Iudæorum?

Respondeo vt quid certum: Esse prohibitum per *l.*1. (non 5. vt legi apud Palaum) *C. de Iudæis.* Vbi decernitur inualidum esse legatum factum vniuersitati Iudæorum. Sic tenet omnium sententia, vt fatetur Palao *loc. cit. num.*16.

Dubium Vnicum.

An saltem licitum sit Christiano, aliquid legare in testamento, alicui Iudæo in particulari?

Affirmat Hostiens. apud Siluestrum *verb. Iudæus. quæst.*1. *dicto* 6. & (apud Petr. Hurtad.) Glossa *in d. l.*1. vbi ait, non esse sermonem de singulis personis, sed de tota communitate.

Sed probabilius longè Respondeo. Nec id esse Christiano licitum; nisi in casu extremæ necessitatis. Quia iam consuetudo obtinuit, nullum esse legatum, extra extremam, vel grauem necessitatem, relictum in testamento Iudæo; etiam si frater testatoris sit. Sanchez *c.*31. *cit. n.*22. Siluest. *v. Iudæus. loc. cit.* Angel. *n.*9. Armilla *n.*7. Suarez *disp.*18. *sect.*6. *n.*9. Palaus *n.*16. & Ægidius *num.*171. Qui tamen solùm dicit, spectandam esse consuetudinem.

Qvæstio XXXIII.

An prohibitum sit Christianis; accedere ad Iudæorum nuptias; aut choreas cum eis ducere, ludere, &c.

Respondeo Esse omnino prohibitum. Quod constat, ex generali prohibitione de vitanda eorum familiaritate *cap. Ad hæc. de Iudæis.* & sic docet Azor. *lib.*8. *cap.*22. *quæst.*2. *in fine* ibi: *Porrò non solùm interdictum est Christianis, ad Iudæorum epulas accedere; sed etiam ad eorum nuptias, dies festos, Synagogas, & cum eis ludere; & quod detestabilius est, cum eis choreas agere, &c.* Sic ille. Et ex illo Filliuc. *tract.*22. *cap.*5. *q.*1. *dicto.*1. *num.*127. Bonac. *disp.*3. *quæst.*2. *punct.*5. *nu.*2. *vers. Octauus est.* Sanchez *lib.*2. *cap.*31. *num.*17. & alij communiter; licèt id non omninò placeat Palao *loc. cit. num.*13. *in fine*, vbi relata sententia Sanchij, ait sic: *Cæterùm, quia non inuenio aliquem textum, in quo specialiter hæc prohibitio contineatur, credo non extendi prohibitionem, vltra id, quod ratio naturalis dictat. Quare vbi tanta contraheretur familiaritas, quæ vel periculum peruersionis, vel scandali generaret, peccatum esset ea admittere, secus illo periculo cessante.* Sic ille.

Qvæstio XXXIV.

An nisi ad prædicandum Iudæis, possint cum illis edere; familiariter loqui, & similia?

Respondeo Posse. Quia his, ratione officij, & sperati fructus, permittitur huiusmodi familiaris communicatio, vt sic facilius possint Iudæos ad veram fidem attrahere. Ita conceditur Prædicatoribus missis ad Infidelium conuersionem *in c. Quam sit. de Iudæis.* Et ex illo; id docent communiter DD. Suarez *disp.*18. *sect.*6. *n.*7. Sanchez *num.*16. Bonac. & Palaus *vbi suprà.*

Qvæstio XXXV.

An Iudæi possint inter Christianos, publicis officiis fungi?

Respondeo vt certum: Non posse. Quia ita decernitur ab Innoc. III. *in cap. cum sit nimis. de Iudæis.* Vbi præcipit grauiter puniri eos, qui Iudæos, & Paganos publicis officiis præfecerint. Et *in c. constituit.* 17. *quæst.*4. imponitur excommunicatio ferenda committentibus hæc officia publica Iudæis. Ratio est: quia verè in ignominiam Fidei nostræ cederet, si Iudæi, aut alij infideles, iudicio Principis Christiani, assumerentur ad gubernandum Fideles: tacitè namque iudicaretur illos aptiores esse Fidelibus ad gubernandum. Sic omnes. Legantur Angel. *v. Iudæus. num.*13. Armilla, *num.*14. Palaus *disp.*2. *punct.*8. *nu.*2. Ægidius *disp.*18. *dub.*10. *numer.*158. Sanchez *lib.*2. *cap.*31. *num.*4. & omnes, addentes ex *l. fin. C. de Iud.* nec posse inter Christianos doctorari, cum doctoratis, verè dignitas, & præeminentia sit.

QVÆSTIO XXXVI.

An, licitum sit Christianis, in mercibus emendis, & vendendis, cum Iudæis contractus inire?

REspondeo vt certum: Esse licitum. Quia nullo iure id eis interdicitur. Imò id esse eis permissum, colligitur ex cap. *Post miserabilem, de vsuris.* Sic Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæst.* 4. Vbi addit, iure prohiberi posse; ne Iudæi, emendi, vel vendendi gratia, domos Christianorum ingrediantur, aut ne Christiani Iudæis aliquid vendant, vel emant ab eis in eorum domibus, ne aliqua inter Christianum, & Iudæum familiaritas intercedat &c. Angel. *verb. Iudæus, num.* 13. (non 1. vt leges apud Sanchium) *in fine.* Armilla *num* 5. Silvest. Rossella, & Tabiena, quos refert ac sequitur Sanchez *num.* 23. Bonac. *disput.* 3. *quæst.* 2 *pun.* 5. *circa finem.* Palaus *tract.* 4. *disp.* 2. *pun.* 9. *num.* 16. *in fine*, & omnes.

QVÆSTIO XXXVII.

An sit peccatum mortale, communicatio prohibita cum Iudæis, in omnibus casibus, à qu. 24. *hucvsque assignatis?*

NEgat Aragon, esse mortale, casu, quo ex tali communicatione cesset peruersionis periculum, & dignitas Christiani nominis non minuatur: secus alias. Ita ille 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 9. *in principio explicationis articuli, ante vers. circa primam Conclusionem.* Pro hac eadem sententia referunt Petr. Hurtad. & Palaus, Patrem Emanuelem Saa, *verb. Iudæus, num.* 1. Sed certè Sa, non ita generaliter de omnibus casibus supra enumeratis loquitur; sed de aliquibus solum per hæc verba: *Cessante periculo, non est mortale cum Iudæo conuersare, etiam simul habitando, aut eius medici opera vtendo.* Ita ille.

Alij, distinctione vtendo, dicunt, non excusari à mortali ea, quæ quasi continuam conuersationem, aut nimiam familiaritatem inducunt, ac Fidei dignitati derogant: vt cohabitare cum Iudæis; famulari illis domesticè, in quibus ministeriis; eos in officiis publicis tolerare: At reliqua excusari à mortali quando deest contemptus, & subuersionis periculum, ac scandalum; saltem si adsit aliqua causa iusta, vel ex incuria fit transgressio. Ita Sanchez *lib.* 2. *cap.* 31. *nu.* 26. Caiet. & Armilla apud ipsum. Ita sentit etiam Petr. Hurtado *disput.* 76. *sect.* 2. §. 45. (non 4. vt leges apud Ouiedum, qui etiam non bene citat illum) & alij.

Sed ego melius Respondeo dicendum, quod omnes illi casus, seu communicationes, quæ iure communi prohibentur Christianis, vt sunt famulari, seu seruire Iudæo; eius Medici opera vti; nutrire eius filios; tolerare eos in officiis publicis &c. Sint peccata mortalia ex obiecto; licèt aliquando ex paruitate materiæ, sicut in aliis contingit, possint esse venialia. Ratio est: quia tam ex parte finis, quàm ex parte materiæ, sufficiens fundamentum est, vt horum casuum obligatio grauis censeatur. Sic sentiunt Rosella, Angel. Silvest. & Tabiena apud Sanchez. Azor. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæst.* 2. dum dicit esse graue peccatum, nisi leuitas materiæ excuset. Card. Lugo *disput.* 22. *num.* 126. Suarez *disp.* 18. *sect.* 6. *n.* 9. Ouiedo *contr.* 9. *punct.* 7. *num.* 111. Palao *disp.* 2. *cit. punct.* 9. *num.* 17. in principio. Qui tamen malè citat Sanchium pro hac parte.

QVÆSTIO XXXVIII.

An communicationes, quæ interdictæ sunt cum Iudæis; interdictæ censeantur cum aliis Infidelibus?

AFfirmat absolutè Tabiena *verb. Iudæus, quæst.* 1. *num.* 2. Quia licèt iura de solis Iudæis loquantur; tamen cum ex aliorum Infidelium communicatione, idem peruersionis periculum oriri contingat, de omnibus intelligenda sunt iura, cum in omnibus eadem sit ratio.

Suarez verò sub distinctione respondet, dicendo prohibitionem communicandi cum Iudæis, non extendi ad omnes Gentiles, & Paganos, sed solum ad Sarracenos, & Mahometanos, quia solum hi æquè religionem Christianam oppugnant ac Iudæi, & æquè est eorum communicatio pernicioſa. Ita ille *disp.* 18. *sect.* 6. *n.* 10.

Sed probabilius Respondeo, Non censeri interdictas cum aliis Infidelibus, nisi in casibus à iure expressis. Ratio est. Quia textus solum de Iudæis loquuntur; & in Iudæis est specialis ratio ob singulare odium in Christianos: ergo solùm de his intelligendi veniunt. Sic tenet Sanchez *lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 25. Quem citat, & sequitur Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *num.* 18. per hæc verba: *Verum cum prohibitio extra verba legis extendenda non sit, & prohibitiones ferè omnes loquantur de solis Iudæis, existimo alios Infideles non comprehendi. Sed quia aliqui casus sunt in quibus extenditur prohibitio, tum ad Sarracenos, tum ad Paganos; solum illi casus, in quibus reperiatur talis extensio admittendi sunt, non alij. Hi sunt famulari Iudæis & Saracenis, ex cap. Iudæi & 2. de Iudæis: præponere Iudæum & quemlibet Paganum publicis officiis, cap. cum sit, & cap. Ex speciali. de Iudæis.* Sic ille. Legantur dicta à nobis *supra q.* 25.

QVÆSTIO XXXIX.

An solus Pontifex possit in supra dictis casibus dispensare?

REspondeo dicendum: Quod solus. Quia ipsius solius est dispensare in iure communi, seu in lege ab ipso lata. Verum est, quod in speciali casu, vbi necessitas grauis instaret, & esset periculum in mora, posset Episcopus dispensare. Quia tunc dispensatio censeretur illi concessa ex benigna interpretatione Pontificis. Sic Sanchez cum communi *lib.* 2. *cap.* 31. 27. Suarez *disp.* 18. *sect.* 6. *num.* 10. Palao *punct.* 9. *cit. in fine.* & alij citati à nobis *sup. quæst.* 30. *dub.* 3.

DISPVT.

DISPVTATIO V.

De externa Fidei professione iuxta Tridentinum facienda.

QVÆSTIO I.

An Beneficiati Curati ; necnon Canonici , & Dignitates Ecclesiæ Cathedralis ; teneantur ad emittendam Fidei professionem.

RESpondeo Teneri. Quia sic decreuit Trident. *sess.24.c.12.de Reformat.* Vbi mandat, quod prouisi de Beneficiis Curati, emittant Fidei professionem in manibus Episcopi , vel eo impedito,in manibus Vicarij;idque intra bimestre adeptæ possessionis Beneficij.Deinde,quod prouisi de Canonicatibus , & Dignitatibus in Cathedrali , idem faciant,non solùm coram Episcopo , sed etiam in Capitulo : secus non faciant fructus suos , nec illis possessio suffragetur. Sic concluſum , circa cuius Decretum,tria notat Tamburinus *lib.2. in Decalog. c.1. §.12.Primum est*, quod in illo non comprehendantur Parochi non beneficiati,nec Canonici in Collegiatis : quia decretum ait : *Prouisi de Beneficiis , & prouisi de Canonibus in Cathedrali. Secundum est* , esse probabile , quod ille , qui intra bimestre fidem non profiteatur,licèt perdat in conscientia beneficij fructus , non tamen teneatur reddere illos ante sententiam Iudicis. *Tertium est* , quod cum hæc lex sit pœnalis, non est impossibile obligare solùm ad illam,& non ad peccatum mortale (vt vult Sanchez) Quia lex pœnalis ad nil amplius , nisi ad pœnam obstringit transgressorem. Hæc omnia Thom.Tamburinus §.12.*cit.à num.1.vsque ad* 4. & omnia,saltem probabiliter, Aduerte tamen *n.11.*vbi infra,& Diana *p.5. tra.14. Resol.23. n.11.* quod pro secundo Addito, sunt Sanchez,Nauar. Rodrig.quos sequitur Bassæus.

QVÆSTIO II.

An etiam Episcopi , & alij Prælati superiores , teneantur hanc Fidei professionem facere.

RESpondeo Teneri , ex decreto eiusdem Concilij Trident.*sess.25.cap.2.de Reformat.* Vbi mandat, quod promouendi in Patriarchas , Archiepiscopos, velEpiscopos dictam professionem faciant in prima Synodo Prouinciali , cui interfuerint. Ad quod facit etiam decretum Gregorij XIV. contentum in Bulla , quæ incipit : *Onus Apostolicæ seruitutis* , apud Vgolinum *de potest.Episcopi c.1.§.3.*Sic Tamburin. *loc.cit.num.1.*

QVÆSTIO III.

An prælati Regulares , etiam Militarium, obligentur ad emittendam professionem Fidei?

AFfirmant plures Doctores , eo quod Pius IV. in Constitutione,quæ incipit. *Iniunctum nobis*, edita , *Idibus Nouemb.* 1564. præcipiat , vt omnes Prælati Regulares,etiam Militarium, intra bimestre à possessione suæ Prælaturæ Fidei professionem faciant.Ita Emm. Rodriguez *in qq. Regul.to.2.quæst.7. art.1.* Hieronym. Rodriguez *in compend. qq. Regul. Resol.67.num.1.*Riccius *p.4.decis.83.num.1.* Barbosa *de potest. Episcopi part.2. allegat.61. numer.7.* & alij penès ipsos.

Sed probabilius Respondeo iam non obligari : quia probabilius est , tale Pij IV.decretum vel nullibi esse receptum ; vel per contrarium vsum iam abolitum.Sic Sorbus *in Compend.priuileg.Mendican. v. Professio Fidei* vbi dicit Sacr. Congreg. Emin. Cardin.respondisse, dictam Constitutionem Pij IV. non esse in vsu quoad Prælatos Regulares. Tamburin.*de iure Abbat. tom.1. disp.8.quæst.*, Portel. Sigismundus,Sanchez,& Villalob.quos citat,& sequitur Diana *3.p.tract.2.Resol.78.*Bassæus *tom.2. flor.v. Fides.2.num.8.* & Thom. Tamburin.§.12.*cit. numer.6.* Vbi pro locis , in quibus fortasse tale decretum est in vsu,duo addit ; *Primum*,quod satis sit,si semel per aliam occasionem emiserit quis dictam Fidei professionem ; quia sic menti legislatoris factum est satis.*Secundum* , esse probabile tale decretum non obligare sub mortali : eo quod à Pio IV.extenditur ad Regulares illud idem Decretum,quod Tridentinum dederat de Beneficiatis Curatis : ergo si illud probabiliter non obligat ad mortale,vt *num.4.*vidimus, durum esset dicere hoc obligare.Sic ille. Sed quid de iis omnibus sentiam , alibi dicam , nunc solumdico,loqui Tamburin.probabiliter.

QVÆSTIO IV.

An Professores Theologiæ, & vtriusque Iuris, necnon artium liberalium,teneantur ad eandem Fidei professionem?

RESpondeo Teneri. Quia sic decreuit Pius V. in quodam proprio motu incipiente *In Sacrosancta.* Vbi mandat, quod omnes Doctores , Magistri , Regentes,& alij Professores artium vtique liberalium, teneantur ad Fidei professionem. Sic Sanchez *lib.2. sum.cap.5.num.4.*Tamburinus *lib.2.in Decalog.cap.1. §.12.num.8.*Legantur.

TRACTA

TRACTATVS III.

DE VIRTVTIBVS, SPEI THEOLOGICÆ, ET TIMORIS, ET OPPOSITIS EARVM VARIIS.

TRactant de Spe, ferè omnes DD. quos ſuprà *tract.*2. de Fide, retulimus. Legantur præcipuè D. Thomas 2.2. *quæſtion.* 17.*art.* 1. *& ſequent.* Magiſt. *in* 3. *diſt.*26. Suarez *de Spe à diſp.* 1. Arriaga, Ripalda, Ouiedo, vterque Hurtad. ibi Sanchez *tom.*1. *in Decalog. lib.*2.*cap.*33. Fagundez *lib.*1.*in Decalog.à cap.*31. Trullench. *lib.*1. *cap.*4. Azor. *tom.*1.*inſtit. moral.lib.*9.*à cap.*1. Caſtro Palao *tom.* 1.*oper.moral.tract.*5. *diſp.vnica.* Filliuc.*tract.*22.*à cap.*8. Bonac.*diſp.*3.*quæſt.*3.*pun.*1.*&* 2. Layman.*tom.* 1.*lib.*2.*tract.*2. Becanus *de Fide à cap.*17.

DISPVTATIO PRIMA.

De Eſſentia, Obiecto, & Subiecto, Spei.

QVÆSTIO PRIMA.

An, detur Spes, virtus Theologica?

REſpondeo vt quid certiſſimum. Dari, conſtat enim ex illo Pauli ad *Rom.*8. *Quod non videmus ſperamus, per patientiam expectantes*, & 1.*Corinth.*10. *Manent tria hæc, Fides, Spes, & Charitas.*& 1.*Petri. cap.*1. *Regenerauit nos in Spem viuam &c.*& ex Tridentino *ſeſſ.*6.*cap.*7. Sic dicente: *Vnde in ipſa iuſtificatione, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur. fidem, Spem, & Charitatem.* Et ſic tenent omnes Catholici. Legantur citati.

QVÆSTIO II.

Quid Spes, virtus Theologica, ſit?

REſpondeo Quod eſt virtus Theologica, & ſupernaturalis, qua bona ſupernaturalia, præſertim beatitudinem, diuino auxilio obtinenda ſperamus. Sic colligitur *ex locis ſupra citatis*, nec non ex illo ad Rom.5. *Gloriamur in ſpe gloriæ, ſecundum ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus* Legantur. DD. citati præcipuè D. Thom.2.2.*quæſt.*17. *art.*2. Suarez *diſp.*1.*ſect.*1. Luyſius *diſp.*60. *dub.*36. Vazquez 1.2.*diſp.*15. Bonac. Palaus & alij.

QVÆSTIO III.

Quid ſit Obiectum materiale primarium, & ſecundarium Spei Theologicæ?

REſpondeo Quod obiectum primarium Spei, eſt gloria, ſeu viſio Dei æterna; ſecundarium verò, gratia, virtutes, & alia omnia; quæ gloriæ conſecutioni concernunt. *Prima* pars huius reſponſionis, conſtat, tum ex loco Pauli nuper adducti, *Gloriamur in ſpe gloriæ &c.* Vbi faciens mentionem ſolius gloriæ, denotat gloriam, ad minus, eſſe ſpeciale, & præcipuum obiectum Spei. Tum etiam, Quia gloria, ſeu viſio clara Dei, eſt vltimus noſtræ vitæ finis, quem procurare non poſſumus, niſi ſperemus: ergo. *Secunda* pars etiam ex hac prima eſt conſtans: Quia gratia, auxiliavè diuina, & reliqua ſupernaturalia, ſaltem, bona, ſunt media ad gloriam conſequendam: ergo hæc omnia ad obiectum ſecundarium Spei pertineht: patet; quia ad eandem virtutem, ad quam pertinet procurare finem, pertinent & media ad ipſum finem, cum intentio finis ſit implicita mediorum intentio. Sic Palaus *tom.*1. *tract.*5. *diſput. vnica punct.*1.*num.*2. Qui id etiam ex Trident. *ſeſſ.*6.*cap.*6. probat. Sic etiam, & antea D. Thom.2.2.*quæſt.*17. *art.*2. *in corp.* Suarez *diſput.*1. *ſect.*1. Valentia 2.2. *diſp.*2.*q.*1. *pun.*1. Becan.*c.*17. *q.*1. *per tot.* Fagundez *lib.*1.*Decal.c.*31.*n.*2. Trullench.*ibidem c.*4.*dub.*1.*n.*3. Bonac.*q.*3.*cit.pun.*1.*à n.*2.*vſque ad* 4. Petr. Hurt. 2.2. *diſp.*96. *ſect.*2.3.*&* 4. Ripalda 2.2.*diſp.*24. *ſect.*1. & alij communiter.

QVÆSTIO IV.

An Obiectum formale, adæquatum Spei, ſit ipſemet Deus, ſub ea ratione, qua nobis ſummè, bonus eſt, & conueniens?

NEgant multi DD. exiſtimantes, Obiectum formale adequatum Spei, non eſſe ipſum Deum,

vt

vt nobis conuenientem, & bonum, siue vt nos beantem; sed vt auxiliatorem nostrum, cum attributis, quæ ad præstandum nobis auxilium, in quo Spes nostra innitatur, conferunt: ideoquè esse simul cum auxilio creato, omnipotentiam diuinam, & pietatem, propter quæ, motus Spei tendit in bona sperata, quæ sunt materiale obiectum Spei. Ita Vazquez *1.p. disp.84.cap.2. & disp.235.c.4. & 1.2. disp.15.cap.5.* Luysius *2.2. disp.60. dub.2.* Meratius *disput.30. per totam.*

Sed probabilius Respondeo dicendum, quod Obiectum adequatum Spei, sit ipsemet Deus, ratione, qua nobis est summè bonus, & conueniens, nempe, quâ nos beatificat, & à nobis possidetur. Probatur. Quia (ait Ouiedo) sicuti obiectum Materiale, est res sperata; ita Obiectum formale, est ratio formalis, propter quam illa speratur, & amatur à nobis, vt omnes fatentur: hæc autem speratur, & amatur, quia habet bonitatem nobis congruentem; & quia bonum est nobis illam habere; non quia illam simus habituri ab omnipotentia, vel ab alio auxilio: eodem enim modo illam appeteremus, & desideraremus, si ab aliis principiis esset futura, vel, si per impossibile, nullo interueniente principio, illam possemus acquirere: ergo. Sic ille *tract. de Spe controuer.2. punct.3. §.2. num.25.* Suarez *disp.1. sect.3. & tom.1. in 3.p. ante disp.19.* Ægidius *disp.19. dub.4.* Granados *tract.1. disput.1. sect.2. & 3.* Petr. Hurtad. *disp.97. per totam.* Caiet. Aragon, Bannez, Medina, Scotus, Gabriel, Almainus, Palacios, & Carthusian. quos citat, & sequitur Ripalda *disput.23. sect.1. & sequentibus*, vbi latè hanc partem defendit. Arriaga etiam satis eruditè *disp.27. sect.1. & 2.* Trullench *lib.1. Decalogi cap.4. dub.1. num.3.* Castro Palao *tom.1. tract.5. disp. vnica punct.1. num.6.* Becanus *cap.17. quæst.1. num.8. concl.3.* & alij.

Qvæstio V.

An, Spes, sit virtus Theologica, à Fide, & Charitate, re ipsa, distincta?

NEgarunt olim nonnulli, vt referunt Scotus, & Gabr. *in 3. dist.26. quæst.1.* existimantes, prædictas tres virtutes, non realiter, sed sola ratione, inter se, differre, itavt Spes, sit Fides, & Charitas; aggregatione quadam, quoniam Spes desiderat, sperat, & amat bona æterna, quæ credit futura.

Negarunt & alij, putantes, Spem re ipsa esse idem quod Fides, ratione tamen distingui; perinde ac si Fides credat generaliter quidquid est dictum à Deo; Spes verò credat bona gloriæ à Deo promissa, & iustorum meritis reddenda. His verbis refert vtramque sententiam Azor. *tom.1. lib.9. capit.1. quæst.5.* dicens, vtramque esse temerariam. Et meritò quidem. Vnde,

Vt quid certissimum Respondeo dicendum: quod Spes realiter distinguatur à Fide, & Charitate. Probatur *Primò* ex illo Pauli *1. Corint.13. Nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas, maior autem horum est Charitas.* Vbi Paulus ternarium numerum harum virtutum constituit.

Secundò. Quia Omnes hæ virtutes habent Obiectum formale, formaliter saltem distinctum, seu sub diuersa ratione: sed id sufficit ad inducendam distinctionem realem: ergo. Maior probatur, nam, Fides tendit in Deum, vt testificantem verum: Charitas ipsum, vt in se summè bonum; Spes respicit ipsum Deum, vt bonum sperantis: ergo. Sic omnes DD. Legantur Valentia *disp.2. quæst.1. pun.2.* Azor. *loc.cit.* Suarez *disp.1. sect.3.* Ægidius *disp.19. dub.4.* Palaus *tract.5. pun.2. n.7. & 8.* Ripalda *disp.21. sect.1.* Ouiedo *tract.2. controu.1. punct.2.* Trullench *loc.cit. dub.1. num.4.*

Qvæstio VI.

An, Subiectum Spei, sit voluntas?

NEgant aliqui iuniores, apud Ouiedum, *loc.cit. punct.2. num.9.* existimantes, subiectum Spei esse intellectum. Probant; quia actus Spei pertinet ad intellectum: ergo ille subiectum est virtutis Spei. Antecedens probatur, quia actus Spei sæpè in Sacris literis dicitur certus, vt *Rom.8. & 2. ad Thymot.1. Certus sum. &c.* Sed certitudo est affectio actus intellectus, & non voluntatis, ergo. Huic sententiæ fauet Arriaga *disp.26. sect.2.* quatenus docet, hanc Spei virtutem ad vtramque potentiam pertinere; licèt præcipuè ad voluntatem.

Sed ego absolutè Respondeo dicendum, subiectum virtutis Spei, esse voluntatem. Probatur ex D. Augustino *tom.3. in Enchir.* Vbi dicit, Spem esse de bonis: atqui bona ad voluntatem pertinent, sicut vera ad intellectum: ergo. *Confirmatur.* Quia voluntas est appetitus rationis, cuius est cupere, optare, & expectare bona futura, & absentia, quæ sunt actus Spei: ergo. Sic Azor. *tom.1. lib.9. cap.1. q.10.* Ouiedo *punct.2. cit.* dicens, hanc responsionem omnes Theologos vnanimes docere. Suarez *disp.1. sect.2. num.4.* Vbi ait, hanc sententiam, ita esse certam vt contraria, adminus, sit temeraria, & alij &c.

Qvæstio VII.

An, in Beatis maneat actus, vel habitus, Spei strictè sumpta?

AFfirmant manere in Beatis actualem, & habitualem Spem, Suarez *disp.1. sect.8. nu.5. & in 3. p. quæst.7. art.8.* Ægidius *disput.19. dub.10.* Meratius *disp.34. sect.4. & 5.* Becanus *cap.17. quæst.6. num.3.* Petr. Hurtad. *disp.108. sect.4.* Lugo *de Fide disput.27. num.45.* Vuadingus *in 3.p. disp.5. num.18.* Ouiedo *de Fide contr.4. pun.2. concl.6. num.16.* Ripalda *disp.27. sect.3. per totam.* Arriaga *disput.28. sect.3. subsect.2. num.29.* Palaus *tra.5. pun.4. n.1.*

Probant quia in Beatis manet Obiectum sufficientissimum pro multis actibus habitus Spei: ergo manet in illis talis virtutis habitus. Antecedens probant. Quia manet in complacentia, erga beatitudinem obiectiuam, & formalem: & pro gaudio ipsius beatitudinis possessione &c. ergo.

Alij contrà omninò negant manere in Beatis Spem, nec quoad actum, nec quoad habitum. Quia Beati pacificè possident visionem beatificam: ergo non possunt eam sperare: ergo in illis non manet actus Spei strictæ: ergo frustraneus est habitus. Ita sentiunt Thomistæ Caiet. Bannez, Aragon hic *quæstion.18. art.2.* Valentia *disput.2. quæstion.1. punct.3.* Granad. *tract.2. disput.1.* Lorca *disput.7. numer.3.* Ragusa *in 2.p. disput.71.* Luysius *disput.62. dub.1.* Tannerus *quæstion.1. numero quarto*, Albert. Bonauent. Gabriel, Maior, Durandus Ricard. & alij, quos refert Ripalda *loc. citato, sect.3. numer.14*

mer.14. Trullench *libro* 1. *Decalog. capit.*4. *dub.*1. *num.*6.

Alij, media via incedentes, dicunt, dari in Beatis verum actum Spei; sed non habitum. Ita Vasquez *in* 3.*p. disp.*43.*c.*2. Quia Beati verè sperant gloriam corporis,quam post resurrectionem sperare non possunt:ergo ne tunc habitu spei priuentur, censet, eo habitu simul cum fide spoliari, cùm primum Beati beatitudine fruuntur.

Alij denique tribuunt Beatis habitum Spei, sine vllo actu elicito ab ipso,solum ad maiorem illius statum ornatum. Ita Argentina *in* 3.*dist.*26. *q.*1. *art.*3. *concl.*4. Gerson, & Meratius, apud Ripaldam, *vbi suprà.*

Sed ego probabilius existimo cum S.Thoma 2.2. *q.*18. *art.* 2. & cum Authoribus secundæ sententiæ, neque actum,neque habitum Spei manere in Beatis. Ob rationem assignatam. Nec argumentum primæ sententiæ conuincit, dicendum enim est, illos actus non oriri ab habitu Spei,sed Charitatis,aut alterius. Legantur D. Thomas, Granados, Lorca, & Tannerus.

QVÆSTIO VIII.

An,in Damnatis maneat actus,vel habitus Spei Theologicæ?

REspondeo vt quid certissimum. Non manere. Constat, tum ex illo Prou. *cap.* 11. *Mortuo homine impio, nulla erit vltra spes,&c.*Tum etiam, quia homo ratione status damnationis debet spoliari omni dono supernaturali, tam habituali, quàm actuali conferente in beatitudinem: ergo Spe Theologica habituali, & actuali, quæ supernaturalis est, conferens in Beatitudinem. Sic Ripalda *disput.* 27. *sect.*5. *quæsito* 3. *num.*46. vbi ait, nullum esse Theologum, qui oppositum sentiat. Quiedo *controu.* 4. *punct.* 4. *num.*33.dicens, hanc esse Theologorum constantem sententiam. Arriaga *disp.* 28.*sect.*3.*subsect.*1.*n.*23. & omnes cum D.Thom.*q.*18.*art.*3.

QVÆSTIO IX.

An, in Animabus Purgatorij, sit Spes Theologica?

NEgatiuam sententiam tenuisse absolutè Lorcam, ait Ripalda iis verbis: *Sententia affirmans est omnium Theologorum, vno excepto Lorca,qui oppositum ausus est asserere, quòd in Purgatorio non sit beatitudo contingens, prout arbitratur necessarium esse ad Spem.* Ita ille *disp.*27.*sect.*5.*quæsito* 2.*n.*44. Sed certè non bene:nam Lorca,oppositum expressè tenuit,*loco* ab ipso *citato*, (nempe *q.*18.*art.*4.*disp.*9.*n.*8.) quamuis in principio dicat,non forè absurdum ab Animabus Purgatorij relegare Spem.Accipe eius verba: *Si quis diceret, Animas, quæ purgantur, non habere propriam Spem,sed aliquid melius Spe,scilicet, desiderium efficax carens solicitudine, propter certitudinem euentus, cum patienti expectatione, quæ aliquo modo Spes vocatur,nihil absurdi diceret. Assero tamen in his Animabus esse spem, &c.* Sic Lorca.Non ergo est pro negatiua sententia. Eam tamen nouissimè defendit Castillo *disp.*1.*de Spe quæst.*13.*par.*2.& expressè esse probabilem, fatetur Arriaga, & innuit Palaus, *vbi infrà.*

Sed probabilius longè multò; Respondeo dicendum,quod verè detur in Animabus Purgatorij Spes propriè, & strictè dicta; sicuti datur innobis. Quia illis adhuc est, sicut & nobis, absens beatitudo, & possibilis obtineri à Deo,nec non, & ardua; cum ad illam peruenire debeant per magnos cruciatus, &c. ergo possunt eam, sicut & nos, sperare, & de facto spectant. Sic communiter tenent Theologi cum S. Thoma *q.* 18. *art.* 3. *in fine corp.* Caiet. Bannez, & Aragon *ibidem.* Bellarmin. Valentia, Granados Suarez,Ægidius,Tanner.Mæratius,& Petr.Hurtad.quos citat,& sequitur Ripalda *vbi supra num.* 44. Arriaga 2.2.*disp.*28.*sect.*3.*subsect.*3.*n.*36.*& sequent.* Quiedo, *controu.*4.*punct.*4.*num.*30.Palaus *tom.*1.*tract.*5.*pun.*3. *n.*5. qui tamen malè etiam citat Lorcam pro opposita parte.

QVÆSTIO X.

An, in Hæreticis permaneat habitus Spei Theologicæ?

AFfirmatiuam sententiam non esse improbabilem, defendit Ripalda *disp.*27.*sect.*5. *quæsito* 1. *num.* 43. eo quod existimet, non esse improbabile, habitu Fidei pereunte, possibilem esse Spem actualem.

Sed vt mihi certum:Respondeo.Non permanere. Quia certum mihi est, habitum Spei cum habitu Fidei perire.Quia sublata Fide,omnia dona supernaturalia virtutis pereunt; quia illorum est fundamentum,& radix,vt dixit Trident.*sess.*6.*cap.*8.ergo,sicuti destructo fundamento, totum corruit ædificium; ita Fide destructa, corrumpuntur omnes habitus supernaturales,ad nostram salutem ordinati. Sic communis Theologorum sententia. Bannez & Aragon in explicatione *art.*3. *D.Thom.q.*18. Suarez,*disp.*1.*sect.* 8.Valentia *disp.*2.*q.*1.*punct.*3.Granad.*tract.*2.*disp.*3. Luysius *disput.*62.*dub.*2. Ægidius *disput.*19.*dub.*12. vterque Hurtad. Lorca, & Meratius, quos citat & sequitur Quiedo, *controuers.*3.*punct.*6.*numero* 75. *iuncto numer.*80.Ripalda *loc. cit.numer.*43.Trullench. *lib.*1.*Decal.cap.*4.*dub.*1.*num.*6. Palaus *tract.*5.*pun.*3. *n.*6.& omnes.

QVÆSTIO XI.

An etiam in reliquis Peccatoribus deperdatur, per quodcunque lethale,Spes?

REspondeo vt certum:Non deperdi per quodcunque lethale;sed solum per peccatum Desperationis,aut (vt diximus) per peccatum Hæresis. *Prima* pars probatur,à paritate habitu Fidei;nam hic non amittitur quocunque peccato lethali;sed solùm peccato Infidelitatis: ergo nec habitus Spei amittetur quocunque lethali,sed solum peccato Desperationis. Antecedens constat ex Trident.*sess.*6.*c.*5.*&* 7. Et ex illo,ita docent omnes Theologi. Legantur citati. Et hæc de speculatiua Spei disputatione sufficiant:dicamus de illa,quæ ad mores spectat.

DISPVT.

DISPVTATIO II.

De Præcepto virtutis Spei.

QVÆSTIO PRIMA.

An detur præceptum affirmatiuum Spei, quo obligemur aliquando, Spei actum elicere?

RESPONDEO vt de Fide certum: Dari præceptum affirmatiuum Spei, quo omnes Fideles tenemur, aliquando sperare in Deo, & à Deo beatitudinem æternam, remissionem peccatorum, & alia ad hæc comparanda, necessaria. Constat hæc responsio ex Sacra Scriptura Psal. 4. *Sacrificate Sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Et Psal. 16. *Qui saluos facis sperantes in te.* Ad Titum 2. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.*

Deinde etiam constat ratione. Quia de omni actu necessario ad obtinendam vitam æternam, est præceptum: at huiusmodi, est sperare veniam peccatorum, & gloriam obtinendam, ex Trident. *sess. 6. c. 6.* ergo actum Spei eliciendi, est in præcepto. Sic omnes Sanchez *lib. 2. c. 33. n. 1.* Suarez *de Spe disp. 2. sect. 1. num. 1.* ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 22.* (non 20. vt leges apud Bonac.) *art. 1.* Filliuc. *tract. 22. cap. 8. à quæst. 4.* Bonac. *disp. 3. q. 3. punct. 2. n. 1.* Valentia *tom. 3. disp. 2. q. 4. punct. 2.* Fagundez *lib. 1. Decal. cap. 31. n. 4.* Trullench. ibidem, *lib. 1. c. 4. dub. 2. n. 1.* Lorca 2. 2. *disp. 17.* Aragon 2. 2. *q. 22. art. 1. in coment.* Ouiedo, *tract. de Spe contro. 3. punct. 7.* Castro Palao *tom. 1. tract. 5. disp. vnica punct. 4.* Petr. Hurtado *disp. 118. sect. 1.* Gaspard. Hurtado *disp. 2. de Spe, diff. 6.* Becanus *de fide c. 17. q. 7.* & omnes. Qui benè notant, quod ex hoc præcepto affirmatiuo, quo tenemur sperare; oriatur aliud negatiuum, quo tenemur, non desperare, nec diffidere, de Dei misericordia, & bonitate, deque illius promissionibus.

QVÆSTIO II.

An, præceptum negatiuum, non desperandi de Deo, & illius promißionibus; obliget semper, & pro semper?

RESpondeo vt quid certum. Quod sic. Quia omnes actus desperationis sunt contrarij Spei, imò & destructiui illius: ergo semper sunt intrinsecè mali, malitia contraria Spei: ergo semper, & pro semper, prohibiti. Sic omnes DD. legantur D. Thom. 2. 2. *q. 22. art. 1.* & ibi omnes eius expositores. Sanchez *cap. 33. cit. n. 2.* Suarez *disp. 2. sect. 1. n. 7.* & Fagundez *c. 31. n. 5.* & alij nuper citati.

QVÆSTIO III.

An, præceptum Spei affirmatiuum, obliget, positiuè, & per se, ad eliciendum actum Spei?

NEgat Gasp. Hurtado *disp. 2. cit. diff. 6. existimans,* ad id per se non obligare præceptum Spei, his verbis: *Vnde actus spei, non obligat ob ipsum, seu in eo sistendo, seu præcepto affirmatiuo proprio ipsius; sed obligat, ob impletionem præcepti negatiui spei; nempe, non desperandi: & etiam obligat, ob impletionem aliorum præceptorum aliarum virtutum, quando ad eorum impletionem sit necessarius, ex quibus alia sunt affirmatiua, alia negatiua.* Hæc Hurtadus. Cuius sententiæ adhæret Mæratius *disp. 35. in initio,* vbi asserit, se non videre tempus, in quo hoc præceptum positiuè, & directè obliget, nisi fortè illud, quo, post factam homini, necdum fidem actualem, neque habitualem habenti, sufficientem propositionem mysteriorum Fidei, & religionis Christianæ, teneatur mysteria credere, & Fidem amplecti.

Sed, vt mihi certum Respondeo dicendum, quod per se, & positiuè obliget ad eliciendum actum Spei. Quia id constat; tum ex testimoniis Sacræ Scripturæ *quæst. 1. relatis.* tum etiam ex communi DD. placito, qui id vno confitentur ore: inter quos expresè contra Hurtadum, & Mæratium, id tenet Ouiedo *contro. 3. punct. 7. n. 92.* ita scribens: *Cæterum, præter hanc obligationem indirectam, seu ortam ex aliis præceptis eliciendi actum Spei* (quam adstruit Hurtadus) *dari aliam propriam, & directam ortam ex præcepto positiuo, circa spei actum, mihi certum est, &c.* Sic ille. Et ante illum, optimè Suarez *disp. 2. sect. 1. n. 3.* Et communiter omnes, inter quos solum est dissensio, & difficultas, pro quo tempore obliget, tale affirmatiuum præceptum.

QVÆSTIO IV.

An, sufficienter satisfaciat huic præcepto, qui semel in vita habuit actum Spei; non pro tempore fixo, sed ad arbitrium ipsius sperantis.

AFfirmarunt nonnulli, quos tacito nomine, refert Aragon, his verbis: *scio nonnullos, tanquam probabile, affirmare, quod postquam quis habuit primum actum spei, non tenetur amplius illum iterare, sed sat erit, non habere actum contrarium. Cæterùm meo iudicio hæc opinio est apertè falsa.* Ita ille 2. 2. *q. 22. art. 1. dub. 1. dicto 3.* vnde,

Cum ipso, vt certum, Respondeo. Non satisfacere; vt constat ex dictis *tract. 2. disp. 2. q. 38.* loquendo de præcepto Fidei; & constabit amplius, ex infra dicendis. Sic ex Aragonio, Sanchez *lib. 2. Decal. c. 33. n. 2.* Fagundez *cap. 31. num. 6.* Acacius *to. 1. verb. Esperança Resol. 292. n. 6.*

QVÆSTIO IV.

An, præceptum affirmatiuum Spei per se obliget hominem, statim post assequutum vsum rationis?

NEgant plures DD. docentes, minimè obligare per se hominem in assignato tempore; sed ad summum solùm per accidens, ratione alterius præcepti, & virtutis. Ita Sanchez *c. 33. cit. n. 3.* ex Valent. 2. 2. *disp. 2. q. 4. punct. 1.* Reginald. *lib. 17. n. 78.* Additionator ad Toletum *lib. 4. c. 7.* Villalob. 2. *p. tract. 2. diff. 1. n. 3.* & Bonac. *to. 2. disp. 3. q. 3. punct. 2. n. 2.* quos omnes citat & sequitur Trullench. *lib. 1. in Decal. c. 4. dub. 2. n. 4.* vbi docet, præceptum affirmatiuum Spei, tantum obligare, quando quis grauiter vexatur tentationibus contra Spem: *& n. 5.* vbi ait per accidens obligare, cum primum quis vsum rationis acquirit. Tenent item hanc sententiam Gaspard.

Hurtad. *disputat. 2. differ. 6.* Becanus, *capite 17. quæst. 7. num. 2. & 3.* Palao *tra. 5. pun. 4. n. 3. & 4* vbi concludit, nullum esse tempus determinatum, in quo huiusmodi præceptum obliget, sed prudentis arbitrio mensurandum esse, nec permittendum longo tempore differre.

Sed probabilius Respondeo, obligare per se hominem ad eliciendum actum Spei, statim ac assequutum vsum rationis: non quidem statim, instanti methaphysico; sed morali; hoc est, post aliquod breue tempus, postquam homo cognouit vitam æternam, & vtilitatem Christianæ pietatis: Quia tunc commodè potest homo exerceri, quod præcipit. Fundamentum huius sententiæ habes supra *tract. 2. de Fide disp. 2. q. 32. & 34.* Ideoque illam tenent Lorca *disp. 18. n. 10. pag. mihi* 529. Suarez *de Fide disp. 2. sect. 1. n. 3.* (non 4. vt leges apud aliquos) Petr. Hurt. *disp. 118. sect. 2. §. 18.* Fagundez *lib. 1. c. 31. n. 7.* Ouiedo, *contr. 3. pun. 7. n. 97.* necnon Bannez, Ledesma, & Aragon, & alij Thomistæ, apud Sanchez, Cruz *in sum. in 1. præcepto art. 2. de Spe. concl. 3.*

Qvæstio V.

An, huiusmodi Spei præceptum, obliget per se, ad actu sperandum gloriam &c. à Deo, semel in singulis annis?

Affirmat Petr. Ledesma *tom. 1. sum. tra. 2. cap. 4. concl. 6.* per hæc verba: *El precepto affirmatiuo de esperar en Dios, de si obliga alguna vez en el año. De suerte que aquel, que se le passasse vn año, sin exercitarse en alguna obra de Esperança, se entenderia auer peccado mortalmente contra este precepto.* Ita Ledesma.

Sed ptobabilius Respondeo Non obligare. Quia non est vnde talis obligatio colligatur. Et id constat ex dictis supra de præcepto Fidei *tract. 2. disp. 2. q. 37.* Vbi eiusdem Ledesmę sententiam reprobauimus. Sic Sanchez *hic c. 33. n. 3.* & communiter omnes. Ex quo constat, minus à fortiori obligare dictum præceptum, ad eliciendos actus spei, in singulis festis anni, vt in simili, loquendo de præcepto Fidei, cum communi diximus *loc. cit. q. 35. & 36.* & notant Fagundez *c. 31. num. 7. in fine.* Gasp. Hurt. *loc. cit.*

Qvæstio VI.

An, saltem hoc spei præceptum, obliget per se in articulo mortis?

Affirmant Petr. Hurt. 2. 2. *disp. 118. sect. 2. §. 19.* Vbi docet, præceptum hoc obligare directè, & per se, præcipuè in duobus temporibus. Primum est, quando infidelis recipit Baptismum, & adultus Confirmationem, si paulò ante Spem non habuit. Secundum tempus est, cum imminet mors: *tunc enim.* (verba sunt Hurtadi) *tenemur efficaciter amare beatitudinem: quia tunc est opportunissima occasio, cum sumus illi, aut inferno vicini.* Sic ille. Et certe consequenter ad ea, quæ in casu eodem de præcepto Fidei, tradidit, vt habes *sup. tra. 2. disp. 2. q. 3.* sententiam Hurtadi sequitur Diana *part. 5. tract. 15. Resol. 106.* Cruz *loc. cit. concl. 3.*

Sed doctrinam nostram etiam sequendo, probabiliùs Respondeo huiusmodi Spei præceptum, minimè obligare per se, aut ex vi ipsiusmet præcepti, ad eliciendum actum Spei in articulo mortis. Quia probabilius est, nec præceptum Fidei per se, pro illo articulo obligare, ad eliciendum actum Fidei, vt *q. 39. cit.* Diximus: probabilius erit, quod nec præceptum Spei. (An autem obliget per accidens, & ratione alterius præcepti, & virtutis, collige ex dictis, *ibidem*) sic tenent & à fortiori Arriaga, Gasp. Hurt. Granad. & Ouiedo, *ibi* citati. Sanchez etiam, Palaus, Trullench, & Fagundez, *vbi suprà.*

Qvæstio VII.

An, Quando quis, graui tentatione desperationis vexatur; tunc teneatur, per se, aut ex vi huius præcepti, elicere actum Spei?

Affirmat Sanchez *lib. 2. cap. 33. num. 3.* Ita dicens: *Vltimum tempus est, quando aliquis graui desperationis tentatione vexatus, in succumbendi periculo est, nisi actu Spei contrario animum confirmet. Tunc enim per se hoc præceptum obligat. Quia eodem Spei præcepto tenetur homo sperare, & non desperare. Si ergo tunc elicere actum Spei, est per se medium ad non desperandum, obligabit præceptum Spei ad illum eliciendum. Ita valentia, Bannez, Aragon, Petrus Ledesma proximè allegati.* Hucusque Sanchez. Quorum sententiam amplectuntur etiam Bonac. *disp. 3. q. 3. punct. 2. num. 2.* Reginald. *lib. 17. n. 78.* Victorell. *in annot. ad Toletum lib. 4. c. 7.* Villalob. *2. p. tract. 2. diff. 1. num. 3.* Trullench. *lib. 1. Decal. c. 4. dub. 2. n. 4.* (Qui omnes in hoc solum casu, dicunt obligare per se præceptum Spei, in aliis multis per accidens) tenent etiam Becan. *c. 17. q. 7. numer. 2.* Azor. *lib. 9. c. 2. quæst. 6. in fine.* Granad. *controu. 2. de spe tract. 4. disp. 1. numer. 2.* Cruz *concl. 3. cit.*

Sed probabilius Respondeo Nec tunc teneri ita tentationibus vexatum ad eliciendum actum Spei, per se, & ex vi huius præcepti. Quia nec in tali casu, est medium necessarium ad vincendam tentationem contra spem; cum possit aliis mediis superari; nempe, oratione, consideratione, Fide, amore, aut imaginationis diuersione, vt bene aduertit Palao *pun. 4. num. 5.* & nos *tract. 2. de Fide*, loquendo de eius præcepto *disp. 2. quæst. 40.* Et dato casu, quod esset necessarium medium, adhuc tunc non obligaretur ad eliciendum actum spei directè ex vi præcepti affirmatiui, sed negatiui. Et ideo hanc sententiam tenent in primis Petr. Lorca *disp. 17. n. 9.* Vterque Hurtad. Complutensis quidem, *disp. 2. de spe diff. 6.* Salmanticensis, *disp. 118. sect. 2. §. 20.* eo quod existimet, rarò, aut nunquam, Spem esse medium necessarium ad superandam tentationem contra Spem, cum hæc ex metu gehennæ, & ex turpitudine peccati, aut alia virtute superari possit. Diana *part. 5. tract. 14. Resol. 106.* Ouiedo, *controuer. 3. punct. 7. numer. 90. & 97.* Fagundez *lib. 1. capit. 31. numer. 7.* vbi ita ait: *Alia tempora, quæ assignantur ad hoc præceptum, re vera sine vrgenti fundamento præscribuntur; & in iis, vel solum obligat per accidens præceptum Spei, vt quando vrget tentatio desperandi, vel re vera nulla datur obligatio, vt non datur eliciendi actum spei, diebus festis, quod aliqui existimarunt.* Sic ille Acacius *loco citato.*

Qvæstio VIII.

An, Adulti, qui conuertuntur ad Fidem, & vitam Christianam inchoant; obligentur directè, & ex vi præcepti Spei, ad eliciendum eius actum?

NEgat Gasp.Hurtad.*disp.2.diff.6.vers. In primis*, iuncto versu,*vnde actus Spei*. Cui adhæret Palaus *tr.5.pun.4.n.4.*

Sed probabilius longè Respondeo. Obligari per se,& directè ex vi præcepti Spei ad eliciendum eius actum. Quia sicut adulti,qui denuò conuertuntur ad Fidem,tenentur,ex vi huius præcepti,ad eliciendum actum fidei, vt habitum est *sup.tract.2.disp.2.q.33. & 34.* ita similiter,& ob eandem rationem ibi assignatam, teneri debent iidem ad eliciendum actum Spei,ex vi eiusdem præcepti. Ita Petr. Hurtad. *disp.* 118.*sect.2.§.19.*quem citat, & sequitur Diana *par.5. tract.14.Resol.105.*Ouiedo, *tract.de Spe controuers.3. punct.7.n.97.*Granad.*controu.2.tract.4.disp.1. num.2.* sic loquens : *Tertiò, quando quis accedit ad fidem, & illam suscipit, videtur obligari ad sperandum. Probatur; quia actus Spei, sicut & Fidei, est veluti fundamentum ædificij spiritualis, & sine quo vix poterit homo incitari, vt summam legis gratiæ integritatem profiteatur : ergo quando homo, legem hanc amplectitur, tenebitur elicere actum Spei* : & propterea Paul.ad Hebr.11. *Accedentem ad fidem,*(dixit)*oportet credere Deum esse remuneratorem* ; quia scilicet, id Spem excitat,& animum erigit ad bene sperandum.Sic ille.

Qvæstio IX.

An, extra tempora à nobis assignata, obliget in aliis, hoc Spei præceptum affirmatiuum, directè, & ex vi sua, ad eliciendos actus Spei?

AFfirmant quidam DD. obligare quidem extra assignatos casus, & tempora, in quadruplici potissimum. *Primò*,quando quis Deum orat:tenetur enim orare cum Spe impetrandi. *Secundò* quando pœnitentiam agit;nam actus pœnitentiæ non potest esse sine Spe veniæ.*Tertiò*. Quando obligat lex charitatis;quia Deus nequit amari,absque Spe. *Quartò*. Quando aliquid faciendum est, quod sine Spe præstari non potest. Sic docent Aragon *2.2.q.22.art.1.* Becanus *c.17.q.7.n.2.* Azor *lib.9.c.2.q.6.* licèt non omnes,hos omnes assignent casus.

Alij contrà,censent in præassignatis casibus, minimè obligare per se,aut vi sua, præceptum Spei ad eliciendos eius actus : benè tamen per accidens, ratione alterius præcepti, vel virtutis. Ita docet Trullench. *lib.1.Decal.c.4.dub.2.num.5.*vbi ait : hoc præceptum, prædicto modo obligare in sequentibus casibus. *Primò*,cum primum quis vsum rationis acquirit. (Sed in hoc obligare per se, supra diximus) *Secundò*,cùm obligatio currit pœnitentiæ.*Tertiò*,quando currit præceptum Orationis,& dilectionis Dei,& *Quartò*,quando incidit tentatio,contra aliquam virtutem(v.g.castitatem,)quam existimas non posse superare, nisi ad Spei anchoram confugias. Ita docet ille,ex Sanchio,Valentia,Layman.& aliis.

Sed clarius, distinctius, ac verius Respondeo dicendum *Primò*.In nullo ex præassignatis casibus primæ sententiæ, necnon (excepto primo) secundæ, obligat præceptum Spei directa vi,aut per se,ad eliciendum actus Spei. Quia nullo solido fundamento, ad contrarium asserendum, nituntur contrarij : vt ex mox dicendis patebit. Sic tenent communiter DD. Sanchez,Valentia,Layman,Ouiedo,Fagundez,vterque Hurtad.Trullench.& Bonac.*loc.cit.*

Respondeo *Secundò*. Nec per accidens obligat præceptum Spei ad eliciendum eiusdem actus, in tribus præassignatis casibus primæ, & secundæ sententiæ.Nam inprimis(ait Hurtad.Salmāticen.) Deus potest amari,absque Spe ; item & pœnitentia exerceri:qui enim reuelatione cognosceret,se esse ex numero damnatorum, adhuc posset cum gratia Dei,& Deum amare propter ipsum, & dolere de peccato commisso:hoc enim intrinsecam habet malitiam,& bonitatem ille ; hoc dignum odio, ille amore. Tum, quia illa in Spe diligentia, non exigitur ex obiecto Spei ; nec speratio præcipitur ob legem Spei, sed charitatis,& pœnitentiæ;ob quod nunquam admittitur speciale peccatum in Spem (*Recognosce* §.16.) Idem dico de secundo tempore, *hoc est, quando tenemur orare*;nam & orare possumus,absque actuali Spe de impetranda vita æterna, licèt non possumus sine Spe rei,quam petimus : Nec tamen hoc præceptum oriretur à Spe,sed à lege orationis : vnde tunc in solam religionem peccaretur. Hoc vltimum dico de tertio tempore ; *hoc est,quando aliquid efficiendum est, quod sine Spe præstari non potest.*Hæc Hurtadus. Idem docet Palaus, loquendo de tempore orationis. Quia stare(ait)optimè potest,te obligatum esse ad orationem aliquam faciendam,non tamen esse obligatum, neque indirectè, ad habendum formalem actum Spei ; sufficit si illum habeas implicitum, & virtualem,vt dixit Suarez *disp.2.de Spe,sect.1.n.2.*Qui enim petit à Deo beneficium aliquod, non tenetur illud petere ex amore sui;& ex relatione ad beatitudinem sibi conuenientem:potest enim illud petere, & sperare consequi ex amore amicitiæ, vel alio honesto fine : non ergo obligatur elicere formalem actum Spei:Hæc Palaus *tract.5 punct.4.n.3. in fine.* Ex quibus constat contra Authores secundæ sententiæ, quod neque per accidens obligat præceptum affirmatiuum Spei ad eliciendum actum illius, quando obligat lex charitatis, aut Pœnitentiæ,aut orationis.

Respondeo *Tertiò*. Quando aliquid est sub præcepto necessario faciendum, quod sine Spe præstari non potest, tunc obligabit præceptum Spei, non per se,sed per accidens ratione alterius præcepti. Sic authores secundæ sententiæ, inter quos, Sanchez ex Valentia, ita dicit : Addit autem optimè Valentia, aliquando quoque esse necessarium, & sub præcepto, actu Spei munire animum ad vincendas tentationes in aliis materiis:quando aliàs est periculum succumbendi. At tunc non obligabit præceptum Spei per se, & ex vi huius præcepti, sed per accidens ratione præcepti superandæ illius tentationis.Quare non elicere tunc actum Spei, minimè erit distinctum peccatum necessariò faciendum ab eo, quod committitur succumbendo tentationi, aut succumbendi periculo se exponendo.Quia actus Spei non requirebatur tunc per se,sed ratione præcepti vitandi alterius peccati, ad quod tentatio impellebat. Hæc Sanchez. Et tenent communiter omnes. Legantur Ouiedo, Fagundez,Trullench. Petr. Hurtad.*loc.cit.* necnon, & quæ diximus loquendo de præcepto Fidei ; *tract. 1. disp.2.quæst.*.....

Qvæstio X.

An sufficienter satisfaciat quis præcepto affirmatiuo Spei, si ob motiuum Charitatis, aut alterius virtutis infusæ, efficaciter speret, aut desideret beatitudinem?

NEgat Petrus de Lorca 2.2. *disp.* 17. (non 18. vt citant Petr. Hurtad. & Ouiedo ducti errore Typographi) *n.* 1. 2. & 5. Ratio est. Quia præceptum Spei determinatum motiuum huius virtutis respicit: ergo nõ satisfaciet illi, qui motiuo Charitatis, aut alterius virtutis infusæ, efficaciter beatitudinem sperat, aut desiderat. Antecedens probatur; à simili, nam præcepta Fidei, & Charitatis, respiciũt determinata motiua Fidei, & Charitatis; ergo & præceptũ Spei debet respicere determinatum motiuum Spei: ergo, &c. Ita ille *n.* 1. & 2. vbi ait, hanc esse omnium Theologorum sententiam, & tam proximam Fidei, vt opposita sit ad minus temeraria.

Sed probabilius certè Respondeo sufficienter satisfacere quẽ præcepto affirmatiuo Spei, actu Charitatis, aut alterius virtutis infusæ, quo beatitudinem efficaciter amet, aut desideret. *Primò.* Quia probabilius est, nullibi dari præceptum Spei, ob formale motiuum Spei. Solum namque præcipitur nobis, vt beatitudinem speremus: ergo facimus satis Spe orta ex charitate. Sic Petr. Hurtad.

Secundò. Quia, (vt benè Granados) virtus charitatis sperare potest, quidquid sperat virtus Spei: ergo nobiliori modo erigit voluntatem ad beatitudinem, ac proinde excellentius præstat id ad quod est necessarius actus Spei: ergo, &c.

Ad fundamentum Lorcæ, neganda est cum Ouiedo consequentia: disparitas est, quod Spes præcipitur per modum intentionis efficacis in ordine ad suum obiectum obtinendum, ad quod æquè vtile est desiderium efficax talis obiecti, siue ex motiuo Spei, siue ex motiuo Charitatis procedat. Actus verò Fidei, & Charitatis, præcipiuntur propter se ipsos, & non propter suum obiectum obtinendum, vel exequendum, ac proinde præcipiuntur determinatè, iuxta propria motiua. Sic tenent inprimis Suarius *disp.* 2. *de Spe, sect.* 1. *n.* 4. Granad. *contro.* 2. *tr.* 4. *disp.* 1. *n.* 3. Petr. Hurtad. *disp.* 118. *sect.* 1. *à* §. 7. ex Valentia *tom.* 2. *disput.* 8. *q.* 5. *punct.* 4. & Soto, apud ipsum Ouiedo, *contro.* 3. *pun.* 7. *n.* 94. & 96. Diana *p.* 5. *tr.* 14. *Resol.* 106. *in fine*, & alij iuniores. Ex quo constat, sine fundamento dixisse Lorcam, hanc nostram sententiam esse temerariam, & contra omnes Theologos; cum pro illa sint tot graues Authores, solidumquè fundamentum; & pro sententia sua nullum adducat Authorem; nullumque graue fundamentum.

Qvæstio XI.

An, huic Spei præcepto positiuo, omnes Fideles, facillimo negotio satisfaciant?

REspondeo: Facillimo negotio satisfacere. Quia *Primò* satisfaciunt illi, cùm propositum habent nunquam peccandi mortaliter. *Secundò*, cum de peccatis dolent. *Tertiò*, cum pia opera piè exercent, &c. Vnde optimè Ouiedo sic *punct.* 7. *citatum* concludit: *Fideles, qui religiosè viuunt, & pia opera exercent, & si aliquando in peccata labantur, scrupulis angi non debent, circa adimpletionem huius præcepti: quia moraliter certum est, illi satisfeciſſe: non enim possumus pia opera continuè facere, absque eo quod illorum plura fiant ex intentione consequendi beatitudinem, quæ secum afferunt Spei actum in ea intentione contentum.* Sic ille. Et Palaus *tom.* 1. *tract.* 5. *punct.* 4. *n.* 4. Diana *Resol.* 106. *cit.* Acacius *Resol.* 293. *n.* 5. *in fine*, ex Suario & Palao.

DISPVTATIO III.

De Desperatione, & Præsumptione, Spei oppositis.

§. I.

De Desperatione.

Qvæstio Prima.

Quid sit Desperatio?

RESPONDEO dicendum, quod est, voluntas efficax nolendi prosequutionem gloriæ, seu beatitudinis; seu, quod idem est, voluntas non apponendi media, ad eam consequendam. Ratio est. Quia Definitio desperationis desumi debet ex contrarietate, quam habet cum Spe: at Spes consistit in voluntate efficaci obtinendi beatitudinem, illamque procurandi, vt constat ex dictis *supra disput.* 1. *quæst.* 2. & 6. ergo desperatio consistet in voluntate efficaci nolendi beatitudinem, aut nolendi appositionem mediorum ad illam consequendam. Sic Palaus *tom.* 1. *tract.* 5. *disp. vnica puncto* 5. *numero* 1. Ouiedo, *tractat. de Spe controuers.* 6. *puncto* 1. & omnes communiter Authores.

Qvæstio II.

An, Desperatio consistat in actu voluntatis?

NEgat Luysius Turrian. 2. 2. *disput.* 64. *dub.* 1. existimans, desperationem consistere in actu intellectus, eo quod difficile sibi sit, assignare actum voluntatis, in quo desperatio consistat. Quam sententiam post seriam meditationem tenuisse P. Vasq. apertè fatetur.

Sed probabilius longè Respondeo dicendum, quod desperatio, non in actu intellectus, sed in actu voluntatis formaliter consistat. Probatur ex dictis. Quia desperatio est motus, seu actus contra Spem, seu contra illius obiectum: at hic est actus voluntatis: ergo. *Confirmatur.* Quia actus, quo quis non vult consequi beatitudinem, propter eius difficultatem, est actus voluntatis: & propriissimè opponitur Spei, & illius obiecto: atqui nulla alia malitia propriùs poterit illi assignari, quam malitia desperationis: ergo. Sic D. Thom. 2. 2. *quæst.* 20. *art.* 2. & 1. 2. *quæst.* 40. *art.* 4. & ibi Caiet. Bannez, Aragon, & alij Interpretes. Suar. *disp.* 2 *sect.* 2. Valent. *disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 2. Ægidius *disput.* 20. *dub.* 11. Granados *tract.* 4. *cit. disput.* 2. *num.* 1. Lorca *disp.* 19. *sect.* 2. Petr. Hurtad. *disp.* 114. (non 104. vt legi apud Ouied.) *sect.* 2. Gasp. Hurtad. *disp.* 2. *diff.* 4. Mœrat. *disp.* 35. quos omnes refert,

tert, & sequitur Ouiedo, *controu 6. punct.* 1. Palaus *pun. 5. carat.* Ripalda *disp.* 28 *sect.* 1. *n.* 6.

QVÆSTIO III.

An, Desperatio semper sit peccatum mortale?

REspondeo vt quid certum: Semper esse mortale; nisi aliàs defectus plenæ aduertentiæ, ab illo excusset. Ratio est. Quia salutem æternam, ad quam sumus creati, fugere, grauissimum est mortale. Nec in illo potest esse paruitas materiæ, cum nequeat dari in voluntate deficiendi integrè à prosecutione æternæ vitæ. Sic Suarez *disp.* 2. *sect.* 2. *n.* 4. & 5. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 5. Valentia *disp.* 2. *q.* 3 *punct.* 1. *circa finem.* Ouiedo, *controu. 6. punct.* 1. *n.* 18. Palaus, *tract.* 5. *pun.* 5. *n.* 5. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. c.* 4. *dub.* 3. *n.* 3. Fagundez *lib.* 1. *c.* 31. *n.* 8. Petr. Hurtad. *disp.* 115. *sect.* 3. §. 13. Becanus *c.* 17. *q.* 10. Granad. *tract.* 4. *disp.* 2. *n.* 3. & 6. & alij. An autem desperatio salutis, ita sit intrinsecè mala, vt nunquam possit à malitia excusari, ex dicendis infra constabit.

QVÆSTIO IV.

An, Desperatio sit semper coniuncta cum hæresi?

REspondeo vt certum: Non esse semper coniunctam; sed esse posse, absque hæresi. Patet. Nam possumus desperare credentes defuturam salutem, non quia defutura sit gratia sufficiens, & misericordia diuina: sed quia defutura est cooperatio nostra, ratione difficultatis, & impossibilitatis moralis, quam imbecillitas propriæ virtutis, & vitiorum frequentia, vehementiaque passionum persuadent. Cuius desperationis malitia consistit, in eo, quod nolentes eam difficultate superare, specialibus auxiliis gratiæ, quæ Deus orantibus, & conantibus crebro largitur, volumus ab oratione, & bonorum operum aliorumque conatuum prosequutione desistere. Sic cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 20. *art.* 1. & 2. tenet Ripalda *disp.* 28. *sect.* 4. *n.* 67. Sanchez *lib.* 2. *c.* 33. *num.* 6. Ouiedo, *controu. 6. punct.* 1. *num.* 17. ita scribens: *Ex his facilè explicatur quomodo desperatio salutis possit esse sine iudicio hæretico. Qui enim desperat salutem, illam fugiens, propter incompossibilitatem, quam habet cum suis voluptatibus illicitis, quibus carere non vult, hæreticus non est: Qui autem salutem desperaret, existimans misericordiam Dei, sat non esse, vt ipse per veram pœnitentiam ex gratia Christi factam, veniam impetret peccatorum; aut Deum esse impotentem illi beatitudinem largiri, hæreticus esset.* Sic ille, & omnes communiter.

QVÆSTIO V.

An, Desperatio, ex Acedia, & Luxuria oriatur?

REspondeo: oriri specialius ex Acedia; licèt ex luxuriæ affectu, oriri possit. Sic expresè S. Thom. 2. 2. *q.* 20. *art.* 4. Circa cuius doctrinam benè notat Aragon *ibi*, quod peccatum desperationis, non ita oriatur ex Luxuria, vel Acedia, vt habeant inter sese necessariam connexionem ista peccata, sed dicitur, quod oriatur ex illis; quia aliquando ita contingit, vt qui addictus est delectationibus carnalibus, non iudicet bona ardua, ac difficilia ea penes quæ Spes versatur: & qui habet Acediam ex animi deiectione, non iudicat illa possibilia sibi, vel per se, vel per alium: ex quo prouenit, vt non speret. Sic Aragon. *in explicatione art.* 4. *dicto* 2. & docent omnes Theologi cum S. Thoma *loc. cit.* legantur etiam Petr. Ledesma *tom.* 2. *tract.* 2. *c.* 2. *concl.* 5. Trullench. *lib.* 1. *Decal. c.* 4. *dub.* 3. *n.* 4.

QVÆSTIO VI.

An, peccaret, qui iudicaret, se non posse saluari, si, stante hoc iudicio, non desperaret?

REspondeo vt certum; quod sic. Quia non solum falsò contra fidem iudicat; sed etiam exponit se periculo desperationis, & ideò non solùm, contra fidem; sed etiam contra Spem delinquit. Sic Becanus *c.* 17. *q.* 8. *n.* 4. *quæsito* 2. Legantur Sanchez *loc. cit. n.* 6. Trullench. *dub.* 3. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 31. *n.* 9. Suarez *disp.* 2. *sect.* 2. *n.* 2.

Quod si quæras, an per dictum peccatum amittatur habitus Spei? Respondet Becanus *loc. cit.* quod non: quia (inquit) sicut Fides non amittitur, propter solum periculum hæresis, cui aliquis se exponit: ita etiam de Spe dicendum est. Ita ille.

Sed clarius Respondeo dicendum, quod in assignato casu, verè amittatur habitus Spei; non quidem ob peccatum commissum contra Spem, vt in hoc bene Becanus; sed ob peccatum commissum contra Fidem, ob illud iudicium contra eam factum, cum quo non potest stare habitus Spei. Ratio est clara: quia illud iudicium est contra Fidem: ergo per illud amittitur habitus Fidei: atqui hoc amisso, amittuntur etiam reliquæ aliæ virtutes Theologales; vt destructo fundamento corruit tota machina ædificij: ergo. Sic Fagundez *n.* 9. *citato.*

QVÆSTIO VII.

An, Deus, de potentia ordinaria, possit alicui suam damnationem reuelare, reuelatione absoluta, quam teneatur credere?

AFfirmandum videtur *Primò.* Quia de facto reuelauit Christus Pharisæum finalem ipsorum impœnitentiam. Ioan. 8. 21. & 24. *vos in peccato vestro moriemini. Secundò*, quia reuelata est etiam damnatio Antichristi absolutè futura, quam ille potest; imò & tenetur credere: ergo id Deus de potentia ordinaria facere potest.

Sed vt certum Resp. Non posse Deum de potentia ordinaria, seu iuxta leges ordinariæ prouidentiæ, reuelare alicui viatori suam damnationem absolutè futuram. Quare si cui aliquando fuit talis reuelatio facta, censenda est, vel illusoria, vel saltem comminatoria, & solum conditionata, *Nisi se emendauerit, &c.*

Probatur. Quia magis conforme est Diuinæ prouidentiæ, nulli suam condemnationem reuelare, aut alio modo eam certo notificare: ergo credendum est, ita decreuisse. Antecedens constat; quia magis conformè est Diuinæ prouidentiæ, homines, dum in hac vita conseruat, ad omne exercitium virtutum Spe præmij allicere, & prouocare: atqui ea damnationis reuelatio hominem infrigidaret ad exercitia virtutum, quia sine Spe præmij ægrè mouentur manus ad pietatem: ergo

ea reuelatio non poteſt benè com poni,cum his,quæ iuxta leges ſuæ prouidentiæ ordinariæ, de facto decreuit. Sic tenent communiter Doctores. Inter quos præcipui ſunt,D.Thom.*quæſt.23.de verit.art.8.ad 2.* Gabr. *lect.68. in canon.* Palac. *in 3.diſt. 26. diſput.2.* Maior *q.3.* Valent. *2.2. diſp.3. q.4.punct.1.* Bannez & Aragon *2.2.q.22.art.1.* Azor *tom.1.lib.2.cap.21.q.3.* Suarez *diſp.2.ſect.2.n.6.* Vaſquez *1.2.diſput.72.n.15.* Lorca hic *diſp.18.ſect.2.* Granados *controu.2.tract.2. diſp.4.* Luyſius,*diſp.85.dub.2.* Petr.Hurtad. *diſp.119. ſect.1.* Tannerus *par.1.n.73.* Ægidius *diſp.20.dub.12.* Quos omnes refert,ac ſequitur Ripalda *diſp.28.ſect. 2.n.27.& 28.* Sic etiam Arriaga *diſp.30.ſect.2.n.24.* Ouiedo, *controu.6.punct.2.n.23.* Palao *tract.5.pun.5. n.8.* Fagundez *lib.1.c.31.n.13.* Becanus *cap.17.q.10.*& alij communiter.Ex quibus,

Ad primum argumentum in contrarium dicendum eſt,talem reuelationem fuiſſe ſolùm comminatoriam, & conditionatam, vt ipſemet Chriſtus expoſuit dicens: *Dixi ergo vobis,quia moriemini in peccatis veſtris,ſi non credideritis;quia ego ſum,moriemini in peccato veſtro.*

Ad ſecundum omiſſis aliis reſponſionibus, dicendum eſt, cum Ripalda, quod prouidentia Dei erga Antichriſtum non ſit ordinaria, & cæteris hominibus communis; ſed extraordinaria, & irregularis exorbitans à cæterorum hominum prouidentia,propteraltiſſimos fines, quibus Deus eius viam decreuit diſponere. Quare poteſt componi Deum illi reuelare ſuam damnationem,quin regulari,& communi prouidentia alteri homini reuelare illam poſſit; quia eius ſpecialis prouidentia communibus legibus abſoluta eſt.Sic Ripalda *n.30.*

Qvæstio VIII.

An, ſaltem de potentia abſoluta, poſſit Deus, certò reuelare alicui ſuam damnationem?

NEgant adhuc aliqui DD.docentes, Deum nulla poteſtate,aut potentia poſſe reuelare alicui abſolutè ſuam damnationem.Ita D. Bonauentura *in 1. diſt.48.dub.1.* Gregorius *ibidem ad 3.* Altiſſiodorenſ. *lib.8. tract. 5.* Dionyſ. Richellius *Dialogo de Judicio animæ art.5.*& alij.Quibus fauent Ægidius,& Palaus quatenus docent, poſſe Deum homini peccatori ſuam damnationem notificare; ſecus verò homini iuſto.

Sed longè multò probabilius,imò vt mihi certum Reſpondeo dicendum, quod poſſit, tam iuſto actualiter, quàm peccatori. Quia nulla ex parte inuoluit contradictionem hanc reuelationem fieri à Deo,homini, ſiue iuſto, ſiue peccatori, vt latè docent, & probant,etiam aduerſus Coninch,Ripalda,& Arriaga,*loc.cit.* Ouiedo,& Hurtado;& omnes alij Theologi citati *q.7.* qua reſolutione ſuppoſita, ſit,

Qvæstio IX.

An ille, cui abſolutè eſset reuelata ſua damnatio, poſſit licitè deſperare de Miſericordia Dei?

AFfirmant,apud Ouiedum, Bannez,& Aragon, *2.2.q.22.art.1.* Becanus *c.17.q.8.* Luyſius *diſp. 65.dub.2.* Ægidius *diſp.20.dub.13.* Mæratius *diſp.35.* Gaſp.Hurtad.*diſp.2.diff.7.* Caſtillo *diſp.2. de Timore q.5. n.3.* Sed ex his Becanus, non docet id abſolutè *q.10.* in qua, de hac agit difficultate;ſolum enim docet,quod ille cui facta eſt reuelatio ſuæ damnationis, propter peccata præterita, quæ Deus non remiſit, nec ſtatuit remittere, poſſet deſperare de miſericordia Dei; non verò ille,cui Deus reuelaret, ſe reprobatum eſſe propter peccata futura,quæ liberè facturus eſt. Ita ille *q.10.cit.n.5. iuncto n.4.concl.3.* Tenent etiam apud Acacium,Bonacina,& Lorca.

Negant verò contrà alij,dicentes in prædicto caſu, illum hominem, poſſe ſperare de miſericordia Dei, ac proinde debere:& ita non poſſe licitè deſperare.Ita Azor *tom.1.lib.2.c.21.q.3.* & Victoria apud Aragon.*q.22.art.1.*& Vaſquez *1.2.diſp.72.c.3.n.15.* Valentia *to.3.diſp.2.q.4.punct.1.*& alij.

Alij tandem affirmant,hominem illum, cui facta eſſet reuelatio ſuæ damnationis; non poſſe ſperare ſalutem; teneri tamen non deſperare; & ſperare auxilia ad bona opera. Sic Suarez *diſp.2. ſect.2.num.7.* Quem citat, & ſequitur Fagundez *lib.1. c.31.à n.15.* Omnes quidem probabiliter. Legantur de hac difficulte,Arriaga,Ouiedo,& Ripalda *loc.cit.*& Acacius *Reſol.292.n.8.*

Qvæstio X.

An, teneretur quis corripere eum, cui nota eſſet damnatio,certò,& abſolutè futura?

NEgat Vaſquez *1.2. diſp.12. n.11.* apud Ripaldam: quia nulla poteſt eſſe emendationis ſpes, quæ ad correctionem fraternam neceſſaria eſt.

Affirmat è contra Tannerus *q.1. n.73.* quia peccata in ſingulari ſunt illi homini vitatu poſſibilia,& emendabilia:ergo ſperare poſſumus, hoc vel illud in ſingulari,emendari poſſe:ergo,&c.

Sed diſtinctius cum eodem Ripalda. Reſp.dicendum ſic. Si,per eam damnationis notitiam,conſtiterint peccata,propter quæ homo damnandus eſt, non poteſt eſſe obligatio illa corripiendi, & hoc conuincit ratio Vaſquij:ſecus verò,ſi ea peccata ignota ſint; quod probat ratio Tanneri.Sic Ripalda *diſp.28.ſect. 2.in fine.* Et hæc ſufficiant pro hac,de Deſperatione, materia.ſit,

§. II.

De Præſumptionis peccato.

Qvæstio XI.

In quo conſiſtat Præſumptio, ſumpta pro vitio oppoſito Spei Theologicæ?

REſpondeo dicendum, quod Præſumptio in dicta acceptione ſumpta, nil aliud ſit, quàm motus, ſeu affectus,quo ſperamus aliquid à Deo, inordinatè tamen.Vel vt clarius dicam,eſt ſpes obtinendi à Deo remiſſionem peccatorum,gloriam,& alia ſimilia ſupernaturalia dona, alter, quàm ipſe obtinenda ſtatuit.Sic communiter DD. cum D.Thoma *2.2.q.21. art.1.* Legantur Suarez *diſp.2. de Spe ſect.3.* Sanchez *lib.2.Decal.c.33.n.7.* Fagundez *lib.1.c.31.à n.18.* Trullench.*lib.1.cap.4.dub.3.à n.6.* Palaus *tract.5.punct.6.* Acacius *verb.Eſperança.Reſol.293.*

QVÆSTIO XII.

An, huiusmodi Præsumptio, sit, ex genere suo, semper mortalis?

REspondeo vt certum. Esse. *Primò* quia sic colligitur planè ex illo Ecclesiastici 18. *Vidi præsumptionem cordis eorum, quam mala. Secundò.* Quia voluntas obtinendi gratiam, aut gloriam, aliavè dona supernaturalia præter ordinem diuinæ prouidentiæ, & est illusoria, inutilis, & diuinæ Sapientiæ, & Potentiæ contraria: ergo grauem malitiam, ita grauem, vt nisi ex defectu plenæ deliberationis excusari non possit à mortali. Sic Bannez 2.2.*qu.*21. *dub.*2. Valentia 2.2.*disp.*2.*quæst.*3. *punct.*1. Sanchez *num.*7.*cit.* Bonac.*disp.*3.*quæst.*3.*punct.*1.*num.*5. Azor. *tom.*1.*lib.*9.*cap.*2. *quæst.*7. Tolet. *lib.*4. *cap.*7. *num.*9. quos omnes sequitur Palaus *pun.*6.*cit.u.*2. Trullench *num.*6.*cit.* Suarez *disp.*2. *sect.*3.*n.*2. Fagundez *n.*19. Ouiedo *pun.*3.*n.*33.

QVÆSTIO XIII.

An, crimen mortale Præsumptionis committeret, qui speraret à Deo, comparare tantam gratiam, quantam habuit Virgo Deipara?

REspondeo vt certum: quod sic. Quia verè speraret de Deo bona supernaturalia, præter Ordinem suæ Diuinæ prouidentiæ. Ad ipsum namque spectat, ratione finis ad quem Virginem in Matrem suam elegit, ei tantam gratiam conferre, quantam nulla alia creatura debeat comparare. Sic omnes. Fagundez *lib.*1. *Decal.cap.*31. *num.*19. Ripalda *disp.* 27.*sect.*5.*num.*91. Petr. Hurtad. *disp.*117.§.2. Suarez *disp.*2.*sect.*3.*num.*2.

QVÆSTIO XIV.

An, si quis vellet remissionem peccatorum, aut gloriam impetrandam, propriis viribus, & sine auxilio gratiæ; peccaret mortaliter, & contra Spem?

AFfirmant quidam DD. peccare quidem mortaliter, sed non contra Spem, eo quod licèt talis affectus sit mortalis; non tamen est actus Spei; cùm nullus possit sperare à se ipso, sed ab alio in quo arduitas Spei consistit: ergo tale peccatum non est contra Spem. Sic Luysius 2.2.*q.*21.*art.*2. *in comment.* ex Vazquio 1.*p.tom.*2.*disp.*235.*c.*4.

Sed multo verius Respondeo dicendum quod peccaret mortaliter, & contra Spem. Probatur quia talis affectus, seu velleitas ortum habet ab errore Pelagij, vt constat: Deinde est contra rationem Spei, patet, tum, quia in dicto casu, Spes est de gloria à Deo danda, licèt media sint naturalia, & ex propriis viribus: at hoc est peccare, contra rationem sperandæ gloriæ, ergo contra Spem. Tum etiam; quia ille, qui dicto modo vellet remissionem peccatorum, aut gloriam, non peccaret motu, seu affectu, qui est spes; sed desiderio gloriæ, contra eiusdem gloriæ assequendæ rationem. Ex quibus solutum manet fundamentum Luysij. Sic nobiscum tenent Suarez *sect.*3.*cit.nu.*2. Petr. Hurtad. *disp.*117. §.2. Ripalda *disp.*27.*sect.*5.*num.*96. Trullench *lib.*1. *Decal.cap.*4.*dub.*3.*num.*7. Palao *tra.*5.*pun.*6.*fine.* Acacius *Resol.*293.*cit.n.*2.

QVÆSTIO XV.

An, crimen Præsumptionis admitteret; qui vellet, sine pœnitentia, veniam peccatorum; & sine meritis, gloriam obtinere?

REspondeo vt certum: quod sic. Sic Suarez *n.*2. *cit.* Ita scribens: *Secundus modus Præsumptionis est, si quis indebito ordine speret, aut velit supernaturalia, aut remissionem peccati, sine pœnitentia; gloriam sine, meritis; aut excellentem Sanctitatem, tepidè, operando, & hæc est Lutherana præsumptio, quæ vix potest committi grauiter sine tali hæresi, & Spei aperte repugnat, ad quam spectat non solum digna, sed etiam dignè sperare de Deo.* Sic ille. Hurtad. Fagundez & Palaus citati, apud quos alios similes casus reperies.

QVÆSTIO XVI.

An, peccato graui Præsumptionis delinquat, qui se; sanctiorem, quàm est, existimat?

AFfirmandum videtur, ex parabola illa Pharisæi apud Lucam 18. ex cuius contextu, constat, illum grauiter peccasse, eo quod senserit se esse iustiorem, quàm erat, ergo.

Sed Respondeo dicendum, quod ita de se sentiens, verè peccet præsumptionis peccato; non tamen semper mortali; sed veniali, semper. Hæc secunda pars constat, quia illa de se existimatio, est inanis, & vana: ergo venialis semper. Prima verò pars, etiam patet: quia illa de se deceptio, & existimatio vana, potest contingere cum cognitione de gratia Dei, & de propria imbecillitate, & cum gratiarum actione, de accepta gratia; & tunc sola est deceptio in opinione de maiori gratiæ cumulo, quàm accepit; & ideo solùm venialis. Sic Petr. Hurtad. *disput.*117.§.6. Vbi ad rationem dubitandi rectè respondet, dicendo, quod si ille Pharisæus peccauit grauiter, non ideo fuit, quòd senserit, se esse iustiorem, quàm erat; sed ex alio capite, nempe, aut per crassam ignorantiam; aut erogationem virtutis, aut contemptum aliorum. Sic ille.

QVÆSTIO XVII.

An etiam, qui suam Spem in creatura collocat tanquam in remedio, quod per se solum, ad salutem obtinendam sufficiat; peccet mortaliter, contra Spem?

REspondeo vt certum. Peccare mortaliter. Quia mortale est, spectare omnino à creatura salutem; cum nullam, nisi cum Dei adiutorio impartiri possit. Sic Azor. *lib.*9.*cap.*2.*quæstion.*7. Sanchez *lib.*2. *cap.*31. *num.*7. Palaus *tract.*5.*punct. Vltimo numer.*3. & omnes alij. Qui tamen bene notant, non ob id interdici in hominibus Spem constituere, tanquam in his, qui nos vnà cum Deo iuuent, atque promoueant ad finem vltimum consequendum.

QVÆSTIO XVIII.

An item, peccet mortaliter, Præsumptionis crimine, qui, Spe veniæ obtinendæ, pœnitentiam de peccatis in vltimam Senectutem differt?

AFfirmat absolutè Medina *in sum. lib. 1. c. 14. §. 2. §. contra la esperanza.* His verbis: *lo secundo, se peca por presunsion, como si alguno con la confianza del perdon de los peccados, perseuera en su mala vida, o dilata la penitencia para la vejez, o para la hora de la muerte mortal.* Ita ille. Quem citat & ex parte sequitur Petr. Hurt. *disp. 17. §. 3. & 4.*

Alij censent, prædictum hominem, pœnitentiam differendo, peccare quidem contra Spem, sed non semper mortaliter. Ita Azor. *quæst. 7. citata:* Vbi ita ait: *Item, peccat contra Spem, qui suæ vitæ emendationem differendo, ad finem vitæ reuicit: in hoc enim, licèt quis lethale crimen non semper admittat; leuius tamen sæpe delinquimus; nisi tempus occurrat, quo malefacta detestari per pœnitentiam debeamus.* Hæc Azor.

Alij tandem, quamuis cum Azorio teneant, talem hominem non peccare mortaliter, nisi tempus occurrat, quo præceptum pœnitentiæ obliget; addunt tamen tale peccatum, non esse propriè præsumptionis, & contra Spem; quia non speratur beatitudo, absque pœnitentia, & Dei adiutorio. Ita Sanchez *numer. 7. cit. in fine.* Bonacina *disp. 3. quæst. 3. punct. 1. numer. 6.* Palaus *tract. 5. punct. 6. num. 3. in fine* Trullench *lib. 1. c. 4. dub. vltimo n. 6.* & Acacius *loco citato, num. 4.*

Sed clarius, & distinctius, sic probabilius Respondeo *Primò* Qui pœnitentiam in vltimam senectutem, aut mortis articulum, differt, ex Spe obtinendi in tali articulo, remissionem peccatorum, verè peccat mortaliter: Quia talis dilatio vere affert imminens periculum pereundi. Nam (vt bene Palaus ait) non est iustum, vt misericordiam inueniat, qui ex illa, occasionem sumpsit multiplicandi peccata, ex qua debeat peccato abstinere. Sic sentio cum Authoribus primæ sententiæ.

Respondeo *Secundò.* Tale peccatum, verè est præsumptionis, & contra Spem. Quia (vt bene Petr. Hurtado) verè agit contra Spem, qui se aperto periculo pereundi exponit, negligendo media ad beatitudinem obtinendam necessaria, ea differendo in tempus incertum cum tanto discrimine; Sic Medina, & Hurtado *locis citatis.* Suarez *disput. 2. sect. 3. n. 2. in fine* Fagundez *c. 3. 1. cit. n. 21.* & alij.

Respondeo *Tertiò.* Qui pœnitentiam, non in vltimam, senectutem, sed solum amplius iusto differt, sperans se facilè pœnitentiam acturum, & ob id semel, aut iterum cadit; tunc non committit speciale, mortale peccatum præsumptionis, aut contra Spem; sed solum peccatum, contra castitatem, v. g. aut contra iustitiam, &c. sic Petr. Hurtad. *loc. cit. §. 3.* Suarez *loc. cit.* & Fagundez, vbi ex illo, totam nostram doctrinam hucvsque datam, his amplectitur verbis: *Insuper peccatur etiam præsumptionis crimine, contra Spem, ab eo, qui Spem, veniæ obtinendæ, pœnitentiam in senectutem protendit; & qui, cum diu in peccatis perseueret, tam facilem veniam sperat, ac tam certam, ac si nihil peccaret; nam hoc etiam est contra debitum ordinem Spei: quia licèt interdum ex fragilitate deliquere ob Spem veniæ, possit aliquando non esse præsumptio, imo possit aliquando peccatum minuere; inde tamen occasionem perseuerandi in peccato sumere, est quoddam præsumptionis genus, pernicioſum admodum, & est mortale.* Hæc Fagundez, Qui & citat pro se Sanchium, Medinam, & Azorium; sed, vt vides, non ita bene.

QVÆSTIO XIX.

An, Peccatum Præsumptionis, sit semper coniunctum cum hæresi?

REspondeo Non esse semper; sed aliquando Potest enim Præsumptio hæc cum hæresi, & absque illa accidere. Est quidem cum hæresi (& sic duplex culpa) quando est error intellectus, quo crederet beatitudinem absque pœnitentia, & meritis obtinendam, vel solis propriis operibus, absque Dei gratia. Est verò sine hæresi, quando non datur quidem tale iudicium, sed nihilominus, ita quis in salutem æternam tendit, voluntate sua ac si posset beatitudinem, absque operibus propriis, obtinere, aut solis illis absque Dei gratia. Sic ex Valentia 2. 2. *disp. 2. quæst 3. punct. 2.* Docet Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 33 n. vltimo,* & Fagundez ex vtroque, *lib. 1. c. 31. num. 88.* Trullench *lib. 1. cap. 4. dub. vltimo, numer. 8.* Qui tamen ex Suario *disp. 2 sect. 3. num. 3.* & Villalobos *2 p. tract. 2. diff. 3. num. 4.* Aduertit, vix posse huiusmodi peccatum absque hæresi inueniri. Legantur dicti DD.

DISPVTATIO IV.

De Timore filiali, & seruili

QVÆSTIO PRIMA.

An Timor Domini opponatur Spei?

REspondeo opponi in aliquibus. *Primò* namque, opponitur in eo, quod Spes, est boni magni, ardui, futuri: Timor vero, mali futuri, probabiliter impendentis, & quod putamus ægrè, ac difficile posse nos subterfugere. *Secundò*, in eo, quod Spe animus dilatatur nam desiderio se fundit, expandit, ac porrigit: Timore vero, concussus, contrahitur, constringitur, & comprimitur: Timor ergo, opponitur Spei, & ratione rei obiectæ, & ratione actuum contrariorum, & effectuum. Sic optime & omnino Azor. *tom. 1. institut. Moral. lib. 9. cepit. 2. quæstion. 1.* & Gaspar. Hurtad, *disp. 2. de Spe. diff 1.* Vbi probat, timorem physicè opponi actui Spei.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit timor? & Quid?

REspondeo. *Primò* cum communi Theologorum Triplicem esse. *Primus* est, Timor filialis, seu filiorum. *Secundus* seruilis, aut seruorum. *Tertius* est, mundanus, seu mundanorum hominum: Sic communiter Theologi, cum S. Thoma. 2. 2. *quæst. 19.*

*art.*2. Ex quo ad secundum quæsitu m, responsum manet: & vt ad primum, etiam exipso, dicamus.

Respondeo *Secundò*, Quod *Timor filialis* est ille, quo quis timet malum culpæ, ne Deum communem Patrem offendat, instar boni filij, qui timet Patri penitus displicere, ob amorem filialem, quo ipsum diligit. *Timor seruilis*, seu seruorum, est, quo quis metu gehennæ à Deo peccatoribus inflictæ, peccatum euitat, ab ipsoque deterretur, instar seruorum, qui metu verberum, ac pœnarum formidine abhorrent perperam factitare. *Timor tandem mundanus*, seu mundanorum hominum, est quo quis, ne subeat ignominiam, & dedecus; ne infamiam contrahat, aut ne sustinere cogatur corporis dolores, vel ne bonorum iacturam faciat, virtutis officium, more mundanorum hominum prætermittit, ac negligit. Sic S. Thom. *loc. cit.* Et ex illo Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 3. Legantur etiam Sanchez *lib.* 2. *Decalog. cap.* 31. *numer.* 4. Suarez *disp.* 2. *de Spe sect.* 4. Ouiedo *tract. de Spe, pun.* 3. Petrus Hurtad. *disp.* 113. Ripalda. *de Spe, disp.* 22. Arriaga 2. 2. *disp.* 29. Gasp. Hurtad. *disp.* 2. *de Spe.* Palaus *tom.* 1. *tract.* 5. *pun.* 4. *à numer.* 5. Fagundez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 31. *à n.* 27. Trullench *lib.* 1. *c.* 4. *dub.* 2. *à n.* 14. Filliuc. *tract.* 22. *c.* 8. *à quæst.* 4.

Qvæstio III.

An, Timor seruilis sit bonus, licitus, & honestus?

Negant Hæretici nostri temporis, præcipuè Lutherani, vt refert Bellarmin. *lib.* 2. *de Pœnit.* Damnantes tanquam hypocrisim, & actum illicitum, timorem peccati propter pœnas.

Sed de Fide Respondeo dicendum, quod timor seruilis, quo quis deserit peccatum, ob pœnas à Deo infligendas in inferno, aut in Purgatorio, est bonus, licitus, & honestus, & vtilis ad nostram salutem. Probatur in primis ex Bulla edita à leone X. contra Lutherum, in quo hunc, & alios errores damnauit. Deinde ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. Vbi docet, attritionem, qua peccata detestamur, propter metum pœnæ æternæ, esse donum Dei, & fieri ex impulsu Spiritus sancti. Et *sess.* 6. *can.* 8. expressè definit merum gehennæ esse posse à peccato, & vitio liberum; quia potest dolorem peccatorum præteritorum excitare, & à futuris committendis auertere, & ad Dei misericordiam quærendam conuertere. Sic docent omnes Catholici. Legantur de hac materia latè tractantes Controuertistæ: necnon ex Modernis Ripalda *disp.* 22. *citata, à sect.* 4. Ouiedo, *contr.* 4. *pun.* 4. Arriaga *disp.* 29. *sect.* 1. & 2. & Nos 1. *par. tra.* 5. *de Pœnit. disp.* 1. *à q.* 11.

Qvæstio IV.

An, huiusmodi timor seruilis, possit esse malus, ex aliqua circunstantia, seu actu illi adiuncto?

Respondeo vt certum. Posse esse malum ex aliquo actu, seu circunstantia sibi adiuncta. Vnde, si quis à peccato se contineret metu gehennæ, alioquin omnino peccaturus, nisi hoc malum perhorresceret, tunc talis timor seruilis iam esset malus ex actu illo conditionato adiuncto, *nisi esset pœna gehennæ peccarem.* Sic omnes Theologi, inter quos nouissimè Ouiedo *punct.* 4. *cit. numer.* 51. Sic explicat: actu, quo quis ex timore pœnæ à Deo infligendæ, non furatur, & si permittat alium actum sibi adiunctum, quo dicet homo: *si pœna non esset, furarer*, & furtum sub illa conditione amet, per se cum illo coniunctus non est: rectè enim ego possum decernere non furari ex motiuo fugiendi pœnam, absque eo quod actu decernam, quid facerem, si motiuum illud deficeret, & absque eo quod de hac conditionali cogitem. Imo si homo attentè rem inspiceret, & naturam suorum actuum penetraret, non posset ex metu pœnæ efficaciter odisse hanc culpam, & simul habere alium actum, quo dicat; *si non esset pœna, culpam istam committerem*: quia per hunc actum incurrit reatum illius pœnæ, quam fugit, & eodem modo illam amplectitur, ac commissa illa culpa, quam vitat, vt pœnam fugiat. Veruntamen, quia sæpe homines ad hæc non attendunt, & illiterati vix illa percipient, sæpe cum actu, quo quis odio habet culpam, propter vitandam pœnam; alius actus adiungi poterit, quo voluntas dicat: *Culpam committerem, si pœna non immineret.* Hucusque Ouiedo. Legatur cum aliis, quos ipse citat, Petrus Hurtad. *disput.* 113. *sect.* 8. §. 62. & 75. Suarez *disput.* 1. *de Spe sect.* 4. *num.* 6.

Qvæstio V.

An, Timor mundanus, vt sic, sit malus?

Respondeo Esse. Quia certè malum est recedere à Deo, propter mala, quæ, ab homine infligenda timemus: at id facit amor mundanus: ergo ex se est malus. Sic S. Thom. 2. 2. *quæst.* 19. *art.* 3. & ex illo, omnes Theologi, præcipuè Azor. *lib.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 5. Qui bene aduertit, hunc timorem esse malum, non quod per se malum sit, metu ignominiæ, infamiæ, carceris, aut mortis, vel iacturæ bonorum à peccatis abstinere illaque vitare, nam hic timor seruorum quoque est, non mundanorum; proprius, & iustorum hominum similiter hic timor communis est: Sed quod metu horum malorum quis perperam faciat, in vitio est, & culpa; quoniam ne in minorum mala incidat, maiora committit, & perpetrat: ne in dedecus, & infamiam incurrat, culpam contrahit: ne ignominiam, aut bonorum iacturam sustinere cogatur, peccatum facit. Sic ille. Et omnes.

Qvæstio VI.

An, Timor mundanus semper sit mortalis.

Affirmant D. Thom. 2. 2. *q.* 19. *art.* 2. *in corp.* & *ad* 4. & *art.* 3. quem sequuntur Bannez *art.* 3. *dub.* 1. *concl.* 3. Aragon *notab.* 2. Valentia *tom.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 3. & alij Recentiores.

Alij contrà docent, timorem mundanum non semper, sed aliquando solùm, esse mortale; aliquando verò veniale. Ita tenent aliqui Recentiores, inter quos, præcipuus est Lorca *disp.* 11. *num.* 1. Vbi his verbis, contra Authores primæ sententiæ loquitur: *Primum dubium est, vtrum timor mundanus semper sit peccatum mortale? Recentiores definiunt, semper esse. Quod inaduertenter proferunt, neque longa disputatione indiget. Cum enim timor mundanus sit, quando propter timorem iacturæ temporalis transgredimur aliquod præceptum legis, manifestum est, hunc timorem esse peccatum mortale, vel veniale pro grauitate præcepti, quod violatur: atque adeò, sicut adulterari metu mortis,*

tis, peccatum mortale est; mentiri metu mortis, peccatum veniale est; & nemo inficiabitur cum qui mentitur metu mortis, timore mundano affici, nisi commiscamur aliam speciem timoris. Hæc Lorca.

Sed ego distinctius, concordando vtramque sententiam, Respondeo dicendum, quod amor mundanus dupliciter sumi possit; vel rigoresè, & absolute; vel lato modo, aut secundum quid. Si absolutè, & expressè aut rigorosè illum accipiamus, semper est peccatum mortale. De hoc enim amore sic accepto, intelligitur illud Ioan. 2. *Qui diligit mundum, non manet in Charitate.* Et D. Thomas *loc. citato*, si verò illum, lato modo, & secundum quid, aut quasi analogicè, accipiamus; potest esse venialis, vt conuincit ratio Lorcæ. Sic P. Suarez *disput. 1. sect. 4. num. 2.* & latius Petr. Hurtad. *disp. 113 sect. 7. §. 45. & 46.* Vbi ait, hanc quæstionem tantum esse de nomine.

Qvæstio VII.

An, Timor mundanus, qui ad peccandum inducit, duplex peccatum importet; aliud ratione illius, ad quod inducit; aliud ratione affectus immoderati ad rem illam, quam timet amittere?

Respondeo Dicendum, quod timor mundanus aut includit affectum circa rem, aut obiectum ex se illicitum: aut circa rem, aut obiectum ex se licitum, seu indifferens. Si primum; semper inducit duplex peccatum in confessione explicandum; si verò secundùm, vnicum. Illustremus hanc responsionem exemplis. Sit primum pro prima parte. Qui timore pellicis ab eo recessurum, seu metuens, ne ab eo discederet, committeret furtum, vt donis illius amorem prouocaret, duplex certè peccatum committeret; vnum, contra iustitiam, cuius timor fuit causa, seu occasio; aliud contra temperantiam, propter affectum, quem timor ille includit. Id esse certum fatentur omnes, præcipue Ouiedo *controu. 5. punct. 4. num. 39.* & Petr. Hurtad. *disput. 113. sect. 7. §. 47.* ibi: illic esse duo peccata est certius certo, est enim duarum legum violatio.

Sit secundum, pro secunda. Qui sacrum omitteret, ob timorem non addiscendi facultatem, cui studet, aut ne amittat luccellum aliquod, non admitti nisi vnicum peccatum specie in religionem; quia in hoc casu, timor mundanus non includit affectum circa obiectum ex se illicitum, vt constat. Sic Petr. Hurtad. *loc. cit. §. 49.* dicens esse doctrinam omnium, legantur dicta à nobis.

Qvæstio VIII.

An detur præceptum diuinum de Timore filiali, & seruili Dei?

Respondeo vt certum: Dari. Quia id clarè colligitur ex Sapientiæ *cap. 1. vers. 27. & 28. Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Atqui iustificatio omnino est necessaria ad salutem: ergo & timor, sine quo ipsa esse non potest, necessarius erit. Sic D. Thomas *2. 2. quæst. 22. art. 2.* Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 33. num. 4.* Suarez *disp. 2. de Spe sect. 1. numer. 4.* Fagundez *lib. 1. cap. 31. num. 27. & 28.* Palaus *tract. 5. disp. vnica pun. 4. num. 5.* Petr. Hurtad. *disp. 118. sect. 3. §. 22.* Dicens id esse certum apud omnes. Ouiedo, *contr. 5. pun. 9. n. 111.*

Qvæstio IX.

An, Præceptum de Timore filiali, & seruili, sint specialia; itavt ex vi illorum, teneatur quis aliquando, expressè, & formaliter quem actum dictorum timorum exercere?

Affirmant Bannez *2. 2. quæst. 22. art. 2. in solut. ad 1. & 2.* Vbi docet esse specialia præcepta; obligareque præceptum timoris filialis, quando quis est in periculo peccandi, & solo timore orto ex amore Dei, ad cauenda peccata ducitur: Præceptum vero timoris seruilis tunc obligare, quando necessitas vitandi peccati occurrit, ne ducatur quis ad id vitandum, nisi pœnæ timore. Fundamentum huius sententiæ potest esse. Quia sæpe quis graui tentatione vexatur, eamque solummodo vincit, eo quod timeat, ne offendat Deum, neve in pœnam inferni incurrat; ergo huiusmodi timoris præceptum, obligat specialiter in dicto casu. Huic sententiæ adhæret Acacius *Resol. 293. num. 5.* Et satis fauet Filliuc. *tra. 22. c. 8. q. 5. n. 155.* licet *q. 6. sequenti*, oppositum sequatur.

Sed probabilius Respondeo, Non dari speciale præceptum timoris, sed eodem præcepto, quo aliæ virtutes præcipiuntur, etiam exigi timorem, per quem homo retrahitur à transgrediendo illarum præcepto.

Ratio est. Quia nullus ex his timoribus, expressè, & formaliter sumptus, est simpliciter necessarius ad iustificationem impij, cum sufficiat si virtualiter insit: ergo nullum adest speciale præceptum exercendi hos timores expressè, & formaliter; ergo satis erit, si exerceantur cum opera aliàs præcepta executioni mandentur.

Ad fundamentum contrariorum dicendum est, in præassignato casu, obligari quidem vexatum tentatione ad eliciendum actum timoris, sed non ex præcepto speciali timoris, sed ex præcepto illius virtutis aduersus quam tentatur: vt loquendo de præcepto Spei diximus *supra.* Sic Valentia *2. 2. disp. 2. quæst. 4. punct. 2. fine.* Sanchez *lib. 2. cap. 31. num. 4.* Fagundez *lib. 1. cap. 31. num. 29.* Filliuc. *loc. cit.* Palaus *punct. 4. num. 6.* Petr. Hurtad. *disput. 18. sect. 3.* Granados *tract. 3. disput. 5.* Ouiedo, *loc. cit. numer. 112.* Machado *lib. 2. part. 2. tract. 5. docum. 2. num. 8.* Gaspar Hurtad. *disp. 2. diff. 6. in fine* Trullench *lib. 1. capit. 4. dub. 2. n. vltimo.* Villalob. *part. 2. tract. 2. diff. 1. num. 3.* & alij.

TRACTA

TRACTATVS IV.

DE CHARITATE DIVINA.

DE Charitate agunt Magiſter ſententiarum *in* 1. *diſt.*17. *& in* 2. *diſt.*26. *& in* 3. *diſt.*27. Cum eo omnes Commentatores. Angelicus Doctor D. Thomas 2.2. *à quæſt.*23. ibique eius Diſcipuli, Cæterique Theologi, Bannez Caiet. Aragon,& alij, Suarez *tract.*3. *de Charitate per totum.* Quiedo etiam, *tract,*.3. Arriaga 2.2. *à diſput.*31. Ripalda *à diſput.*29. Becanus *part.*2. *à cap.*18. Caſtro Palao *tom.*1. *tract.*6. Ægidius *diſput.*21. Sanchez *lib.*2. *Decalogi à cap.*34. Fagundez *lib. etiam* 1. *cap.*27. Trullench, *lib.*1. *à cap.*5. Petr. Hurtadus de Mendoza *à diſput.*120. Gaſpar Hurtad. *tract. de Charitate* Filliuc. *tract.*22. *à cap.*9. Bonacina *diſp.*3. *quæſt.*4. Azor. *lib.*9. *inſtit. moral. cap.*3. & alij referendi.

DISPVTATIO PRIMA.

De Eſſentia Charitatis.

QVÆSTIO PRIMA.

An, Charitas, quâ nos Deum diligimus, ſit quid creatum?

NEGAVIT Magiſter *in* 1. *diſt.*17. docens, Charitatem habitualem, non eſſe aliud, quàm ipſum Deum, & per appropriationem, Spiritum Sanctum, & ideo non eſſe donum creatum nobis inhærens, quamuis Fides, & Spes habituales, ſint creata dona nobis inhærentia. Hanc ſententiam Magiſtri approbarunt Gregorius *in* 1. *d.*17. *quæſt.*1. *art.*1. & Aureol. *ibidem, art.*1.

Sed vt quid certiſſimum Reſpondeo dicendum, quod Charitas, ſit donum creatum à Deo in nobis productum, & voluntati ſuperadditum, quo dilectionem Dei ſupernaturalem efficiat. Sic expreſſe docet Tridentin. *ſeſſ.*6. *cap.*7. definiens Charitatem eſſe donum aliquod creatum nobis infuſum; per hæc verba: *Hoc enim fit, dum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, & illis inhæret, in iuſtificationem enim infuſa accipit homo tria hæc Fidem, Spem, & Charitatem.* Et ideo, ſic docent Omnes Theologi. Legantur Bannez 2.2. *quæſt.*23. *art.*2. Vbi ſententiam Magiſtri cenſet temerariam, & errori proximam, Suarez *diſput.*3. *ſect.*1. erroneam, Lorca *diſput.*3. *numer.*8. improbabilem. Ægidius *diſput.*21. *numer.*1. Sacris ſcripturis, & Conciliis repugnantem. Valentia *diſput.*3. *quæſtion.*1. *punct.*1. Eſſe contra Fidem. Ripalda *diſput.*29. *ſect.*1. *num.*2. & Quiedo, *controu.*1. *punct.*3. *numer.*25. Arriaga 2.2. *diſp.*31. *ſect.*1. Becanus *capit.*22. *quæſtion.*1. Petrus Hurtadus 2.2. *diſput.* 123. §. vbi ait ſententiam Magiſtri expreſsè eſſe damnatam à Concilio Trident. *loc. citato.*

QVÆSTIO II.

Quotupliciter ſumatur Charitas?

RESpondeo breuiter, quod tripliciter. *Primò* pro ipſo Deo, provt eſt obiectum amoris beneuolentiæ iuxta illud. 1. Ioan. 4. *Deus Charitas eſt, & qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo. Secundò*, pro actu dilectionis, vel Dei erga nos, vel noſtri erga Deum. *Tertiò*, pro habitu ſupernaturali, qui eſt virtus voluntatem eleuans, & inclinans ad amandum Deum amore beneuolentiæ ſupernaturali, & hæc eſt propria Charitatis acceptio, & de illa præcipue Theologi diſputant. Sic Suarez *in proœmio huius tractatus*, & ex illo non citato, Trullench *lib.*1. *Decalogi cap.*5. *dub.*1. *num.*1. & Palaus *tract.*6. *cit. diſp.*1. *pun.*1. *n.*1. vbi ſolum de acceptione Charitatis, pro actu, vel habitu, loquitur. & alij.

QVÆSTIO III.

Quid ſit Charitas, ſumpta pro habitu?

RESpondeo ex D. Auguſtino *lib. de Morib. Eccleſiæ capit.*11. Quod eſt virtus ſupernaturalis, qua Deum, propter ipſum amamus, & digni efficimur illius amore. Sic Quiedo *controu.*5. *punct.*1. *num.*2. Vel, vt alij ex D. Thoma 2.2. *quæſt.*23. Eſt habitus, ſeu virtus Theologica & ſupernaturalis à Deo infuſa, qua Deum propter ſe ipſum, & ſuam bonitatem ſuper omnia diligimus, & reliqua omnia propter Deum. Sic Trullench *dub.*1. *cit. n.*2. Bonac. *num.*1. ex Valentia, Becano, & aliis.

Quæstio IV.

An, Charitas sit excellentissima Virtutum, in genere morum?

NEgant Lutherani, asserentes Fidem esse perfectiorem Charitate.

Sed vt quid certissimum Respondeo Charitatem esse perfectissimam omnium virtutum in genere morum. Constat ex Scripturæ locis. D. Pauli 1. ad Corinth. 13. *Nunc manent Fides, Spes, & Charitas, tria hæc; maior autem horum est Charitas.* Et ad Coloten. 13. *Super omnia hæc Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et 1. ad Thimoth. 1. *Finis præcepti est Charitas.* Et Christus Dominus Matth. 22. dicit. *Hoc est primum & maximum mandatum.* Ex quibus locis constat, Charitatem esse omnium virtutum, tam moralium, quàm Theologicarum, maximam, saltem in esse moris. Quia si excedit omnes virtutes Theologales, quæ sunt perfectiores: ergo omnium virtutum erit excellentissima ac perfectissima. Sic omnes Theologi cùm S. Thoma 2.2. *qu.* 23. *art.* 8. inter quos, legantur Ouiedo *controu.* 2. *pun.* 2. *à num.* 22. Suarez, Ægidius Petr. Hurtad. & alij statim citandi Bonac. & Trullench *loc. cit.* Ripalda *disp.* 39. *sect.* 1.

Quæstio V.

An, non solùm in esse moris; sed etiam in genere physico; omnes virtutes, & præcipuè Fidem antecellat Charitas?

NEgant aliqui D D. docentes, Fidem Theologicam, excellentiorem esse in esse physico Charitate. Quia actus Fidei, & suo modo, habitus pertinet ad nobiliorem potentiam, & habentem perfectiorem modum operandi, nempe ad intellectum (vt habitum est supra *tract.* 2. *de Fide*) qui quidem perfectior est, quàm voluntas, ad quam pertinet Charitas: Ergo actus Fidei, & suo modo habitus, perfectior est in esse physico actu, seu habitu Charitatis. Ita sentiunt Gaspar Hurtad. *disp.* 2. *de Charitate diff.* 3. qui & citat pro se Caietanum 1. *par. quæst.* 82. *art.* 3. Ferraram 3. *contra Gent. cap.* 26. & Vazquium 1.2. *disp.* 11. *num.* 45. Quibus non dissentit Luysius Turrian. 2.2. *disp.* 41. (non 6. vt legi apud Ouiedum) *dub.* 8.

Sed probabilius Respondeo dicendum, quod Charitas non solùm in esse moris, hoc est, non solùm in ratione bonitatis moralis, per quam bene operantes donantur à Deo præmio; sed etiam in esse physico, antecellit, & excellit omnes virtutes, necnon & Fidem. Sic tenet, & probat Ripalda *disput.* 29. *cit. sect.* 1. *num.* 4. à priori his rationibus. *Quia, virtutes morales antecellit, & antecedit obiecto formali, quod est diuinum, complectens omnes perfectiones diuinas; cum earum obiectum formale creatum sit. Cæteras verò Theologicas, Fidem, & Spem, excedit modo respiciendi obiectum formale diuinum: nam Charitas mouetur adæquatè ex sola, & omni perfectione diuina; Fides, verò & Spes, solum inadæquatè, quoad actus præcipuos cum necessario consortio motiui creati, nempe reuelationis, & visionis beatæ. Item, Charitas amat Deum purè, absque mercedis, & remunerationis affectu; secus verò Spes. Fides quoad principes actus, respicit Deum obscurè, & propter vnam, vel alteram perfectionem: Charitas verò, non solum obscurè, sed etiam clarè propter omnes eius perfectiones. Quæ ratio non solum probat præstantiam Charitatis, super omnes virtutes viæ, quoad perfectionem moralem; sed etiam quoad physicam. Quoniam perfectio desumpta ex obiecto formali, & modo intrinseco tendendi ad actus, physica est.* Hucvsque Ripalda. Sic etiam Caiet. *hic art.* 6. (quidquid alibi 1. *p.* dixisse, non ita bene, dicat Hurtadus) & alij Thomistæ. Suarez etiam *disp.* 3. *de Charit. sect.* 1. *num.* 3. & 4.) vbi respondet fundamento Hurtadi) Ægidius *disp.* 21. *dub.* 5. Granados *tra.* 1. *de Charit. disp.* 4. Mœratius *disp.* 38. Salas 1.2. *tom.* 1. *quæst.* 3. *tract.* 2. *disp.* 2. *sect.* 5. §. 5. Petrus Hurtad. *disp.* 132. *sect.* 2. Ouiedo, *controu.* 2. *punct.* 2. *à numer.* 20. Lorca *disput.* 9. Arriaga *in* 1.2. *tom.* 1. *disput.* 27. *sect.* 1. & 2.

Quæstio VI.

Quid sit obiectum materiale primarium, & secundarium Charitatis?

REspondeo breuiter, quod obiectum materiale primarium Charitatis, est Deus ipse, secundùm omnes suas perfectiones, iuxta nuper dicta; secundarium verò, est proximus, quatenus Deo refertur, eiusque beatitudine participare potest. Prima pars patet: Quia in Deo primariò relucet ipsum formale obiectum, quod est bonum diuinum per essentiam. Secunda etiam constat, ex illo 1. *Ioann.* 4. *Si diligimus inuicem. Charitas eius in nobis est.* Ratio est. Quia in proximo inuenitur aliquid Dei, quatenus, scilicet, est creatura eius, filius eius adoptiuus, particeps eius beatitudinis &c. ergo spectat secundariò ad obiectum Charitatis. Sic omnes Theologi cum S. Thoma 2.2. *quæst.* 25. *art.* 1. legantur Suarez *disput.* 1. *de Charit. sect.* 1. Ripalda *disput.* 37. *per totam.* Ouiedo, *contrcu.* 3. *à punct.* 1. & alij Recentiores.

Quæstio VII.

Quid sit obiectum formale Charitatis?

REspondeo breuiter obiectum formale, seu ratio sub qua habitus, aut actus Charitatis, est Deus, sub ratione boni, propter se amabilis; seu bonitas increata, infinita Dei, vt in se, ac ipsi Deo bona. Per hoc enim distinguitur Charitas ab Spe; quia hæc respicit Deum vt bonum nobis, seu bonitatem increatam, vt vtilem, & commodam nobis; à Fide, quia hæc tendit in Deum vt verum, seu veracitatem increatam: Charitas verò in Deum vt in se, & propter se bonum, aut bonitatem increatam vt bonam ipsi Deo. Sic D. Thom. 2.2. *quæst.* 23. *art.* 5. *ad* 2. & *art.* 6. *in corp.* Suarez *loc. cit. sect.* 2. Ouiedo *controu.* 4. *pun.* 1. & Alij communiter. Et hæc sufficiant de quæst. Theologicis.

DISPVT.

DISPVTATIO II.

De Præcepto Charitatis Dei.

QVÆSTIO PRIMA.

An sit præceptum, de implicitè diligendo Deo?

RESPONDEO vt quid certissimum apud omnes: Esse. Sic, vt certũ supponit Arriaga 2.2.*disp.*36.*sect.*1.*n.*2. his verbis: *Aduerto dupliciter dici posse Deum à nobis diligi: Primo implicite, quatenus nolumus vllum peccatũ mortale cõmittere, quo eius amicitia dissoluatur: implicite enim alterum amat, qui non vult illum grauiter offendere, nec amicitiam cum eo initam dissoluere. Hunc implicitum amorem Dei esse sub obligatione est certo certius: at talis obligatio immediate prouenit ab eis præceptis, quæ prohibent v.g. occidere alium, sine iusto titulo; fornicari, furari &c. & in hoc sensu præceptũ illud obligat semper, & pro semper: semper enim teneor Deum non offendere. In præsenti ergo non est nobis de eo amore sermo. Alio modo Deum amare possumus, proprio, & vero amore, quo erga eius infinitam bonitatem à nobis, siue per Fidem, siue per lumen naturale cognitam bene afficimur, eumq; affectu beneuolentiæ prosequimur: & de hoc solo amore in præsenti nobis est sermo, an sit sub præcepto.* Hęc omnia Arriaga. Et bene. Sit ergo nobis,

QVÆSTIO II.

An etiam sit speciale præceptum, de Diligendo Deo, amore proprio, & vero positiuo?

NEgandum videtur. *Primò*: quia in Decalogo non continetur tale præceptum. *Secundò*: quia *Ioann.*14. dicitur: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Ergo obseruantia mandatorum, est dilectionis præceptum: ergo solum datur præceptum de diligendo Deo implicitè, iuxta *quæst. antecedenti* dicta. Propter hæc ita tenet Gasp. Hurtard. *disp.*4.*diff.*1. qui citat pro se Maldonatum *in Matth.*22. *vers.*39. Iansenium *in concord. Euangel. cap.*82. & Ioann. Sancium *in select. disput.*1. *numero* 21. & penes illum Vazquez *de pœnit. quæst.*90. *art.*1.*dub.*4.*n.*40. & Molina 1.*p.q.*63.*art.*2.*& 3. disp. vnica mem.*2. & D. Thom. 2.2. *quæst.*44.*art.*1. *ad* 3.

Sed etiam vt fere certum, Respondeo, Esse, & dari speciale præceptum de diligendo Deo, amore vero, & proprio; vltra generele, quæ de omnibus præceptis dari nuper diximus. *Primò*: quia id haud obscurè colligitur ex sacra Scriptura *Deuteron.*6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto, & ex tota anima tua, &c.* Et Paul. 1.*ad Timoth.* 1. *Finis autem præcepti est Charitas de corde puro.* Et Matth. 22. *Hoc est primum, & maximum mandatum.* Ergo datur præceptum de dilectione, & amore Dei, distinctum omnino ab aliis.

Secundò probatur. Quia, si de Fide, & Spe datur speciale præceptum, vt habitum est supra: à fortiori debet dari de Charitate, quæ nos Deo perfectius vnit. Sic tenet communis Theologorum sententia cum S. Thoma 2.2. *q.*44.*art.*1. *in corp. &* 1.2.*q.*100. *art.*10. D. Bonau. *in* 3.*dist.*37.*art.*2.*q.*1. Scot. *dist.*27. *q.vnica* Durand. *dist.*37.*q.*1. *num.* 10. Sotus *lib.*2. *de de Iust. & Iure q.*3.*art.*10. Caiet. 2.2. *quæst.cit.* Bannez, & Aragon *in art.*1.*cit.* Nauarrus *in Man. cap.*11. *numer.*7. Valentia *to.*3. *disp.*3.*q.*19. *pun.*1. Azor. *tom.*1. *lib.*9.*c.*3. & 4. Suarez *disp.*5. *de Charit. sect.*1. & 2. Lorca *disput.*57. inurens oppositæ sententiæ notam maximi erroris. Thom. Sanchez *lib.*2. *Decal. cap.*35. *n.*1.2. & 3. Luysius *disp.*97. *dub.*1. & 2. Ruard. Almain. Gabr. Medina, & Ferrara, quos omnes citat, & sequitur Petr. Hurtad. *disp.*174. *sect.*4.§.12. dicens, hanc sententiam esse certissimam, apud Authores tam antiquos, quam recentiores, & non posse tutò negari. Sic etiam Arriaga, *vbi supra*, *disp.*36.*sect.*1. Palaus *tract.*6.*pun.*2.*n.*1. Fagundez *lib.*1. *in Decalog. c.*37. *n.*1. Trullench *lib.*1.*cap.*5. *dub.*3. Filliuc. *tr.*22. *cap.*9.*q.*7. Bonac. *disp.*3.*q.*4.*pun.*1. & 2. Ausonius *in Sum. Dianæ, verbo Præceptum num.*9. Machado *lib.*2. *par.*2.*tract.*6.*docum.*2.*n.*1.

Nec fundamenta oppositæ sententiæ sunt alicuius momenti. Ad primum enim dicendum, vel, quod præceptum dilectionis Dei contineatur in primo Decalogi præcepto, vt vult Petr. Hurtad. *disp.*174.*citata sect.*3. & Fagundez *loc.cit.* vel dato quod ibi non contineatur, contineatur in primis principiis, & sit veluti præambulum, ac basis colendi Deum; neque enim honorem Deo dignè deferre possumus, quin illum priùs agnoscamus, & diligamus. Sic cum S. Thoma 2.2.*q.*44. *art.*1.*ad* 3. respondent communiter DD. & constat ex habitis supra *tract.*1.

Ad secundum dicendum, quod, qui obseruat præcepta, verè diligat Deum, non tamen positiuo, proprio, ac vero formali actu dilectionis, de quo (vt diximus) est præceptum: sed solum amore implicito, & virtuali, ac interpretatiuo, quatenus interpretari potest, Deum diligere, qui eius voluntatem, seruando præcepta exequitur.

QVÆSTIO III.

An, huiusmodi amoris præceptum, obliget ad amandum Deum, super omnia; non solum appretiatiuè, sed etiam intensiuè?

REspondeo vt quid certum: solùm obligare ad amandum Deum super omnia appretiatiuè, non verò intensiuè. (Quidquid aliqui dixerint *vt infra.*) Pro huius responsionis intelligentia supponendum est, quod dupliciter possit amari Deus super omnia. *Primò*, appretiatiuè. *Secundò*, intensiuè. Tunc amore appretiatiuo amamus Deum, quando eum, omnibus aliis rebus præferimus; & ita illius amore affecti sumus, vt parati simus, pati potius omnia mala, vel res omnes perdere quàm ipsum Deum perdere, & offendere. Tunc verò intensiuo amore Deum super omnia amamus; quando feruentiori, intensiori, & vehementiori actu, quàm omnia alia diligimus. Hoc ergo supposito dicimus, quod præceptum de diligendo Deo super omnia, de amore appretiatiuo, & non de amore intensiuo intelligatur.

Probatur prima pars responsionis. Nam de illo amore intelligitur præceptum, quod de se efficax est ad omnia præcepta seruanda: sed hic est amor appretiatiuus, quia habens illum præfert Deum omnibus aliis rebus: ergo de hoc amore præceptũ intelligitur.

Confirmatur hæc pars, simulque probatur secunda, Quia nullum datur præceptum de intensiuo amore: ergo solum de appretiatiuo extat. Antecedens probatur. Tum quia non datur de amore ita intenso, quin nulla ratione intensior esse possit: alias omnes hoc præceptũ exequentes, amarent Deum ita

intenſe ac Chriſtus Dominus amauit. Neque datur de amore ita intenſo, qui expleat totam efficaciam auxilij ; aliàs habens auxilium ad amandum Deum amore intenſo,vt octo,ſi illum amaret, vt quatuor, non diceretur præcepto Charitatis ſatisfacere. Neque denique datur de amore,qui in intenſione præcedat omnes alios creatos amores:aliàs dolens filius, qui de patris morte & condemnatione doleret æquè intensè,ac de ſuis peccatis, non amaret Deum ſuper omnia.Imo ſi de facto intenſius patrem,aut matrem amaret pluſquam Deum , vere peccaret, iuxta illud Matth.10. *Qui amat Patrem , aut matrem pluſquam me,non eſt me dignus.* Quæ omnia ſunt abſurda : ergo manifeſtum eſt, non de intenſione , ſed de Æſtimatione præceptum dilectionis eſſe intelligendum.Sic omnino Palaus *tra.6.diſp.1.pun.2.n.5.*& antea Vazquez 1.2.*diſp.*194.*c.3.* Ægidius *diſp.25. dub.1.n.14.* Sanchez *lib.2.c.35.num.2.* Suarez *diſput.5.de Charit. ſect.2.*Fagundez *c.27.cit.num.2.& 3.*Trullench *lib.1. cap.5.dub.3.n.10.*Bonac.*diſp.3.q.4.pun.1.num.1. & 2.* Arriaga 2.2.*diſp.36 ſect.1.& 3.*Azor. *lib.9.c.4.qu.3.* Machado *tra.6.lib.2.par.2.docum.1.*Ouiedo *contr.3. punct.2.*

Qvæstio IV.

An ſit peccatum,patrem,aut matrem, aut aliam creaturam , interiori amore , quam Deum, diligere ?

Affirmabunt Petrus Sotus *tra.de Inſtitut. Sacerdot. ſect.15. de Iuſtificat. Impij fol.mihi* 140. & apud ipſum, Adrianus *in 4.q.2.de Pœnit. & quodli.5. art.3.* Sot. & Durand. apud Ouied.*loc.cit.num.*18.eo quod affirment , intenſiori , & feruentiori amore , à nobis debere ex præcepto, Deum diligi : ergo , hoc præſuppoſito , peccabit certe , contra præceptum de diligendo Deo , qui Patrem , aut matrem , aut amicum , aut aliam quamlibet creaturam , intenſiori & & feruentiori amore,quam Deum,diligeret.

Sed vt certum Reſpondeo , Non eſſe peccatum, dictas perſonas intenſiori , & feruentiori amore ſenſibili,quàm Deum diligere : quia certum eſt , vt conſtat ex habitis nuper, non eſſe nobis datum præceptum , vt Deum intenſius , quàm cætera omnia diligamus : quoniam præcepto Charitatis in Deum ſatisfacimus , qualicumque , etiam minima amoris intenſione ; dummodo Dei amorem , vel tenuiſſimum,etiam, cæteris præferamus : hoc ergo ſuppoſito,vt certò,certo conſtat,poſſe quem Patrem , aut matrem &c.magis intenſiue, quàm Deum , diligere licitè , & abſque peccato ; dummodo Deum appretiatiue ſuper omnia diligat.Nec hæc adinuicem contrariantur. Stat namque bene à quopiam magis intenſiue amicum diligi,quàm parentem, & tamen ſi detur ei optio magis eliget in vrgenti neceſſitate amicum perire,quàm parentem,& ſi vtrique ſuccurrere non poſſit , parenti potius quàm amico ſuccurreret.Simili ergo modo poterit quis licitè aliquando, magis ſenſibiliter, intenſiueque parentem amare, quàm Deum ; non tamen magis appretiatiuè ; quia ex vi præcepti dilectionis Dei, tenetur ita eſſe paratum , vt in occaſione oblata, velit potius patrem offendere , ſi opus ſit , quàm Deum : ac proinde licèt amor ille parentis maior ſit intenſiue , quam amor Dei , iſte tamen maior eſt appretiatiue. Sic omnes authores citati ſupra *quæſt.* 3.præcipuè Azor. Nauar. Fagundez Palaus.Suarez,Becanus *cap.19.quæſtion.1. concl.3.*

Qvæstio V.

An peccet mortaliter, contra hoc præceptum; qui deliberate deſiderat , perpetuo in hac vita degere ?

Affirmant abſolutè Sanchez *lib.2. Decalogi c.35.num.vltimo* his verbis:*Ad demum obſeruandum eſt, Lethale eſſe deſiderare deliberatè , perpetuo in hac vita degere.Quia delicia huius ſæculi præponuntur vitæ Æternæ,& fruitioni Dei. Vacat tamen culpa,longam vitam deſiderare.* Sic ille , citans pro hac parte, Nauarrum in *Man.c.11.n.20.ver.Octauo.*Adrianum apud hunc,4.*de confeſſ.q.4.*Bartol.de Ledeſma *in ſum. Sacramentor.*vbi de Confeſſ.*poſt dub.12.in interrogation.circa primum præcep.p.710.*& Rodrig.*tom.1.ſum. in 2.edit.c.11 fine.*Quibus addi poſſunt Bonac.*diſp.3. q.4.punct.1.in fine*,& Fagundez *lib.1. Decal.cap.27. num.*11.vbi id abſolutè, & ſine vlla diſtinctione docet, oblitus quam antea *numer.5.* dederat , & bene, vt infra.

Sed clarius Reſpondeo dicendum,quod verè peccet mortaliter,contra hoc præceptum,caſu,quo quis vellet , perpetuo in hac vita degere , præponendo vitam huius ſæculi, bonis quæ ſibi Deus in æternum præparauit:ſecus ſi alio fine,vt bene Fagundez, limitando ſententiam contrariorum,*lib.1.c.27.*(non 37.vt legi apud Machad.*num.5.verſu,Aliqui volunt.* his verbis dicit, & probat : *Quod verum quidem eſt,* (placitum illorum) *ſi qui deſideraret in hac vita permanere,re vera præponeret hanc vitam, & eius voluptates,Æternæ vitæ , & viſionis claræ Dei delitiis : quod non niſi ſceleratiſſimus facere poteſt. At vero , ſi quis vellet in perpetuum hanc vitam conſeruare, ne hoc bono priuetur,non apparet cur peccatum mortale ſit:præcipuè, ſi id feciſſet,quia neſcit,an ſaluandus ſit. Si enim , ex eo præcisè quod vellet vitam perpetuò conſeruare , cenſeretur præponere ſimpliciter huius ſæculi voluptates , deliciis Æternæ vitæ : etiam qui longam vitam deſideraret, pro illo tempore præferret viſioni,& fruitioni Dei, vitæ huius apparentia bona,ac proinde etiam peccaret , quod prædicti authores negant:quia ſumma etiam peruerſitas eſt,vel pro exigui temporis mora , diuinam Dei fruitionem terreſtri voluptati præponere.* Sic ille. Et ex illo Machado *lib.2.par.2.tract.6.docum.1.n.7.fine.* Palaus *de Charit.tra.6.diſp.1.pun.4.n.6.*

Qvæstio VI.

An,ſit mortale,Deum diligere,ob mercedem vitæ Æternæ, tanquam finem vltimum , & principalem ?

Reſpondeo tanquam certum : Eſſe mortale. Quia mortale eſt diligere aliquid creatum , tanquam finem vltimum ; patet , quia tunc Deus, quem omnes tenemur diligere propter ſe , tanquam vltimum omnium rerum finem , non diligeretur ſuper omnia appretiatiue : ergo. Sic omnes Doctores ; præcipuè mox citandi.

Qvæstio VII.

An saltem sit licitum, diligere Deum, ob mercedem vitæ æternæ; tanquam finem minus principalem?

Respondeo etiam tanquam certum: hoc modo, Esse licitum. Quia licitum est nobis dilectionem Dei, & omnia opera nostra bona, in æternæ beatitudinis mercedem referre, tanquam in finẽ minus principalem, iuxta illud Psalm 118. *Inclinaui cor meum, ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionẽ.* & definitur in Trident. *sess. 6. Can. 31.* Non tamen, vt diximus, tanquam in finem vltimum, & principalem. Tunc autem (ait Sanchez) ea merces est finis minus principalis, quãdo est causa mouens, vt facilius, expeditius, & feruentius Deum diligamus; alioquin tamen dilecturi, etiamsi non ita promptè, & expedite. At tunc est finis principalis, quando nisi ea præmij spes adesset, Deum non diligeremus. Hic enim amor est mercenarius, instar obsequij præstiti à famulo mercede cõducto, qui secluſa mercede, id nullatenus præstaret. Quare amor hic à Sanctis Patribus reprehenditur, & specialiter à D. Chrysostomo *lib. de compunctione cordis, in fine*, vbi in hoc sensu damnat eos, qui Deo ob mercedem seruiunt. Hæc Sanchez *lib. 2. c. 35. n. 3.* Azor *tom. 1. lib. 9. c. 4. q. 5.* Valentia 2. 2. *disp. 3. q. 5. pun. 2.* Bannes sequutus D. Thomam 2. 2. *qu. 27. art. 3. dub. vnico.* Petr. Ledesma 2. *tom. tract. 3. cap. 4. concl. 4.* Fagundez *lib. 1. cap. 37. n. 5.* Trullench. *lib. 1. cap. 5. dub. 3. num. 12.*

Qvæstio VIII.

An licitum sit, dilectionem Dei super omnia, & alias actiones pias, & spirituales; ad res temporales obtinendas, tanquam ad finem, dirigere, & ordinare?

Respondeo, Non esse licitum, dilectionem Dei, & alia pia opera, in res temporales assequendas dirigere, & ordinare, tanquam in finem. Quia contra rationem finis est, vt hic minus bonus sit, quàm media, quæ ad illum assequendum diriguntur; & sic est ordinis peruersitas. At possunt ordinari ad res temporales assequendas, tanquam in motiuum quoddam, & quasi dispositionem ad bona spiritualia. Et sic habet vsus Ecclesiæ offerentis passim Missas, & orationes, & alia pia opera spiritualia ad salutem corporalem, pacem, pluuiam, & alia bona temporalia à Deo impetranda; quatenus hæc conducunt, & sunt dispositiones ad gratiam, & res spirituales consequendas. Nec est necessarium actu referre ea temporalia sic à Deo petita, ad bona spiritualia; sed satis est, virtute. Sic Sanchez *lib. 2. cap. 35. num. 3. §. Non tamen est licitum,* Valentia 2. 2. *disp. 3. qu. 5. punct. 2.* Bannes 2. 2. *qu. 27. art. 3. dub. vnico* Henriquez *lib. 9. de Missa cap. 13. num. 3.* Bellarminus *lib. 2. de Missa cap. 3.* Fagundez *lib. 1. Decalog. cap. 27. num. 6.* Trullench. *lib. 1. cap. 5. dub. 3. num. 12.*

Qvæstio IX.

An ita sit illicitum, bona spiritualia ordinare, & dirigere ad assecutionem temporalium, tanquam ad finem; quod sit mortale de se?

Respondeo, De se non esse mortale, sed solum veniale peccatum, secluſa temeritate, & contemptu. Ratio est. Quia peruersitas finis, qui mortalis non sit excedit culpam venialem: atqui assecutio bonorum temporalium non est ex se mortalis, imò nec venialis, cum de se licita sit: ergo, &c. Sic Bannes, & ex illo Sanchez, Fagundez, & Trullenc. *loc. cit.*

Qvæstio X.

An huiusmodi dilectionis præceptum, obliget ad amorem supernaturalem, & naturalem?

Affirmant communiter Doctores, quatenus docent, huiusmodi præceptum, obligare per se ad amorem supernaturalem; in aliquibus autem casibus, amore naturali esse contentum. Ita Sanchez *li. 2. c. 35. n. 4.* ex Nauarro *in sum. c. 11. n. 10. vers. Addo secundo.* Bannesio 2. 2. *qu. 44. art. 1.* Petro Ledesma *to. 2. sum. tract. 3. c. 5. concl. 2.* & Valentia 2. 2. *disp. 3. qu. 19. pun. 1.* Ita etiam Petr. Hurtadus *disp. 174. sect. 4. §. 16.* & Trullench. *lib. 1. cap. 5. dub. 3. n. 8.* vbi ita ait: *Non præter amorem Dei supernaturalem, quem vocat D. Paulus 1. ad Timoth. 1.* Ex charitate non facta; *ideſt, quatenus per fidem supernaturalem cognoscitur, vt finis supernaturalis, & omnium bonorum supernaturalium Author; dari alium naturalem inferiorem, & imperfectum, quo Deum absolutè amamus, vt creatorem nostrum, & gubernatorem prouidentem nobis de necessariis ad salutem, nos eripientem à malis, conferentémque nobis multa beneficia. Ad hunc autem amorem nos teneri, dictat naturalis ratio, & tunc quidem obligat, vt aduertit Reginald.* tom. 2. lib. 10. cap. 9. n. 99. *cum ex illius omissione adest periculum peccandi mortaliter; vt cum præceptum diuinum, vel humanum obligans sub mortali, mandãdum est executioni id quod fieri nequit, sine aliquo Dei amore. Huic autem amori Fideles satisfaciunt, vt bene Ledesma* to. 2. tract. 3. de Charit. c. 5. concl. 2. *Deum amore supernaturali diligentes, quia hic amor principalior, in eo naturalis includitur.* Huc vsque Trullench.

Negat tamen Palaus *tract. 6. de Charit. disput. 1. punct. 3. n. 2.* docens, præceptum huiusmodi de diligendo Deo, non obligare nos directè ad amorem supernaturalem, neque ad amorem naturalem; sed solùm vt amemus Deum, super omnia, ob eius infinitam bonitatem, quantum cum Dei gratia possumus. Ex hac obligationis satisfactione (inquit) oritur, vt illum ames supernaturali amore, si habitum supernaturalem habeas, vel auxilio Dei, extrinseco supernaturali præueniens: si autem illis careas, amabis Deum naturali amore. Et ratio est manifesta: quia in tua potestate situm non est, Deum amore supernaturali, potius quàm naturali, prosequi: quia cum hæc differentia, non tam ex obiecto formali, quàm ex principio influente in actum procedat, & hæc principia non cognoscas, neque tuæ voluntati in operatione subdantur, vt possit vti pro libito principio naturali, supernaturali excluso: Efficitur sane, supernaturalem amorem directè præcipi non posse, sed solum indirectè, quatenus præcipitur tibi, vt ames Deum, quantum cum gratia possit; alias cognosceres esse in gratia: sicuti cognoscis præcepto amandi Deum te satisfeciſſe. Hæc Palaus. Cuius doctrinam esse probabilem aperte fatetur Trullench. *loc. cit.* Et in substantia amplectitur Rodericus de Arriaga 2. 2. *disp. 36. sect. 3. n. 24. vers. secundo.*

Ego Respondeo dicendum, vtramque sententiam esse, in praxi satis probabilem, possèque quamlibet secure sequi, absque inconuenienti vllo. Igitur his quæstionibus præmissis, de tempore, quo hoc obligat præceptum, quæstiones instruamus. Sit ergo,

QVÆSTIO XI.

An, hoc amoris Dei præceptum, obliget per se, pro aliquo determinato tempore.

NEgabunt à fortiori Gasp. Hurtad. Maldonatus, Iansenius, Ioan. Sancius, Vazquez, & Molina, qui vt vidimus *sup. q.* 2. nullam obligationem specialem eliciendi actum amoris supernaturalis agnoscunt. Negabunt & alij, qui id dixere, loquendo de obligatione & præcepto eliciendi actum Fidei Theologici, de quo *tra.* 2. *de Fide disp.* 2. *q.* 38. Et nouissimè id negat Remigius *in sum. tra.* 2. *c.* 1. *de primo præcepto Decalogi*, §. 3. his verbis: *El precepto de la Caridad, o de amar à Dios obliga, à arbitrio de varon prudente. Algunos señalan vn solo, y determinado tiempo: de modo que el que en qualquier tiempo de su vida, huuiese hecho vn acto de amor de Dios iuzgan, que ha complido con este precepto, conque se libran los Fieles de muchos escrupulos, que suele causar la opinion de algunos Authores que defienden que luego que vn niño, llega a tener vso de razon, està obligado à hazer vn acto de amor de Dios.* Ita ille; qui & citat pro se Ioannem Sancium *in select. disp.* 1. (sic lege, *non dist.* 1.) *num.* 21. Sed certè Ioannes Sancius *loc. cit.* absolutè docet, nullum dari speciale præceptum de diligendo Deo, vt nuper vidimus; non ergo adimpletionem eius arbitrio prudentis viri relinquit. Tenuerunt tamen hanc sententiam quidam, quos tacite refert Sotus *lib.* 1. *de nat. & gratia cap.* 22.

Sed, suppositâ, (ex supra dictis) existentia huius præcepti, vt mihi certum, Respondeo: per se obligare pro aliquo determinato tempore, sicuti pro illo obligat præceptum Fidei, vt constat ex dictis *tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 38. Qui eadem est vtriusque præcepti ratio. Sic communiter DD. vt testatur Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *n.* 6. (non 2. vt leges apud Machadum) his verbis *Dico secundo. Præceptum affirmatiuum de Deo super omnia diligendo, certis tantum temporibus obligat.* Sic ille. Et ex illo Machado *lib.* 2. *part.* 2. *tract.* 6. *docum.* 2. *n.* 5. Ita scribens: *El precepto affirmatiuo, que consiste en amar à Dios sobre todas las cosas, obliga segun todos los Doctores enseñan en ciertos tiempos. Pero quales sean estos, y en quales ocasiones obligue por su fuerza, es grauemente dudoso, y controuertido entre ellos.* ita ille. & communis.

QVÆSTIO XII.

An, hoc præceptum obliget, per se, ad eliciendum actum amoris; toties quoties obligat quodcunque aliud præceptum?

AFfirmarunt nonnulli DD. eo quod nullum præceptum possit perfectè adimpleri, nisi intercedat Charitas. Et ita dixere, quod si obligat v. g. præceptum eleemosynæ, obligat etiam præceptum Charitatis, vt imperet eleemosynam: vnde si quis det eleemosynam, sine tali amore, transgredietur quidem præceptum Charitatis, non eleemosynæ. Ita Capreolus *in* 2. *dist.* 18. *q. vnica art.* 2. *Scoti contra* 4. *concl. &* Conrad. 1. 2. *q.* 100. *art.* 10.

Sed vt quid certum Respondeo tunc non obligare vllo modo. Quia, vt constat, minime est necessarius actus amoris ad obseruandum aliud præceptum, Sic docent omnes Theologi apud Suarium *disp.* 5. *de Charit. sect.* 3. *n.* ... vbi oppositum non habere probabilitatem aliquam expresse fatetur.

QVÆSTIO XIII.

An, Præceptum dilectionis Dei, obliget tantùm semel in vita?

AFfirmatiuâ sententiam amplecti absolutè Sancium, *in selectis disp.* 1. *n.* 21. dicunt Palaus *to.* 1. *tract.* 6. *disp.* 1. *pun.* 4. *n.* 5. & Diana *par.* 5. *tra.* 14. *Resol.* 105. his verbis: Non desinam hîc adnotare Ioannem Sancium *in selectis disp.* 1. *num.* 21. docere, quod qui semel in vita huic præcepto satisfecerit, non teneatur amplius illo. Pro qua sententia facit Vazquez *in* 2. *p. tom.* 4. *q.* 86. *art.* 2. *dub.* 6. *n.* 11. vbi tempus obligationis huius præcepti assignat solum pro fine vitæ. Ista Diana. Necnon Machado *docum.* 2. *n.* 9. Sed certè Sancius, id absolutè non docet, nec potest; cum ipse (vt supra vidimus) nullum speciale præceptum de dilectione cognoscat: solùm ergo dicit, id esse tenendum, casu, quo speciale esset præceptum de dilectione Dei. Legatur *loc. cit.* ibi: *Imo licèt Speciale præceptum esset dilectionis Dei &c*

Sed longe multo probabilius (suppositâ existentia præcepti dilectionis Dei) Respondeo dicendum, quod non semel tantum obliget in vita. Quia maxime (ait Palaus) derogat amicitiæ diuinæ, vt semel tantum in vita ad sui amoris exercitium obligat. Si enim alia præcepta non vnico actu contenta sunt, sed plures expostulant; cui hoc præceptum, omniũ dignissimum, vnico actu contentus erit. Sic ille. Sequutus Thomam Sanchium, Valentiam, Sà, & Ægidium. Et tenent certè omnes communiter, vt *infrà* videbimus.

QVÆSTIO XIV.

An, Præceptum dilectionis Dei obliget per se statim, ac quis vsũ perfectæ rationis habeat?

AFfirmant quamplures DD. sequuti D. Thomam, 1. 2. *q.* 89. *art.* 6. *& in* 2. *dist.* 42. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 7. *& de verit. q.* 28. *art.* 3. *ad* 4. vbi docet, quod in primo instanti vsus rationis tenetur homo deliberare de se ipso, ac proinde tenetur se ad Deum conuertere, & omnia sua in eum, tanquam in vltimum finem, dirigere, & ordinare: quia consentaneum est creaturæ rationali, vt suum creatorem recognoscat, & amet: ad id enim speciali Dei auxilio adiuuatur. Ita cum S. Doctore tenent Caiet. 1. 2. *loc. cit.* Sotus *lib.* 2. *de iust. q.* 3. *art.* 10. Bannez 2. 2. *q.* 44. *art.* 1. *dub.* 1. *ad* 3. Nauarr. *in Man. c.* 11. *n.* 8. Rodriguez 1. *to. sum. in* 2. *edit. c.* 11. *n.* 3. Victoria, Siluest. & alij, apud Sanchium & Fagundez, qui & citãt Toletum *in sum. lib.* 4. *c.* 9. *n.* 9. Sed certè Toletus, *loc. cit. num. mihi* 7. id absolute non affirmat; sed tantum dicit, esse probabile, & in praxi securius: his verbis: quãuis hoc probabile sit, & non ab omnibus receptũ, securius est, ita facere. Ita Toletus tenent etiã Syluius *in* 2. 2. *qu.* 44. *art.* 6. *q.* 3. & alij, quorũ vt probabilẽ admittit Diana, licet, vt probabiliorem oppositam teneat, *vbi infrà.*

Alij è contra absolute negant prædictum dilectionis Dei præceptum per se obligare puerum, statim, ac vsum perfectæ rationis est assequutus. Quia existimant, minime dari præceptum, conuertendi se ad Deum pro illo tempore; & consequenter, nec præceptum diligendi Deum tunc obligare. Ratio eorum est: quia nec rationis, nec suauitati legis diuinæ videtur consonum, vt præceptum tam arctum, obliget sub mortali culpa, in tam tenera ætate, ad statim implendũ: eo vel maximè, quod vniuersi pueri inuincibili ignorantia illius præcepti laborent. Secundo, quia nullus profecto est, qui cognoscat primum

primum instans suæ rationis : ergo nullus ligari hoc præcepto pro illo tempore potest. Et ideo sic sentiunt in primis omnes illi qui negant speciale dilectionis Dei præceptum, vt sunt Maldonatus, Ioan. Sancius, Iansenius, Gasp. Hurt. & alij. *q. 2. cit.* Rursus Thom. Sanchez *lib. 2. sum. c. 35. n. 7.* & penes ipsum, Vazquez *1. 2. q. 89. art. 6. disp. 149. c. 2.* Suarez, *4. to. in 2. p. disp. 11. sect. 2. n. 14. & 15. (adde tu) & de Charit. disp. 5 sect. 3. n. 2.* Valentia *1. 2. disp. 6. q. 19. pun. 3.* Azor. *to. 1. li. 4. c. 10. q. 6. & lib. 9. c. 4. q. 1.* Philiarcus, *de offic. Sacerd. to. 1. par. 2. lib. 3. c. 5.* His addi possunt Palaus *tom. 1. tra. 6. disp. 1. pun. 4. n. 2.* Arriaga *2. 2. disp. 36. sect. 2.* Filliuc. *tra. 22. c. 9. q. 8. n. 288.* Diana *par. 5. tra. 14. Resol. 105.* Ægid. *disp. 24. dub. 3. n. 48.* Luysius *disp. 97. dub. 2.*

Respondeo clarius dicendum, quod præceptum dilectionis Dei, minimè obliget puerum, statim ac assequitur vsum rationis; vel cum primum in eo incipit vsus illius; aut in primo instanti physice sumpto, quo puer incipit cogitare de Deo, de eius bonitate &c. Hæc responsio est mihi certa, & ni fallor, etiã authoribus primæ sententiæ. Quia ratio facta pro secunda, id meo videri conuincit. Obligat vero in instanti, quo incipit puer habere vsum rationis, si instans sumatur mortaliter; pro initio morali perfecti discursus, ideſt, quando aliquis cum pleno rationis vsu, cogitat de Deo, de eius bonitate, excellentia, & beneficiis, ex quorum cognitione clarè vidit necessariam sibi per amorem, conuinctionem cum illo; & teneri ad elicientiam, amoris. Sic à fortiori tenent Authores primæ sententiæ præcipue Bannes *loc. cit.* Lorca *disp. 58. n. 6.* Trullench *lib. 1. Decal. c. 5. dub. 3. n. 3.* Fagundez *lib. 1. c. 27. in fine*, & alij *infrà* citandi, inter quos adhuc est difficultas, de intelligentia huius temporis, seu instantis moralis, in quo dicimus hoc præceptum obligare pro cuius decisione, sit.

Qvæstio XV.

Quo tempore, post adeptum perfectum vsum rationis, obliget per se, puerum, præceptum de diligendo Deo?

Affirmant quidam obligare, post vnum, vel duos annos, non antea. Ita sentit Arriaga *2. 2. disp. 36. & sect. 2. in fine*, vbi ita scribit: *Dico probabile esse, secluſa omni ignorantia inuincibili, & data sufficienti Dei notitia, obligare tale præceptum, primo aut secundo anno vsus rationis, siue homo iam sit baptizatus, siue non.* Ita valentia, quem sequitur, & refert Coninch. *n. 50.* Hæc Arriaga. Qui certè bene citat Ægidium *loc. cit.* ipse enim, postquam, vt valde probabile asseruit, ex Valentia *2. 2. disp. 3. pun. 1. §. Primus casus*, nos per se incipere obligari, vt eliciamus actum Charitatis, erga Deum, cum primum habemus sufficientem ipsius Dei cognitionem, vt possimus huiusmodi actum elicere, sic concludit: Hoc tamen non puto ita intelligendum, quasi peccemus mortaliter, nisi tunc statim eiusmodi actum eliciamus (hoc enim satis graue esset, nec sufficienti ratione probari potest) sed, vt secluſa omni ignorantia, & inaduertentia, sine graui peccato nequeamus eum valde diù differre. Quanto autem tempore possimus eum differre sine peccato mortali, non possumus ita præcisè dicere: crediderim tamen omnino peccaturum mortaliter, qui eum ad aliquot annos differret, aut forte etiam, qui vltra annum, secluſa, vt dixi, inaduertentia. Hucusque Ægidius, sed certe horum Authorum placitum, mihi nihil placet eo, quod illud instans morale longissimum in tempus protrahant. Quare,

Longè multò probabilius Respondeo *Primò.* Puer, qui post adeptum vsum perfectum rationis, & sufficientem habitam notitiam Dei, ac eius bonitatis, & excellentiæ &c. quia vel Fide diuina, vel alia ratione, cognouit ipsum in se, esse infinite bonum, ac amabilem, & omnia ab ipsomet Deo habere, totumque ab eo pendere, & alia huiusmodi, quæ possint illum ad eius amorem excitare: & (secluſa huius præcepti ignorantia, aut inaduertentia) differret elicere actum amoris per duos imo per vnum, verè peccaret mortaliter. Ratio est, quia hoc affirmatiuum præceptum, obligat, sicut cætera præcepta affirmatiua, v. g. præceptum voti, aut restitutionis: at sic est, qui quod dilataret, cum posset, restitutionem, aut impletionem voti, per duos, aut vnum adhuc annum, verè peccaret mortaliter: ergo & qui dilataret, cum posset elicere actum amoris, ad cuius elicientiam vi præcepti tenetur.

Respondeo *Secundò.* Hoc præceptum obligat, post aliquod breue tempus, post perfectum vsum rationis, & post sufficientem notitiam de Deo, de eius bonitate, & obligatione huius præcepti &c. Sic tenet Petr. Hurt. *disp. 174. sect. 5. subsect. 2. §. 25.* per hæc verba: *Præceptum de diligendo Deo obligat, sub initum vitæ moralis:* ideſt, *quando aliquis cum pleno rationis vsu, cogitat de Deo, de eius bonitate, excellentia, & beneficiis. Hoc tempus, non est accipiendum indiuisibiliter pro vno instanti, pro vna hora, aut pro vno die; sed cum quadam latitudine: quam negatiue potius quam positiue definire possumus; ideſt, non est prætereundum multum tempus: quemadmodum enim qui religionem vouit, non tenetur eam inire, cum primum nuncupauit votum; at tamen tenetur, non præterire multum tempus; ita tenemur diligere Deum.* Sic ille. Et infra, hæc notanda pro scrupulosis dicit: *Neque propterea torquere se quis debet, vtrum huic præcepto satisfecerit: quia quandiu positiuo, & probabili argumento, non meminit se hoc præceptum omisisse culpatè, sibi persuadeat se contra illum non peccasse: vel, quia Deum dilexit, vel quia illud inculpatè prætermisit.* Sic Hurt. Tenet etiam nostram responsionem Fagundez *lib. 1. Decal. cap. 27.* in fine, ex Suario *disp. 5. de Charit. sect. 3. n. 4.* Legatur Diana *par. 5. tra. 14. Resol. 105. versu notandum est.* & dicta à nobis in simili *tract. 2. de Fide.*

Qvæstio XVI.

An, Præceptum de diligendo Deo, obliget per se quolibet die festo?

Affirmarunt Scotus *in 4. dist. 27. q. vnica* Tabiena *verb. Charitas. qu. 20.* Angel. *verb. Feria n. 41.* Gabriel. *in 3. dist. 37. qu. vnica art. 3.* & Almainus *q. vnica.* apud Suarium vbi infra.

Sed multò longe probabilius; imo iam vt certum Respondeo: Non obligare. Quia nec vlla ratio, nec lex aliqua diuina positiua, præscribit dictum tempus ad eliciendum actum amoris Dei. Constat, eo quod dies festi, sint determinati, lege humana positiua, quæ per se non determinat de actibus interioribus, nisi quatenus sunt necessarij ad exteriores: omnia autem quæ exterius perficiuntur ex præcepto diebus festis, perfici possunt, sine hoc actu amoris Dei. Sic D. Thom. *2. 2. quæst. 122. art. 4.* vbi Caiet. & alij, Sotus, & Nauarrus, quos citat, & sequitur Suarez *disput. 5. de Charit. sect. 3. numer. 1.* Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 35. n. 8.* Ægidius *disp. 24. dub. 3. d. 43.* Bonac. *disp. 3. q. 4. de Charit. pun. 2.* Palaus *tra. 6. disput. 1. punct. 4.*

pun.4.n.6.& alij plures, quos loquendo de præcepto habendæ contritionis,adduximus *1.p.tra.5.de Pœnit. disp.1.q.q.33.* & ſupra, loquendo de præcepto Fidei *tract.2.disp.2.q.35.& tra.3.de Spe disp.2.q.5.*

QVÆSTIO XVII.

An, hoc dilectionis Dei præceptum, obliget per ſe,ſemel in quolibet anno?

NEgandum plane videtur ex à nobis dictis *tra.2. de fide disp.2.q.37. & tract.3. de ſpe disp.2.q.5.* Vbi diximus, probabilius eſſe, præcepta Fidei, & ſpei minime obligare per ſe,ad eliciendos ſuos actus ſemel in ſingulis annnis:ergo nunc probabilius erit, quod nec præceptum poſitiuum dilectionis Dei, ad eliciendum hunc actum,ſemel in quolibet anno per ſe obligabit. Ob id ita ſentit Sanchez *lib.2.c.35.n.8. in fine.*Sentiunt & alij, qui exiſtimant hoc præceptum, ſemel obligare in vita. Hi ſunt Vazquez, & aliqualiter Sancius *citati ſup. q.13.* Rurſus idem negant, qui docent eiuſmodi præceptum per ſe ſolùm obligare ad eliciendum actum amoris ſemel intra duos,vel tres annos, ita Palaus *tra.6.diſp.1. punct.4. n.10.*Arriaga *diſp.36. ſect.2. in fine :* & Diana *par.5. tra.14. Reſol.106.* ex Ægidio *num.53.*vbi ait,*omnino mortaliter peccaturum, qui hoc præceptum ad tres vel quatuor annos ſponte differat.* Præterea id negant à fortiori,Henriquez *lib.4.de pœnit.c.3.§.4.* & alij,qui arbitrantur ſolùm ſemel per quinquennium obligare quod idem dixere loquendo de præcepto contritionis,vt vidimus *1.p.tra.5.diſp.1.q.18.*

Sed probabilius iuxta ibi dicta,Reſpondeo huiuſmodi, præceptum, per ſe, ſemel in quolibet anno obligare.Probo *Primò:* quia præceptum contritionis ex vi ſua obligat ad habendam contritionem,ad minus ſemel in anno,vt diximus *1.p.loc.cit.quæſtion.38.* ergo ad idem obligabit præceptum amoris Dei, patet conſequentia, quia vt *ibidem quæſt.25.* habuimus,ipſamet contritio,eſt ſimul dilectio Dei, ſuper omnia : Addo ex ibidem ſuppoſitis *quæſt.23.* quod licèt dilectio Dei perfecta non ſit formaliter contritio, eſt tamen virtualiter, eminenter & æquiualenter, quod ſufficit, ad hoc vt obliget quoties obligat contritionis præceptum.

*Secundo.*Quia dilectionis præceptum eſt primum, & maximum mandatum : ergo ad minus, ſemel in anno obligare debet. Sic tenent Petr. Hurtad. 2. 2. *diſput.174. ſect.5.ſubſect.2. §.26.*vbi ita ait : *Tempus autem repetendi dilectionem definiri poteſt negatiue potius, quàm poſitiue : mihi videtur probabilis multorum opinio de obligatione per ſingulos annos ; & quidem ſatis remiſsè nobiſcum agitur, annos duntaxat amore à nobis petito.*Sic ille.Et bene profecto : quidquid Diana dicat, hoc eſſe nimis durum. Nimis facile, & leue amanti ego dixerim. ô Bone Deus! Sic etiam Trullench *lib.1. Decalogi cap.5. dub.3. n.5.* ex Petro Ledeſma *in ſumma tom.2.tra.3.de Charit.c.5.concl.6.* Ioſephus Rocafull. *in praxi totius moralis Theolog. par.3.lib.3.ſect.2.3.p. de præcepto Charit. cap.1. verſ. ſecundo obligat.* vbi hæc ſcribit : *Sed ego probabilius iudico obligare ſemel in anno : nam ſi alia præcepta obligant ſingulis annis, ergo multo magis obligabit præceptum Charitatis,quod eſt omnium maximum.* Sic ille Petr. Lorca *2.2.ſect.3.diſp.58.n.8.in fine.* Sic dicens. Me autem iudice, ſi quis anno integro omiſſionem huius actus incurrat, certuſque ſit Dei ſui immemorem tempore extitiſſe, ſe debet iudicare tranſgreſſorem : quoniam Eccleſia ſimile arbitrium ſumpſit, circa præceptum Pœnitentiæ,quod eiuſdem rationis eſt. Sic Lorca. Iuuat tandem noſtram ſententiam Arriaga *loc.pro prima citato,*quatenus per hæc verba ſuam ſententiam concludit : *Et verò attentis motiuis eius amoris ſupra poſitis dum, abſolute oſtendimus dari obligationem amandi Deum, ſatis parum eſt, intra annum ſemel nos ad eum amorem teneri.*

Nec obſtat, nos dixiſſe, præcepta Fidei, & Spei, non obligare per ſe ad eliciendos ſuos actus, in vnoquoque anno : ergo nec præceptum Charitatis ad id adſtringet. Nam eſt latum diſcrimen. Nam Charitatis præceptum, eſt primum, & maximum omnium mandatorum, vt habitum eſt *qu.4. & 5.* Eius habitus deperditur per quodlibet mortale. Per eius actum recuperatur gratia fitque homo gratus Deo. Eſt virtualiter, & eminenter idem cum contritione, & habet alia plura,quibus indigent habitus Fidei,& Spei : non igitur mirum,quod Charitatis præceptũ obliget,plura per tempora,quàm præceptaFidei, & Spei.

QVÆSTIO XVIII.

An, dilectionis Dei præceptum, obliget per ſe, cum quis contritionem peccatorum habere tenetur,aut veram eius deteſtationem, extra Sacramentum?

AFfirmant communiter omnes DD. obligare quidem hoc præceptum, toties, quoties quis contritionem habere obligatur, eo quod hanc, ſine actu Charitatis perfectæ, obtinere non poſſit. Vnde ſolum eſt difficultas inter eos,an obliget tunc perſe, an ſolum per accidens,ratione contritionis.

Negat tunc obligare per ſe Azor.*lib.9.inſtit. Moral.c.4.q.1.verſ.*Alij *dicunt :* ibi : Arbitror hoſce Authores, ſolùm docere voluiſſe, eo tempore eſſe ex præcepto, & lege ; actum Charitatis præſtandum, quando quis eſt lethalium crimine conſcius.Sed nec hoc omnem ex animo planè dubitationem euellit : quoniam tunc pœnitentiæ præcepto obligamur ad peccata omnia odio habenda, & deteſtanda : quod, quia ſine actu Charitatis in Deum præſtare,vt oportet,non poſſumus; ideo ad actum Charitatis adſtringimur, ratione præcepti Pœnitentiæ, non autem præcisè, lege Charitatis. Ita Azor, quem citat, & ſequitur Sanchez *lib.2. Decal.cap.35.n.9.§. Tertium tempus eſt.*Ita etiam Filliuc. *tra.22.c.9.q.9.num.291.* Arriaga *2.2.diſp.36.ſect.3.n.17.* Siluius *2.2. qu.44. art.6.q.3.* Ægidius *diſp.24.dub.3.concl.5.num.54. &* Diana *par.5.tra.14.Reſol.105.in fine.*

Alij contrà dicunt, obligare quidem per ſe,non per accidens ; eo quod tale præceptum inſtitutum eſt, tanquam remedium ad iuſtificationem impij : ergo per ſe tunc obligat ad elicentiam ſui actus.Addunt, quod contritio eſt actus illicitus à Charitate: ergo quoties quis ad contritionem per ſe adſtringitur ; adſtringetur etiam per ſe ad eliciendum Dei amorem.Ita tenent expreſſe Bonac.*diſp.3.q.4.pun.2. in fine,*quem citat, & ſequitur Trullench *lib.1.in Decal.c.5.dub.3.dicto 4.n.6.*Sic etiam Nauarrus *in ſum. c.11.n.8. verſ. Secundò* & apud ipſum Caietan.Toletus *lib.4.ſum.c.9.numero mihi* 8. (Sancio 9.) Sa *verb. Charitas n.1.* Valentia *2.2.diſp.3.q.19. pun.1.caſu 3.* Philiarcus *to.1.par.2.li.3.c.5.* Granad.*2.2.tra.14.n.2.* & expreſſiusRocafull.*in praxi Theolog.moral.3.p.li.3. & 3.p.de Charit.c.1.verſ. Secundo obligat* vbi ita dicit; Quinto obligat,quando quis tenetur elicere actũ contritionis.Ita Azor.&Bonac.*(locis nuper cit.)*&Villalo. *2.p.tra.3.diff.2.n.7.*Et ratio eſt; quia hoc præceptum

includitur

includitur in contritione. Et quamuis quidam asserant, tunc obligare per accidens : tamen verius alij dicunt, obligare per se ; quia tunc per se est necessarium habere actum charitatis, quod per se includitur in actu contritionis. An verò tunc committetet duo peccata, alterum non eliciendi actum charitatis, & alterum non eliciendi actum contritionis , quæstio est : In qua quidam, vt Sanchez, & Filliuc. citati dicunt, non committere ; quia non ratione sui, sed ratione alterius obligat actus charitatis. Ego tamen duo peccata committere existimo : quia agit contra duas virtutes Charitatis, & Pœnitentiæ. Nec refert ratio aliorum: quia falsò dicunt obligare tunc charitatem ratione alterius, quod illi tenebantur probare. Hucusque Ioseph. Rocafull.

Sed ego clarius, ac probabilius, Respondeo *Primo* sic. Semper quod quis tenetur elicere actum contritionis, tenetur etiam elicere actum dilectionis Dei, vel formaliter distinctum à contritione ; vel inclusum essentialiter in illa (per quemlibet enim illorum, potest iustificari peccator, vt constat ex habitis *1.p. tract.5. de Pœnit. disp.1.q.23.24.& 25.*) Quia ad id obligat præceptũ dilectionis Dei, & per se profecto: vt conuincit fundamentum secundæ sententiæ.

Respondeo *Secundo*. Quando quis elicit contritionem perfectam , tempore , quo ad illam eliciendam tenetur, verè satisfacit vtrique præcepto, videlicet, & habendæ contritionis; & dilectionis Dei, super omnia. Quia vt constat ex dictis, actus veræ contritionis, & simul actus amoris Dei, super omnia, per hunc ergo vnicum actum vtrique præcepto fit satis. *Confirmatur*. Quia si quis , tempore, quo astringitur ad eliciendam contritionem , eliceret actum perfectissimæ dilectionis Dei , sine detestatione peccati; vere satisfaceret præcepto habendæ contritionis; eo quòd ille actus perfectissimæ dilectionis , licèt non sit formalis contritio , est tamen talis , virtualiter, eminenter, & æquiualenter si quidem sufficit etiam ad iustificationem, sicuti ipsamet contritio, vt diximus *1.p.tract.5.disp.1.q.23.& 24.* ergo à fortiori satisfaciet præcepto eliciendi actum dilectionis Dei, qui elicit actum contritionis, cum hic sit simul actus charitatis. Quando autem obliget contritio diximus *1.p.disp.1.citata.*

Respondeo *Tertio*. Qui omitteret præceptum dilectionis Dei , in casu præassignato , minimè committeret duo peccata , sed vnum tantum , quidquid renuat Rocafull. Quia licèt dentur duo præcepta, sunt in ordine ad vnicum finem adæquatum & formalem , quod est iustificatio impij , & recuperatio Dei gratiæ, & amicitiæ. Sic Sanchez, Filliuc. & alij authores primæ sententiæ. Et ex nostra, Trullench. *loc.cit.* vbi ita ait : *Obiter tamen nota, hoc in casu, siue per se , siue per accidens obliget charitatis præceptum, omittentem illud, solum peccare vnum peccatum. Nam si obligat per se, certum est esse vnum peccatum: si autem ratione contritionis , certum etiam est, tunc tantum esse vnum peccatum illius omissionis*; vt docent Sanchez, & Filliuc. supra, *quia non ratione sui, sed ratione alterius obligaret.* Sic ille.

Qvæstio XIX.

An, præceptum amoris Dei obliget , cum mortis articulus instat, & adest conscientia peccati mortalis ?

Respondeo vt certum : Tunc obligare, & per se, saltem si confessio haberi nequeat. Quia sic obligat tunc præceptum contritionis, vt diximus *1.part. tract.5. disp.1. quæst. 36.* ergo & præceptum amoris Dei, cui, vt ex dictis nuper constat, per actum contritionis satisfit. Sic communis Doctorum , vt diximus *vbi supra*. Quibus annuit Palaus *tract.6. disp.1. punct.4. n.9.* Difficultas ergo solum est, An dictum præceptum obliget in articulo mortis , etiamsi quis minimè sit peccati mortalis conscius? Pro qua clarius dissoluenda, fit,

Qvæstio XX.

An, præceptum de diligendo Deo obliget quem in mortis articulo, etiamsi peccati mortalis conscius non sit ?

Negat Palaus *loc.cit.* vbi citat Azorium *to.1.lib.9. cap.4.q.1.* & Thomam Sanchez *lib.2.Decal.cap. 35.n.9.vers. Octauum tempus est,* & bene in quorum sententiam videtur inclinare Trullench. *lib.1.in Decal.c.5.dub.3. dicto 3.n.5.in fine.* Alij dicunt obligare tunc; sed non per se, & directè ; sed indirectè, & per accidens, ratione periculi. Ita Arriaga *disput.36.sect. 2.num.17.*

Sed probabilius Respondeo. Etiam tunc obligare. & per se, & per accidens; per se quidem, quia per se pro illo tempore est impositum: & per accidens, ratione imminentis periculi. Sic Petr. Hurtad. *2.2.disp. 174.sect.5.* (non 6. vt leges apud Dianam) *subsect.2. §.27.* qui id ita probat. Quia, lege charitatis propriæ, tenemur ad securitatem vitæ æternæ , vitandumque discrimen æternæ damnationis: sed actu dilectionis Dei super omnia , vitantur omnia pericula æternæ damnationis, reddimurque securi æternæ vitæ, eumque actum possumus exercere, quia præstò est gratia Dei supernaturalis, & ex meritis Christi: ergo tenemur eum actũ exercere. Finge te non esse ritè baptizatum, aut absolutũ, & te inscium eorum euentuum accessisse ad Sacramentum, sine contritione perfecta, aut charitate, damnaberis profecto. At licèt nunquã fierit baptismate ablutus , neque absolutus à Sacerdote, si Deum diligis, super omnia, charitate Theologica , non dubium quin ineas vitam salutis æternæ. Cur igitur experienda est alea contingentium euentuum, cum in tua potestate gratia Dei salutem tuam constituerit. Hæc obligatio partim est per se, quia hoc præceptum nobis imponitur intrantibus, & exeuntibus in vitam : partim est per accidens ratione periculi proprij. Sic Petr. Hurtado, ex P. Valentia *tom. 3. disput.3. quæst.19. punct. 1. versu septimus casus.* Soto, & Nauarro apud ipsum : Suario *tom.4. in 3.par.disp.5.sect.4.n.9.& de charitate disp.5.sect.3. n. 3.* & Luysio *disp.97.dub.2.* Quibus addi possunt Ægidius *disp.24.dub.3. concl.3.n.52.* vbi ita ait: *Tenemur per se elicere actum charitatis circa articulum mortis. Quod non solum intelligendum est, quando non habemus copiam Confessarij , & conscij nobis sumus peccati mortalis (quo casu res omnino certa est, quia sine actu charitatis nequimus elicere contritionem, ad quod tamen tunc, ne damnemur, obligamur) sed etiamsi Sacramentaliter confessi sumus.* Sic ipse, quod latè probat. Rocafull. *loc. cit.c.2. versu. Tertio obligat,* & vt probabile admittit Diana *p.5.tract.14.resol.105.versu. Dico secundo.* Granados *tract.14.de charit.num.2.* Tolet. *lib.4.sum.cap.9. num. 8.*

QVÆSTIO XXI.

An, obliget eiusmodi amoris Dei præceptum, cum martyrium subeundum est?

AFfirmant absolutè aliqui DD. quia expedit tunc firmare animum ad subeundum martyrium, actu dilectionis Dei super omnia. Sic Valent. 2.2. *disp.* 3. *q.* 19. *pun.* 1. *vers. Quintus casus.* Sotus *lib.* 1. *de natura & gratia cap.* 22. *vers. Dicamus ergo.* Rodriguez *tom.* 1. *sum. in* 2. *edit. cap.* 11. *n.* 3. Tannerus *disp.* 2. *quæst.* 4. *n.* 78. Toletus *loc. cit. n. mihi* 9. quatenus id affirmat, de illo, qui aliquod egregium opus, & arduum in Dei obsequium aggreditur. Filliuc. *tract.* 22. *c.* 9. *q.* 9. *n.* 291. Trullench. *lib.* 1. *Decalogi c.* 5. *dub.* 3. *dicto* 5. *num.* 7.

Negant contra alij absolutè, docentes, nullo modo obligare. Quia satis est (ait Sanchez) se oratione munire, petendo à Deo auxilium ad martyrium. Martyr enim esse quis potest, etiamsi tunc dilectionis actum minimè eliciat. Nam martyrium est actus fortitudinis, & solum à Charitate imperatur. Ita Sanchez *lib.* 2. *c.* 35. *n.* 9. §. *Quintum tempus est.* Palaus *tr.* 6. *disp.* 1. *punct.* 4. *num.* 9. qui & citat Suarium *disp.* 5. *de Charitate sect.* 3. *n.* 2. & Ægidium *disp.* 24. *dub.* 3. *n.* ..... Sed certè Suarez oppositum haud obscurè indicat: vt infrà.

Alij tandem distinguunt de homine, qui est in gratia, & de eo, qui est in mortali; si est in mortali, asserunt teneri instanti Martyrij occasione, præmittere actum amoris Dei super omnia, aut actum contritionis. Pro hac parte citat Fagundez *lib.* 1. *c.* 27. *n.* 17. Suarium *tom.* 3. *in* 3. *p. q.* 69. *disp.* 29. *sect.* 3. §. *Dico primo.* Sed certè adhuc omnino, & ex omni parte, non citatur bene, eo quod aliquid aliud sentiat, vt iam dicam.

Respondeo igitur clarius, & probabilius, dicendum *Primò*, quod præceptum amoris Dei verè obliget, partim per se, & partim indirectè, aut per accidens, cùm Martyrium instat. Probatur ex nuper dictis. Quia eiusmodi præceptum, verè obligat, per se, articulo instante mortis: ergo articulo instanti martyrij. Sic Suarez *de Charitate*, eodemmet loco, quo pro se citauit Palaus, nempe, *disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 2. ibi enim hæc verba habet: *Ad hæc in martyrio, nihil est certum: nam si quis probabiliter sit in gratia, erit obligatio communis etiam iis, qui sunt in articulo mortis.* Sic Suarez: atqui præceptum amoris Dei obligat per se omnes in articulo mortis constitutos, vt fatetur clarè ipsemet Suarez, *loc. cit. n.* 1. *in fine*, ergo iuxta sententiam Suarij, dicendum est, etiam obligare per se, instante martyrio. Quod etiam obliget per accidens simul, ratione periculi, ex se, & ex dictis, constat. Pro hac nostra responsione sunt omnes DD. primæ sententiæ, & ex parte Arriaga, *vbi supra n.* 17. quatenus docet obligare; sed solum per accidens. Et eodem quasi modo, loquitur Diana *par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 105. sic etiam Bonacina, *disputat.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 2. *num.* 1.

Respondeo *Secundò* minimè obligat præceptum amoris Dei, tempore, quo aliquod opus arduum, aut egregium est inchoandum, (nisi aliàs instet mortis periculum) vt dixerunt Valentia, & Toledo. Quia (vt bene Suarez *loco cit. n.* 2.) satis est, eo tempore orare Deum, eiusque auxilium implorare. Sic omnes Authores secundæ sententiæ; & ferè omnes primæ.

QVÆSTIO XXII.

An, præceptum diligendi Deum, obliget, cùm quis aliquem in Deum blasphemantem audit; aut illi grauem iniuriam inferentem?

AFfirmant plures DD. Quia vera ratio amicitiæ exigit, vt tunc blasphemantem arguat, Deumque tunc diligat, vt amorem illi per blasphemiam adeptum, actu amoris resarciat. Pro hac sententia citat Fagundez, Sotum *lib.* 2. *de Iust. q.* 3. *art.* 10. *col.* 6. *vers. Hoc tamen hic adnotato.* Nauarrum *in sum. c.* 11. *n.* 16. (lege *n.* 10.) Rodericum *tom.* 1. *summæ in* 2. *edit. cap.* 11. *n.* 3. & Medinam 1.2. *q.* 106. *art.* 4. Sed ex his Sotus (vt aduertit Sanchez) non sine limitatione id docet; ait enim Sotus, *cap.* 22. *post casum* 2. tunc non obligare præceptum dilectionis Dei, quoad modum, & sic impleri posse, manente homine in peccato mortali: quia non obligat ad internum actum amoris, sed ad externam illam Dei defensionem. Affirmat tamen absolutè Valentia 2.2. *disp.* 3. *q.* 19. *punct.* 1. *casu* 6. docens, non sufficere tunc actum illum externæ dilectionis, Quia lex veræ amicitiæ postulat erga amicum officium externum ex interna beneuolentia profectum.

Alij contra negant; docendo, tunc ex religionis, non ex charitatis præcepto, teneri Dei honorem tueri. Quia cum blasphemia fit, contra Dei honorem; obligat tunc præceptum religionis ad increpandum tantum huiusmodi blasphemantem. Ita Fagundez *lib.* 1. *capit.* 27. *numer.* 13. qui citat Thomam Sanchez *lib.* 2. *Decal. c.* 35. *num.* 9. *vers. Sextum tempus est.* Sed hic author non ita absolutè id tenet: sed solum casu, quo honor diuinus periclitetur, nisi audiens blasphemiam partes illius defendendas assumat.

Sed ego distinctius, sic *Primò* probabilius Respondeo. Minimè obligat præceptum de diligendo Deo, cum quispiam blasphemantem in Deum aliquem audit. Probatur clarè. Quia vt ego impediam, vel corrigam alterum in Deum blasphemantem, non est necessarius actus interior meus bonus; sufficit enim, si ex alio fine, etiam venialiter, aut mortaliter, in alia materia, malo, adhibeam exterius reprehensionem, & monitionem necessariam ad correptionem: quod si id faciam ex vero motiuo honesto, maximè religionis, proculdubio satisfaciam ex integro præcepto corruptionis fraternæ; insuper honori Dei consulam perfectè: quia tunc ille honor solùm requirit, vt exterius illum defendam: de meo autem actu interiori amoris Dei, nihil penitus præscribit eo tempore: quia neque hic amor ad religionem directè pertinet. Sic bene Arriaga 2.2. *disp.* 36. *sect.* 2. *n.* 19. cui consentiunt Sanchez, & Fagundez *loc. cit.* Ægidius *disp.* 24. *dub.* 3. *n.* 45. (non 4. vt leges apud Palaum) Syluius 2.2. *q.* 44. *art.* 6. *q.* 3. quem citat, & sequitur Diana *part.* 5. *tract.* 14. *Resol.* 105. *vers. Nota etiam in fine.* Filliuc. *tractat.* 22. *capite* 9. *quæst.* 8. *num.* 288.

Respondeo *Secundò*. Quamuis in casu quæstionis, audiens blasphemantem, teneatur honorem Dei tueri, non tamen tenetur id facere, præcepto religionis; hoc est, eliciendo actum huius virtutis. Patet, quia, vt constat, ex nuper habitis, potest Dei honorem defendere quis increpando, & corripiendo blasphemantem, alio motiuo, etiam malo; ergo. Sic aliqualiter innuit Palao, *loc. cit.* Imo, & Arriaga, vt ex verbis eius adductis constat.

QVÆSTIO XXIII.

An, obliget huiusmodi de diligendo Deo præceptum, cum quis beneficium magnum à Deo accipit; vt si ab imminenti mortis periculo liberetur à Deo, &c.

AFfirmant quidam. Quia expedit omnino redamare Deum, qui te ita amauit. Ita Sotus *lib.* 2. *de Iust. q.* 3. *art.* 10. *vers. Responsio horum.* Valent. *pun.* 1. *cit. casu* 4. Toletus *lib.* 4. *c.* 9. *n.* mihi 9. (*aliis* 10.) qui tamen solum dicit, id esse probabile: & Metina *in sum. lib.* 1. *cap.* 14. §. 2. *fol.* 79. §. *contra la Charidad* per hæc verba: *Lo tercero peca el que no tiene cuidado de encomendarse a Dios, ò no le da gracias por los beneficios que del recibe, principalmente por le auer criado, redemido, y hecho Christiano, no Moro, ni hereje, &c. Y el que no ama a Dios en algun caso particular quando ha recebido algun notable beneficio; porque el amar a Dios es precepto particular, y assi obliga en algun caso.* Ita Metina.

Sed longè probabilius Respondeo: Non obligare. Quia post acceptum beneficium, satis erit gratias agere, vt satisfaciat præcepto, quo iure naturæ ad gratias referendas, tunc obligari potest. Et ad hoc non obligatur statim homo, sub mortali; potest enim aliquandiu differri. Sic Sanchez *lib.* 2. *sum. c.* 35. *n.* 9. *vers. Quartum tempus*, ex Nauarro *cap.* 11. *n.* 7. *fine*, & Azorio *lib.* 9. *c.* 4. *q.* 1. Quibus adde Suarium *disp.* 5. *de Charit. sect.* 3. *n.* 2. Ægidium *disp.* 24. *dub.* 3. *num.* 44. Palaum *tract.* 6. *disput.* 1. *puncto* 4. *numero* 9. *vers. Secundo.*

QVÆSTIO XXIV.

An, obliget per se, hoc amoris Dei præceptum, quando graues odij Dei tentationes instant, & illis est periculum consentiendi?

AFfirmat Sanchez *num.* 9. *cit.* Vltimum tempus (inquiens) est, cum graues odij Dei tentationes instant, & periculum illis succumbendi adest, nisi tentatus actus amoris Dei eliciat. Et in hoc euentu existimo, obligare præceptum hoc dilectionis Dei, super omnia, per se, & ex vi huius præcepti. Sicut *c.* 1. *n.* 3. & *c.* 33. *n.* 3. diximus idem de præcepto Fidei, & Spei. Et si odium sit Dei, vt authoris supernaturalis, obligabit præceptum contrariæ dilectionis, nempe, Dei, vt authoris supernaturalis: si verò sit odium Dei, vt authoris naturalis, obligabit dilectio Dei, siue vt authoris supernaturalis, siue vt naturalis. Ita Sanchez. Cui consentiunt Bonacina *punct.* 2. *cit. num.* 2. Bannez 2. 2. *q.* 22. *art.* 1. *dub.* 2. Aragon. *ibid.* Valentia 2. 2. *disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 1. Petr. Ledesma *tom.* 2. *tract.* 2. *cap.* 4. *concl.* 6. Sic etiam Diana *par.* 5. *tract.* 14. *Resol.* 105. *in fine*, ibi: In tentatione verò odij Dei, obligamur, per se lege charitatis illum (*ideſt*, *Deum*) diligere. Ita ille citans Ægidium *disp.* 24. *dub.* 3. *concl.* 5. *n.* 54. & Hurtadum Salmanticens. *disp.* 74. *sect.* 6. §. 26. Sed ex his, hunc vltimum authorem bene citat; primum verò minimè, cum oppositum sentiat *loco cit. n.* 45. Tenent rursus hanc partem Villalob. 2. *p. tract.* 3. *diff.* 2. *num.* 7. Trullench. *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 4.

Sed ego probabilius Respondeo *Primò*. Minimè obligat per se præceptum amoris Dei super omnia, quando graues insurgunt odij Dei tentationes. Probatur à simili ex dictis de præcepto Fidei, & Spei. Quia harum virtutum præceptum non obligat, per se, quando quis graues Fidei, & Spei tentationes patitur; vt habitum est supra *tr.* 2. *de Fide disp.* 2. *q.* 40. & *tract.* 3. *de Spe, disp.* 2. *q.* 7. ergo nec præceptum amoris per se obligabit, quando quis graues tentationes odij Dei, siue contra charitatem patitur. Et ratio est, quia aliis viis, & mediis superari dictæ tentationes possunt. Sic sentit Palaus *disp.* 1. *punct.* 4. *n.* 9. *versu. Quarto.* Qui & citat Suarium pro se. *disp.* 5. *de Charit. sect.* 3. *n.* 3. per hæc quæ scribit verba: *Alij addunt tempus, grauissimæ tentationis, præcipuè, si quis iudicaret esse opportunissimum remedium, & quasi necessarium medium se ad gratiam disponere, vel ad amorem Dei se excitare ad vincendum tentationem, quod interdum fortasse probabile est, rarò tamen moraliter accidit.* Sic ille & Ægidius *disputat.* 24. *dub.* 3. *numer.* 44. limitant tamen hanc responsionem Suarez & Palaus, nisi fortè accidat (quod rarò, vel nunquam potest) talem amorem esse medium necessarium ad vincendam dictam tentationem.

Resp. *Secundò*. Dato, quod ad vincendam grauem odij Dei tentationem, sit necessarium elicere actum amoris Dei, adhuc tamen minimè obligamur ad illum exercendum, ex vi præcepti affirmatiui amoris Dei; sed negatiui, odio non habendi Deum; & tunc per accidens, vt huic satisfaciamus, tenemur ad positiuè diligendum, iuxta dicta à nobis *tract. de Fide disp.* 2. *q.* 40. *in fine*. Sic aliqui DD. ibidem adducti. Sic expressè Fagundez *lib.* 1. *Decal. capite* 27. *num.* 10.

QVÆSTIO XXV.

An, cum quis, adulta ætate, recipit baptismum, teneatur, vi huius præcepti, elicere actum amoris Dei?

AFfirmant aliqui. Quia suspiciens baptismum, se seruum Christi profitetur, in eiusque obsequio promittit, toto vitæ tempore perseueraturum: ergo tenetur hoc propositum diuino amore firmare. Ita Sotus *lib.* 1. *de natura & gratia c.* 22. *versic. Dicamus ergo in casu* 1. & *lib.* 2. *de Iust. q.* 3. *art.* 10. *col.* 6. *versic. Responsio horum.* Et Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 19. *punct.* 1. *vers. Secundus casus.* Et tandem Nauarr. *in Man. c.* 11. *n.* 9.

Sed probabilius longè Resp. Non teneri in proposito casu ex vi præcepti dilectionis Dei, ad eliciendum actum dilectionis eiusdem. Quia ad digne suscipiendum baptismum, sufficit attritio concepta ex metu pœnæ, quæ amorem Dei super omnia non includit. Et certè satis se seruum Christi profitetur, & firmum habet animum, nunquam ab illius obsequio recedendi, qui ad baptismum cum attritione peccatorum accedit, quæ necessario includit, firmum propositum in posterum peccata cauendi. Sic Sanchez *c.* 35. *cit. n.* 9. §. *Secundus casus.* Suarez *disp.* 5. *de Charit. sect.* 3. *n.* 2. Ægidius *disp.* 24. *dub.* 3. *n.* 44. Palaus *tra.* 6. *disp.* 1. *punct.* 4. *n.* 7. Bonac. *disp.* 3. *q.* 4. *punct.* 2. *num.* 1. Diana *p.* 5. *tract.* 14. *Resol.* 105. Syluius 2. 2. *q.* 44. *q.* 3. Arriaga 2. 2. *disp.* 36. *sect.* 2. *n.* 15. Petr. Ledesma *to.* 2. *sum. tract.* 3. *cap.* 5. *concl.* 6. dicens, contrariam sententiam, non habere fundamentum. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 27. *n.* 14.

QVÆSTIO XXVI.

An, obliget præceptum de diligendo Deo, quoties Eucharistia suscipienda est?

AFfirmat apud Palaum, Bannes 2.2.*q*.44. *art*.1. *dub*.1.*ad* 3. docens, obligare tunc hoc præceptum, vt sic cum Iesu intimè vniamur. Sed certè Bannez solùm dicit, dignè sumentem Eucharistiam semel in anno, simul adimplere eiusmodi præceptũ.

Vnde, vt certum Respondeo. Non obligare. Quia ad dignè suscipiendam Eucharistiam, sufficit esse in gratia. Vnde, si quis habet peccatum lethale, sufficit ex Apostolo Paulo, & Tridentino, præparare se ad Eucharistiam, mediâ confessione. Sic Azor *tom*. 1. *lib*.9.*c*.4.*q*.1. Sanchez *vbi supra n*.8.*vers*. *Alij dicunt*. Petr. Ledesma *tom*.2. *tract*.3.*c*.5. *post* 6.*conclusionem*. *La sesta sententia* (dicens) *es, que el que cumple con el precepto de la Communion recibiendo dignamente el Sacramento del Altar, cumple con el precepto de amar a Dios sobre todas las cosas. Esta sententia tiene el P. Maestro Bañes, en el lugar alegado. Esta manera de decir me parece muy difficultosa. Porque el precepto del amor de Dios, es muy differente del de la Eucharistia: suego con comulgar no cumple vno con el precepto de amar à Dios*. Hæc Ledesma. Palaus *tom*.1.*tract*.6.*disp*.1.*pun*.4. *num*. 8. Lorca *vbi infra*, qui bene explicat Bannesium.

QVÆSTIO XXVII.

An, toties obligemur Dei amoris præcepto, quoties obligamur proximum ex charitate diligere?

AFfirmat Doctissimus Nauarr.*c*.11.*n*.9. his verbis: Tertio (*tenemur dicto præcepto*) quotiescunque tenemur proximum ex charitate diligere: nam tunc pariter eodem amore Deum diligere tenemur, siquidem hi duo amores sunt eiusdem generis, & naturæ, & in amore proximi amor Dei tanquam finis includitur, vt colligitur ex vtroque Thoma 2.2. *q*.44.*art*.2.*&* 2.2.*q*.25.*art*.1.*vt infra cap*.14.*n*.4.*dicemus*. Ita ille.

Sed probabilius Resp. Non toties obligari. Quia (ait Sanchez) licèt amor ille proximi imperetur à charitate Dei; non inde sequitur esse tunc obligationem eliciendi actus amoris Dei. Sic ille *lib*.2.*c*.35. *n*.9.§.*Septimum tempus est*.

QVÆSTIO XXVIII.

An, facillimo negotio, possint huic amoris Dei præcepto satisfacere Fideles?

REspondeo: Posse quidem. Nam inprimis Lorca, 2.2.*sect*.3.*disp*.58.*n*.8. sibimet inquirenti; quare Ecclesia non determinauit huius præcepti tempora? respondet, quod duplici ratione. *Primò* quia difficile erat diuinæ dilectioni metas, & tempora ponere. *Secundò*, quia in pluribus actionibus Christianis, quas Christiani frequenter exercent, inuoluitur dilectionis actus, aut facilè excitatur, & ideo non diffidit à fidelibus sufficienter impleri. Nam si quis orationem Dominicam, quæ toties repetitur, ex corde, & affectu proferat, amoris actum exhibet; quia in illo, *Pater sanctificetur nomen tuum*; *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*, proprium, & verum actum amoris profert. Sic etiam frequens concionum auditio, vsus Sacramentorum, & alia Christianitatis opera, aut facilè excitant amoris affectum, aut in se inuoluunt, nec sine eo frequentari possunt. In quo sensu accipio, quod Bannez hic dicit, *Sumptionem Eucharistiæ includere huius mandati obseruationem, nempe, si Eucharistia deuotè, & frequenter sumatur. Si autem id solum præstetur, quod ad satisfaciendum præcepto sumptionis Eucharistiæ requiritur, non impletur præceptum charitatis, quia Eucharistia sumi potest sine actu aliquo amoris, non solum sine peccato, sed etiam vtiliter. Nihil ergo, aut desperationis, aut tristitiæ, aut grauis oneris ex huius præcepti assertione inducitur: nam per Dei gratiam non est difficile impleri*. Hucusque Lorca.

Deinde Palaus *punct*.4.*cit*. sic illud concludit: *Aduerto tamen, rarò quemlibet fidelem, nisi moribus depranatus sit, huius peccati reum existere: quia sæpè conatur contritione se ad absolutionem disponere, sæpeque beneficia diuina, & summam bonitatem considerat, quibus ad effectum debitum amicitiæ excitatur*. Sic ille.

Tandem Rocafûl. *p*.3.*praxi*, *lib*.3.*p*.3.*pag*.203.*c*.1. *in fine*, inquirens, quis excusetur ab hoc præcepto? Respondet; *excusari, quando bona fide putat se ex charitate diligere, & non est in charitate, & gratia*. Sic ille ex Nauarro (quem non citat) *in Man*.*c*.14.*n*.9.*vers*. *Quarto*.

DISPVTATIO III.

De Præcepto Charitatis Proximi.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam, nomine Proximi, *in hac materia intelligantur?*

RESPONDEO breuiter. Intelligi homines, qui beatitudinis supernaturalis sunt capaces siue sint iusti; siue fideles, siue infideles; siue amici siue inimici, siue prædestinati sint, siue reprobi. Quia omnes hi dum in hac vita degunt, capaces sunt beatitudinis, illisque eam velle quisquis potest. Sic ex D. August. *lib*.1. *de Doctrina Christiana c*.23. 26.*&* 30. docent DD. legantur Suarez *disp*.1.*de Charit*.*sect*.1.*à n*.3.*&* *disp*.5.*sect*.4.*n*.3. Reginald. *lib*.17.*n*.99. Azor. *tom*.2.*lib*.12.*c*.5.*q*.5. Bonac. *disp*.3.*quæst*.4.*punct*.3. *in principio*. Palaus *to*.1.*tract*.6.*de Charit*.*disp*.1.*punct*.5. *num*.1.

QVÆSTIO II.

An, Damnati iam, veniant, nomine Proximi; itaut Charitas versari possit circa illos?

NEgat absolutè Bonac. *punct*.3.*relato*, *n*.2.*in fine*, hi ce verbis: *Tertio, damnatos non esse diligendos ex charitate; isti enim, non sunt noster proximus; neque recta ratio suadet, vt illis velimus beatitudinem, aut per ordinem ad beatitudinem eos diligamus, qui ab ea irreuocabi*

nocabiliter excluſi ſunt. Ita Reginaldus, & alij. Hucvſque Bonacina, licèt in ſubſtantia bene,

Sed clarius Reſpondeo dicendum, quod damnati, licèt non poſſint diligi à nobis, ſimpliciter, & efficaciter amore perfecto charitatis, eo quod non ſunt capaces bonorum ſupernaturalium: poſſunt tamen diligi amore charitatis imperfecto, & per deſideria imperfecta. Sic Suarez *de Charit. diſp. 1. ſect. 1. n. 4. in fine.* Palaus *loco cit.* vbi ita ait: *Pari ratione de damnatis (qui etiam ſuo modo proximi nobis ſunt) velle potes, ne tot peccata committant, & ſimplici affectu deſiderare illis beatitudinem; non tamen abſolutè, quia abſolutè eſt impoſſibilis.* Sic ille.

Quæstio III.

An, detur præceptum charitatis, de proximo diligendo?

Reſpondeo vt certum. Dari præceptum, non ſolùm, de non odio habendo proximum, aut de ei non nocendo, ſine cauſa, in vlla re; verum etiam, de diligendo ex charitate illum ſicut nos ipſos. Hæc reſponſio eſt de fide. Habetur enim Matth. 22. *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Vbi particula, *ſicut*, non æqualitatem omnimodam, ſed ſimilitudinem denotat, vt ex D. Hieronymo, D. Thoma, & reliquis Theologicis, notat Suarez, *diſput. 5. ſect. 4. num. 1.* Sic omnes.

Quæstio IV.

An, detur præceptum naturale, de diligendo proximo, amore naturali?

Reſpondeo vt quid certum. Dari. Quia recta ratio naturalis dictat proximum, propter ſe, quatenus homo eſt, diligendum eſſe; ei, ſcilicet, bona naturalia deſiderando, vt vitam, ſalutem, honorem, & alia bona temporalia. Hic autem amor non eſt ordinis ſupernaturalis, ſeu à charitate Theologica procedens, imò nec ab alia ſpeciali virtute; quia virtus tunc ponitur, quando eſt ſpecialis aliqua difficultas; at homo, ſine vlla difficultate, naturaliter in huiuſmodi amorem inclinatur: ergo. Sic Nauarrus, *in Man. c. 14. à n. 6.* Azor *tom. 2. lib. 12. c. 2. q. 2.* Suar. *diſp. 5. ſect. 4. n. 2.* Trullench. *lib. 1. in Decal. c. 5. dub. 4. num. 2. & 3.*

Quæstio V.

An, etiam detur præceptum diuinum, & ſupernaturale charitatis, quo ex charitate, & amore ſupernaturali, teneamur diligere proximum?

Negauit Caietanus, qui *Deuteron. 6. & Matth. 22.* exponens hoc præceptum, docet, ſolum intelligi de dilectione naturali; *quia ſupernaturali dilectione nunquam* (inquit) *tenemur diligere proximum.* Caiet. (ait Suarez) ferè conſentit Nauarrus *c. 14. cit. num. 8. & 9.*

Sed, vt quid certiſſimum Reſpondeo. Dari etiam tale præceptum. Et probatur ex illo Chriſti Domini Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos,* atqui Chriſtus Dominus dilexit nos, amore ſupernaturali: ergo nos eodem amore adinuicem diligere tenemur. Sic communiter omnes DD. legantur S. Thom. 2. 2. q. 44. *art.* 2. Suarez *diſp. 5. de Charit. ſect. 4. num. 3.* Trullench. *lib. 1. Decal. cap. 5. dub. 4. numero 4.* vbi dicit hanc reſponſionem eſſe de fide.

Quæstio VI.

An, teneamur, vi dicti præcepti, amare aliquando Proximum, actu amoris interno, procedente à Charitate Theologica?

Negant plures DD. exiſtimantes non dari præceptum de diligendo proximo actu poſitiuo interno; ſed ſolùm de actiua obſeruatione mandatorum erga illum. Quia hæc minimè diſtinguitur à dilectione proximo debita, vt colligitur Ioann. *Epiſt. 1. c. 3.* qui explicans quomodo diligendus ſit proximus, ait: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, nec lingua, ſed opere, & veritate.* Quibus verbis clarè ſignificat Apoſtol. Ioannes, debito diligendi proximum, ſatisfieri opere externo beneficentiæ, aut miſericordiæ. Ita in primis, & à fortiori, docere debent omnes Authores, qui (vt vidimus *ſuprà diſp. 2. q. 2.*) putant non dari ſpeciale præceptum de diligendo Deo, amore interno, vero, & poſitiuo. Et ſic certè faciunt. Sunt autem Gaſpar. Hurtad. *diſp. 4. de Charit. diffic. 2.* qui & citat etiam, *vt ſuprà* fecit, Maldonatum, Ianſenium, & Ioannem Sancium: Additque Vaſquium *tr. de Pœnit. q. 90. art. 1. dub. 4.* Suarium *diſp. 5. de charit. ſect. 4.* Molinam *1. p. q. 63. art. 2. & 3. diſp. 11. memb. 2.* Ægidium *diſp. 24. dub. 4.* Palaum *tract. 6. de charit. diſp. 1. pun. 5.* & Petr. Hurtad. *diſp. 174. ſect. 6.* Sed an bene omnes, hos authores citet, poſtea videbit. Negat etiam nouiſſimè Arriaga *2. 2. diſp. 39. ſect. 1. per totam.* Fagundez *lib. 1. in Decal. c. 28. n. 3.*

Sed probabilius Reſpondeo: Teneri. Quia (*vt ſup. diſp. 2. q. 2.* eſt, vt ferè certum, habitum) præceptum dilectionis Dei obligat ad proprium actum amoris internum: ergo & præceptum dilectionis proximi, etiam ad actum amoris internum obligabit. Patet conſequentia; quia eodem modo de præcepto amoris Proximi locutus eſt Chriſtus Dominus *Matth. 22.* ac de præcepto amoris Dei. Cum enim dixiſſet. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. *hoc eſt maximum, & primum mandatum*: ſtatim ſubiungit: *ſecundùm autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*: ergo, &c. Sic tenent communiter Theologi, ſi abſtrahamus, an hic actus internus amoris debeat eſſe diſtinctus ab actu interno amoris Dei, an vero ſufficiat idem de quo ſtatim. Sic enim in primis tenet Caſtro Palao (citatus pro ſe, ſed malè, ab Hurtado) *tr. 6. diſp. 1. pun. 5. n. 4.* vbi ita ait: Hæc ratio (*quæ eſt illa, quam nos nuper retulimus,* & alia, *quam conſulto omiſimus*) omninò conuincit, te obligatum eſſe amare proximum, illiuſque bonum deſiderare, &c. citatque Scot. *in 3. diſt. 30. §. Quantum ad hoc.* D. Thom. *2. 2. q. 25. art. 8. in corpore.* Lorcam *2. 2. ſect. 3. diſp. 58. n. 10.* Suar. *de charit. diſp. 5. ſect. 4. n. 4.* & Ægid. *diſp. 24. dub. 4. concl. 1. & 2. n. 66. & 67.* Quibus addi poſſunt, Bannez *2. 2. q. 44. art. 7. dub. 2.* Valentia *loc. cit. pun. 2.* Luyſius *diſp. 98. dub. 2.* Granados *tr. 14. n. 3.* Petr. Hurtad. *diſp. 174. ſect. 6.* quem pro ſe citauit alter Hurtadus. Sed malè; nam expreſsè noſtram ſententiam *loco cit. §. 29.* docet.

Quæstio

QVÆSTIO VII.

An, teneamur, vi præcepti amoris proximi, amare illum (aliquando saltem) amore interno, distincto ab amore ipsius Dei?

NEgant, licèt non firmiter, quidam Doctores, docentes, posse amore Dei, præcepto amandi proximi satisfieri. Quia amor Dei, saltem virtualiter, est amor Proximi, in illo namque iste verè includitur. Sic Palaus *disp. 1. cit. punct. 5. n. 4.* vbi quæstioni propositæ ita respondet: Sed huic obligationi credo fieri satis amore ipsius Dei, qui, saltem virtualiter est amor Proximi, iuxta illud Ioan. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Qui enim Deo placere in omnibus intendit, eiusque voluntatem exequi, necessariò salutem proximorum velle debet, illamque procurare, provt cognouerit Deo placere. Amare autem proximum amore interno distincto ab amore ipsius Dei, credo te non obligari, nisi fortè fuerit aliquando necessarius ad aliqua opera debita exhibenda. Ita ille, qui pro se citat Scotum *in 3. dist. 30. §. Quantum ad hoc,* D. Thom. 2. 2. *q. 25. art. 8. in corp.* Lorca *ibidem sect. 3. disp. 58. n. 10.* Suar. *de charit. disp. 5. sect. 4. n. 4.* & Ægid. *disp. 24. dub. 4. concl. 1. & 2. n. 66. & 67.* His addi possunt Bannez 2. 2. *q. 44. art. 2. dub. 2.* Petr. Ledesma *to. 2. sum. tract. 3. de Charit. c. 5. concl. 6. diff. 2. vers. A esta duda,* Villalob. 2. *p. tract. 3. diff. 5. n. 4.* & latè Arriaga 2. 2. *disp. 39. sect. 1. per totam.*

Negant, & à fortiori cum illo, omnes, qui docent, non teneri quem, vi præcepti charitatis, elicere actum amoris proprium, erga proximum; quos habes *supra q. antecedenti.*

Sed ego clarius Respondeo *Primo.* Quilibet tenetur, vi præcepti charitatis erga proximum, elicere aliquando actum amoris internum circa illum. Hæc responsio manet probata, authoritate, & ratione, quæstione antecedenti. Quo autem tempore, ad id teneatur, dicemus *infra.*

Respondeo *Secundo*, quoties quis tenetur ad eliciendum actum amoris internum erga proximum, satisfaciet eliciendo actum amoris Dei super omnia. Patet. Quia in dilectione, & amore Dei super omnia, includitur, saltem virtualiter, & eminenter, dilectio & amor proximi, vt bene docent DD. nuper adducti: ergo eliciendo formaliter actum dilectionis Dei super omnia, eliciunt implicitè actum dilectionis proximi: ergo, &c. *Confirmatur.* Quia (*vt suprà disp. 2. q. 8.* est habitum) cum quis tenetur ad eliciendum actum contritionis, elicitque actum perfectissimæ dilectionis Dei, verè satisfacit præcepto contritionis, eo quod actus perfectissimæ dilectionis Dei sit eminenter, & virtualiter contritio, ergo eodem modo satisfaciat præcepto eliciendi actum posituum amoris proximi, eliciendo quis actum amoris Dei, cum hic etiam eminenter includat illum. Sic authores omnes primæ sententiæ.

QVÆSTIO VIII.

An, præceptum eliciendi actum dilectionis internum erga proximum, obliget per se, quando graues odij tentationes insurgunt contra illum, quæ aliter superari nequeunt?

AFfirmat Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 5. dub. 4. num. 13.* qui citat pro se Lorcam (ibi & *n. 10. in fine*) existimantem, tunc hoc præceptum obligare, eo quod tunc necessarius sit actus contrarius, nempe ipsius proximi dilectio; sicut in simili, de dilectione Dei dictum est. Sed certè Lorca, solùm ex sententia aliorum id videtur asserere, vt denotant hæc eius verba: *Idem censent alij, quoties vrget tentatio odij, quæ aliter nequit superari. Quod de dilectione Dei æquè verum est, raro tamen contingit.* Hæc ille, *vbi infra.* Affirmat tamen expressius Petrus Hurtad. *disput. 174. sect. 6. & vltima §. 29.* ita dicens: *In singulari proximum tenemur diligere formaliter, & expressè, quando transacto odio in proximum, tenemur illi reconciliari: tunc enim per se, obligat lex diligendi proximum. Item, imminente periculo odij in proximum; tunc enim obligat per se ea lex,* vt docent P. Suarez *disp. 5. sect. 4. num. 4.* P. Valentia *tom. 3. disput. 3. quæst. 19. punct. 2. fine,* cum Soto, Petrus Lorca *disputat. 58. numero 10.* Hæc Hurtadus Salmanticensis.

Sed probabilius Respondeo. Non obligare per se, in proposito casu: Et si aliquando obligare contingat, erit per accidens. *Prima* pars huius responsionis, constat ex dictis de præcepto Fidei, Spei, & Charitatis Dei. Quia præceptum harum Theologicarum virtutum non obligat per se ad eliciendos earum actus, quando quis graues tentationes, contra eiusmodi virtutes, patitur, vt habitum est *supra disput. 2. quæst. 14.* ergo nec præceptum dilectionis proximi obligabit per se ad eliciendum suum actum, in simili casu. Lege dicta à nobis *loco citato quæst. 14.* vbi fundamentum huius primæ responsionis partis, & simul probationem secundæ, & Authores vtriusque, inuenies.

QVÆSTIO IX.

An, saltem præceptum Charitatis proximi obliget, per se, ad eliciendum actum amoris internum; quando quis odio aliquem habuit?

NEgabunt consequenter qui negarunt dari de interno actu amoris, erga proximum præceptum.

Sed (supposita existentia huius præcepti, de qua *supra*) Respondeo. Obligare per se hoc præceptum, in proposito casu. Quoniam huiusmodi præceptum in aliquo casu obligare est necessum, maximè in isto, eo quod necessum sit ad veram reconciliationem specialem contrarium actum dilectionis eius elicere: quoniam aliter inordinatio illa affectus ad debitam rectitudinem reuocari non potest. Nec hinc sequitur aliqua inconsequentia ad nuper de graui odij tentatione insurgente dicta. Differunt, & multò, casus inter se, vt videbis facile. Sic Lorca expressè, & Petrus Hurtadus, *loc. cit.* Et à fortiori idem dicent, Suarez, Valentia, & Sotus, cum obligare affirment in casu, quo immineat periculum odij in proximum, vt nuper vidimus. Sic etiam Nauarrus *in Manuali c. 14. n. 9.* & Filliuc. *tom. 2. tr. 28. c. 1. q. 5. n. 13.* & ex illis Trullench. *n. 13. cit.* quatenus docent hoc præceptum obligare per se, quando inimicus, qui nos offendit, veniam à nobis petit, tunc enim obligamur (inquiunt) ad eum diligendum, deponendo odium internum, si quod est, ei significando, se esse reconciliatum.

Qvæstio X.

An teneamur elicere actum dilectionis erga proximum, quoties tenemur, ei aliquod bonum facere ex præcepto, vt Eleemosynam, Correctionem fraternam, &c.

NEgat teneri nos, adhuc per accidens, in his casibus ad elicientiam amoris interni in proximum, Arriaga 2.2. *disp.* 39. *sect.* 1. licèt in casu aliquo alio singulari, tandem probabile dicat.

Alij absolutè Respondent: Teneri, non per se, sed per accidens, ratione alicuius boni, quod ei procurare, aut impartiri tenemur. Sic expressè Hurtadus Salmanticens. *disput.* 174. *cit. sect.* 6. §. 29. vbi docet. *Quod in singulari teneamur proximum diligere formaliter, & expressè; quando vrget præceptum Eleemosynæ, aut correctionis fraternæ, aut quodvis aliud benefaciendi proximo: Tunc enim non possumus benefacere moraliter, seu liberè, nisi volendo illi benefacere: hinc enim aliquem amamus, quando illi volumus bonum. Per se autem loquendo, non exigitur actus internus, nisi vt est necessarius ad externam beneficientiam, nisi in primo casu tentationis grauis, aut reconciliationis.* Sic Hurtadus.

Sed probabilius Respondeo ego: non quoties tenemur ex præcepto aliquod bonum procurare proximo, toties tenemur erga illum, adhuc per accidens, actum internum dilectionis elicere; sed solùm in aliquibus actionibus, in quibus non possumus bona proximo velle, nisi ex virtute charitatis. Sic optimè Ægidius *disp.* 24. *dub.* 4. *num.* 69. vbi id totum his verbis docet, & probat: *Quia cum sæpè sit necessarium, vt ei aliqua bona procuremus, etiam necessarium est, vt ea ipsi velimus. Et quamuis, per se loquendo, non sit communiter necessarium, vt ea ipsi velimus ex virtute charitatis, erga ipsum, aut erga Deum, cum possimus ea ipsi velle ex alia virtute: tamen in multis actionibus, id vix modo connaturali fieri potest, nisi ex aliquo amore amicitiæ, erga Deum, vel proximum; vt cùm tenemur pro ipsius salute æterna orare, præsertim pro iis, qui nobis coniuncti non sunt.* (Sic lege, non vt Arriaga, *coniuncti sunt.*) *Ad hæc enim aliaque similia charitatis externa opera exercenda, vix possumus efficaciter excitari, nisi ex explicito proximi amore, quo eum, vel propter Deum, vel propter se amamus. Ex alio etiam capite, quandoque eiusmodi amoris actus posset omnino esse necessarius, scilicet, ratione alicuius difficultatis, quæ in exercendis eiusmodi operibus sæpe occurrit ex aliqua auersione erga proximum, aut inordinato nostri amore: præsertim, quando cum aliquo nostro incommodo ea exercenda sunt; quo casu fieri potest, vt non possimus aliter sufficienter nos excitare, vt proximo procuremus ea bona quæ ei tenemur procurare, nisi in nobis prius excitando aliquem explicitum erga eum amorem.* Hucvsque Ægidius. Cui tandem, (extra morem,) annuit Arriaga *disp.* 39. *sect.* 1. *in fine*, dicendo, in his casibus extraordinariis obligare indirectè præceptum illud charitatis.

R. P. Leand. in Decalogum.

DISPVTATIO IV.

De dilectione inimicorum.

Qvæstio Prima.

An detur præceptum diligendi inimicos?

RESPONDEO vt quid certum de fide. Dari præceptum, tam iure naturali, quam diuino inditum, amandi inimicos. Probatur ex verbis Christi Domini Luc. 6. *Prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Et Matth. 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, & benefacite iis, qui oderunt vos.* Ex quibus verbis constat hoc præceptum & iure diuino, vtpotè à Christo Domino, & consequenter, iure naturæ, esse inditum. Quia Christus Dominus nullum morale præceptum, præter ea, quæ sunt Sacramentorum, tulit in lege gratiæ, quod iure naturæ latum non esset, vt cum D. Thoma 1.2. *q.* 108. omnes supponunt. Legantur de hac re D. Thom. 2.2. *q.* 25. *art.* 8. *& ibi* omnes eius expositores. Lorca ibidē *sect.* 3. *disp.* 25. Suar. *de charit. disp.* 5. *sect.* 5. Ægid. *disp.* 24. *dub.* 5. Petr. Hurt. *disp.* 153. *à sect.* 3. Bon. *disp.* 3. *q.* 4. *à pun.* 3. Palaus *tr.* 6. *de charit. d. p.* 1, *punct.* 6. Fagund. *lib.* 1. *in Decal. c.* 28. Trullench. *lib. etiam* 1. *c.* 1. *dub.* 5. Arriaga *disp.* 39. *sect.* 2. Granad. 2.2. *contro.* 3. *tr.* 6. *de charit. disp.* 5. Ouiedo, *tract. de charit. controu.* 8. *punct.* 6.

Qvæstio II.

An hoc præceptum diligendi inimicos, obligauerit antiquum Dei populum, cum lex scripta vigebat; saltem loquendo de inimicis Iudæis, qui ad ipsum Dei populum pertinebant?

RESpondeo vt certum: obligasse. Sic enim habetur Exodi 23. illis verbis: *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* Et Leuit. 19. (non 9. vt leges apud Ouiedum) versu 17. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Ex quibus Scripturæ locis constat, quod Iudæi tenebantur, quantumcunque inimico Iudæo, impendere dilectionem, & signa amicitiæ. Sic omnes vt certum supponunt. Legantur Granad. Ouied. Hurtado, *loc. cit.*

Qvæstio III.

An etiam dictum præceptū obligauerit Hebræos, ad diligendos inimicos externarum nationū?

NEgarunt Salmeron. *to.* 5. *tr.* 42. & Maldon. *in c.* 5. *Matth. versu* 21. *&* 43. existimantes, in lege veteri, non teneri Hebræos diligere inimicos externarum nationum; eo quod concessum, aut permissum illis fuerit, eos odire. Probant, quia Christus Dominus stabiliturus in lege gratiæ præceptum diligendi inimicos *Matth.* 5. præmisit: *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, (seu, amicū tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autē dico vobis diligite inimicos vestros.* Ex quibus vltimis verbis constat

Christum in lege gratiæ, sublimiorem præcipere Charitatem, in lege veteri non præceptam.

Sed contra, alij communiter affirmant, obligasse tale præceptum Hebræos in sua lege, nec vnquam concessum fuisse, aut permissum illis odium inimicorum externarum nationum, sed præcepto Charitatis fuisse obligatos, diligere inimicos, etiam alienigenas, & gentiles. Ratio est. Quia odium inimicorum est intrinsice malum, & præceptū Charitatis, erga omnes natura rationali præditos, est naturale: ergo omnes homines respectu omnium etiam alienigenarum, & inimicorum semper astrinxit: ergo, &c. Sic docent Magister *in 3. dist. 30. & ibid.* D. Thom. *q. 1. art. 1. ad 2.* S. Bonauent. *q. 4. Ad argumenta.* Durand. *quæst. 1. ad 3.* Glossa, Abulens. Lyra, Titelman. & Iansenius *in c. 5. Matthæi.* Qui omnes affirmant, illud quod Christus Dominus retulit: *Audistis quia dictum est, odio habebis inimicum tuum*, non fuisse præceptum, aut permissionem Legis Mosaicæ, sed falsam aliquorum interpretationem. Idem docent Bannez *2. 2. q. 25. ad art. 8.* & Aragon. *ibidem*, qui accedit, dicens, hoc esse de Fide. Valentia *q. 3. pun. 2. §. Maior.* Lorca *disp. 25.* (non 23. vt inueni apud Palaum) *mem. 2. n. 13.*

Sed ego conciliando has duas sententias, clarius, Respondeo. *Primo*: Hebræis nunquam fuit permissum, aut concessum odium inimicitiæ, adhuc respectu inimici alienigenæ, aut extranei. Probatur ex dictis. Quia odium inimicitiæ est illud, quo quis vult suo inimico malum, quia malum illius est: atqui hoc permitti vnquam potuit, vtpotè intrinsice malum, & nullo bono fini deseruiens: ergo. In hac conclusione conueniunt omnes.

Respondeo, *Secundo*. Hebræis permissum, & concessum, imò & præceptum fuit, odium abominationis respectu aliquarum nationum alienigenarum, qui legem Dei auersabantur, & Hebræos ad Idololatriam excitabant, quales erant Chananęi, cum quibus amicitiam inire Iudæi erant prohibiti; imò potius tenebantur eos aduersari, & pro viribus hostiliter, vt constat *Exodi 34. n. 16. Deuteron. 20. vers. 16.* Hoc igitur odium abominationis respectu dictarum nationum fuit Hæbræis permissum & concessum; quia non est intrinsicè malum, cum solùm cōsistat, in actu voluntatis quo aliquem tanquam nobis malum, & infestū auersamur, & cupimus omnino destrui, & perire. Legatur D. Gregor. *Homil. 38. in Euangel. post initium.* Et ex Theolog. Palaus *to. 1. tr. 6. disp. 1. pun. 6. n. 1.* Granad. *2. 2. controu. 3. de Charit. tra. 6. disp. 5.* Ouied. *controu. 8. pun. 6. n. 149.* & alij ex citatis, præcipue Petr. Hurtad. qui latissimè de hac re. Ægid. *disp. 24. dub. 6. n. 81. & disp. 29. dub. 3.*

Qvæstio IV.

An tencamur, vi huius præcepti, amare aliquando inimicos, actu amoris interno?

Negant, qui negarunt ad id, respectu amicorum, teneri; quos habes *supra disp. 3. q. 6.* Nam (vt consequenter ait Arriaga *hic sect. 2. in princip.*) si absolute non tenemur actum amoris proprium elicere erga proximum; non tenebimur erga inimicum; quia ex eo capite, quod sit inimicus, non meretur amorem maiorem, aut communem, meliori titulo.

Sed ego cum communi Doctorum, etiā consequenter, Respondeo. Teneri, vi dicti præcepti, aliquādo inimicos actu amoris diligere. Quia si amicos tenemur (vt *supra* diximus) etiam tenebimur inimicos diligere, cum vtrúmque præcipiat Christus Dominus. Legantur pro hac verificanda sententia casus à nobis propositi à *quæst. 7. disp. 3.* & quos mox quæstionibus sequentibus proponemus.

Qvæstio V.

An possit quis licite excludere inimicum suum à generali dilectione proximorum; hoc est, ab oratione, beneficio, eleemosyna, aut alio opere, gratiam alicuius communitatis, libere facto.

Affirmandum videtur, eo quod ille, qui hæc opera facit, gratis & pro libito facit: ergo libere poterit, cui voluerit, ea conferre; cum nulli sit obligatus. Confirmatur. Quia potest quis dum erat pro salute æterna v.g. Complutensium, sine peccato excludere suum inimicum ab illa oratione, cum, vt supponitur, illa oratio sit liberalis, ergo: Antecedens probatur: quia fingamus (Loquor Arriagæ verbis) casum, in quo orans, non ex odio, sed v.g. quia ita apud se discurrit: *Quo pro paucioribus orauero, eo efficacius pro illis impetrauero, ideo oro pro eis, qui mihi sunt bene affecti, aut pro illis, qui nihil à me sunt demeriti*, non putarem tunc eum peccaturum, in ea exclusione quasi negatiua. Ita sentit cum aliis Arriaga *2. 2. disp. 39. sect. 2. quæst. 4. num. 17.*

Sed alij communiter contra negant, posse quem licite excludere inimicum suum à beneficiis communibus communitati toti, etiam libere, & pro libito exhibitis. Quia hæc exclusio semper procedit ex affectu odij, & priuatæ vindictæ; atqui talis affectus intrinsece est malus: ergo. Ita sentiunt S. Thom. *2. 2. qu. 25. art. 9.* Caietan. Aragon. & Bannez *ibid.* Suarez *de Charit disp. 5. sect. 5. n. 6. & 7.* & apud Siluest. ver. *Charitas.* & Nauarrus *c. 24. n. 5.* Azor. *to. 2. lib. 12. c. 3. q. 2.* Valentia *qu. 3. pun. 2. in fine.* Granados *tract. 6. disp. 6. n. 5.* Filliuc. *tom. 2. tract. 28. n. 18.* Gasp. Hurtad. *disp. 4. diff. 3. vers. secundo iniuriatus.* Petr. Hurtad. *disp. 153. sect. 4. §. 53.* Qui licet rationes, quibus hæc sententia probari solet, probabiliter dissoluat, non tamen audet ab illa recedere, quia ob suos (ait author) res est plusquam probabilis. Ægidius *disp. 24. dub. 6. à n. 85.* Palaus *tract. 6. disp. 1. num. 4.* Trullench. *lib. 1. in Decal. cap. 5. dub. 5. num. 4.*

Sed ego clarius, ac distinctius, sequentibus responsionibus adæquatè quæstioni satisfaciam. Igitur Respondeo, *Primo*. Nullus potest licite excludere inimicum suum à beneficiis communibus, si hæc sunt debita toti communitati, aut proximo, qua tali: Sic cum communi, vt certum supponit Petr. Hurtad. *loc. cit. §. 51.* Qui & probat: *quia illa communitas habet in me ius ad illa beneficia: at eius communitatis pars est inimicus; habet ergo ius partis ad beneficia totius. Nec est, cur excludatur, nisi inimicitia, hæc autem non est titulus eum priuans iure in me ad beneficia communia: nisi forte illis sit abusurus in meam perniciem, &c.* Sic ille & Arriaga *loc. cit. sect. 2. qu. 4. n. 17.* & omnes.

Respondeo, *Secundo*. Nec quando beneficia, quæ quis communitati præstat, non sint debita, sed libera, est illi licitum excludere inimicum ab illis, si id faciat ex effectu odij, aut, hoc adhuc excluso, cum scandalo. Patet primum: quia dato, quod ipsa exclusio à beneficiis, non esset peccatum, esset tamen profecto odium ipsum, & ipsa auersio, qua inimicum à beneficiis excluderet: vt constat. Secundum etiam est planum: quia si ex illa à beneficiis communibus exclusione, graue sequatur scandalum, eo quod illâ distribuens præbet sufficiens fundamentum, vt omnes obligant, illum verè esse inimicum, illique malum velle, planè sequitur quod ratione scandali vitandi, teneatur præstare eadem beneficia, quæ aliis: In hac responsione etiam conueniunt omnes vtriusque sententiæ DD.

Respondeo

Respondeo, *Tertio.* Quando beneficia, quæ quis præstat aliis, non sint illis debita, sed liberaliter plane concessa; tunc, secluso scandalo, & odio interiori, licitè poterit excludere inimicum. Quia sicut tunc distribuens nulli tenetur ea beneficia præstare, & potest inter amicos, duobus, aut tribus conferre, ita potest omnibus amicis, & nulli inimico. Sic Arriaga *loc.cit.n.*17. & 18. vbi addit, in hoc casu, facillimè posse apud alios cessare scandalum, si distribuens ostendat se in liberalibus non obligari erga inimicum, ideoque posse licitè eos eligere tantum, quos affectus habet. Et credo, sic alij DD. si attente legantur. Legatur Ouiedo *punct.6. cit.* qui de hac difficultate late tractat. Bannes 2.2. *quæst.*25. *art.*9. *dub.*3. & Ioan. de Cruce *in sum. par.*1. *præcepto* 1. *art.*3.

QVÆSTIO VI.

An teneamur per se, aut vi huius amoris præcepti, salutare inimicum, dum nobis occurrit: loquendo illi; caput aperiendo, &c?

NEegant absolutè plures DD. Eo, quod inimicis non debemus nisi signa communia cuiuis hominum debita: sed salutatio non est communis cuiuis hominum debita, cum multos homines præterimus licite insalutatos: ergo salutare inimicum non est per se de necessitate precepti. Ita S. Thom. 2.2. *q.*25. *art.*9. & ibi Caietan. Trullench. *lib.*1. *Decal.c.*5. *dub.*5. *n.*7. Qui citat Bannesium 2.2. *q.*25. (sic lege non 5.) *dub.*1. Bonacinam *to.*2. *disp.*3. *q.*4. *pun.*3. *n.*3. Villalobos 2. *par. tract.*3. *diff.*6. *n.*4. & Dianam *to.*1. *tra.*1. *Miscellan. Resol.*52. (*lege tu* 62.) His addi possunt Beja *par.*2. *fol.* 199. *casu* 1. Suarez *disp.*5. *de Charit. sect.*5. *n.*8. Ægidius *disp.*24. *dub.*6. *n.*91. Palaus *tract.*6. *disp.*1. *pun.*6. *n.*5.

Affirmant è contra alij, docentes absolute, teneri ex vi præcepti, inimicum salutare, alloqui, caput aperire, & alia signa beneuolentiæ ostendere. Ita in primis tenent Ioan. de Cruce *art.*3. *cit.* his verbis: *Tertio peccas, non exhibendo proximo signa honoris consueta ex more patriæ, si alias illa exhibebas, & modo ob inimiciam omittis.* Hæc enim ait Bannez, censetur vindicta, & peccatum mortale. Ita Cruz. & Petr. Ledesma *tom.*2. *sum. tract.*3. *cap.*2. *concl.*5. *dict.*1. & 2. vbi ita ait: *Digo lo segundo, que siendo estas señales communes de la patria, y no especiales, estoy obligado de Charidad à hazerlas, y mostrarlas. Porque tengo obligacion de Charidad a mostrar las señales generales, y communes con el enemigo, que se suelen hazer con semejantes personas. Si mi enemigo era mi conocido, que solia vsar con el de semejantes conocimientos, muy dificultoso es de entender, que no sea peccado mortal: pasar sin hazer semejantes comedimientos, principalmente si es mi Prelado, o Obispo, porque esto es vna manera de vengarse.* Sic Ledesma, qui etiam citat Bannesium pro hac parte. Quare malè citatur hic author pro apposita à Bonacina, & Trullenchio. Sic etiam, apud Ouiedum, sentiunt (vltra Bannesium) Lorca *disp.*25. *num.*27. (in margine mendosè 17.) Valentia *disput.*3. *quæst.*3 *pun.*2. *vers. Hinc sequitur.* Azor. *tomo* 2. *lib.*12. *cap.*3. *qu.*4. Granados *tract.*6. *disputat.*6. & Petr. Hurtadus *disputat.*153. *sect.*4. *subsect.*3. Quos ex parte sequitur ipse, *controu.*8. *punct.*6. *num.*140. Sed certè Authores, quos pro hac sententia absolute citat Ouiedo, non docent illam absolute, sed limitate ad certum genus personarum, vt *infra resp. ad* 2.

Sed ego, distinctius, probabilius, Respondeo dicendum *Primo.* Non tenetur quis, necessitate præcepti, salutare suum inimicum, si sic sit persona vulgaris, aut talis generis, quam sine aliqua nota, insalutatam præterire potest. Ratio est clara. Quia si secluso inimicitia, hæ salutationes mutuæ, & alloquutiones, sine aliorum nota, & sine occasione querelæ, possunt licite omitti, cur non poterunt etiam licite omitti, inimicitia superueniente, per se loquendo; cum inimicitia titulus non sit ob quem obligationem contrahat nouam dicta beneuolentiæ signa exhibendi? Sic sentit Petrus Hurtadus, *loco citato* §.59. Ouiedo *loc.cit.n.*140. & à fortiori omnes DD. primæ sententiæ.

Respondeo, *Secundo.* Vere tenetur quis, necessitate præcepti, salutare suum inimicum, si hic sit persona grauis, aut certum statum, & gradum habens, & tandem talis conditionis, qui inimicitia secluſa iuste potest conqueri propter omissionem salutationis, alloquutionis, &c. Quia inimicitia non est titulus, vt eum priuet honore, aut signo alio beneuolentiæ alias debito. Sic sentit Petr. Hurtado *loco cit.* §.60. vbi nostram sententiam explicat, & exemplificat sic dicens: Existimo interdum esse per se contra Charitatem, non salutare inimicum. Quod docuit Bannez, Lorca, Valentia Azor. (*locis supra* ab Ouiedo *citatis*) cum Gabriele *in Canonem sect.*76. *lit.C.* quam probabilem censet P. Filliuc. *tom.*2. *tract.* 28. *nu.*21. Nec potest de ea esse dubium: licet enim speciei humanæ sit per accidens duos homines esse collegas, aut congenticos: at ex ea hypothesi accidentaria, lex Charitatis obligat per se ad exhibenda signa amicitiæ, quæ licet priuata sunt huic collegio, vrbi, aut viciniæ: at vicinis, ciuibus, & collegiis sunt communia. Itaque duo religiosi eiusdem ordinis, lege Charitatis tenentur per se, & non solum per accidens, ad reciprocam salutationem. Item duo collegæ eiusdem collegij: duo viri nobiles inuicem noti, duo gentiles, & alij, quos tenet vinculum aliquod, aut necessitudo. Probatur: Quia negatio salutationis, inter eiusmodi viros, est per se argumentum inimicitiæ: hoc autem est contra Charitatem: ergo. Probo maiorem, illud est per se argumentum inimicitiæ, quod nulli alij causæ potest prudenter adscribi, vt est per se notum: sed negatio salutationis, inter eiusmodi viros, non potest alij causæ prudenter adscribi: ergo est per se argumentum inimicitiæ. Probo minorem: quia sublata inimicitia, non posset, inter viros prudentes negari salutatio. Nullúsque eos viderit insalutatos præterire, quin prudenter coniiciat, inter eos esse inimicitiam. Hæc & amplius, doctus Hurtad. Sic etiam Ouied. *loc.cit.n.*140. his verbis: dubium enim non est, quod si duo Canonici eiusdem Ecclesiæ, vel diuersarum, qui se mutuo agnoscerent, in aliquo loco concurrerent, notabilem querelæ occasionem præstiturum illum, qui cum altero caput non aperiret. Item dico de duobus Collegi, eiusdem, vel diuersorum Collegiorum, & duobus viris nobilibus, eiusdem, vel aduersæ Ciuitatis, dum se mutuo agnoscunt; non enim raro, graues rixas, & inimicitias subortas vidimus, eo quod vnus coram altero occurrente, caput non discooperuit. Hæc Ouiedo. Et etiam ex Petro Hurtado, Diana *par.*5. *tract.*13. *Resol.*89. *in principio.*

QVÆSTIO VII.

An omissio salutationis, & alloquutionis debitæ, sit regulariter peccatum mortale?

NEgat Lorca 2.2. *qu.*25. *art.*9. (non 6. vt leges apud Dianam, Trullench.) *sect.*3. *memb.*3. *n.*28.

his verbis: *Quartò: Omissio alloquutionis, & salutationis, etiam quando debita est, non est regulariter peccatum mortale: nam opponitur affabilitati, quæ non est tantæ obligationis, nisi fortè ex circunstantia personæ, & aliis, oederet in magnam iniuriam, vel propter scandalum, quod raro fit, & prudentis arbitrio discerni oportet.* Ita Lorca.

Sed probabilius longè, Respondeo. Regulariter esse peccatum mortale. Quia (vt bene Petr. Hurtad. *loc.cit.*§.62.) subtractio salutationis, inter viros, quibus est debita, est iniuria: ergo est per se contra legem Charitatis. Probo antecedens; quia iniuria est, quando verbo, aut facto, significamus alicui non deberi, quod debetur aliis eiusdem conditionis: sed eiusdem conditionis omnibus debetur: ergo. Probo minorem: quia, qui eam negaret, censeretur inurbanus, & iniquus æstimator personæ, cui eam negat. Item est per se quæstuum occasio iusta, & fomes inimicitiarum. Sic ille. Et antea Bannes, Petrus Ledesma, & Cruz. quorum verba habes *supra quæst.6.* sic etiam Filliuc. *tract.28.cap.1.num.18.* Qui bene limitat, nisi alias leuitas excuset materiæ, aut alia rationabilis causa, propter quam omitteretur salutatio, &c. de qua *infra quæst.9.*

Qvæstio VIII.

An etiam peccet mortaliter ille, qui, occurrentibus pluribus, inter quos est inimicus, salutat omnes, excepto inimico?

NEgat adhuc Lorca *loc. cit. num.30.* dum dicit; non esse ita certum, quod Silvester, & alij dicunt, istum peccare mortaliter. *Primò*, quia, vt dixi (ait) omissio salutationis debitæ, regulariter non est peccatum mortale. *Secundò.* Quia potest id facere, non in odium, & repulsam inimici, sed in significationem proprij grauaminis, & iniuriæ. Ita Lorca.

Sed probabilius longe, Respondeo. Peccare mortaliter, non salutando inimicum in proposito casu; nisi interueniat aliqua (ex infra assignandis) causa, quæ excuset. Quia (vt diximus) probabilius longe est, quod omissio salutationis debitæ, sit peccatum mortale: ergo. Sic Silvest. *verb.Charitas.q.6.* Quem citat, & sequitur Filliuc. *tract.28.cap.1. quæst.8. ver. Ex his soluuntur.* Vbi licet expresse non dicat esse mortale, sed solum non licere; colligitur tamen ex eo quod sequatur Silvestrum, & ex ratione, qua id probat Trullench. *lib.1. cap.5. dub.5. num.7.* Diana *par.2.tract.1. Miscell. Resol.62.* & apud eum, Syluius. & clarius Petr. Ledesma *tom.2. sum tract.3. de Charit.cap.2.* vbi *post 5.concl.* Sic loquitur: *Digo loquinto: que si estan otros hombres iuntos con el enemigo, es pecado mortal hacer comedimiento alos otros, y no ael. Esto ensena Silvestro* verb. Charitas. quæst.5.& 6. *y el P. Maestro Banez en el lugar citando*, 2.2. quæst.25. art.8.& 9. *la rason es, porque de otra suerte, regularmente se siguiria escandalo.* Sic Ledesma Aragon. etiam *2.2.quæst.25.in explicat.art.9.col.mihi.8.* his verbis: *verum tamen quod tribus hominibus occurrentibus, non licet salutare duos, altero relicto,* vt dicit Silvest. Et ratio est: quia iam salutatio computatur inter beneficia communia, &c. Et præterea quia illud opus ex se est signum rancoris, & inimicitiæ. Sic ille. Fagundez etiam *lib.1.in Decal.cap.28.num.10.*

Qvæstio IX.

An possit quis in aliquo casu, non salutare inimicum, nec illum alloqui?

REspondeo, Posse, & in multiplici. Nam *Primò* potest subtrahere quis inimico debitam salutationem, & alloquutionem sine peccato, in punitionem delicti, si is, qui subtrahit, habet authoritatem puniendi; quia est pater, Superior, aut Iudex; quod fecit Dauid. 2. *Reg.* 14. non permittens, vt Absalon faciem suam videret. Sic Lorca, & alij *vbi infra.*

Secundò. Potest subtrahere salutationem inimico, qui ab illo infamem accepit iniuriam, cuius æstimatio digna petit austeriorem vultum, atque tristiorem, qualis esset, qui appellatus fuisset *Iudæus, Sodomiticus, Fur.* aut quid simile inorme: tunc enim prudenter censetur negatio salutationis oriri, non ex odio, aut ex maleuolentia; sed ex dolore iusto, & ingenti acerbitate, quæ iustè adimit vrbanitatis argumenta omnibus eiusdem conditionis hominibus communia: Item esset & multis argumento, eum parui æstimasse, tam acerbam iniuriam. Sic Lorca 2.2. *sect.3.disp.25.memb.3.n.29.* ex Corduba, & Abulensi; Sic & alij, mox citandi.

Tertiò. Potest subtrahere salutationem inimico, qui sine graui incommodo honoris, non potest filius salutare; hic tamen casus perrarus erit.

Quarto (ait Petr. Hurtad.) soluuntur ab obligatione inimicum salutandi, qui ita simulant distractionem, aut oculorum hebetudinem, vt prudenter iudicetur, salutationem omissam, non ex memoria inimicitiæ, sed ex alio capite, nempe ex inaduertentia, &c.

Quinto (addit idem Petrus) qui vidit tres, aut quatuor amicos, quos familiariter alloquitur, capite tecto, nec salutatos: tunc licet inimicum non salutet, nec alloquatur, non peccat contra Charitatem: quia illa alloquutio, licet vni duntaxat dirigatur, censetur salutatio omnium sociorum tunc concurrentium. Hæc Petr. Hurtado 2.2. *disp.153. sect.4. subsect.3.§.64.* Et ex illo Diana *par.5.tr.13. Resol.89.* & Ausonius *in Diana summa verb. Affabilitas. n.3.* Sà *verb. Charitas. n.9.*

Qvæstio X.

An in casibus, in quibus tenetur quis inimicum salutare; teneatur adhuc salutatione præuenire?

REspondeo breuiter *Primo.* Si iniuriatus; aut offensus sit eiusdē conditionis, aut status inimici, minime tenetur præuenire illum salutatione. Ratio est clara. Quia præuentio nulli æquali debetur, etiamsi non sit inimicus: ergo minus inimico æquali; cum inimicitia non sit titulus ad officium Ita Petr. Hurtad. *subsect.3. cit.* §.66. Quamuis addat, quod aliquando possit per accidens teneri ad præueniendum; veluti si illi non sit graui damno, & aliunde sperat inimicum depositurum odia, tenetur lege Charitatis. Item si scandalum possit facile, & sine incommodo vitare; vt enim ea præstare tenemur aliis in occasionibus, ita & in hac.

Respondeo, *Secundo.* Si inimicus sit superior, aut altioris status, & conditionis; tunc, regulariter loquendo, tenetur offensus illum salutatione præuenire. Quia hæc præuentio illi erat debita, si inimicitia non intercessisset: ergo post intercessionem. Sic Hurtadus, §.65. Qui tamen bene excusat illos inferiores, qui tam acerbam iniuriam acceperunt, vt non præueniant honore inimicum, ob iustum dolorem,

dolorem, & æstimationem iniuriæ, non tamen ob odium.

Respondeo *Tertio*. Si inimicus sit inferioris conditionis, & status offenso: Tunc non tenetur hic præuenire illum salutatione. Quia isti, vtpote superiores in conditione, aut dignitate, independenter ab inimicitia, possunt expectare, & non salutare, nisi salutati prius: ergo quod post inimicitiam expectent, non potest odio adscribi. Sic Hurtad. *loc. cit.* Legantur etiam Lorca *disp.25. mem.3. num.29.* Diana *tom.1. tract.15. & 1. Miscell. Resol.62.* Ouiedo *controu.8. punct.6. num.142.*

Qvæstio XI.

An teneamur resalutare inimicum, nos salutantem?

NEgandum videtur. Quia nullus tenetur ex Charitate resalutare omnem salutantem, nec respondere omni loquenti: ergo minus inimico.

Sed absolute loquendo Respondeo. Vt quid certum: Teneri, non solum vrbanitatis virtute, sed Charitatis. Quia posita inimicitia, censeremur non resalutare ob inimici contemptum; illique occasionem præberemus in inimicitia perseuerandi. Sic Suarez *disp.5. sect.5. num.8.* qui ad rationem dubitandi, negat antecedens; quia tenetur (inquit) resalutare, & respondere, ex quadam vrbanitate: quamuis si omittat, solum peccet venialiter, eo, quod non sit grauis læsio Charitatis, veluti est per se respectu inimici. Sic cum Suario tenent Valentia, & Lorca, Bonac. Ægidius, & Sà, quos citat & sequitur Palaus *tract.6. disp.1. punct.6. num.6.* Fagundez *num.10. cit.* Trullench. *num.9.* & Petr. Hurtad. §.66. Qui bene excusat à resalutatione omnes illos, qui à salutatione *quæst.9.* excusabimus cum illo.

Qvæstio XII.

An inimicum non resalutare, sit peccatum mortale?

AFfirmant aliqui absolute, inter quos est Palaus *loc. cit. num.6.* Negat vero contra Lorca 2.2. *disp.25. memb.3. num.28.* secundum quod refert Machado his verbis: *Pero Lorca, Author tan graue, es de parecer, que aunque la resalucacion es accion debida à todos los vezinos, y moradores de vn lugar; contodo esso Iuzga, que faltar à esta obligacion nos es pecado mortali; por que no se apone a la charidad, si no ala afabilidad, que no es de tanta obligacion; sino es, que à caso por la circunstancia de la persona, resultasse en graue offensa suya, ò escandado, que raras vezes Iuzga puede succeder.* &c. Hæc Machado *lib.2. par.2. tract.6. docum.4. numer.7.* Et etiam Ausonius, *in sum. Dianæ verb. Affabilitas. numer.2.* vbi ait Lorcam *loc. cit.* id ipsum docere, his verbis: *Quoniam vero affabilitas non est tantæ obligationis, salutationem & resalutationem omittere etiam quando debentur* (ait Lorca) *non esse peccatum mortale.* Ita Ausonius, citans suum Authorem Dianam *par.2. tract.15. Resol.62.*

Sed certe, nec Diana ex Lorca id refert; nec potuit vere, cum Lorca id minime doceat, cum *loco cit.* solum loquatur de salutatione & allocutione, non de resalutatione. Accipe eius verba: Quarto. Omissio allocutionis, & salutationis, etiam quando debita est, non est regulariter peccatum mortale, nam opponitur affabilitati, quæ non est tantæ obligationis. Sic Lorca. Verum est, quod hic Author paulo antea, *vers. Tertio*, docuerat, quod resalutatio, & responsio omnibus hominibus sic debita virtute affabilitatis: Ex quo dicto videtur haud obscure sequi, quod debeat Lorca sentire quod ei hi DD. adscribunt. Sed quicquid ille interius senserit.

Ego distinctius quæstioni propositæ, sic *Primo* Respondeo si persona salutata est longe superioris dignitatis, aut status, vt Prælatus respectu subditi; Pater respectu filij, aut Princeps, siue vir nobilis respectu plebei; tunc non peccat mortaliter non resalutando. Quia denegatio resalutationis in hoc euentu, non adscribitur contemptui, nec inde oritur scandalum. Sic communis. Azor, Ledesma, Bonacina quos citat, & sequitur Trullench. *lib.1. cap.5. dub.5. n.10.* addens, ex Silueſtro, & Filliucio, nec adhuc peccare venialiter, si persona omittens resalutare esset eminentior, & adesset iusta causa non resalutandi. Sic etiam Petr. Hurtad. §.67. Ouiedo *pun.6. n.141.* per hæc verba: Quando maxima *distantia* est; vt inter Patrem, & filium, Dominum, & seruum, virum nobilissimum, Ducem, aut Marchionem, & hominem è media plebe, resalutatio non debetur, & sine iniuria omittitur: raro tamen sine inurbanitate omne signum beneuolentiæ, veluti motus capitis, conspectus beneuolus, nisi in supremo Principe, poterit omitti. Sic Ouiedo Aragon. etiam statim citandus.

Respondeo *Secundo*. Si persona salutata est æqualis, aut etiam non longè superioris conditionis, aut status; tunc mortaliter peccat non resalutando. Quia ægrè quisque prudens feret, ipse non resalutari ab æquali aut maiori paulo: eo quod talis salutata persona non resalutando salutantem, ostendat eum esse longo interuallo inferiorem. Sic Petr. Ledesma Trullench. Petrus Hurtad. & Ouiedo *locis citatis.* Aragon. 2.2. *quæstion.29. art.9. col.8. vers. Dico Secundo*, & communis.

Respondeo *Tertio*. Quando persona salutata est vilis; tunc non peccat, saltem mortaliter, non resalutando suum æqualem. Quia (vt bene Petr. Hurtad. §.67. *citato*) *salutationes non æstimantur inter personas viles, sed solum inter ingenuos.* Sic ille.

Qvæstio XIII.

An confessarius possit absoluere nolentem salutare, aut alloqui inimicum, seclusa odio, & scandalo?

AFfirmant Bonacina *disp.3. quæst.4. pun.3. nu.3.* Silueſt. Nauarrus, & Caiet. quos citat, & sequitur Trullench. *lib.1. Decal. cap.5. dub.5 n.8.* his verbis: *Ex his sequitur, posse Confessarium, absolute loquendo, absoluere pœnitentem offensum, qui inimicum salutare recusat; modo non adsit odium, aut scandalum, aut periculum, vt inimicus odium, & rancorem, ob denegatam sibi salutationem, concipiat: quod debet prudenter Confessarius examinare.* Ita ille.

Sed clarius Respondeo. Posse Confessarium absoluere nolentem salutare, aut alloqui suum inimicum, in casibus, in quibus, nec salutare, nec loqui illi debeat; de quibus egimus *supra quæst.9.* Non tamen in casibus, in quibus ad id sub mortali teneatur, iuxta dicta à nobis *quæstion.7. & 8.* Legantur necnon & Bonac. *loc. cit. vers. quanquam arbitror.* & Palaus *tract.6. disp.1. punct.6. n.11.*

QVÆSTIO XIV.

An posſit Confeſſarius abſoluere Patrem, qui non vult admittere ad colloquium filium, qui indigno, vel valde inæquali, matrimonio, ſe copulauit?

REſpondeo, Poſſe: dummodo Pater id non ex odio, aut iracundia; ſed ob caſtigationem delinquentis, familiæ honorem, & aliorum filiorum maiorem cautelam procurandam, faciat. Et non in perpetuum, ſed ad tempus. Quia id ſic facere, ob hanc cauſam, Patri eſt licitum, vt habes *ſupra q.9.* ſic Layman *lib.2. tract.3. c.4. num.3.* Et ex illo Diana *par.4. tract.4. Reſol.182.* & Auſonius *in eius Summa, verb. Affabilitas num.4.*

QVÆSTIO XV.

An teneamur, inimicis ſigna ſpecialis amoris exhibere?

REſpondeo, Non teneri. Quia inimicitia non eſt titulus, ob quem inimicus ſit dignus aliquo bono ſpeciali, ſic tenent D. Thom. *2.2. quæſt.25. art.9. & ibi* Caiet. Azor. *tom.2. lib.12. c.3. quæſt.6.* Villalob. *2.p. tract.3. diſp.6. num.5. & 7.* Trullench. *lib.1. cap.5. dub.5. num.6.* Fagundez *lib.1. Decalog. cap.28. num.11.* vbi ſic ait: *Signa autem ſpecialis, aut particularis amoris, nemo tenetur inimicis præbere: ſigna vero ſpecialis amoris, ſunt illa, quæ ordinarie amicis ſolum exhibere ſolemus: vt accommodationes rerum domeſticarum, locutiones ſpeciales, crebra aſſiſtentia in menſa, viſitationes communes amicorum; hæc inimicis exhibere non tenemur, etſi antea exhiberemus.* Ita Toletus *lib.4. ſum. c.10. ad finem.* Imo, vt optime animaduertit Nauarr. *cap.25. num.14.* nec poſtquam amici facti, & amicitia reconciliati ſumus, tenemur eos ſub mortali, in eam familiaritatem admittere, qua antea vtebamur. Tenemur tamen tunc, vltra illa ſigna generalia amoris, aliqua eis ſpecialia oſtendere. Quam ob rem inquit idem Nauar. & Caietanus (*loc.cit.*) hoc debent Confeſſarij animaduertere, ne ad id, quod non tenentur, pœnitentes obligent. Hucuſque Fagundez. Petr. Hurtad. *diſp.153. ſect.4. §.71. in fine*, vbi ab hac regula incipit fratres, qui (inquit) tenentur ſe mutuo inuiſere, niſi per accidens excuſentur timore aliorum incommodorum.

QVÆSTIO XVI.

An qui aliquem iniuſte læſit, teneatur ab eo veniam petere, & illi reconciliare?

REſpondeo vt certum: Teneri. Quia hæc recompenſatio debetur illi, qui iniuſtè iniuriam accepit. Ratio namque petit, vt qui externe, ſe iniurium oſtendit, externe reſtituatur ad æqualitatem cum proximo. Sic omnes, legantur Petr. Hurtadus *diſputat.153. ſect. & ſubſect.4. §.69.* Ouiedo, *controu.8. punct.6. numer.143.* Qui bene notant, quod ſi perſona, quæ iniuriam intulit, eſt Princeps, aut notabiliter ſuperior perſonâ læsâ, tunc ſat erit, per internuncium amicum veniam petere, & medio illo, teſtari ſe beneuolum, erga illum in poſterum futurum.

QVÆSTIO XVII.

An qui iniuſtè iniuriam alij intulit, teneatur veniam petere; etiam caſu, quo timeat prudenter, perſonam læſam exponendam eſſe periculo maioris furoris, nec admiſſuram ſatisfactionem?

REſpondeo Non teneri. Sic Petr. Hurtado. §.69. *cit. in fine.* vbi ita ait: *Ab hac ſatisfactione neminem excuſo, niſi per accidens, ſi fortè læſus exponeretur periculo furoris, aut tam male accipiendi inimicũ, vt illi eſſet grauem illaturus iniuriam, aut longe diſtarent. Tunc enim non tenetur per literas veniam petere: eum autem teneri ad reſarciendam honoris iacturam, non eſt dubium: id enim ſpectat ad iuſtitiam commutatiuam, vt tantundem honoris reddatur, quantum fuerat ablatum iniuſtè.* Sic ille.

QVÆSTIO XVIII.

An venia petenda ſit, ſtatim, ac iniuria ab aliquo fuit illata?

REſpondeo, Quod non, ſed poſt aliquod tempus. Ratio eſt. Quia, ſi qui iniuriam intulit, ſtatim peteret ſui errati veniam, exponeretur periculo minoris furoris læſum, & daret, non admittendi ſatisfactionem, occaſionem, eo quod tunc dolore præſenti, vere excuſaretur ad recipiendum inimicum pacate. Sic Azor. quem citat, & ſequitur Petr. Hurtad. *diſp.153. ſect.4. ſubſect.4. §.70.* Ouiedo, *controu.8. pun. 6. numer.143.* Filliuc. *tract.28. cap.1. quæſt.9. num.25.* Villalob. *tract.3. diff.6. num.12.* & Trullench. *lib.1. cap.5. dub.5. num.13. in fine.*

QVÆSTIO XIX.

An quando duo inimici, ſe inuicem lædunt; teneatur prius veniam petere, qui prius læſit?

REſpondeo vt certum: Teneri: niſi alias alter grauitate iniuriæ compenſauerit prioritatem. Qui enim grauius læſit, tenetur prius veniam petere: Quia exceſſus iniuriæ, eſt in illo prior: ſi quidem in alio, non eſt ille exceſſus, in quo eſt aggreſſor, aggreſſor autem tenetur prius ſatisfacere. Sic omnino Petr. Hurtado *loc. cit. §.71.* & ſic Ouiedo *num.143.* his verbis: *Qui iniuriam alij intulit, tenetur ab eo veniam petere, & illi reconciliare: quod ſi vterque in alium iniuriam intulit, illique grauius exceſſit, tenetur veniam petere. Cæteris autem paribus, qui incepit, maiorem iniuriam intuliſſe cenſebitur: poterit autem prius laceſſitus taliter in alium poſtea inſurgere, vt cenſeatur maiorem intuliſſe; & prius teneatur veniam petere.* Sic Ouiedo, qui bene addit, quod, quando, omnibus penſatis, iniuria ex vtraque parte fuit æqualis, ſufficiet eos, qui ſibi inuicem iniuriam intulere, mutuo ſe inuicem alloqui, & beneuolentiæ, ac pacati animi ſigna oſtendere.

Qvæstio XX.

An, teneamur sub mortali, inimico veniam petenti, iniuriam remittere, quantum ad odium, & quantum ad culpam in nos commissam?

Respondeo vt certum: teneri. Patet: quia in non remittendo odio (si datur in animo) & culpa in nos commissa, datur actus odij: at hunc verè tenemur deponere erga inimicum, etiam non petentem veniam: ergo à fortiori erga petentem. Sic omnes: præsertim Trullench iis verbis: *Dico primo, tenemur tunc odium deponere, & offensam dimittere, quod est certum, etiamsi non petat: quia non licet odio alterum prosequi, aut malum alteri exoptare, absque honesto motiuo, & fine. Tenemur etiam inimico veniam petenti cum eo reconciliari, siue pacem componere, & veniam dare ei, noxam, ac offensam remittere; aliter enim esset maioris inimicitiæ, & odij causa, & esset tunc irrationabilis pacis denegatio, propter quod tenemur etiam tunc signa reconciliationis, & beneuolentiæ generalia exhibere, iuxta occasionem, & conditionem personæ.* Sic Trullench *lib.1. cap.5.dub.5. num.12* Et antea Suarez *disp.5.sect.5.num.9.* Ægidius *disp.24.dub.6.num.95.* Sà, *verb. Charitas, numer.9.* Bonac. *punct.3. numer.5.* Ouiedo *numer.141.* Palaus *disp.1.punct.6.num.7.* Fagundez *lib.1. Decal.cap.28. num.12.* & omnes.

Qvæstio XXI.

An, non solùm teneamur iniuriam inimico remittere, quantum ad odium &c. verum etiam quantum damnum illatum in honore, fama, aut bonis temporalibus &c?

Respondeo vt certum: Non teneri damnum illatum remittere; sed licite posse, illius satisfactionem, ordine iuris seruato, coram iudice petere. Ratio est quia hæc omnia tenetur inimicus, qui læsit, præstare nobis: ergo nos non tenemur illi ipsa remittere. Sic cum communi Castro Palaus *tract.6. de Charit. disput.1. punct.6.* (non 9. vt inuenies apud Trullench) *num.8.* hæc dicens: *verum in hac significatione amicitiæ, non comprehenditur remissio satisfactionis debitæ pro iniuria; sed non obstante petitione veniæ, illiusque concessione, potest offensus satisfactionem debitam petere, coram Magistratu: quia petit, quod sibi debetur, & quod Magistratus facere tenetur.* Sic ille, ex Valentia *2.2. disp.3. quæstion.3. punct.2. circa finem.* Suario *disput.5. de Charit.sect.5. num.10.* Bonacina *disput.3. quæst.4. punct.3. num.5.* & Ægidio *disput.24. dub.6. à num.96.* Quibus adde Trullench *lib.1. in Decalog. capit.5.dub.5. numer.14.* Azorium *lib.12. tom.2.cap.3. quæstion.7.* Villalob. *2. par. tract.3. diff.6.num.11.* Fagundez *lib.1. capit.28. num.12.* Nauarr. Caiet. Angel. Siluest. & alij apud ipsum late Sancius *in selectis disp.2. num.11. & 12.* & omnes cum Angelico Doctore *2.2. quæstion.25. art.9.*

Qvæstio XXII.

An, etsi non teneantur, possint saltem semper satisfactionem remittere omnes personæ læsæ?

Respondeo Non posse omnes personas, etiamsi velint, satisfactionem remittere: quia non ad omnes personas, immediatè læsas, id spectat: sed ad suos superiores. Sic Nauarr. *in Man. capit.14. numer.25. versu: Dixi odium*, ibi: Imo aliqui sunt, qui etiamsi velint, non possunt id facere (*ideſt, condonare satisfactionem iniuriæ*) quales sunt vxor, filiusfamilias nondum emancipatus, seruus, & Religiosus, iuxta Glossam receptam *in cap. Parochianos, de sent. excommunicat.* Quoniam actio, contra iniuriantem ad superiores pertinet, scilicet, ad maritum, Patrem, Dominum, & Prælatum, secundum Glossam præallegatam. Sic meus Nauarrus. Et ex illo Fagundez *numer.12. citato*, & Trullench *lib.1. cap.5. dub.5. num.14.* Quamuis hic vltimus Author, aliud quam Nauarrus in substantia pronunciet. Legantur.

Qvæstio. XXIII.

An, semper sit melius, quod offensus potens condonare satisfactionem, condonet?

Respondeo quod non: nam aliquando est melius, illam non condonare, quam condonare. Sic expresse Toletus *lib.4.sum.cap.20.in fine*, ita scribens: *Rursus, omnes tenentur inimicis suis iniuriam remittere, quantum ad odium, & voluntatem malam: Sed non tenentur remittere debitam satisfactionem: imo aliquando melius est non remittere. Vnde vidua pauper, filios habens, quos sustentare non valet, non tenetur viri sui interfectori offensam remittere, nisi iustum alimentum subministret, cum possit. Similiter cum homicida homo est iniquus, non tenetur desistere à causa; imo ipsam prosequi, donec suspendatur, debet; deposito tamen odio ipsius personæ & solum ob iustitiæ Zelum.* Hæc Cardin. Toletus. Et ex illo Fagundez *loc.cit. numer.12.* Quibus adde Castrum Palaum *tract.6. de Charitate disp.1.punct.6.num.9.vers.Fateor.* Ita dicentem: *Adde, Sæpe esse conueniens Reipublicæ, ne offensus ab accusatione desistat. Nam illo desistente, solent criminosi facile veniam impetrare, & audaciores fieri ad similia committenda, vt ergo illi, & alij arceantur, & reipublicæ scandalo fiat satis, expedit offensam prosequi actione iniuriarum,* & ita tradidit expresse Suarez *disp.5. de Charit.sect.5. fine.* Coninch. *disput.14.* (*lege tu 24.*) *dub.6. num.103.* Lorca *sect.3. disput.25. num.3.* Bonac. *disp.3.q.4.pun.3.num.5.* Ioan. Sanchez *disp.2.selectarum, nu.11.* Hucvsque Palaus. Et ex illo Trullench *lib.1. Decal.c.5.dub.5.n.14.*

Qvæstio XXIV.

An, licitum sit personæ offensæ, non solum coram iudice, petere vindictam offendentis, verum etiam à Deo?

Respondeo licitum esse; dummodo in petitione vindictæ, non excedat, vltra meritum culpæ.

Ratio est, quia re vera petit quoddam opus virtutis, nempe, delinquentis punitionem, factam ab eo, qui potestatem habet puniendi. Sic Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 12. art. 1. §. contra 3. demum concl.* vbi ita dicit: *Nam quamuis mihi non liceat malum alteri inferre; quia non sum minister iustitiæ: licet tamen mihi, optare, vt Dei permissu, penes quem summa potestas est, aut publica authoritate, malum ei obtingat. Scriptum sane est*, Psal. 67. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Et Psal. 78. *vindica sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est.* Et Deus ait, ad *Rom. 12. Mihi vindictam, & ego retribuam.* Et Deuteron. 12. *Mea est vltio, & ego retribuam.* Hucvsque Sotus. Et ex illo Ioan. Sancius *loco cit. num. 11.* per hæc verba: vnde fas etiam erit, Deum deprecari, infligere alicui damnum temporale, non solùm, vt à peccato puniendus cesset, vt diximus *num. 6.* verum animo sumendi iustam vindictam: sicut enim fas est, hanc inferendam à iudice terreno exoptare; etiam licebit à cœlesti: Imo securius, quia rectior est, vt expressè docet Soto (*loc. cit.*) cauendum tamen, ne ex odio, appetitus vindictæ oriatur; sed solum Zelo iustitiæ vindicatiuæ, aut commutatiuæ. Hæc Ioannes. Et ex illo Palaus, & Trullench, *locis adductis.*

Qvæstio XXV.

An, si persona, quæ læsit, satisfactionem iniuriæ factæ offerat; possit adhuc persona læsa satisfactionem, coram iudice expostulare?

Negant, apud Palaum, Beja 1. *p. sum. casu* 10. Azor. 3. *p. lib.* 12. *cap.* 13. *quæst.* 7. & Siluestr *verb. Charitas, quæst.* 9. (lege tu 6.)

Ratio pro hac parte desumitur ex cap. *si quis contristatus* (non, *si quis constitutus*, vt bis leges apud Palaum) 90. *distinct.* vbi Fabianus Papa dicit; *quod si quis, ob iniuriam acceptam, grauiter contristatus est, & satisfactionem oblatam noluerit admittere, grauissimis pœnis ad id est compellendus.* Ita præter citatos Authores tenet (apud Bonacinam Malderus 2. 2. *quæst.* 25. *art.* 9. *ad finem.* & alij, quos videtur sequi Trullench *lib.* 1. *Decal. c.* 5 *dub* 5. *n.* 14.

Sed clarius, ac probabilius Respondeo dicendum *Primò*, absolute loquendo, non tenetur persona læsa inimico offerenti debitam satisfactionem pro iniuria illata, actionem coram Iudice remittere, sed potest adhuc coram illo satisfactionem iniuriæ expostulare. Ratio est: quia persona læsa non tenetur magis, hanc satisfactionem, quàm aliam acceptare: & sicut Iudex potest iuridicè pœnam, & satisfactionem præscribere, ita persona læsa potest à Iudice petere, vt sibi satisfactio, seu compensatio iuridice fiat: deposito tamen odio, & præciso graui lædentis damno, quod læsus tenetur ex Charitate impedire. Sic Valentia *tom. 3. disp. 3. punct. 3.* Reginald *l. b. 17. cap. 22. num 16.* & Glossa *in cap. si quis contristatus*, quos citat, & sequitur Bonacina *disp. 3. quæst. 4. punct. 3. num. 5.* vers. *Ex quo sequitur.* Palaus *disput. 1. cit. punct. 6. num. 9.* & dicit probabile Trullench *loc. cit.*

Respondeo *Secundò*, in praxi regulariter loquendo, suadenda est prima sententia. Quia rarus est, qui ex amore & Zelo iustitiæ, & non potius ex affectu odij, & vindictæ actionem iniuriarum coram Iudice prosequuntur, Sic Bonacina Palaus, & omnes.

Nec aduersus nostram primam responsionem obstat, cap. *si quis contristatus.* Nam solum probat, quod grauiter compellendus sit ille, qui satisfactionem iniuriantis non vult admittere, vt odium deponat. Legantur Valentia & Palaus *loc. cit.*

Qvæstio XXVI.

An etiam casu, quo iniuria illata, talis conditionis sit, vt reparari ab offensore non possit, (vt contingit in morte filij, vel parentis) possit adhuc læsus prosequi actionem iniuriarum, coram iudice?

Negant, & à fortiori, authores primæ sententiæ, docentes, non posse in hoc euentu læsum prosequi actionem iniuriarum coram iudice, si aliàs læsus veniam iniuriæ petierit, & satisfactionem damni illati. Ita innuit Silvest. *loco sup. cit. verb. Charitas, quæst. 6. in fine*, his verbis: *Tertium autem (quod est, actio in foro contra iniuriantem) homo remittere non tenetur, nisi ille pro posse satisfecerit:* Sic ille. Nunc ego: at hic satisfecit pro suo posse: ergo in sententiam Silvestri læsus tenebitur remittere &c.

Sed, iuxta superiori quæstione à nobis dicta, Respondeo dicendum, quod adhuc possit læsus, deposito omni odio, prosequi actionem iniuriarum, coram Iudice, ob rationem assignatam, quæst. antecedenti in prima responsione: licet regulariter loquendo, in praxi suadendum sit contrarium; quia conformius consilio Christi, *si quis percusserit te in maxilla præbe ei alteram.* Sic Palaus *loc. cit. n. 9.* & alij pro nobis adducti.

DISPVTATIO V.

De Ordine in Charitate seruando.

Qvæstio Prima.

An homo debeat seipsum magis appretiatiue, & efficaciter diligere; quàm cætera supposita creata, qu ad bona spiritualia, quæ ad salutem animæ necessaria sunt; vt Fides, Spes, Charitas, gratia habitualis, & gloria &c?

Respondeo vt quid certum: Debere. Quia dilectio sui ipsius, est regula dilectionis proximi: Iuxta illud *Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Vbi dilectio sui ipsius, ponitur tanquam norma, seu regula, aut exemplar, cui, quantum fieri potest, conformari debet dilectio proximi: atqui regula est potior, quàm regulatum, vt ait D. Thom. 2. 2. *quæst. 26. art. 4.* ergo homo potius tenetur diligere seipsum in prædictis bonis, quàm proximum. Et hoc sensu dicitur: *Charitas incipit à se ipso. Et Proximus sum egomet mihi.* Et *Qui sibi nequam, cui bonus?* Sic omnes DD. D. Thomas 2. 2. *quæst. 26. art. 4.* Suarez *disp. 9. de Charit. sect. 1. num. 2.* Valentia *disp. 3. question. 4. punct. 3. concl. 2.* Ægidius *disp. 25. dub. 5. concl. 4.* Becanus *cap. 19. q. 2.* Arriaga 2. 2. *disp. 40. sect. 1. à num. 1.* Quiedo, *tract. de Charit. controuer. 8. punct. 1.* Castro Palaus *tomo 1. tract. 6. disp. 1. à pun. 7.* Granados, *contr. 3. de Charit. tract. 7.*

tract.7.disput.3. Lorca 2.2.*disp.*28. *memb.*1. Luysius Turrian. *disp.*75. *dub.*2. Gaspar Hurtad. *disput.*7. *de Charit. diff.*2. Petrus Hurtadus *disput.*154. *à sect.*2. §.11. Trullench *lib.*1. *Decal.cap.*5. *dub.*6. & alij, ex quibus bene limitant responsionem, vt non solum non comprehendat Christum, qui est suppositum, diuinum; verum nec B. Virg. Mariam, vt infra dicemus.

Qvæstio II.

An, saltem debeat homo æstimare magis bona spiritualia humanitatis Christi Domini; quam sua propria?

REspondeo dicendum: quod debeat magis. Sic cum communi Theologorum docet, & probat Granados Sic. *Quia Christus Dominus, etiam quatenus homo, est Filius naturalis Dei, Dominus omnium creaturarum, magis absque vlla comparatione dilectus à Deo, quàm omnes creaturæ: & mediante eius humanitate, omnia supernaturalia bona, tam in homines, quàm in Angelos deriuantur. Est ergo longè dignior amore, quam reliqua: & recta ratio dictat, pluris æstimandum à nobis esse bonum illius, & gloriam, quàm omnium nostrum; & si oporteret, potius debere nos optare carere propria gloria, quàm ipse pateretur iacturam suæ.* Sic ille *tract.*7. *citat. disput.*3. *numer.*6. ex Magistro *in* 3. *dist.*28. *in fine.* S.Bonauentura *in explicatione litteræ*, Alberto Magno, & Petro, apud Carthusian. *quæst. vnica*, Valentia 2. 2. *quæstion.*4. *punct.*3. *assert.*3. & Bannesio *art.*4. *ad primum, argumen. sui dubij.* Quibus addo Ouiedum *controuer.*8. *punct.*1. *numer.*6. Petrum Hurtad. *disp.*144. *sect.*2. §.18. Qui tamen addit, *quod si mihi Deus optionem daret; vt mihi peterem vnionem hypostaticam, vel humanitati Christi, dandam illi, cui ego eam peterem, tenerer mihi eam petere, non verò humanitati Christi.*

Qvæstio III.

An, etiam Beatissimam Virginem Mariam, plusquam nos ipsos, amare debeamus?

NEgant aliqui Doctores, inter quos est Bannez 2.2. *quæst.*26. *art.*4. §. *Ad argumenta*, vbi hæc dicit verba: *Vnde concedo, quod magis debeo velle mihi Deum, ex Charitate, quæ est in me, quàm Beatæ Virgini: hoc enim est fundamentum volendi aliis ipsum Deum.* Hæc Bannesius.

Sed æque probabiliter, & magis piè, Respondeo, Debere. Huius responsionis fundamentum est, singularissima excellentia Beatissimæ Virginis, supra omnes creaturas; & intima coniunctio cum Christo Domino, ex qua prouenit, vt omnium supernaturalium bonorum sit quodammodo principium; & plusquam cæteræ creaturæ diligatur à Deo. Sic Ricardus (non Durandus, vt leges apud Ouiedum) apud Carthusianum *in* 3. *dist.*29. *quæst.*2. *ad finem.* Quem sequuntur Granados, & Quiedo, *locis vbi suprà.*

Qvæstio IV.

An, sit licitum, desiderare efficaciter carentiam æternam, aut temporalem, gratiæ, aut beatitudinis; ob bonum spirituale proximi, aut totius mundi; casu, quo talis carentia cum peccato mortali coniungatur?

REspondeo tanquam quid certum; Non esse licitum, sed omnino illicitum, & mortale. Quia certum omnino est, ob nullum finem, adhuc ob saluationem totius mundi, esse licitum à Deo petere efficaciter id quod est intrinsice malum, & contra Charitatem Theologicam: atqui petere, aut desiderare efficaciter carentiam gratiæ, aut beatitudinis, casu, quo talis carentia contingat cum mortali, est intrinsice malum: ergo. Sic tenet communis Theologorum sententia. De qua re legantur præcipuè Gaspar Hurtad. *disput.*7. *de Charit. diff.*2. *quasi per totam*, & Granados, *vbi infra*, atque alij, mox à nobis citandi.

Qvæstio V.

An saltem sit licitum, velle carere gratia, & beatitudine in perpetuum; ob bonum spirituale alicuius communitatis, aut totius mundi; casu, quo id, absque peccato posset contingere?

AFfirmant aliqui Doctores, Quorum sententia probati potest, exemplo Moysis, qui planè optauit carere beatitudine æterna, propter salutem Iudæorum, vt patet, ex illo *Exodi* 32. *Aut dimitte, eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Et etiam exemplo Apostoli Pauli, qui directè, vt alij saluarentur, voluit esse anathema à Christo Iesu, *Ad Roman.*9. *optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, secundum carnem.* Ita sentiunt Capreolus *in* 3. *dist.*27. *quæst. vnica art.*3. *ad* 2. *Durandi.* Adrianus *in* 4. *quæst.*2. *de remissione peccatorum*, §. *circa hoc tamen*, & nouissimè Granados *tract.*7. *de Charit. disput.*5. *num.*8. Gaspar Hurtadus *difficult.*2. *cit. in fine.* Quorum sententiam approbant Sotus *in Epistola ad Roman. cap.*9. & Bannez, *quæstion.*26. *art.*5. & non esse penitus improbabilem, imò traditam fuisse à D.Bernardo, putat eius filius, Lorca *disp.*28. *num.*14.

Sed longè multo probabilius Respondeo, Adhuc Minimè esse licitum. Probatur ex verbis Christi Domini, Matth.18. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Atqui maxime est animæ detrimentum, & summa infelicitas, carere in æternum Dei gratia, seu amicitia, & beatitudine: ergo id minime est licitum velle, ob quodcunque bonum spirituale, etiam totius mundi. Sic communis sententia. D. Thom. 2.2. *quæst.*26. *art.*4. Valentia *disp.*3. *quæst.*4. *punct.*3. *concl.*2. Suarez *disput.*9. *de Charit. sect.*1. *à num.*2. Ægidius *disp.*25. *dub.*5. *concl.*5. *num.*51. dicens, hanc responsionem esse communem, & veram. Malderus 2.2. *quæst.*26. *art.*4. Lorca ibidem

disp.

disp. 28. *memb.* 1. *numer.* 15. & penes ipsum, Corduba, & Ioann. Arboreus. Petr. Hurtado *disputat.* 144. *sect.* 2. §. 13. Ouiedo, *contr.* 8. *punct.* 1. *numer.* 23. Palao, *tractat.* 6. *punct.* 7. *num.* 2. dicens, hanc sententiam esse certam, Becanus, *cap.* 19. *qu.* 2. *à n.* 3. Arriaga *disput.* 40. *sect.* 1. *& subsectione* 1. & 2. Trullench *lib.* 1. *Decal. cap.* 5. *dub.* 6. *num.* 3. Filliuc. *tom.* 2. *num.* 36.

Ad fundamenta primæ sententiæ, facilè, vnico verbo, respondeo, dicendum, quod tam Moyses, quàm Paulus loquuti fuerint de morte temporali, non æterna. Sic Arriaga *loco cit. subsect.* 2. *num.* 4. vbi ad primum locum sic respondet: *Crediderim, non locutum Moysem de libro vitæ æternæ, sed de hac vita mortali; ac si dixisset. Si non vis remittere noxam populo, aufer me de hoc mundo: ero enim ludibrium aliis, qui dicunt me populum eduxisse ex Ægypto, vt eum in solitudine occiderem. Quæ petitio nihil habet difficultatis.* Sic ille. Et sic *num.* 9. ad locum Pauli: Quid ergo dicemus ad locum Pauli, qui nos ita traxit? Respondeo, mihi arridere expositionem Originis, qui de morte temporali explicat *Tò anathema esse, optabam ego mori pro fratribus meis.* Hæc Arriaga. Vide alias expositiones apud ipsum, & apud alios Authores pro nostra sententia adductos.

Qvæstio VI.

An ad minus, sit licitum, desiderare, ac petere dilationem visionis beatæ, ob bonum spirituale proximorum?

Respondeo vt quid certum. Esse licitum. Quia dilatio non est separatio à Deo. Sic omnes, præcipue Palaus, qui id probat ex Paulo ad Philippens. 1. *coarctor è duobus desiderium habens, dissolui & esse cum Christo, permanere autem in carne necessarium, propter vos.* Et de S. Martino testatur in eius vita Bernardus, morientem dixisse; *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*, & Ratio est: quia carentia beatitudinis pro aliquo tempore determinato, compensatur vtilitate, (*sic lege, non, voluntate*) aliorum, & meritorum proprio incremento. Sic Palaus *loc. cit. num.* 4. & Petr. Hurtado *sect.* 2. *cit.* §. 19. qui adhuc addit, *quod si quis iam esset certus de salute sua æterna, & illi offerretur à Deo optio, vt maneret in via expositus communi sorti, certus tamen, se forè vtilissimum ad Dei gloriam, posset cum laude hoc eligere. Quia moraliter non est periculum damnationis: nec enim priuaret Deus congruis auxiliis, tam ardentem amatorem sui. Si quod verò esset contingens moraliter periculum, non liceret.* Sic ille. Et hanc nostram responsionem, vt testatur ille, tenent omnes DD. Legantur *suprà* citati.

Qvæstio VII.

An licitum sit, saltem pro breui tempore, putà pro vna hora, gratia, & charitate carere velle; ob bonum spirituale proximi, si dicta carentia, absque peccato contingeret?

Affirmabunt à fortiori omnes DD. primæ sententiæ *quæstion.* 5. Et ex Authoribus nostræ, Ouiedo, *loco cit. num.* 15. ex Luysio *disp.* 75. *dub.* 2.

Sed probabilius Respondeo Non esse licitum. Tum, Quia id non est medium ad salutem aliorum proportionatum. Tum etiam, quia est contra inclinationem Charitatis, quæ per huiusmodi volitionem, aut desiderium, tenderet in destructionem sui. Adde quomodo non expellitur gratia nisi peccato interueniente: ergo de facto, minime potest quis velle affectu efficaci carentiam gratiæ, etiam pro breuissimo tempore, vt constat ex habitis *quæstion.* 4. ob quodcunque proximorum bonum. Sic ex Valentia 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 3. *concl.* 2. docet Palaus *n.* 4. *cit.* & Suarez *disp.* 9. *sect.* 1. *n.* 9.

Qvæstio VIII.

An saltem liceat cuipiam, aliquem gradum gratiæ, & gloriæ, à se abdicare, ob maiorem gloriam Dei, & proximi vtilitatem?

Affirmabunt, & à fortiori, omnes Authores pro prima sententia, nuper adducti. Quorum sententiam probat Petrus Hurtad. *loco cit.* §. 20. his verbis. *Sit aliquis in peccato mortali; det mihi Deus optionem ad augendam gratiam, vel eum gradum donandum peccatori, vt iustificetur* (sic lege, non; aut iustificetur) *licitè & laudabile id fieri potest. Quia semper manet ille in gratia, & Charitate; tantumque amittit cumulum gratiæ, ad quem nullo præcepto tenemur. Item, nolle illud augmentum possumus, absque peccato, non quidem odio abominationis, sed ne aut fatigegemur, aut ab aliis occupationibus distrahamur impendentes operam augendæ gratiæ: ergo poterit honestari illa voluntas ob gloriam Dei, & proximi vtilitatem.*

Sed probabilius Respondeo, adhuc id nemini licere. Sic Suarez *num.* 9. *cit.* hæc dicens: *Dico tertio: Illud etiam spirituale detrimentum, quod licèt culpam non includit, minuit tamen substantiam ipsius Charitatis, seu impedit potius augmentum eius, & meritorum, non est secundum ordinem Charitatis eligibile, propter aliorum salutem. Probatur, quia tale detrimentum non est per se ordinatum ad aliorum salutem, nec per se est amabile. Secundo, Charitas maximè inclinat ad sui perfectionem: ergo non inclinat ad id quod hanc perfectionem impedit.* Sic sapientissimus Pater. Cuius sententiam esse veram ex natura rei, seu loquendo ex lege communi, tãdem fatetur Hurtado. *vbi suprà*

TRACTA

TRACTATVS V.

DE ELEEMOSYNA.

TRACTANT de hac materia Sancti Patres, Cyprianus *de Eleemosyna*, Basilius in illud *Lucæ* 12. *destruam horreamea: & Concione ad diuites.* Nazianzenus, *Oratione de pauperum amore*, Ambrosius *lib.*1, *de Officiis cap.*30. Augustin. *in Enchirid. à capit.*69. & Chrysostom. *lib. de Eleemosyna*, & alij. Theologi, etiam cum Magistro *in* 4. *dist.*16. *&* 41. & cum D. Thoma 2.2. *quæst.*32. vbi Bannes, Aragon, & alij *infrà* adducendi. Iurisperiti *in Decreto disput.*41. *Canone. Et qui, & Can. Tria. & sequent. & dist.*86. *Can. Non satis & sequent.* Nauarr. *in Can. Quiescamus dist.*42. *& Can. si agamus, de Pœnit. dist.*1. *& in man. capit.*4. Ioan. de Medina, *Cod. de Eleemosyna.* Suarez *de Charit. disput.*7. Bellarmin. *lib.*3. *de bonis operib. cap.*2. Ægidius *disp.*27. Valentia *disp.*3. *quæst.*9. *punct.*1. Filliucius *tract.*28. *à capit.*3. Bonacina *disp.*3. *quæst.*4. *à puncto* 6. Becanus *cap.*21. *à num.*2. Lorca 2.2. *sect.*3. *à disp.*33. Granados *de Charit. controu.*3. *tract.*11. *disp.*1. *& sequent.* Gaspar Hurtado *de Charit.*5. *de Eleemosyna.* Petrus Hurtadus *disp.*158. *& sequent.* Quiedo, *tract. de Charit. controu.*10. Castro Palao *tom.*1. *tract.*6. *disp.*2. Luysius Turrian. *disp.*81. *à dub.*1. Arriaga 2.2. *disp.*42. Villalob. *tom.*1. *tra.*22. Diana *par.*5. *tra* 8.

DISPVTATIO PRIMA.

De Essentia, & Effectibus Eleemosynæ.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & Quotuplex sit Beneficentia?

RESPONDEO dicendum, quod Beneficentia est actus externus Charitatis, vel Theologicæ, si proximo benefiat, propter Deum; vel virtutis moralis, si propter se. Sic ex D. Thoma 2.2. *quæst.*31. *art.*1. *&* 4. docent communiter Theologi, Ægidius *loc. cit. dub.*1. *concl.*1. Palaus *loco cit. disp.*2. *in principio.* vbi ita ait: *Alij sunt effectus externi Charitatis, in quibus explicandis Doctores sermonem protendunt. Primus est generalis, qui est beneficentia, quæ* (vt ait D. Thomas *quæst.*31. communiter receptus) *consistit in faciendo alicui bene: at quia dupliciter proximo facere bene potest; corporaliter, inquam, & spiritualiter, ideo beneficentia diuiditur in corporalem, & spiritualem. Corporalis beneficentia arrogat sibi nomen Eleemosynæ: spiritualis beneficentia, vocatur correptio, & iuxta hanc diuisionem, disputatio erit de Eleemosyna, sequens de Correptione.* Hucvsque Palaus, quem nos præscriptum sibi ordinem sequemur.

QVÆSTIO II.

Eleemosynæ nomen vnde oritur?

RESpondeo. Quod Eleemosyna, est dictio græca, orta à quodam græco nomine, quod misetationem significat. Sic D. Thom. 2.2. *q.*32. *art.*1. *in corp.* his verbis: *Vnde manifestum est, quod dare eleemosynam, propriè est actus misericordiæ. Et hoc apparet ex ipso nomine. Nam in græco, Eleemosyna à misericordia deriuatur; sicut in latino miseratio.* Sic S. Doctor. Et cum eo Iodocus *in suo Thesauro vtriusquo Theologiæ, verb. Eleemosyna num.*1. Suarez *de Charit. disp.*7. *in principio.* Ægidius *dub.*2. *num.*3. Filliuc. *tr.*28. *cap.*3. *q.*1. *n.*54. & alij.

QVÆSTIO III.

Quid sit Eleemosyna?

RESpondeo quod, iuxta aliquos Theologos, Eleemosyna est actus misericordiæ imperatus à charitate, quo aliquid datur indigenti, ex compassione, propter Deum. Ita ex D. Thoma *q.*32. *art.*1. *&* Nauarro *de Pœnit. dist.*1. *cap. Quamobrem. num.*1. docet Iodocus *loc. cit.*

Alij sic pressius Eleemosynam definiunt: *Est actio externa procedens ex affectu subleuandi indigenti miseriam, propter honestatem intrinsecam, quæ in ea subleuatione apprehenditur.* Sic Quiedo, *controu.*10. *pun.*1. *num.*3. vbi *in fine* addit, quod præscindendo ab omni opinione, circa misericordiæ motiuum, Eleemosynam sic possit definiri, *Est actio externa procedens*

procedens ab actu interno misericordiæ. Consonat D. Augustin. *tom. 3. in Enchiridio cap. 76.* quatenus, his verbis, Eleemosynam definit: *Est enim Eltemosyna opus misericodiæ.* Sic ille. Et ex illo Hurtad. Salmanticens. *disp.* 158. §. 2.

Palaus, denique sic ex D. Thoma *loc. cit.* Eleemosynam definit: *est alienæ miseriæ subleuatio.* Ita ille, *tract. 6. disput. 2. punct. 1. num. 1.* dicens, sic sentire omnes DD. ex his autem diffinitionibus elige tu, quam malueris.

Qvæstio IV.

An Eleemosyna sit proprie actus Charitatis in proximum?

NEgandum videtur: quia Glossa Interlinealis in illa verba Matth. *cum facis Eleemosynam,* dicit, *quod Eleemosyna est pars iustitiæ: ergo.*

Respondeo *Primo.* Eleemosyna, cùm datur, ob intrinsecum, & proprium motiuum, proprie est actus Charitatis in proximum. Ratio est: Quia Eleemosyna, vt nuper est habitum, ex se, & intrinsice, est actio subleuatiua miseriæ proximi: ergo ex se, & intrinsice, dicit esse actum misericordiæ; atqui hic proprie est actus Charitatis in proximum, cum omnis actio tendens ad remouendum alterius malum, proueniat ex amore, quo ipsius bonum amamus: ergo. Sic ex D. Thoma *loc. cit.* docent Ægidius *dub. 2. num. 6.* Arriaga *disput. 42. sect. 1.* Palaus vbi infra, & alij.

Respondeo *Secundo.* Si Eleemosyna detur, ob motiuum aliarum virtutum, vt vere potest; tunc actus exterior elargiendi Eleemosynam, erit illius virtutis, ad quam pertinet motiuum. Ratio est. Quia (vt ait D. Thom. *art. 1. cit.*) actus exterior ad illam virtutem refertur ad quam pertinet motiuum, quod mouet ad operandum: at sic est, quod actus exterior potest procedere à diuersis motiuis voluntatis: ergo potest pertinere ad diuersas virtutes. Ex quo constat, quod si eleemosyna fiat in pœnitentiam peccatorum, dicitur esse actus virtutis pœnitentiæ; si in cultum diuinum, virtutis Religionis; si ex obligatione orta ex contractu, vel delicto, virtutis iustitiæ, &c. Sic tenent communiter DD. Ægidius, Filliuc. Aragon. Palaus, & Iodocus *loc. citatis.*

Qvæstio V.

Quotuplex est Eleemosyna?

REspondeo dicendum, quod duplex. Corporalis, videlicet, & Spiritualis. Ratio est: quia Eleemosyna est actus misericordiæ, quo subleuamus proximi miseriam, vt nuper est habitum: at miseria proximi est duplex, corporalis, videlicet, & spiritualis: ergo etiam erit duplex Eleemosyna. Sic cum S. Thoma 2. 2. *quæst. 32. art. 2.* docent omnes DD. Legantur inter illos, citati.

Qvæstio VI.

An opera Eleëmosynæ corporalis, sint septem?

REspondeo Esse septem, hoc vnico versu contenta.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Hoc est, 1. Visitare infirmos, 2. Potum dare sitientibus. 3. Esurientes pascere. 4. Captiuos redimere. 5. Operire nudos. 6. Hospitio peregrinos suscipere. & 7. Mortuos sepelire. Sic communis.

Qvæstio VII.

An opera Eleemosynæ spiritualis, etiam sint septem?

REspondeo, Etiam esse septem, hoc versu comprehensa:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Hoc est, (ait S. Thomas.) 1. Docere ignorantem. 2. Consulere dubitanti, (quæ duo, sub eodem verbo *Consulere*, intelliguntur.) 3. Corrigere peccantem. 4. Consolari tristem. 5. Remittere offendenti. 6. Portare onerosos, & graues. 7. Pro omnibus orare. Sic Doctor Sanctus *art. 2.* & cum eo omnes DD. vt ait Ægidius *dub. 3. num. 14.* Filliuc. Hurtadus, Ouiedo, Palaus, & Bonacina *disput. 3. quæst. 4. punct. 6. num 6.* Qui etsi dicat cum communi hæc opera Eleemosynæ, (seu misericordiæ, vt vulgariter vocantur) esse septem, relato versu contenta, tamen ex inaduertentia, non numerat nisi sex.

Qvæstio VIII.

An Sepelire mortuos, apte numeretur, inter opera misericordiæ?

NEgant nonnulli Hæretici, vt referunt Bellarmin. *lib. de Purgat. cap. vltimo.* Valentia, Ouiedo, & alij DD. Fundamentum hæreticorum est, quod Christus Dominus *Matth.* 5. enumerans sex alia opera misericordiæ, seu Eleemosynæ spiritualis, mortuorum sepulturæ non meminit: ergo hoc opus, minime inter opera misericordiæ enumerari debet.

Sed vt quid certissimum: Respondeo Aptè numerari inter opera misericordiæ: quia vere opus est talis virtutis. Et ideo *in lib.* Tobiæ, eius in hoc Charitas prædicatur, his verbis: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* & Dauid. *Reg. 2.* laudauit viros vrbis Galaad ob sepultum Saulem, hisce verbis: *Benedicti vos à Domino qui feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepeliſtis eum,* &c.

Ratio, cur hoc opus sit virtuosum, est manifesta. Quia videlicet, est pro honore defuncti: vt enim mihi non licet, defuncti famam lædere (etiamsi ille, nihil actu ea de re sentiat) ideóque eum defendere à detractoribus, est opus misericordiæ: ita opus est misericordiæ, & in honorem eius defuncti cadens, eius corpus honestè sepelire.

Nec obstat quid, fundamentum hæreticorum, Respondetur namque, Christum Dominum, sepulturæ non meminisse; quia communiter de ea re non occurrit necessitas, eo quod consanguinei, & amici alij sunt de sepultura soliciti. Sic tenent, & de Fide, omnes Catholici. Legantur de hac re Bellarmin. *loc. cit.* Valentia *disp. 3. quæst. 9. puncto 2.* Aragon. *2. 2. quæst. 32. art. 2. in eius explicatione.* Ægidius *disput. 27. dub. 3. à num. 19.* Bonac. *punct. 6. cit. num. 1.* Ouiedo, *controu. 10. punct. 2. num. 8.* Lorca *disp. 34. à numer. 1.* Luysius *disput. 81. dub. 1.* Petrus Hurtadus *disp. 158.*

*disput.*158. *sect.*2. §. 6. Arriaga *disput.*42. *sect.*2. *per totam.* Palaus *tract.*6. *diff.*2. *punct.*1. *numero secundo* & alij.

Qvæstio IX.

An, peccet mortaliter, qui, sine vlla vrgente causa, Christianorum corpora, insepulta relinquit?

Affirmat Lorca peccare mortaliter, si aliàs illi sepelire incumbat. Ita ille *disput.*34. *numer.*11. *versu. Ex iis infertur.*

Sed ego absolutè, & sine dicta limitatione Respondeo Peccare mortaliter, etiam si illi non incumbat sepelire.

Primò: quia, sine vlla vrgente causâ, omittit graue opus misericordiæ, ait Bonacina. *Secundò* & præcipuè, quia vere committit inhumanitatem quandam, erga humanam naturam. Sic Bonacina *disp.*3. *quæst.*4. *punct.*6. *numer.*1. dicens: *Eum peccare mortaliter, qui non sepelit mortuos, dum sine suo graui incommodo sepelire potest, nec adest alius, qui hoc faciat: nam prætermittit graue opus misericordiæ.* Sic ille. Et antea Bannez 2.2. *quæst.*32. *art.*2. *concl.*2. Valentia *punct.*2. *cit. vers. Ex quibus sanè testimoniis* Luysius 2.2. *disp.*81. *dub.*1. *in fine.* Ægidius *disp.*27. *dub.*3. *num.*21. *vers. Ob huiusmodi rationes.* Ouiedo, *tract. de Charit. controuer.*10. *punct.*2. *num.*13. *in fine.* Palaus, *tract.*6. *disp.*2. *punct.*1. *num.*2. & innuit Arriaga, infra citandus. Gaspar Hurtad. *disp.*5. *de Charitate diff.*2. *in fine*, ibi: *Imo est obligatio, & grauis sepeliendi illud, quando non adest rationabilis causa ad id omittendum: quia omissio illius, est quædam inhumanitas, impietas, & immisericordia, erga naturam humanam, vel erga animam.*

Qvæstio X.

An item peccaret mortaliter, qui Gentilium, & hæreticorum corpora inhumata relinqueret, si commodè ea sepelire posset?

Negandum videtur, eo quod illi nullo sunt digni honore.

Sed Respondeo dicendum, etiam peccare; quia etiam respectu horum, præcipue Gentilium militant rationes adductæ. Sic insinuat Arriaga *disp.*42. *sect.*2. *num.*6. per hæc verba: *Dices contra immediate tradita: Ergo possumus Gentilium, & hæreticorum in sua infidelitate decedentium corpora inhumata relinquere: quia neque illis orationes prosunt, neque vllo sunt digni honore; id autem videtur absurdum. Respondeo negando consequentiam quoad Gentiles: quia cum illi non sint Ecclesiæ subiecti, non possunt condemnari ab illa ad tam grauem pœnam: ablata autem ea condemnatione, locum habet ea qualis qualis in eos miseros, saltem ad tempus, commiseratio, propter similitudinem in natura nobiscum: satis grauis deinde eos expectat pœna. Quoad hæreticos verò, posset ea pœna imponi, non tamen semper imponitur, sed in aliquibus casibus, vt comburantur, & in aquas eorum cineres proiiciantur.* Hucvsque Arriaga. Et bene.

Qvæstio XI.

An, Eleemosynæ spirituales, sint potiores, quàm corporales?

Respondeo vt certum: Esse potiores, absolutè loquendo. Tum, quia sunt actiones nobiliores; quia spirituales actus nobiliores sunt corporalibus. Tum, quia nobiliori præstantur subiecto, nempe, animo. Tum denique, quia illorum effectus est nobilior, nempe animi salus, aut perfectio. Sic omnes DD. cum Doctore Angelico 2.2. *quæstion.*32. *art.*3. Qui tamen bene aduertit, quod licèt dicta vera sint, nihilominus interdum præferenda est Eleemosyna corporalis spirituali, eo quod magis vrgeat eius necessitas. Si enim quis pereat fame, at simul ignoret quæ necessaria sunt ad salutem, prius est cibandus, quam docendus. Legantur expositores D. Thomæ.

Qvæstio XII.

An Eleemosynæ corporales habeant, non solum effectus corporales, sed etiam spirituales?

Respondeo cum S. Thoma 2.2. *quæst.*32. *art.*4. vtrosque habere. *Inprimis namque habet Eleemosyna effectus corporales, nempe supplere corporales defectus proximorum. Deinde habet spirituales, cum scilicet, datur ex affectu Charitatis, propter dilectionem Dei & proximi* &c. Sic ille & cum eo omnes DD.

Qvæstio XIII.

Quot sunt effectus, seu fructus speciales, Eleemosynæ Corporalis?

Respondeo Cum Iodoco, *verb. Eleemosyna n.*4. esse duodecim. *Primus* est, Impetrare veniam peccatorum præteritorum: *Eleemosyna enim patris non erit in obliuione.* Ecclesiast.3. *Secundus*, Purgare peccata præsentia. *Tertius*, Seruare à damnatione æterna: *Eleemosyna enim ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animas ire in tenebras.* Tobiæ 4. *Quartus*, mitigare ardorem fomitis: *Ignem enim ardentem extinguunt aqua, & Eleemosyna resistit peccatis.* Ecclesiast.3. *Quintus*, Reficere animam. *Sextus* Conseruare gratiam: *Eleemosyna enim viri, quasi sacculus cum ipso: & gratiam hominis, quasi pupillam conseruabit.* Ecclesiast.17. *Septimus.* Impugnare diabolum: *Eleemosyna super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* Ecclesiast. 29. *Octauus* Expiare pœnas peccatorum. *Peccata tua Eleemosynis redime. Daniel.*4. *Et date Eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis,* Lucæ 11. *Nonus,* Multiplicare intercessores apud Deum, & homines. *Circunsteterunt eum omnes viduæ flentes, & ostendentes* (Beato Petro Apostolo) *tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas.* Act.9. *Decimus.* Prorogare vitam præsentem. *Vndecimus,* Mereri vitam æternam: *Pietas enim ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ,* 1. Timot.4. *Duodecimus.* Mitigare inimicos. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Rom.12. Sic Iodocus ex antiquo libello incerti Authoris. Lege Ludouicum de S. Ioanne *in sum. quæst. de Eleemosyna, art.*2. *dub.*1.

QVÆSTIO XIV.

An, Eleemosyna exercita sola virtute morali, sit sufficiens ad iustificandum impium?

AFfirmant hæretici multi, docentes, solam Eleemosynam, sufficere ad salutem, seu ad iustificationem impij, & remissionem peccati. Hunc suum errorem suadere conantur, ex aliquibus scripturæ locis, quæstione superiori relatis.

Sed de fide Respondeo dicendum, quod Eleemosyna exercita, sola virtute morali, minime sit sufficiens ad iustificandum impium, seu peccatorem, Probatur clarè ex Apostolo 1. *Corinth.* 13. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, Charitatem autem non habuero, nihil prodest.* Deinde: quia Eleemosyna, præfato modo exercita, nec habet vim remittendi peccata ex opere operato, sicut habet Baptismus, & Pœnitentia; cum hoc nec ex scriptura, nec ex definitione Ecclesiæ probari possit: nec per modum dispositionis, sicut habet contritio, & dilectio Dei, quia alioqui posito actu Eleemosynæ, exercito etiam cum affectu ad aliquod mortale, infallibiliter daretur gratia sanctificans; quod est falsum, vt constat ex loco Pauli citato: ergo Eleemosyna ex se non est sufficiens ad iustificandum impium. Sic omnes Catholici. Legantur Bellarmin. *lib. 3. cap. 3* Valentia *disp. 3. qu. 9. pun. 3.* Suarez *disp. 7. sect. 1. num. 2.* Ægidius *disp. 27. dub. 4. à num. 28.* Becanus *cap. 21. num. 3.* Arriaga 2. 2. *disput. 42. sect. 3.* Ouiedo, *controu. 10 pun. 3.* Iodocus *loc. cit. n. 5.* Gaspar Hurtad. *disput. 5. diff. 3.* Petr. Hurtad. *disp. 158. sect. 3. §. 10.* & alij.

QVÆSTIO XV.

An licèt Eleemosyna, sine Charitate, sed sola virtute morali, exercita, non habeat vim, vt ob illam immediate remittantur peccata; habeat tamen annexam eorum remissionem per modum impetrationis infallibilis?

AFfirmarunt aliqui Catholici, docentes, quod Deus omnibus facientibus Eleemosynam, certò det auxilia congrua, quibus infallibiliter tandem ad pœnitentiam excitentur, & saluentur. Ita explicant aliqua loca scripturæ *suprà* relata.

Sed tanquam certum Respondeo dicendum, quod nec adhuc per modum impetrationis infallibilis, habeat Eleemosyna annexam remissionem peccatorum. Probatur: Quia aliàs peccator, qui adhuc semel elargiretur Eleemosynam, sine Charitate Theologica, infallibiliter iustificaretur: at hoc est contra doctrinam Apostoli, vt nuper vidimus: ergo. Sic docet cum communi doctus Arriaga *loc. cit. sect. 3. n. 26.* Qui, & id probat, eo quod quotidiana experientia videmus multos, etiam hæreticos, Iudæos, Fideles etiam grauissimos peccatores, qui vsque ad finem vitæ in sua infidelitate, & peccatis perseuerant; qui tamen frequentissimas sæpe dederunt Eleemosynas: non ergo est vlla talis certa lex de eis auxiliis congruis conferendis; non ergo illo sensu, allata supra testimonia sunt explicanda. Legantur Lorca *disp. 3. n. 7.* vbi oppositam sententiam, erroneam, & Fidei contrariam dicit Ouiedo, *punct. 3. cit. num. 18.* Gaspar Hurtad. *diff. 3. cit.*

QVÆSTIO XVI.

An saltem Eleemosynæ debeat tribui aliqua specialis vis obtinendi auxilia congrua ad remissionem peccati, quæ non tribuatur ieiuniis, & aliis piis operibus?

REspondeo dicendum debere tribui. Sic Arriaga *loc. cit. num. 21.* per hæc verba: *Responsio communis, & verissima est, Eleemosynæ tribui specialem aliquam vim obtinendi ea auxilia congrua ad remissionem, ideoque dici remissiuam peccatorum, quia sæpe de facto ea obtinet; non tamen, vt dixi, immediate, aut semper, & omnino infallibiliter. Tribuitur autem ideo illi ea vis, quia (vt ait Christus Dominus)* Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis *Ratio etiam suadet, vt Deus se gerat cum nobis miseris, sub statu peccati; vt gerimus nos ipsi cum aliis miseris; siue in statu peccati, à quo eos per opera misericordiæ, & Eleemosynæ spiritualis eruere conamur; siue in miseriis corporis, à quibus per corporalem Eleemosynam eos volumus liberare. Item quia cum Deus reputet, vt aliquid sui omnes homines, etiam reputat specialiter, vt sibi exhibitam eam misericordiam, & vt proprium leuamen, quod in bonum pauperum fit.* Hæc Arriaga, qui *numer. 22.* bene aduertit, quod quamuis per ieiunia, & alia opera pia, possimus nos obtinere auxilia congrua ad pœnitentiam; tamen frequentius (ob rationem paulo ante datam) id fiat per Eleemosynam, & ideò specialiter id ei tribuatur. Legatur Ouiedo *loc. cit.*

QVÆSTIO XVII.

An, Eleemosyna data ob amorem Dei, summè dilecti, sit sufficiens ad iustificandum impium?

REspondeo tanquam certum: esse sufficientem; sicuti sunt sufficientia omnia alia pia opera externa, vt ieiunium, restitutio, visitatio templorum, si hæc opera procedant ab amore Dei super omnia, nam omnia hæc iustificant impium, sicuti Eleemosyna non ratione sui, sed ratione Charitatis à qua procedunt, Sic vt certum supponunt omnes Doctores. Legantur citati, Qui iuxta doctrinam hucvsque traditam, omnia testimonia scripturæ *q. 13.* adducta facillime explicant.

DISPVTATIO II.

De Præcepto dandi Eleemosynam.

QVÆSTIO PRIMA.

An sit præceptum de danda Eleemosyna corporali?

NEgarunt Manichei, dari de elargitione Eleemosynæ præceptum, quia existimarunt, vt colligitur ex D. Augustino *tom. 6. lib. 20.*

contra

*contra Faustum, cap.*16. *& contra Adimentum c.*17.) Eleemosynam esse illicitam.

Sed, tanquam certum de Fide, Respondeo, Dari tale præceptum. Probatur. Quia, qui negligunt dare Eleemosynam, peccant mortaliter, & condemnantur, vt colligitur ex verbis Christi Domini, Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Esuriui enim, non dedisti mihi manducare &c.* nullus namque æterno addicitur igni, nisi, ob peccatum mortale: ergo tales peccant contra aliquod præceptum, quo obligantur dare Eleemosynam. Ergo &c. Sic tenent omnes Catholici. Legantur D. Thom. 2.2. *quæst.* 32. *art.* 5. & *ibi* eius expositores. Suarez *disp.* 7. *sect.* 1. Ægidius *d sp.* 27. *à dub.* 7. Becanus *c.* 21. *à nu.* 4. Filliuc. *tract.* 28. *c.* 3. *quæst.* 3. *numer.* 62. Petrus Hurtad. *disp.* 159. *à sect.* 1. Gaspar Hurtad. *disput.* 5. *à difficult.* 4. Quiedo *controuer.* 10. *pun.* 4. Bonacina *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 6. & alij *infrà* citandi.

Qvæstio II.

An, Præceptum de danda Eleemosyna, sit diuinum, naturale, & Ecclesiasticum?

Respondeo, vt quid certum; Esse diuinum, & naturale, atque Ecclesiasticum. Quod sit diuinum, constat ex verbis Christi, nuper adductis. Quibus adde verba Pauli 1. ad Timoth. *Diuitibus huius sæculi, præcipe facilè tribuere,* & Ecclesiast. cap. 4. *Fili Eleemosynam pauperis, ne defraudes: & oculos tuos ne transuertas à paupere.* Quod verò, etiam sit naturale, manifeste patet; quia ratio naturalis dictat, vt homo homini benefaciat; & quod nobis volumus, alteri faciamus. Quod tandem sit Ecclesiasticum, constat, ex cap. *Fratrem nostrum. dist.* 86. Sic omnes DD. Legantur Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 9. *pun.* 4. Medina *C. de Eleemosyna part.* 3. Vterque Hurtadus, Bonac. Filliuc. Quiedo, *loc. cit.*

Qvæstio III.

An, in aliqua parte decalogi, hoc de Eleemosyna præceptum, contineatur?

Affirmant communiter DD. in aliqua parte contineri; sed variant in assignanda illa.

Nam in primis, aliqui dicunt, contineri in quarto Decalogi præcepto. Sic D. Thomas *art.* 5. *ad* 4. vbi ita ait: *Ad* 4. *dicendum, quod omnis subuentio proximi reducitur ad præceptum de honoratione parentum* &c. & infrà: *sub pietate autem comprehenditur omnis Eleemosynarum largitio.* Hæc D. Thom. ibi; & antea *in* 4. *dist.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. Ricard. *ibi. dist.* 15. *art.* 2. *qu.* 2. Aragon. 2.2. *q.* 32. *art.* 5. *in eius explicat.* Lorca *ibidem, numer.* 3. Bellarmin. *lib.* 3. *de bonis operibus cap.* 6.

Alij dicunt, contineri, in quinto præcepto non occidendi, nam æquiualenter occidit, qui negat alteri, hic, & nunc, necessaria ad vitæ sustentationem, iuxta illud vulgare D. Ambrosij dictum: *Si non pauisti, occidisti*; relatum *in capite Non tantum, §. Pascè. dist.* 86. Ita tenet Hurtad. Complutens. *disp.* 5. *diff.* 4. *in fine.* & id posse probabiliter dici, fatetur plane Lorca *loc. cit.* & vt tale, etiam admittit alter Salmanticensis Hurt. *vbi infra.*

Alij tertio, affirmant contineri, in septimo præcepto, (non, in tertio, vt per errorem Typographi,

leges apud Arriagam) non furandi. Quia in extrema (inquit Hurtadus) necessitate, negare Eleemosynam, est directe furtum. Ita ille *disp.* 159. *sect.* 1. §. 7. ex Alberto Magno *in* 4. *dist.* 15. *art.* 16.

Alij tandem quartò, respondent, contineri, in præcepto Charitatis in proximum, quod in tabulis Decalogi, sub his terminis non ponitur, at *Leuit.* 19. promulgatum fuit, illis verbis: *Diliges amicum* (ideſt, proximum) *tuum, sicut te ipsum.* In quibus verbis, haud dubiè includitur præceptum Eleemosynæ; cum ibi includatur, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* maxime autem homo nollet se deseri, in extrema necessitate: ergo etiam, hoc ipso, tenetur ergà alios cauere, vi huius præcepti. Sic Arriaga, refutatis aliis modis dicendi, 2.2. *disp.* 42. *in fine.* Cuius modum dicendi approbat etiam Villalob. 1. *p. tract.* 22. *diff.* 2. *num.* 3.

Ego autem Respondeo omnes relatos dicendi modos, esse probabiles, & forsan in priuatis materiis, posse obligationem dandæ Eleemosynæ reduci ad diuersa Decalogi ex enumeratis præcepta. Legatur Ægidius *disput.* 27. *dub.* 7. *numer.* 3. (non 4. vt leges apud Arriagam) vbi, relatis omnibus præassignatis dicendi modis, sic numerum 3. concludit: *Omnes hæ sententiæ possent probabiliter defendi, quare quisque poterit eligere sibi magis arridentem. Verius tamen videtur hoc præceptum, per se primo, pertinere ad præceptum dilectionis proximi, & ratione diuersarum materiarum, posse reduci sub diuersa consideratione, ad omnia dicta præcepta.* Sic Ægidius & ego.

Qvæstio IV.

An, ad impletionem huius præcepti, debeat elargiri quis Eleemosynam, ex motiuo misericordiæ?

Respondeo, Quod non; sed ex quocunque motiuo, etiam inanis gloriæ, det quis Eleemosynam, adimplebit præceptum misericordiæ, estò aliud præceptum interim, ratione motiui, violet. Ratio est, quia ex quocunque motiuo detur Eleemosyna, subleuatur miseria pauperis, quod est finis intrinsecus huius præcepti. Sic Quiedo, *tract. de Charit. controu.* 10. *num.* 22. *in fine*, qui citat Nauarrum *in Man. capit.* 24. *numero tertio* & Tannerum *tom.* 3. *disput.* 2. *quæstion.* 5. *dub.* 2. *numero octauo* Sed ex his Nauarrus, nil ad rem habet; *loco citato.*

Qvæstio V.

An, in casibus, in quibus quis ad Eleemosynam faciendam obligatur; teneatur ex iustitia, an solum ex Charitate vel ex vtraque virtute, elargiri illam?

Affirmant plures Doctores ex vtraque teneri; nempe, non solum ex Charitate, sed & minus ex propria, & rigorosa iustitia; non minus quàm tenetur ad restituendam rem alienam, aut eam non accipiendi, inuito domino, Quorum fundamentum est. Primo authoritas multorum Patrum, qui expressis verbis dicunt, diuitem negantem necessaria extremè indigenti, non aliter peccare, quàm si ea furatus esset; aut tunc non esse, talium bonorum iustum

possessorem, sic insinuant D. Basilius *Orat. in diuitem* ad illud Lucæ 12. *Destruam horrea mea.* Ambros. *serm.* 81. Augustinus *in Psalm.* 147. Quorum loca vide apud Arriagam.

Secundò. Quia omnia erant communia, iure naturæ, ante diuisionem, quam ius Gentium introduxit: sed non est credendum, diuisionem introduxisse cum violatione Charitatis: ergo cùm Charitas obligat relinquere egenti bona necessaria, iam bona illa cessant esse illius, cui iure Gentium fuerunt applicata: ergo manent communia, ac proinde illius, qui illis eget. Ita sentiunt Alexand. de Ales *4.p. qu.* 113. *mem.* 1. Caiet. 2.2. *quæst.* 118. *art.* 3. *vers. Ad huius euidentiam.* (*non, quæst.* 18. *art.* 4. *vt legi apud Palaum*) Sarmiento *lib.* 1. *de Ecclesiasticis redditib. part.* 3. *capit.* 1. *concl.* 3. Turrecremata *cap. sicœneraueris*, 86. *dist.* Spino *in speculo testam. glossa 6. nu.* 8. Nauarra *de Restitut. lib.* 3. *c.* 1. *à num.* 344. Aragon. 2.2. *q.* 32. *art.* 5. *concl.* 2. Valdes 3. *par. de Eleemosyna concl.* 2. *argum.* 4. & alij, inter quos videtur fuisse Angel. Doctor. 2.2. *quæstion.* 118. *art.* 4. *ad* 2. quatenus dicit, esse præceptum legale de eroganda Eleemosyna extreme indigenti.

Negant è contra alij DD. sentientes, quod in dictis casibus, solùm ex Charitate, & non ex iustitia rigorosa, teneatur quis ad faciendam Eleemosynam. Sic sentit maior Theologorum pars. Sotus *lib.* 5. *de iust. qu.* 3. *art.* 4. Bannez 2.2. *q.* 32. *art.* 6. Medina *C. de restitut. qu.* 6. Nauarr. *cap.* 24. *n.* 7. & 8. & *tract. de reddit. Eccles. q.* 1. *n.* 16. & *alibi.* Couarru. *ad Regul. Peccatum.* §. 3. *n.* 5. Salonius 2.2. *quæst.* 62. *art.* 7. *contra* 2. Sanchez *tom.* 1. *consil. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *n.* 61. Suarez *de Charit. disp.* 7. *sect.* 6. *numer.* 2. Vazquez *capit.* 1. *de Eleemosyna num.* 37. Valentia *quæst.* 9. *pun.* 4. *ver. sexto certum* Azor. *tom.* 2. *lib.* 12. *cap* 9 *q.* 3. Becanus *cap.* 21. *num.* 14. Molina *to.* 1. *tra.* 2. *disp.* 144. Luysius *disp.* 82. *dub.* 3. Ægidius *disp.* 27. *dub.* 7. *concl.* 6. *num.* 104. (non 14. vt legi apud Ouiedum) Malderus 22. *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 3. Gasp. Hurtad. *disp.* 5. *diffic.* 8. Lorca 22. *sect.* 3. *disp.* 39. (non 29. vt leges apud dictum Ouied.) *memb.* 4. *num.* 45. Bellarmin. *de Eleemosyna cap.* 6. *in fine.* Filliuc. *tract.* 28. *num.* 83. Bonacina *disp.* 3. *qu.* 4. *punct.* 6. *num.* 29. Diana *par.* 5. *tract.* 8. *Resol.* 2. Ouiedo, *controu.* 10. *pun.* 4. *num.* 26. Palaus *tra.* 6. *disp.* 2. *pun.* 3. Arriaga *disp.* 42. *sect.* 4. Villalob. 1 *p. tract.* 22. *diff.* 2. Trullench *lib.* 1. *in Decal. cap.* 5. *dub.* 8. *n.* 8. Tamburin. *in Decalog. lib.* 8. *tra.* 2. *c.* 6. §. 2. *num.* 6. Rocafful. 3. *p. sua praxis lib.* 1. *disp. de Eleemosyna c.* 1. *n.* 174.

Alij, media via incedentes, & volentes has concordare sententias, dicunt, primam opinionem esse veriorem, quando extremè indigens eget pecunia, veste, vel alia re temporali pertinente ad diuisionem bonorum factam iure, seu conuentione Gentium: quia tunc extremè indigens habet ius ad illam rem, qua indiget. Secundam verò econtra, probabiliorem esse; casu, quo extremè indigens, eget aliqua re, aut Eleemosyna personali, seu propria aliqua actione, aut opera, vel industria, vt illius miseria subleuetur, veluti si indigeat Medici visitatione, vel ope, vt è fluminis impetu liberetur &c. quia hæ actiones non pertinent ad diuisionem communium bonorum, sed semper sunt propriæ illius, qui eas exercet, ac proinde circa illas, quantumuis indigus, non potest habere iustitiæ ius, nisi sint actiones serui, aliusve, qui illi suas locauerit operas. Ita Petrus Hurtado *disput.* 159. *Sect.* 2. *subsect.* 3. §. 36.

Sed ego absolutè, & sine vlla limitatione Respondeo dicendum, quod in nullo casu, quo quis ad elargiendam Eleemosynam adstringitur, teneatur illam dare ex rigorosa iustitia; sed solum ex misericordia, & Charitate. Probo ex Palao Sic. Quia proximus duplici tantum genere bonorum indigere potest ad suam propellendam necessitatem; nempe, vel tuis actionibus personalibus; vel bonis fortunæ à te iam possessis: atqui nullum ex his bonis teneris ex iustitia in eius obsequium impendere; sed solum ex Charitate: ergo. Minorem probo: Quia, loquendo de rebus personalibus, res est manifesta, vt concedit Petrus Hurtado: Non enim, ob necessitatem alterius, amitto ego libertatem mihi à natura donatam, neque seruus indigentis efficior; sed æque liber maneo, & æque dominium retineo mearum actionum, ac si nullus eis indigeret: ergo non pecco contra iustitiam, eas actiones denegando. Deinde, loquendo de bonis à te possessis, sic probo: quia, licèt iure naturæ, illa bona ante possessionem nullius essent, ideoque dicantur communia; at semel à te accepta & collecta tua sunt. Nec, ob indigentiam alterius desinunt esse tua, quod à fortiori militat in pecuniis, vestibus, & cibis, quæ tua, vel tuorum industria, & labore comparata sunt, ac proinde sunt fructus magna ex parte personales, quorum dominio priuari non potes, ob illius indigentiam. Hæc Palao, cum omnibus authoribus secundæ sententiæ, inter quos legatur etiam ouiedo, qui etiam contra Hurtadum hanc nostram partem optime probat.

Ad primum argumentum, desumptum ex authoritate Patrum, dicendum est, illos loqui per quandam exagerationem, Vocantes rapinam, & furtum, quod est ex Charitate debitum. Angelicus autem Doctor, hic per debitum legale, solùm intelligit id, quod est debitum ex lege, quæcunque illa sit, vt ea citata *quæst.* 80. *art.* 1. se explicat ipse Sanctus Doctor.

Ad secundum, dicendum cum Palao, verum esse, ius Gentium non introduxisse diuisionem rerum contra Charitatem, seu cum violatione Charitatis; non tamen inde fieri, reliquisse res extra dominium possidentis, sed solum obligasse possidentem, vt eas ex Charitate egenis impertiretur. &c. Legatur Palaus, Ouiedo, & Arriaga *loc. cit.*

Qvæstio VI.

Quotuplex est necessitas in pauperibus, ex qua, obligatio dandi Eleemosynam possit assurgere?

Respondeo cum communi omnium Doctorum esse triplicem, nempe, extremam, grauem, & communem.

Extrema, sine dubio, est, quando quis in vitæ periculo versatur, ob defectum cibi, aut alterius rei: aut etiam, quando, ob similem defectum, est in grauissimo, & diuturno morbo; aut tandem, si ita sit in summa nuditate, vt nequeat ex aliquo antro se mouere; etiamsi habeat panem, & haustum. Sic cum communi Arriaga 2.2. *disp.* 43. *sect.* 3. *n.* 20.

Grauis autem est, quando quis, ex defectu rerum necessariarum, est in aliquo periculo incidendi in miseriam magnam; veluti in iacturam notabilis partis bonorum; in grauem, extra vitæ periculum, morbum; in necessitatem, quasi perpetuæ famis; & in incommoda alia, quæ vitam reddant miseram, & notabiliter molestam. Sic ex Medina *C. de Eleemosyna quæstion.* 3. explicat hanc necessitatem Ouiedo *controuer.* 10. *punct.* 5. *num.* 38. & alij *infrà* citandi Doctores.

Communis

Communis verò necessitas, est illa, quam ordinariè patiuntur mendici, qui ostiatim, & in plateis, aut ad portas templorum Eleemosynas petunt. Quibus accedunt alij, qui honestè viuunt, plerumque carent his, quæ ad congruam sustentationem, & sumptus, quos eorum fert status, requiruntur; necnon & alij, qui non, nisi cum aliqua difficultate possunt sibi cõparare necessaria ad vitam. Sic Arriaga, & Ouiedo, *loc. citatis*. Legantur etiam Suarez *disp.7. sect.1.* Lorca 2. 2. *sect.3.* (non 4. vt inuenies apud Dianam) *memb.1.n.8.9. & 10.* Valentia 2.2. *disp.3. qu.9.pun.4.* Vazquez *opusc. de Eleemosyna ca.1.dub.3.* Ægidius *disp.27.* (non 25. vt leges apud Palaum) *dub.8.à n.112.* Diana *part.5. tract.8. Resol.1.* Palaus *tract.6.disp.2.pun.2.num.1.* Bonacina *disp.3. quæst.4. punct.6.numer.4.* Trullench *lib.1.c.5.dub.8. numer.3.* & alij.

Qvæstio VII.

An sit iudicanda extrema necessitas, quando aliqua persona grauis, est in periculo cadendi à suo alto statu; itavt nisi cogatur discere artem mechanicam, vel manibus lucrari cibum, non possit se sustentare?

Respondeo quod sic. Quia respectu talis personæ ignominiosissima, & grauissima est talis miseria: ergo respectu illius meritò dici potest extrema necessitas. Sic Lorca *loc. cit. numer.9.* ita scribens: *Potest etiam contingere, vt necessitas, quæ cogit à statu cadere, non sit solum grauis, sed extrema, quod sit, quando nisi à statu decidat mendicando, aut seruiendo, aut artem mechanicam discendo, vitam conseruare non potest. Sunt enim multi, quibus hoc modo mutare statum adeo est indecens, & ignominiosum, vt potius mori malint, & non teneantur vitam conseruare cum isto dispendio. Hi extremè indigere censendi sunt* Hæc Lorca. Quem immerito refutat Ægidius *loc. cit.num.114.* nam, vt bene vidit Arriaga, Lorca nihil amplius docet, quam Ægidius; nam ille non loquitur de omni laborante manibus; sed de eo, qui excideret ex alto statu, cui respectiuè esset graue fieri opificem &c. vt constat ex eiusdem verbis relatis. Conueniunt ergo ambo re ipsa in hoc puncto. Quibus subscribit Arriaga *loc.cit.n.20.*

Qvæstio VIII.

An, qui à latronibus occidendus est, nisi aliqua pecunia redimat vitam suam; dicendus sit extremè indigere ea pecunia?

Affirmant aliqui DD. Bonac. *disp.3.q.5.punct.6. num.4.* Negant vero contra alij.

Sed clarius Respondeo dicendum, quod, si consideremus rationem miseriæ, haud dubiè extrema ea est, & vix maior esse potest: at si in ordine ad punctum præsens de obligatione liberandi, sermo sit, profecto magna est difficultas, maximè quando nequitia aliorum, cui danda est pecunia, homo in eas angustias redactus est: nam per obligationem talibus soluendi grauissime fouetur eorum malitia, & datur occasio, vt ex eo capite pauperes quosque vexent, minenturque illis mortem, nisi alij pro ipsis satisfaciant: hoc autem graue damnum affert Reipublicæ: & fortassè magis expediens erit permittere, vt vnus, aut alter, tunc ab eis occidatur, vt videntes se nihil inde vtilitatis accipere, omnino à similibus vexationibus cessent, quàm eorum desiderio satisfacere. Sic omnino Arriaga *loco citato num.21.*

Qvæstio IX.

An etiam sit dicendus extremè indigens ille, qui vult seipsum interficere, nisi ego dem illi mille v.g. aureos?

Respondeo vt certum, quod non. Quia hæc est malitiosa indigentia, quam indigens voluntarie patitur; cum possit illam à se amouere, si velit. Sic communis. Bonacina *numer.4.cit.* Trullench *libro 1. in Decalog. capit.5. dub.8. numero tertio* & alij. Et idem dicendum est de illo, qui necessitatem extremam patitur mera sua malitia, vt dicemus infra *disp.5.quæst.9.*

Qvæstio X.

Quot sint bona corporalia quibus subueniri potest, extremam, grauem, communemve necessitatem patienti?

Respondeo, Esse tria, seu in triplici differentia. Nam alia sunt necessaria ad conseruandam vitam propriam, & eorum, qui sub nostra degunt cura, vt sunt parentes, filij, vxores, ancillæ, serui & huiusmodi. Alia sunt necessaria ad statum conseruandum, & sunt illa, sine quibus persona nobis non potest commodè, aut decenter, aut vllo modo, in suo statu conseruari, aut permanere. Alia denique sunt bona, quæ absolutè superflua appellantur, eo quod, nec ad vitæ, nec ac status conseruationem, necessaria sunt, cum sine illis conseruari possit vita, & decens personæ status. Sic communis. Legantur S. Thom.2.2. *quæst.32. art.5.* Vazquez *in opusc. de Eleemosy. cap.1. dub.5.* Granad. 2.2. *controuer.3. tract.11.disp.2.sect.1. num.3.* Gaspar Hurtad. *disp.5. diff.5.* Bonac. & Trullench. *locis citatis.* Diana *part.5. tract.8.Resol.1.in fine*, & alij communiter, qui his, vt certis, suppositis, sequentia exagitant dubia, sit ergo,

Qvæstio XI.

An, Præceptum Eleemosynæ faciendæ obliget illum, qui nulla bona, ex quibus dare Eleemosynam queat, habet?

Respondet Becanus *cap.21. dub.4. numer.5.* quod non obligat sub mortali: quia nemo ad impossibile tenetur.

Sed ego vt certissimum Respondeo, Nec sub veniale obligare. Nam id etiam conuincit ratio Becani: nec credo ipsum contrarium voluisse: Cum id certo certius apud omnes sit. Et certè verbis sequentibus id indicat, vt mox videbis.

QVÆSTIO XII.

An, qui habet vnde Eleemosynam tribuat, obligetur illius præcepto, si nesciat proximum esse in necessitate?

REspondeo vt certum: quod minime obligetur. Quia nullus, nec sub veniali, tenetur subleuare miseriam alterius, quam ignorat. Sic omnes, præcipuè Becanus *dub.4. cit.* vbi ad præsentem, & antecedentem casum negatiuè respondens, vtrumque verbis Apostoli Ioannis 3. probat *Qui habuerit* (inquit) *substantiam huius mundi & viderit fratrem suum necessitatem habere* &c. *si ergo* (elicit Becanus) *nec habeas substantiam, nec videas proximum in necessitate, non teneris.* Ita ille. Et benè.

QVÆSTIO XIII.

An, vt quis ad succurrendum pauperi obligetur, sit necessum, vt illi probabiliter constet, non esse alium, qui possit, & velit, ei succurrere?

REspondeo vt quid certum: Esse necessum. Quia si est qui succurrat, iam respectu mei, ille non indiget, aut mea Eleemosyna eget. Notanter dixi in quæstionis titulo, *non esse alium qui possit, & velit*, nam solum reperiri qui possit iuuare, non me excusat, alioquin tunc si essemus tres, qui possemus, quilibet esset excusatus; nam præter quemlibet seorsum, est alius, qui possit; & tunc pauper, sine vllo remedio maneret in sua miseria: debet ergo esse alius, qui & possit, & velit re ipsa iuuare. Sic omnino Arriaga *disp.43. sect.3. subsect.1. num.23.* & antea Becanus *cap.21. dub.5. num.4.* per hæc verba: Tertio (*subintellige, non peccas mortaliter*) quando scis proximum esse in necessitate, sed certo, aut probabiliter constat, quod ab alio iuuabitur: quia tunc moraliter cessat esse in necessitate. Habet enim paratum præsidium, quo necessitas subleuetur. Secus est, si constet quidem ab aliis iuuari posse, sed non constat, quod re ipsa ab aliquo iuuabitur. Hæc Becanus. Legantur D. Thom. 2.2. *quæst.32. art.5. ad 3.* Nauarrus *cap.24. nu.5.* Ægidius *disp.27. dub.8. n.116.* Palao *tom.1. tract.6. disp.2. pun.2. n.4.* Machado *lib.2. part.2. tra.6. docum.6. n.3.*

QVÆSTIO XIV.

An, casu, quoad pauperem indigentem extremè, tres, aut quatuor, qui possint illum iuuare, accedant; teneantur omnes tunc illi succurrere; an poterit vnus expectare, quid alij faciant?

REspondeo affirmatiue. Sic Arriaga, qui quæstioni propositæ, his verbis satisfacit. Respondeo, cum primum illi veniunt, coram tali extremè indigente; tunc omnes immediate teneri succurrere, non expectata aliorum voluntate. Quod si omnes tunc æqualiter satisfaciendo suæ obligationi offerunt exterius Eleemosynam, & quilibet offerat quantum est necessarium pro remedio, liberum esse cuilibet dicere, *Quandoquidem iam alij dant, non est necessum, vt ego dem.* Quod si tamen contingeret, vt omnes simul id ipsum dicerent, quia nullus ex illis vellet dare, nisi casu, quo obligaretur, seu casu, quo alij non darent, deberent tunc inter omnes tres diuidere eam Eleemosynam, iuxta qualitatem, seu diuitias ipsorum. Si autem vno, vel altero dicente; *Ego nolo iam dare, quandoquidem alij dant*, vnus ex illis tanquam magis ingenuus, misericors, & liberalis taceret, & adhuc in voluntate succurrendi persisteret, tunc alij reliqui omnino essent liberi ab obligatione: sicut etiam essent liberi, si dum accedunt, vnus statim præueniret, offerendo Eleemosynam: eo enim ipso, iam cessaret pauperis necessitas, ac propterea obligatio in aliis ei succurrendi. Hæc optime Arriaga *disp.43. sect.3. subsect.1. n.24.*

QVÆSTIO XV.

An, extremè indigenti teneatur quis dare Eleemosynam, ex bonis vitæ suæ necessariis?

REspondeo vt certum: Quod non. Quia vita præponi potest, imo & debet, vitæ alienæ. Nam ordo Charitatis postulat, vt in pari necessitate ipsum magis diligas, quàm proximum. Sic omnes, vt ait Gasp. Hurt. Arriaga, & alij mox citandi.

QVÆSTIO XVI.

An saltem, si extremè indigens sit maximè vtilis Reipublicæ, teneatur quis, adhuc ex bonis vitæ suæ necessariis, illi succurrere?

REspondeo vt certum: Tunc teneri. Quia propria vita priuata postponenda est vtilitati, & bono Reipublicæ. Sic Becanus *cap.21. num.7.* vbi sic dicit: *Secundo obligat, præceptum Eleemosynæ, quando proximus, qui est in extrema necessitate, talis est, vt ab ipsius vita notabiliter pendeat salus Reipublicæ, aut Ecclesiæ. Tunc enim, si potes, teneris illi succurrere, non tantum ex necessariis ad statum, vt in priori casu dixi, sed etiam ex necessariis ad vitam.* Ita Caiet. *quæst.32. art.6.* Valentia *loc.cit.* & alij passim. Ratio est, quia bonum publicum, præferendum est priuato. Sic ille. Gaspar Hurtado *disp.5. diff.7.* Arriaga *disp.43. sect.3. subsect.1. nu.17. & 25.* Suarez etiam *disp.9. de Charit. sect.7. num.4.* Tamburin. *lib.5. in Decal. c.1. §.2. nu.4.* Qui adhuc id concedunt, loquendo de Reipublica grauibus necessitatibus laborante.

QVÆSTIO XVII.

An, teneatur quis dare Eleemosynam extremè indigenti, ex bonis simpliciter necessariis ad Conseruationem sui status, & sine quibus, status omnino amittitur?

AFfirmant plures DD. eo quod vita proximi, necessariò debet præponi bonis propriis inferioris ordinis: atqui conseruatio proprij status, omnino est inferioris ordinis, quam vita proximi: ergo &c. ita vt certum docet Trullench *lib.1. Decal. ca.5. dub.8. num.5.* citans Azorium *to.2. lib.12. c.7. quæst.5.* Villalob. *1.p. tra.22. diff.2. num.7.* Thomam Sanchez *in consiliis part.1. libro 1. capit.5. dub.5. numer.24. & 28.* & D. Thomam *2.2. quæst.32. art.5.*

Ita

Ita etiam tenet Basseus, *verb. Eleemosyna numer.*4. dicens, in hoc conuenire omnes Doctores, citatque specialiter præter Azorium, Toletum *lib.*8.*cap.*34. & Sotum *lib.*5. *de Iust. quæst.*1.*art.*7. Valentiam *pun.*4. Filliucium *tract.*28. *num.*64. Syluium 2.2. *quæst.*32. *art.*6. *qu.*1. *concl.*1.2. & 3. & Dianam *par.*5. *tract.*8. *Resol.*7. Item hanc sententiam tenent apud Dianam, *loc. cit.* Suarez *disput.*7. *de Charit. sect.*4. *num.*3. Vazquez *opusc. de Eleemosyna.cap.*1.*num.*10. & 25. Luysius 2.2.*disp.*82.*dub.*4. Gordonus *tom.*2. *lib.*6. *qu.*14. *cap.*4.*n.*7. Villalob. *tom.*1.*tract.*22.*diff.*2. (non 20.) *num.*7. vbi sic ait. *En caso de extrema necessidad, obligacion ay de dar limosna de los bienes necessarios para conseruar el estado de la persona: desuerte que en los años de muy grandes hombres, tienen obligacion los ricos à disminuir de sue estado, y estrecharse enel gasto cotidiano para socorrer los pobres. Assi lo dicen* S. Thomas *in* 4. *dist.*15.*quæst.*1. Palud. *dist.*15.*qu.*3.*concl.*1. *ad* 2. Gabriel. *dist.*16.*qu.*4.*art.*2. Medina *C.de Eleemosyna qu.*3.*dub.*2. Aragon. 2.2.*qu.*32. *art.*5. Bannez *art.*6. *dub.*2. Azor. *tom.*2.*lib.*12. *cap.*7.*qu.*5. *dice que la contraria es inhumana*, &c. Ita ille. His adde Tannerum *qu.*3. *dub.*2. Granad. *disp.*2.*sect.*1.*num.*5. Becanum. *cap.*21.*dub.*4. quamuis hic author, solum referat ex sententia aliorum, hanc sententiam Layman. *lib.*2. *tract.*3. *cap.*6. & Machado *tom.*1. *lib.*2. *par.*2.*tract.*6.*docum.*6.*numer.*3. dicentem, hanc esse communem, & receptam sententiam. Ouiedo, *controu.*10. *punct.*7. *num.*67. & alij, licet nonnulli horum DD. postea suum limitent placitum, vt mox vidimus.

Sed nihilominus probabilius, Respondeo. Non teneri quem dare Eleemosynam, etiam extremè indigenti, ex necessariis simpliciter ad conseruationem sui status, & sine quibus status omnino amittitur. Ratio est. *Primo.* Quia amissio proprij status, est malum adeo magnum, vt durissimum sit, cum tanto damno proprio, obligari ad prospiciendum vitæ alienæ,

Secundo. Quia nemo tenetur arctius vitam proximi conseruare, quàm propriam: sed nemo tenetur propriam conseruare, cum amissione proprij status: ergo neque alienam. Minor, in qua potest esse difficultas, probatur, tum quia alias teneretur quis omnes suas opes expendere in curatione alicuius infirmitatis si sciret hac via sanandum esse, & è contra moriendum. Tum etiam, quia deberet se, & suos in mendicitatem reducere, si alia via non posset à morte minata sibi liberari; quæ omnino videtur falsa: ergo. Sic docent Arriaga 2.2. *disp.*43. *sect.*3. *sub sect.*3.*num.*35. *ex* S.Thoma 2.2.*qu.*32.*art.*5. & 6. qui & dicit in hac nostra responsione sic proposita ferè omnes conuenire. Et merito id dicit; nam illam prosequuntur Bannez *qu.*32.*art.*6.*dub.*2. quem citat & sequitur Luysius 2.2. *disp.*82. *dub.*4. *vers. Rursus dicendum est*, dicens, contrarium esse alienum à communi sensu. Ægidius *disp.*27.*dub.*8.*num.*134.*concl.*4. quem citat, & sequitur Palaus *tract.*6. *disp.*2.*pun.*2. *num.*6. Hurtad. Salmanticens. *disput.* 154. *sect.*4. *subsect.*2.§.82. & 92. Hurtad. Complutens. *disput.*5. *diff.*7. Lorca 2.2. *disputat.*39. *mem.*3. *num.*39. Molfesius *in sum. tom.*1. *cap.*16. *num.*28. Ouiedo *pun.*7. *cit. num.*68.*concl.*2. Diana *par.*2. *tract.*16. *Resol.*26. *vers. Quinto diues.* imò & *par.*5. *Resol.*7.*cit.* tandem hanc partem tuetur cum Hurtado, Ægidio, Castro Palao, & Bannez cit. imò & cum Suario *loc. cit. num.*4. Fauet etiam huic parti Machado *loc.cit.* vbi post primam sententiam vt communem propositam, hæc verba addit: *Pero no obstante esto, Autores, de no poca autoridad, son de parecer, que el rico no esta obligado con detrimento, y diminucion grande de su proprio estando à socorrer al proximo, aunque este apretado con extrema necessidad; porque luzgan que es cosa mas conueniente a la Republica. que los ricos conseruen su estando, que no vn pobre particular muera.* Hæc Machado ex quibus verbis, solutum manet fundamentum contrariorum, vt optimè expendit Arriaga *loc. cit. num.*38. vers. *solum restat.* Qui vlterius respondet, non semper me debere minus meum malum postponere maiori proximi, alioquin si necessum esset, vt proximus saluaret suam vitam, me amittere manum, aut brachium, deberem hoc permittere: quia minus malum est, me amittere manum, quàm alterum vitam. Dico igitur eam obligationem, non habere locum, nisi quando agitur de damno spirituali proximi, seu de damnatione illius æterna, pro qua sæpe tenemur nos exponere vitæ temporalis periculo. Sic ille.

QVÆSTIO XVIII.

An saltem, si indigens extremè, sit valde necessarius Reipublicæ, aut Ecclesiæ; obligetur quis illi succurrere ex bonis, simpliciter suo statui necessariis?

REspondeo, vt quid certum, obligari. Quia bonum publicum maioris momenti est, atque adeo præferendum, statui priuatæ personæ. Et certe, si in tali euentu tenetur quis tali indigenti, adhuc ex bonis vitæ suæ simpliciter necessariis Succurrere, vt habitum est supra *quæst.*16. à fortiori tenebitur ex bonis suo statui necessariis. Sic omnes DD. præcipue pro vtraque parte nuper citati, inter quos legantur Luysius *cit.* & Ouiedo *loc.cit.n.*75.

QVÆSTIO XIX.

An etiam obligetur quis ad succurrendum priuatæ personæ in extrema necessitate positæ, ex bonis non simpliciter necessariis ad conseruationem sui status, sed secundum quid; hoc est, ex necessariis, sine quibus status, si non amittitur, diminuitur in aliquo?

AFfirmant à fortiori, Doctores primæ sententiæ *quæst.*17. & alij ex citatis pro nostra, docenres obligari, etiam cum diminutione grandi status. Ita inter alios tenet Luysius *dub.*4. *cit. vers. Rursus*, proferens hæc verba: *Præterea dicendum est, esse probabilius subueniendum esse extremè indigenti, cum magno aliquo detrimento proprij status.* Hanc teneo cum Doctoribus secundæ opinionis, & præcipuè probanda est ex ordine Charitatis, & misericordiæ, secundum quem præferenda videtur vita proximi aliquibus bonis necessariis ad statum; & ita non mirum est, si sit obligatio pr ximi vitam illis &c. Dixi esse obligationem succurrendi extremæ necessitati, cum magno aliquo detrimento, & non simpliciter: quia vt docet Bannez hic *in art.*6. *dub.*2. & alij viri docti huius ætatis, non est obligatio succurrendi vitæ hominis priuati, cum detrimento totius status, quod per se videtur manifestum. Hæc Luysius.

Sed ego, iuxta superius dicta, Respondeo. *Primo.* Minimè obligatur quis ad succurrendum priuatæ personæ, ex bonis pertinentibus ad conseruationem sui status, cum magno detrimento illius. Hæc con-

cluſio verè manet manifeſta, ex probatione noſtræ ſententiæ *quæſt.17.* Eamque Diana *2.par. tract.16. Reſol.26.* & apud ipſum, Molfeſius, Lorca Ægidius, & alij.

Reſpondeo, *Secundo.* Verè obligatur quis ad ſuccurrendum perſonæ etiam priuatæ, extremè indigenti; cum aliquali detrimento, aut diminutione proprij ſtatus. Hanc concluſionem tenet Arriaga, *num.35. cit.* pro qua probanda notat ex D. Thoma, *articul.6* quod neceſſaria ad conſeruationem ſtatus, patiuntur aliquam latitudinem. Poteſt enim aliquid demendo conſeruari ſtatus, etiamſi cum aliqua difficultate, poſſunt ſæpe etiam ſine difficultate aliqua domi. v.g. ad conſeruationem ſtatus alicuius Ducis, aut Marchionis ſpectat, frequenter alios Dominos ad menſam inuitare, eoſque ſplendide (ſine exceſſu tamen, & prodigalitate) tractare: profecto tunc, aut illum ſemel, aut bis, rarius, quàm alias faceret, inuitare, vt neceſſitati extremæ pauperi ſuccurrat, & ſi in vno ſenſu detraheret de neceſſariis pro ſuo ſtatu, non tamen de ſimpliciter neceſſariis; ideoque non dubito, talem ad id obligandum. Et in hoc ſenſu etiam ipſe D. Thomas *ſupra art.6.circa finem corporis* loquitur; dum ait, obligari, quando id, quod de neceſſariis ad conſeruationem ſtatus detrahitur, poteſt de facili refarciri vti poſui exemplum in prandio, poteſt poni in veſtitu: ſi quaſi inperceptibiliter minus ſplendidus, aut honeſtus debeat geſtari quàm ſoleat, vt extremè indigenti ſuccurrat. Sic Arriaga ex cuius doctrina eſt ingenuè fatendum, quod ſi occurrat cuipiam diuiti, Duci, aut Marchioni, perſona quælibet extremè indigua, teneantur ex pecunia, quam alioquin habent ſeruatam pro ſuis neceſſitatibus, illius neceſſitati ſuccurrere, aliquid pro ſuo ſtatu etiam, (modo dicto) conſeruando, de neceſſariis detrahendo, & demendo. Sic etiam Gaſp. Hurtado *diff.7.cit.verſ.conueniunt ſecundo.*

Qvæstio XX.

An diuites teneantur redimere captiuos apud Turcas; caſu, quo ſciant, illos redemptione maxime egere, nec habere, quibus ſe redimant?

Affirmant abſolute nonnulli DD. Ita Caiet. *2.2. quæſt.71.art.1.* & Maior. *in 4.diſt.15 quæſt.7.§. contra hanc concluſ.* & Azorius *tom.2.lib.12.capit.8. quæſt.5.* quos nouiſſimè ſequitur Filliuc. *tract.28. capit.3. quæſtion.8. numer.76.* ibi Tertio, *teneri*, diuitem ſcientem ſuum vicinum eſſe captiuum apud Turcas, & non habere, quo ſe redimat. Et Villalobos *1.p.ſum. tractat.22.diff.2. numer.19.* vbi ita ait: *De todo lo dicho ſe colige, lo que ſe ha de dezir ne muchos caſos particulares, como es, quando eſtara obligado el Abogado à fauorecer de balde la cauſa del probre: y el Medico, y Circujano a curarle de balde, y el Boticario adarle medicinas, y el rico que ſabe que ſu vezino eſtà en Berberia cautiuo, y no tiene quien le reſcate; y el que en tiempo de careſtia vé que perecen muchos de hambre; y el que ſabe que ſu vezino ò vezina viuen mal por pura neceſſidad, que no tienen (como dicen) que llegar a la voca; que entodos eſtos caſos, y los ſemejantes tienen obligacion de dar limoſna, porque ſon neceſſidades extremas, ò quaſi extremas, como tienen Iuan Macor, Caietano y Azor.* Hæc Villalobos, qui, vt vides, ſuis vltimis verbis, fundamentum, quo nititur hæc ſententia iacit. Trullench. *ex illo dub.8. num.17.*

Negat contra, Hurtadus de Mendoza *2.2. diſputat.159. ſectio.1.* (non 3. vt legi apud Dionem) §. 21. docens *minime teneri diuites ad redimendos Captiuos, quia Captiuitas per ſe non eſt extrema neceſſitas: ergo præcepto de opitulando indigentibus extremè, nullus tenetur ad redimendum Captiuum.* Ita ille qui poſtea limitat ſuam ſententiam, *niſi Captiuus probabiliter timeatur occidendus iniuſtè, aut melancholiâ, aut cœlorum inclementia interiturus, quia in his caſibus talis eſſet in extrema neceſſitate.* Ita ille, quem citatum videtur ſequi Diana *p.5.tr.8. de Eleemoſyna Reſol.6.*

Sed probabilius, Reſpondeo: Teneri quidem in prædictis caſibus ad redimendos Captiuos: Quia probabilius eſt, Captiuitatem Chriſtianorum, regulariter, reputandam eſſe extremam, & ob extremam neceſſitatem corporalem, quem regulariter Captiui Chriſtiani, apud infideles, & inimicos Chriſti Domini commorantes, patiuntur; & ob extremam etiam animæ ſpiritualem, ob inſtantes importunationes, & vexationes, quibus ab inimicis noſtræ Fidei ipſi miſeri Captiui, ad deſerendam ipſam Fidem coguntur, imò (proh dolor) & obtinent, vt notum eſt nobis, qui pro redimendis Captiuis Chriſtianis inſudamus, & tertiam partem omnium rerum, quæ vndecunque nobis licite veniunt, pro eorum redemptione ſeparamus, ex præſcripto noſtræ Regulæ ab Innocent. III. confirmatæ. Sic omnes Authores primæ ſententiæ.

Qvæstio XXI.

An quis ſatisfaciat Eleemoſynæ præcepto, ſi extremè indigenti; ſubueniat, per mutuum, aut venditionem; caſu, quo indigens, hic, & nunc, habeat aliqua bona alibi, vel ſpem proximam illa habendi; vel vires ad illa lucranda?

Reſpondeo, tanquam certum: Satisfacere. Quia prædictus ſic indigens, non eſt abſolute pauper; cum habeat alibi plura bona; aut ſpem proximam illa habendi; vel vires, aut artem illa lucrandi: ergo quis non tenetur rem, qua indiget, illi abſolute donare, ſed ſatisfaciet præcepto Eleemoſynæ, illam mutuando, aut donando, ſub conditione vt reddat acceptum, quandocunque facultatem habuerit. Sic communis. Valentia *2.2.diſp.3.qu.9.pun.4.* verſ. *Septimo certiſſimum eſt.* Suarez *diſp.7. de Charit. ſect.5.n.4.* Vazquez *opuſc. de Eleemoſyna cap.1.dub.6. n.53.* Ægid. *diſp.27.dub.9.nu.149.* Bonac. *diſp.3.qu.4. de Charit.punct.6.n.15.* Petr. Mendoza *2.2.diſp.159. ſect.3.§.37.* Palaus, *de Charit. tract.6. diſp.2.punct.4.* Trullench. *lib.1.in Decalog.c.5.dub.8.nu.7.* Villalob. *tractat.2. diff.2.num.1.* Diana *p.5. tract.8. Reſol.5.* Tamburin. *lib.8.in Decal. tract.2.c.6.§.2.n.2. fine.*

Qvæstio XXII.

An etiam ſatisfaciat quis Eleemoſynæ præcepto, ſi extreme indigenti, nec habenti alibi bona, nec ſpem proximam illa habendi, nec vires, aut artem illa lucrandi; mutuet, vel vendat, abſolute?

Affirmant adhuc multi DD. etiam in hoc caſu ſatisfacere quem præcepto Eleemoſynæ, mutuando

tuando extremè indigenti; aut vendendo rem, qua indiget. Ratio eorum est: quia præcepto subueniendi extremè indigenti, impletur, si detur quod sufficit, vt liberetur ab illa extrema indigentia, in qua versatur: atqui ad id sufficit mutuatio, vel venditio, licet imponatur onus restituendi, vel reddendi: ergo nil amplius imponendum est Eleemosynam elargienti: non ergo tenebitur gratis dare, sed satisfaciet mutuando, &c. Ita Nauarr. *in Man. capit.17. num.61. & capit.24. numer.5.* Couarru. *in Regul. Peccatum.2. p.§.1. numer.4.* Toletus *lib.5. capit.24.num.7.* sequuti Adrianum *quodlib.1.articul.2. circa medium. & in 4. in materia de Restit. quæst.33.* Quorum sententiam, vt probabilem sequitur Diana, *loco citato.*

Alij contra dicunt, quod minimè satisfaciat præcepto, si pauperi extremè indigenti subueniat mutuando, vel vendendo, seu donando, sub obligatione absoluta reddendi mutuum, exemptum, aut datum. Probant *Primo.* Quia Scriptura Sacra, & Patres, nomine Eleemosynæ, præcipuè intelligunt donationem absolutam, & sine vllo onere, & obligatione retributionis, vt colligitur ex parabola incidentis in Latrones *Lucæ 10. Secundo.* Quia pauperi extremè indigenti, iure naturæ debetur sustentatio, vt supra est habitum: ergo iniuria fiet illi, & contra Charitatem, si imponatur ei onus restitutionis. Sic tenent Valentia *2.2.to.3.disp.3.q.9.pun.4.vers.Septimo.* Suarez *de Charit.disp.7.sect.5.n.2.& 5.* Sotus *de Iust.li.4. q.7.art.1. ad 4.* Bannez & Aragon. *2.2. q.118. art.5.* Granad. *ibid. tract.11.disp.7.n.3.* Becan. *to.1.c.21.n.1.* Lorca *2.2.disp.39.n.54.* Ægid. *disp.27.dub.9.n.153.* Luysius, Turrian. *disp.82. dub.6. & 7.* Bonac. *disp.3. quæst.4.punct.6.nu.15.* Reginald. *lib.4.cap.20.n.260.* Villalob. *tract.2. diff.2 num.1.* Palaus *tract.6 disp.2. de Charit.punct.4.num.5.* Sanchez *tom.1.Consil.lib.1. cap.5.dub.5.num.56.* & penes illum, Angles, Medidina, Nauarra, Palacius, & Viguerius, Trullench. *in prim. præcep. Decalogi cap.5. dub.8. num.7.* Legatur Tamburin. *loco citato.* Vbi ait vtramque sententiam esse probabilem.

Alij, via mediæ gradiendo, dicunt, satisfacere equidem Eleemosynæ præcepto illum, qui pauperi extremè indigenti det, vel donet aliquid, non absolutè, sed sub conditione, si pauper ad pinguiorem fortunam aduenerit. Ita Vazquez *in Opusc.de Eleemos. cap.1. dub.6. num.54.* & Lessius *lib.2. de Iust. cap.16.dubit.1.num.11.* hæc dicens: *Hinc tamen non sequitur, præcepto Eleemosynæ satisfieri mutuando sed bene donando sub conditione, quando res est magni pretij, quod verum est: nemo enim potest iure queri sibi 20. vel 30. aureos non dari absolute, sed cum onere, vt teneatur refundere, si locuples aliquando euaserit.* Sic Lessius.

Sed ego Respondeo dicendum, quod licet prima, & vltima sententia sint satis probabiles; secunda tamen est multo probabilior, vt constat ex eius fundamento.

QVÆSTIO XXIII.

An ad minus, satisfaciat Eleemosynæ præcepto, qui mutuat rem proximo, qui non re ipsa, sed solum vsu illius indiget?

REspondeo, vt certum: Satisfacere. Sic Palaus *tract.6. disp.2. punct.4. num.1.* his verbis: *Hac in re primò certum est, si proximus non re, sed vsu illius indigeat, te non esse obligatum, rem donare, sed solum vsum. Explico. Indiget proximus equo, veste, aut alia re, quæ transacta necessitate perseuerat, non teneris ei vestem, aut equum donare; sed sufficit, si dones illius vsum: quia solus vsus est illi necessarius. Charitas enim solum obligat, vt proximi necessitati succurras, non autem, vt proximum dites.* Sic ille: citans Valentiam *2.2. disputat.3. quæst.9. punct.4. vers. Septimo certissimum est*: iuncto versu: *Ac per hoc patet responsio.* Suarium *disput.7. de Charit. sect.5. numer.4.* Vazquium *opusc. de Eleemosyn. cap.1. dub.6. num.51.* Ægidium *disp.27.dub.9.num.147.* & Bonacinam *disput.3. quæst.4. de Charit. punct.6. num.16.* Quibus addi possunt Diana *mihi 15. par.5. tract.8. Resol.5. in fine.* Sotus, Medina, Malderus, Becanus & alij apud Bonacinam *num.15.*

QVÆSTIO XXIV.

An etiam satisfaciat Eleemosynæ præcepto, qui patienti, non extremam, sed grauem tantum necessitatem, subueniat per mutuum, aut venditionem ad creditum?

AFfirmant aliqui, Quia patientibus solùm necessitatem grauem, non debetur sustentatio æquè, ac patientibus necessitatem extremam, vt constat: ergo quomodocunq; eis subueniatur, siue gratis, siue ex mutuo siue ex venditione ad creditum, fiet satis Eleemosynæ præcepto. Ita Lorca *22. sect.3. disp.39. n.53.* Trullench. *lib.1. in Decal.c.5.dub.8.n.7.* & à fortiori, Nauar. Couarru. Tolet. & alij, pro prima sententia *qu.22. relati.*

Sed probabilius Respondeo. Non satisfacere, casu, quo obligatus sit quis saltem patienti necessitatem subuenire. Ratio: est quia semper quod quis tenetur subuenire alicui, elargiendo illi Eleemosynam, debet esse, absque vllo onere, vt *supra q.22.* cum Authoribus secundæ sententiæ, diximus: ergo. Sic. Palaus *disp.2.cit.punct.4.num.6.* sequutus Suarium *disput.7. sect.5. num.7.* Valent. *2.2. disp.3.quæst.9. pun.4. vers. Septimo certissimum.* & Ægid. *disp.27.dub.8. nu.153. & 155.* Qui idem affirmant de illo qui obligatur ad subueniendum per Eleemosynam patienti necessitatem communem.

Ad fundamentum Lorcæ, bene dicit Palaus, quod licèt verum sit, quod non æquè debeatur sustentatio grauem necessitatem patienti, ac patienti extremam: attamen, quia vtrique absolutè debetur, esto vni strictius, quàm alteri, ideo obligatur quis in vtraque necessitate gratis succurrere.

QVÆSTIO XXV.

An, in casu, in quo quis debet, aut potest Eleemosynam mutui facere (vt supra qu.21. & 23.) possit lucrum cessans deducere in pactum?

AFfirmatiuam sententiam tenere Bonacinam, ait Palaus, *loc. cit. n.7.* sed certe Bonacina, id non asserit absolute, sed solum dicit, non peccare contra iustitiam. Accipe eius verba: *sed mihi probabilius dicendum videtur oppositum. Tum quia licèt forte peccauerit contra præceptum Charitatis deducendo hoc in pactum, non tamen peccauit contra iustitiam, cum non teneretur ex iustitia gratis dare, vel mutuare sine pacto.* Ita ille, *punct.6.cit.n.16.*

Sed probabilius Respondeo. Minimè posse deducere lucrum cessans in pactum. Ratio est: quia in tantum poterat quis obligare ad lucrum cessans mutuatarium, in quantum licite lucrum poterat ab illo

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

illo acquirere: at, ſtante neceſſitate mutuandi, non poterat lucrum acquirere; quia tenebatur mutuare: ergo nec illud ceſſans, in pactum ducere, ſic optime Vazquez *de Eleemoſyna cap.1. dub.6. nu.57.* vbi inquirens, an teneatur ad damnum emergens, & lucrum ceſſans ille, qui mutuo accepit pecuniam, vel rem, quia neceſſitas vrgebat, & miſericordia obligabat? Reſpondet, quod non tenetur. Quia ille (inquit) *tenebatur ex miſericordia, ſe ſuo commodo, & lucro priuare, & damnum pati, vt quod erat maius in proximo auferret, vel impediret: & ideo non poteſt paciſci de lucro ceſſante: illud enim tantum in pactum deduci poſſet, quando eſſet liberum mutuanti pecunia illa negotiari, in noſtro autem caſu, non erat liberum, imò neque malo, vel damno emergenti obuiare, quia tenebatur proximo ſuccurrere & ita non erat negotiaturus.* Sic Vazquez. Quem ſequitur Palaus *loc.cit.*

Qvæstio XXVI.

An qui omittit dare Eleemoſynam, cum ex Charitate tenetur, obligatus maneat ad reſtituenda damna inde ſurgentia?

AFfirmatiuam ſententiam eſſe probabilem, innuit clarè Palaus, cum negatiuam, ſolùm vt probabiliorem ſequatur. Pro illaque poſſet citare Nauarram *lib.3.de Reſt.1.cap.1.n.353.* & alios, quos refert Metina *C.de reſtit.qu.3.*

Sed ego non ſolum vt probabilius, verum etiam vt certum mihi, Reſpondeo. Non manere obligatum ad reſtituenda damna. Quia certum mihi eſt, quod obligatio reſtituendi, ſolùm oritur ex læſione iuſtitiæ. Sic expreſsè Nauarr. *cap.24.num.7.* his verbis: *Nono, quod quamuis non ſoluens debitum, quando, vbi, & quomodo debet, ad reſtituendum damnum, quod ex illa mora creditor accepit, teneatur,* iuxta ſup. dicta *cap.17.n.15.* Qui tamen pauperi Eleemoſynam non dat, etiam ſub peccato mortali debitam, non tenetur ad reſtituendum ei illam Eleemoſynam, nec damnum, quod inde illi proueniet. Quia vt latius *in repet. inter verba 11.qu.3.concl.6. & in Apol. lib.de reditib. Eccleſ.qu.2.monit.2.* diximus, Charitas non obligat ad reſtituendum illud, ad quod alicui dandum, vel faciendum ſub pœna peccati mortalis obligat, iuxta Alexand. de Ales *3.p.qu.87.* & communem, quam pulchre defendit Adrian. *in 4. de Reſtit. qu.1. col.9.* concludendo, ad reſtitutionem non teneri eum, qui cum verbis, aut factis, poſſet, furtum, & damnum proximi non impediuit, niſi ex officio, & iuſtitia ad id teneatur. Hæc doctiſſimus Doctor. Sic etiam Couarru. 3. (*non* 2. vt leges apud Palaum) *variar. cap.14. num.5.* quem citat, & ſequitur ipſe Palaus *de Charit. tract.6.diſp.2.punct.4.in fine*, necnon Sanchez *lib.1. conſil. cap.5. dub.5. num.60. & 61.* Sotus, Ledeſma, Metina, Salon, & Bannes apud ipſum. Suarez etiam *diſputat.7. de Charit. ſectio.6. numer.2.* Tamburinus *libr.8. in Decalog. tractat.2. capite ſexto, in fine.*

Qvæstio XXVII.

An Iudex poſsit cogere diuites ad elargiendam Eleemoſynam tempore extremæ neceſsitatis, quando ad hoc tenentur?

REſpondeo, vt quid certum. Poſſe, iudicem cogere diuites ad dandam Eleemoſynam pauperibus, tempore extremæ neceſſitatis, &c. Quia in hoc caſu, nil aliud facit Iudex, quàm quòd diuites ſuum debitum ſoluant: poſſunt ergo, imò & debent, ob republicæ bonum, id facere. Sic omnes. Legantur Bannes *2.2.quæſt.32.articul.6. dub.2.* Ledeſma *2.4. qu.15.art.3.* Couarru. *3.variar.cap.14. numer.5. in principio.* Gregor. Lopez. *par.5. tit.1. in proœmio, gloſſ.1.* Tiraque l. *de Nobilit.cap.29. nu.46.* Sanchez *lib.1.conſil.cap.5.dub.5.num.63.* & alij apud ipſos, id intelligentes de iudicibus omnibus, tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis.

Qvæstio XXVIII.

An non ſolum in extrema neceſsitate, verum etiam, extra illam; poſsit Iudex diuites compellere ad elargiendam Eleemoſynam?

NEgant aliqui Doctores, exiſtimantes, ſolùm in extrema neceſſitate poſſe id iudicem facere; Quia, extra illam, licite poteſt diues non dare Eleemoſynam huic, ſed alij reſeruare: ergo non poteſt compelli à iudice, vt huic vel illi, elargiatur. Ita Couarru. *3.var.c.15.n.5.* ibi: *vtcumque res ſe habeat, quantum ad coactionem exterioris iudicis officio incumbentem, & ab eo peragendam, arbitror ipſe tunc ei locum fore; cum adſit extrema pauperum neceſſitas, & inopia, habeantque diuites bona ſibi præter naturæ ſtatus, ac dignitatis neceſſitatem, ſuperflua:* Hæc ille. Necnon Sarmiento *de reddit.3.p.cap.4. à numer.3.* Soto *lib.5. de Iuſt. quæſt.3.art.4.verſ. Primam.* Spino, *ſpecul. teſtament. gloſſ.6.num.8.*

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe iudicem, etiam citra extremam neceſſitatem, nempe in grauibus neceſſitatibus, compellere diuites ad dandam Eleemoſynam de ſuo ſtatui ſuperfluis. Quia communi hominum bono, quæſitum eſt ius, vt quæ ſuperſunt vni, dentur indigentibus: ergo poteſt Iudex compellere diuitem, vt de ſuo ſtatui ſuperfluis reddat ius illi, cui fuit acquiſitum. Sic Caiet. *2.2.quæſt.118.art.3.* Nauarr. *Apolog. ad lib.de reddit. quæſt.2. monito 2.num.2.* Nauarra *lib.2.de reſtit.cap.1. num.374.* Aragon. *2.2. qu.32.art.5.* Palac. Angel. Silueſt, & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *loc. cit. num.65.*

Qvæstio XXIX.

An pauperes habeant actionem contra diuites, vt dent eis Eleemoſynam, in extrema neceſsitate?

AFfirmant aliqui; eo quod ex lege iuſtitiæ teneantur diuites in tali neceſſitate ad Eleemoſynam. Ita tenent Sarmiento, Spino, & Aragon. locis nuper adductis, & alij Doctores, quos retulimus *q.3.* pro prima ſententia.

Sed probabilius Reſpondeo: Non habere tamen actionem contra diuites. Quia probabilius eſt, hoc non eſſe debitum lege iuſtitiæ, pauperibus, vt diximus *quæſt.5. citata.* ſolum ergo poterunt pauperes implorare officium iudicis, vt cogat, & ſic hæc actio, iudicis officio, non iure actionis, fiet. Sic Angel. Silueſt. Tiraquell. Butrio, Imola, Panormitan. & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *loco. cit. num.68.* & debent tenere omnes authores, quos citauimus *quæſt.5.* citata pro noſtra ſententia.

QVÆSTIO XXX.

An extremè indigentes possint aliena surripere, & ea consumere?

REspondeo vt mihi certum: Posse, si alia via succurrere sibi non possunt. Quia in extrema necessitate, omnia facta communia ab Authore naturæ, cum ad conseruandam hominum vitam ea produxerit: ergo omnibus extremè indigentibus licitum erit, si alia via succurrere non valent, aliena, vt tunc iam sua, surripere, & consumere. Sic docent communiter Doctores. Legantur Palaus *disputat.2. de Charit. punct.9. numer.1.* Vazquez *dub.7. numer.* 58. Lugo *de Iust. disputat.16. sectio.7. numero* 138. & alij mox citandi.

QVÆSTIO XXXI.

An vt extremè indigentes licitè aliena surripiant, teneantur prius rogare diuites, vt succurrant sibi?

REspondeo teneri, si probabiliter credant indigentes, hac via, esse à diuitibus succursuros. Quia nemini licèt aliena surripere, quando propria per donationem habere potest: verum tamen mihi videtur, quod, qui omitteret hanc conditionem, non peccaret, nisi venialiter, eo quod solum inueniretur inordinatio in modo, non in re: quia siue dominus concedat, siue non, vere potest extremè indigens accipere ab illo necessaria sibi. Sic tenet Lessius *lib.2. de Iust. capit.12. dubit.12. numero 66.* per hæc verba: *Notandum est, eum, qui in necessitate versatur, non posse per alienum vsurpare, nisi ante petierit iuuari, explicata sua miseria; vel nisi certo sibi persuadeat, se nihil obtenturum si enim probabilis spes sit, posse te conuenienti modo petendo,* (non enim tenetur vir honestæ conditionis ostiatim mendicare) *consequi, vt sit tuum, non videris redactus ad eam necessitatem, vt cogaris surripere alienum. Hoc enim tunc demum iure gentium conceditur, quando alia via occurrendi necessitati non suppetit. Quare si aliter facis, contra debitum ordinem facis: Nemo enim potest viuere ex alieno, quando potest ex proprio, efficiendo, vt res aliena fiat sua per donationem, vel aliter. Non tamen videtur esse peccatum mortale, si hic ordo non seruetur modo scandalum absit: quia siue dominus concedat, siue non, concedat, potes accipere: est enim duntaxat inordinatio in modo.* Hæc Lessius. Quem sequitur Palaus *disputat.2. punct.9. numero secundo*, nec non Dicastillo, mox citandus, *numero* 248. Sic etiam Ægidius *disputat.27. dub.10. numero* 158. quoad substantiam responsionis, licèt neget modum: & alij.

QVÆSTIO XXXII.

An ab hac rogatione à diuite, excusetur extremè indigens, si hic sit nobilis familiæ, aut honestæ conditionis?

NEgat Ægidius *loco citato*, docens, non excusari à tali rogatione, seu petitione; sed teneri talem extremè indigentem, antequam surripiat aliena, suam necessitatem aliquibus diuitibus manifestare. Ægidio ex parte Palaus consentit, dum existimat, obligari dictum pauperem, vni, vel alteri diuiti secreto suam necessitatem manifestare: *quia* (inquit) *hæc manifestatio non videtur grauiter ignominiosa, neque grauem pudorem causare.*

Sed æque probabiliter Respondeo excusari. Quia durum nimis videtur, ad rogandum pauperem nobilem obligare. Sic videtur sentire Dicastillo *tom.1. de Iustit. libro secundo tractat.2. disputat.9. dubit.9. numero* 249. his verbis: Dixi tenere petere, *conuenienti modo, quando est spes obtinendi*: quia vir honestæ conditionis non tenetur ostiatim mendicare, vt rectè Lessius. Nec mihi placet Coninch, dum docet, non excusari pauperem, etiamsi nobilis familiæ sit, & valde pudeat mendicare: quia in tanta necessitate pudor ille vincendus est. Quod sane durissimum est. Nam inprimis obligaretur ad succurrendam necessitatem illam extremam, aliam tam grauem subire, qualis est ab statu cadere mendicando, quod aliquibus tam durum erit, atque ipsa mors. Ideo Valentia latius adhuc loquitur *disput. illa 5. quæstion.10. pun.5.* ait enim, in extrema, & euidenti necessitate constitutum, licite posse vsurpare rem alienam, non expectato iudicio, aut consensu possidentis: quia casus est strictissimus, & in eo satis periculosum est, ab alterius nutu pendere. Imò Lorca *2.2. sectio. 3. disputat. 39. mem. 1. numero nono* putat, eum esse in extrema necessitate, qui est in certo periculo ita decidendi ex honesto statu, vt non possit vitam sustentare, nisi discendo artem mechanicam, aut mendicando. Quæ doctrina licèt vera non sit, tamen satis ostendit iudicio prudentis esse grauissimam necessitatem, & pro sola illa ordinatione, quoad modum, petendo id, quod dari debet, non esse cogendum ad illum modum seruandum, Hucusque Doctus Pater Dicastillo. Nec dissentit omnino Palaus, *loco cit.*

QVÆSTIO XXXIII.

An si extremè indigens velit aliquam rem sibi necessariam surripere, vel occupare; possit à domino illius rei impediri?

REspondeo, vt certum: Non posse iuste. Quia in tali casu pauper vtitur iure suo: ergo iniustus erit dominus si illum impediat. Quare poterit tunc pauper se tueri, tanquam qui iniuste ab altero inuadatur, & si necesse sit, seruato iustæ defensionis moderamine, dictum dominum impedientem occidere. Sic Lessius *libro 2. capit.12. dubitat.12. numero 69.* Ægid. Coninch. *disputat.27. dubit.10. num.169.* Palaus *disput.2. de Charit. pun.9. numero 3.* Dicastillo *dub.9. cit. num.252.* Tamburinus *libr.8. in Decalog. cap.6. num.1.*

QVÆSTIO XXXIV.

An non solum quisque, pro se extremè indigente, possit accipere alienum; sed etiam possit illud accipere, vt subueniat proximo ita indigenti?

REspondeo, vt quid certum: Etiam posse casu, quo ipse, qui accipit non habeat vnde succurrat.

currat. Sic D.Thom.2.2. *quæst.66. artic.7. ad 3.* his verbis *Ad 3. dicendum, quod in casu similis necessitatis, etiam potest aliquis occulte rem alienam accipere, vt subueniat proximo sic indigenti.* Sic Doctor Sanctus. Legantur Dicastillo *loco citato numero* 254. Diana *p.5. tractat.8. Resolut.23.* Lessius *libro 2. capite 16. dubitat.1. numero* 15. Lugo *disputat.16. sectio.7. numer.173.* Tamburin. *lib.7. in Decal.tract.2. cap.6.§.1.num.3.*

QVÆSTIO XXXV.

An qui patitur grauem necessitatem, possit occulte aliena surripere, si alia via, sibi succurrere non valet?

NEgant communiter Doctores, ex *cap. si quis, de furtis* vbi dicitur: *si quis, ob necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, aut pecus, pœniteat hebdomadas tres.* Ego si in iure imponitur pœnitentia ob acceptum in graui necessitate, qualis est fames, aut nuditas, ideo erit, quia censetur illicitum. Ita tenent Caiet. & Bannes 2.2. *quæst.66. art.7.* Sotus *lib.5. de Iust. quæstion.3. art.4.* Couarru. *ad Regul. peccatum, p.2. §.1. numero 3.* Suarez *disput.7. de Charit. disput.5. numero* 8. Granad. 2.2. *controuer.3. tractat.2. disputat.7. numero* 4. Valentia *tom.3. disputat.5. quæst.6. punct.5.* Azor. *par.2. lib.12. capit.8.* Luysius 2.2. *disput.82. dub.8.* Reginald. *tom.1. lib.4. cap.20. num.267.* & sequitur ex parte Lugo *loco cit.num.154.*

Sed probabiliter æquè Respondeo: Posse in dicto casu, aliena clam surripere. Quia æquè probabile est, quod potestas succurrendi necessitati propriæ, minime sit restricta ad extremam tantum, & cum grauis etiam sit satis magna per se, vt ex graui necessitate facilis sit lapsus in extremam. Igitur in diuisione, & appropriatione rerum Iure gentium facta, semper debuit hæc conditio tacita intelligi, nempe, nisi necessitas extrema vel certè valde grauis postulet: alioquin contra rationem, & æquitatem facta esset. Sic Dicastillo *de Iust.tom.1.lib.2.tractat.2. disput.9.dub.9.num.256.* & apud ipsum, Angel. *verb. furtum.num.37.* Siluest. *ibi qu.5.* Medina *C.de Eleemosyna quæst.7.* Nauarrus *cap.17.num.5.* Nauarra *lib.3.de Restit.cap.1.dub.5.num.373.* Lessius *dub.12.cit.nu.71.* Ægidius *dubit.10. num.162.* & Vazquez *cap.1. de Eleemosyna dubit.7. numer.60.* Quibus addi possunt Palaus *disputat.2.de Charit.punct.9. numer.5.* Malder. 2.2.*quæst.32.articul.6.dubit.6.* Sà *verb.furtum.num.1.* Diana 2. *p. tractat.17. Resolut.29. & p.5. tractat.8. Resolut.23.* & penes ipsum Ioan. Vuigers, Hurtadus de Mendoza, & Andr. Diualius. Bonac. *de contract. disputat.1. quæst vltima punct.1.num.32.* Tamburin. *cap.6.cit.§.1. numer.2.* dicens, id certum sibi videre: quia pari modo naturæ inditum est, vt grauem necessitatem, quæ facile vergit ad extremam à se quisque, quoquo modo potest, auertat.

Ad textum in contrarium Respondeo. *Primo*, non loqui de necessitate adeo graui, & vrgenti. *Secundo*, quod non sit ex Decretalibus Pontificum, sed ex Pœnitentiali Theodori. *Tertio*, loqui de his, qui indebito modo acceperunt, non petendo quod facile obtinere potuissent. Legatur cum aliis citatis, Dicastillo *num.259.*

QVÆSTIO XXXVI.

An ab eo qui est in pari necessitate, possit quis accipere illam rem, qua ille indiget?

REspondeo vt certum: Quod non. Quia cum ille non teneatur illam dare, sed habeat ius habendi sibi; erit furtum talis acceptio. Sic Tamburinus *loco citato numer.3.* his verbis: *vnum pro vtrisque certis aduerto: à proximo extremè, vel grauiter indigente, te extremè item indigentem, non posse illud surripere, quod indigentiam subleuet: nec te indigentem grauiter ab grauiter indigente. Ratio communis est: quia tunc, sine controuersia, melior est conditio possidentis, atque adeo habet potius ius vtendi rebus suis, ne pereat, vel ne cadat ex graui ad extremam, quam quilibet alius.* Sic ille. Et Palaus *disputat.2. de Charit. punct.9. numero* 7. Dicastillo *de Iustit. libro 2. tractat.2. disputat.9. dubit.9. §.1. numer.258.* Lugo *de Iust.disputat.16.sectio.7.num.146.*

QVÆSTIO XXXVII.

An quæ quis accepit, & sumpsit in extrema necessitate; teneatur restituere, si ad meliorem fortunam venerit?

AFfirmant omnes, qui sentiunt, diuites non teneri succurrere pauperibus gratis, sed satisfacere præcepto, mutuando, aut dando ad creditum: nam consequenter dicunt, non posse indigentem accipere aliena secreto, authoritate propria sine onere restituendi, casu, quo ad pinguiorem venerit fortunam. Ita Nauar. Couarru. Tolet. & alij relati *sup.quæst.22.* Lessius etiam *lib.2.cap.16. dubit.1. numero* 8. & speculatiuè loquendo, ita esse dicendum, confirmat Lugo *loc. cit. num.171.* licèt durum esse in praxi, & contra communem sensum doctorum, & indoctorum, ingenue fateatur; Igitur,

Probabilius longè Respondeo. Non teneri restituere. Tum, Quia in extrema necessitate omnia sunt communia, non tantum quoad vsum, sed etiam quoad proprietatem, si res erant vsu consumptibiles; Tum etiam quia longe probabilius est, quod Dominus tenebatur illas gratis, & absque vllo restitutionis onere elargiri, in tali necessitate, vt *quæst.22.* diximus; ergo illas tanquam proprias consumere provt extremè indigens, & consequenter absque vllo onere restitutionis. Sic Angel. Rosella, Siluest. Tabiena, quos citat & sequitur Azor. *tom.2.lib.12.cap.8.quæst.7.* Villalob. *tom.1. sum. tract. 22.diff.2.numer.12.* quos sequitur Diana *p.5.tract.8. Resolut.9.* Quibus addi possunt Sotus *dist.15. quæst.2. §. Ad argumenta.* Gabriel. *ibidem quæstion.2. concl.2.* Ricard. & Palud. *ibidem* Valentia *tom.3.disp.5.qu.6. punct.7.§. secus.* Bannes 2.2. *quæstion.32. art.8.dub.3.* Lopez. *capit.115.* quos affert, & sequitur Dicastillo *loco citato §.2. numero 269.* Salon, Sayrus, Suarez, Palaus, Hurtado de Mendoza, Bonac. & Ægidius, quod citauimus *3. p. tract.6. disp.6. de decimis, quæst.27.* Qui omnes loquuntur de extremè indigentibus, qui nec re, nec spe morali, sunt habituri bona, & facultates. Quia si spes adest, non videtur adesse ratio, cur & indigens possit surripere, sine onere restituendi; sicut nec Dominus absolute dare, iuxta dicta *supra quæst.21.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXVIII.

An si quis, ante extremam necessitatem, accepit aliquid ab alio per contractum translatiuum dominij; (vt per mutuum, vel emptionem) & illud consumpsit in ipsa extrema necessitate; teneatur restituere postea factus potens?

REspondeo, vt certum. Teneri ad restituendum. Quia tunc indigens re sua propria sibi prouidit: ergo cum ex alia parte, ex contractu iustè celebrato, contraxerit obligationem reddendi acceptum; ad id vere teneatur, si fiat potens. Sic Petr. Nauarra *lib.4.de Restitut.c.4.dub.4.n.25.* Vazquez *de Eleemosyna c.1. dub.8.* Ægid. *disp.27.dub.10.n.167.* Bonacina *i, n prim. Decal.præcep.disp.3.q.6.pun.6.n.16.* qui & citat Angel. Siluestr. Azor. & Lorcam. Dicastillo *de Iust. & iure lib.2.tr.2.disp.2.disp.9.dub.9.§.2.n.270.* Lessius mox citandus, Palaus *disp.2.de Charit. pun.10.n.2.* dicens, id esse certum. Tamburin. *cap.6.cit.§.2.n.2.*

QVÆSTIO XXXIX.

An deinde, si ante dictam extremam necessitatem, rem acceperat per contractum non translatiuum dominij, (vt per commodatum, conductum, vel precarium;) teneatur etiam restituere postea, si talem rem in necessitate extrema consumpsit?

AFfirmatiuam sententiam esse probabilem apertè insinuat Lessius *lib.2.cap.16.dubit.1.n.5.* cum opposita, vt probabilem duntaxat sequatur.

Sed, certè vt multo probabilius Respondeo. Non teneri tunc ad restituendum. Quia (vt bene idem Lessius probat) nec tenetur ratione rei acceptæ; cum illa nec in se, nec in pretio extet: nec ratione acceptationis: quia, sine vlla iniustitia, aut peccato, eam consumpsit vtendo iure suo: nec ratione contractus; quia prædicti contractus non obligant ad restitutionem, re pereunte, sine vlla possidentis culpa: ergo. Sic tenent Lessius citatus, Azor. *lib.12.cap.8.qu.7.* Luysius de Torres *disputat.32.dubitat.7.* Petr. Nauarra, Bonacina, Palaus Dicastillo citati, Diana etiam *par.5. tractat.8. Resolut.10.* Petrus de Mendoza 2.2. *disputat.159. sectio.3.§.62.* Tamburinus *loco citato.*

QVÆSTIO XL.

An saltem teneatur ad restitutionem ille, qui ante extremam necessitatem furatus est aliquam rem, quam postea, in dicta extrema consumpsit?

AFfirmant communiter Doctores, docentes teneri ad restitutionem transacta necessitate. Quia licèt iuste eam consumpserit in necessitate, at obligatio contracta fuit, ante necessitatem, ex inuita acceptione, ac proinde non extinguitur per necessitatem superuenientem; sed suspenditur, quo vsque transacta illa necessitate, reuiuiscat. Ita tenent Scotus *in 4. dist.15.* Ricard. & Palud. quos refert, & sequitur Siluester *v. Restitutio 5. quæst.2.nu.2.* Lessius *lib.2. de Iust.c.16.dub.1.n.6.* Vazquez, *de Eleemosyna c.1.dub.8. n.68.* vbi affirmat, neminem contradicere, Lorca 2.2. *disp.38.n.14.* Bonacina *nu.16.citato*, vbi citat Azorium, Angelum, & Siluestrum.

Sed probabilius Respondeo: Nec in hoc casu teneri ad restituendum. Quia sicuti illo tempore necessitatis extremæ habet ius surripiendi, & consumendi nec solum, vt vult Vazquez subleuandi, vt-cunque necessitatem: ita habet ius tunc rem alias surreptam consumendi: est enim ac si rem de nouo surriperet, quod illi licet. Sic Petrus Nauarra *lib.4. capit.4. numero 24.* Ægidius *disput.27.dub.10. num.166.* Palaus *tom.1. tract.6. disputat.2.punct.10. numero 3.* Petr. Hurtado 2.2. *disput.159. sect.3.§.63.* Quos omnes citat, & sequitur Diana *par.5. tract.8. Resolut.8.* Quibus addo Dicastillum *Dub.9. citato, §.2. numero 273.* Qui ad argumentum contrariorum, bene dicit, quod sic consumens rem, quam dominus dare tenebatur, si apud illum extaret satisfacere videtur obligationi restituendi antea contractæ; cum rem consumat domini, à quo posset illam accipere, sine vlla obligatione. Sic ille (qui & citat pro se; sed Lessium, sed non bene,) & Tamburinum etiam *lib.8. in Decalog. tract.2.capit.6.§.2. num.3.* Quamuis fateatur, oppositam esse communiorem sententiam.

QVÆSTIO XLI.

An quando creditor, & debitor, simul sunt in extrema necessitate, rei debitæ; teneatur debitor eam tradere, seu restituere creditori?

AFfirmant multi Doctores. Quia licèt in tali casu omnia sint communia, præferendus tamen est ille, qui præoccupauit: atqui vere præoccupauit, qui verus est dominus: ergo. Ita Scotus *in 4. dist.15.qu.2.art.4.* Richardus *art.5. quæst.4.* Gabriel. *quæst.2. art.2. concl.2.* Medina *de Restit. quæst.3. in causa 4. ad 4.* Angelus *v. Restitutio num.3.* Rosella *eod. verbo 1. numero 1:* Armilla *num.27.* & Siluest. *eod. v.5. quæst.2.* Quod omnes sic refert pro hac parte Diana, *vbi infra*, sed certe non bene omnes. Legatur Siluester citatus.

Sed probabilius Respondeo: Non teneri, in casu assignato, debitorem rem debitam reddere, seu restituere creditori; sed posse sibi ipsi retinere illam, neglecto debitore: etiam casu, quo debitor non fuisset dominus rei, veluti si per furtum, rapinam, vel per vsuram eam accepisset, ante extremam necessitatem. *Ratio est* (inquit Dicastillo) *qui in extrema necessitate res fit communis, & potest eam quisque sibi accipere; quia cessat vis, & potestas, seu ratio dominij iure gentium introducta, & perinde se res habent, ac si nunquam fuissent diuisæ.* Sic ille *libro secundo de Iust. tractat.2. disput.10. dub.3. numer.27.* citans pro se Sotum *libr.4. quæst.7. art.1. ad 4.* Caiet. 2.2. *quæst.62. art.5. ad 4.* Tabienam *v. restitutio 4.* Ledesmam 2. *p.4. fol.267.* Lopezium 1. *p. cap.53.* Toletum, *de septem peccatis mort. cap.39.* Valentiam *tom.3. disputat.5. quæstion.6. punct.7.* Azorium *tom.3. lib.4. cap.39. diff.1.* Lessium *lib.2. capit.16. numer.13.* & Petrum à Nauarra *lib.4. cap.4. diff.5. numero 27.* Quibus addi possunt, Vazquez *de Eleemosyn. capit.1. numero 72.* Luysius Turrian. 2.2. *disput.82. dubit.9.* Petr. Hurtadus *ibi*, *disp.159. sectio.3. §.69.* ac', item rursus Azor. *tom.2. libro 12. capit.8.* quos omnes citat, & sequitur Diana *p.5. tractat.8. de Eleemosyna Resolut.11.* Palaus *disput.2.*

de Charit. punct. 11. Bonac. *disputat.* 3. *de Charit. quæstion.* 4. *punct.* 6. *num.* 14.

Qvæstio XLII.

An saltem teneatur restituere, casu, quo, quis extrema necessitate pressus, abstulerit rem à domino in extremam inopiam redacto?

Affirmabunt à fortiori Authores primæ sententiæ, nuper relatæ, & ex nostra, cum aliis, affirmant Diana *loc. cit.* his verbis: *Notandum est tamen, quod cum quis extrema necessitate pressus abstulerit rem alienam domino in extremam quoque inopiam redacto, meo iudicio, tunc sententia Scoti videtur vera, eum debere domino restituere; quia sicut fur est in auferendo, sic etiam fur est in retinendo; est enim violentus, non legitimus rei possessor.* Ira Azor. Lorca & alij. Huc vsque doctus Diana.

Sed probabilius Respondeo, adhuc in hoc casu, non teneri ad restituendam rem oblatam. Quia etiam in tali euentu, res est communis: ergo. Sic Dicastillo *n.* 27. *citato* ita dicens: *Ex quo fundamento, videtur sequi, etiamsi alter non accepisset rem, ante extremam necessitatem; posse eam eripere ab altero in extrema necessitate existente: quia tunc res est communis, & fit capientis eam. Et confirmari potest sequela: quia si duo homines extremè indigeant re, quæ est alterius personæ, vterque habet ius eam sibi accipiendi, & primi accipientis erit, quod tanquam verum supponit Lessius: ait enim, quod si eodem momento res à duobus sit occupata in extrema necessitate, tunc vel est diuidenda, si potest diuidi, vel sorte distribuenda.* Hucvsque Dicastillo.

Qvæstio XLIII.

An sic Creditor, & pater, vel mater debitoris sint simul in extrema necessitate; possit etiam tunc debitor, licite subuenire patri, vel matri, prætermisso creditore?

Affirmabunt item à fortiori, Authores primæ sententiæ *quæstion.* 41. quia, si, secundum illos, debitor, etiam in extremam lapsus necessitatem, sibi tuta conscientia, nequit retinere; multo minus poterit sibi habere ad subleuandam patris, vel matris necessitatem, vt bene aduertit Azorius *tom.* 2. *libr.* 12. *capit.* 8. *quæst.* 6. Qui in hoc casu ipsis Authoribus adhæret, quia (inquit) res antea creditori debebatur, tanquam ab eo accepta, & solum facta est communis, debitore in extrema necessitate redacto, non autem parentibus eius. Ita Azor. sequutus Tabienam, & Ledesmam.

Sed probabilius Respondeo: Posse debitorem in hoc casu licitè subuenire Patri, vel matri, creditore neglecto. Quia ius fauendi parentibus (imò & auis) ita coniunctis, præferendum videtur iuri creditoris. Adde quod licèt lex iustitiæ, & misericordiæ militent pro creditore; tamen pro patre, vel matre militat lex misericordiæ, & pietatis: atqui pietas videtur strictior, & perfectior virtus, quam iustitia: vt D. Thom. 2. 2. *quæst.* 31. *art.* 3. sentit: ergo. Sic docent Sotus, Lopez, Toletus & Lessius *supra*, Vazquez *de Eleemosyn. dub.* 9. *numer.* 73. & 74. Bonac. *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 6. *num.* 14. quos sequitur Dicastillo *libro* 2. *de Iust. tractat.* 2. *disp.* 9. *dubitat.* 9. *in fine* & *disputat.* 10. *dubit.* 3. *numero* 28. Quibus addo Syluium 2. 2. *quæstion.* 32. *articul.* 3. Petrum Hurtado *disputat.* 159. §. 69. Palaum *tom.* 1. *tractat.* 6. *disputat.* 2. *punct.* 11. *numero quarto* Dianam *p.* 5. *tractat.* 8. *Resolut.* 12. Qui addunt, idem posse debitorem facere cum vxore, & filiis suis; imo, etiam cum fratribus suis, vt docent Lessius. Tolet. Bonac. Palaus, Diana, & Dicastillo; quamuis Sotus, & Vazquez negent quoad fratres, quibus creditorem præferendum esse putant. Sed tu tene cum aliis; quia non teneris res in tali casu abdicare cum detrimento tuorum.

Qvæstio XLIV.

An qui in graui necessitate accepit rem, quæ erat alterius; teneatur illam restituere domino, si ad lautiorem venerit fortunam?

Negant teneri illam restituere quam plures Doctores, existimantes eodem fere modo philosophandum esse in graui, ac in extrema necessitate. Ita Angel. Siluest. Less. & alij, quos citat, & sequitur Dicastillo *libro* 2. *de Iust. tract.* 2. *disput.* 9. *dubitat.* 9. §. 2. *numer.* 275. & *disputat.* 10. *dubitat.* 3. *numero* 29. qui tamen oppositum dicit probabile, idque probat ibi.

Sed, tanquam probabilius, Respondeo. Teneri restituere, si ad lautiorem venerit fortunam. Quia probabilius est, non esse philosophandum eodem modo in graui, ac in extrema necessitate: quia in hac, omnia fiunt communia, & propria; in illa verò, minime, ideoque, quæ in necessitate graui confirmantur, cum consumantur, vt res alienæ, semper manent restitutioni obnoxia, & obligata: non vero quæ consumuntur in necessitate extrema. Sic, & vt certum, diximus 3. *p. tractat.* 6. *disput.* 6. *quæstion.* 29. cum Suario, Ægidio Trullench. Laymanio, & aliis. Nunc vero, mitius loquentes, vt probabilius defendimus. Et certe, si loquamur de necessitate graui, quæ sit, quasi, vel fere, extrema: non est dubium, quin contrarium sit satis probabile.

DISPVTATIO III.

De his, qui Eleemosynam facere possunt.

§. I.

De eroganda Eleemosyna, à Seruis, Minoribus, Filiis, & Vxoribus.

Qvæstio Prima.

An omnes, & soli illi qui rerum suarum habent dominium, & plenam administrationem, possint facere Eleemosynam?

Respondeo Tanquam certum: Quod omnes, & soli illi possint facere Eleemosynam, extra casum necessitatis. Ratio est: quia ij solum possunt donare: ergo & soli Eleemosynã facere: quia, cũ Eleemosyna (vt diximus *supra*) quædã donatio liberalis

liberalis sit, nequit fieri nisi à Domino rei donatæ. Sic omnes Doctores. Legantur Palaus *tom.1.tract.6. disp.2.punct.13.n.1.* Trullench. *lib.1.in Decal.c.5.dub. 9.n.1.* & alij. Notanter dixi, *extra casum necessitatis*; quia in casu extremæ, optimè poterit quisquis dare eleemosynam, vt omnes concedunt.

Quæstio II.

An etiam, facere possint eleemosynam illi, qui licèt non habent dominium; habent tamen consensum expressum, aut rationabiliter præsumptum, eorum, qui habent dominium rei donandæ?

Respondeo tanquam certum: Etiam posse. Quia eadem est ratio: cum tunc eleemosyna ex præsumpta voluntate Domini solùm fiat. Sic etiam tenent vt certum omnes Doctores. Legantur Palaus, & Trullench. citati. Filliuc. *tom.2.tract.28.c.4.n.95.* Qui ait, tunc præsumi consensum Domini, cum modicum quid, & raro, seruus condonet.

Quæstio III.

An, seruus mancipium possit facere eleemosynam?

Respondeo tanquam certum. Non posse, nisi ex consensu tacito, vel expresso sui Domini. Ratio est: quia seruus mancipium, nullum habet bonorum dominium: cùm enim ipse seruus sit sui Domini, & à suo Domino possideatur: consequenter bona ipsius serui, debent esse sui Domini, & ab ipso possideri: igitur seruus nullam potest eleemosynam facere, nisi ex consensu tacito, vel expresso sui domini. Sic communis Doctorum. Legantur citati: necnon D. Thom. *2.2.q.32.art.8.ad 4.* Ricard. *in 4.d.15.art.2.q.6.* Valentia *q.9.pun.6.* Filliuc. mox citandus.

Quæstio IV.

An, seruus mancipium possit facere eleemosynam, de pecuniis, aut cibis, in sustentationem sui designatis?

Respondeo vt quid certum: Posse. Quia sic semper consentire Dominum putare debemus: eo quod designans pecuniam illam, aut cibaria quædam in sustentationem serui, totum dispositioni illius remittere videtur. Sic Palaus *loc.cit.n.2.* Trullench. *loc.cit. num.8.* Qui tamen bene limitat; dummodo id non cedat in præiudicium Domini; vt contingeret, si per hoc redderetur seruus inhabilis ad obsequia. Sic etiam Filliuc. *tom.2.tract.28. cap.4. quæst.6. num.95.*

Quæstio V.

An etiam possit seruus mancipium eleemosynam facere, ex peculio proprio, si habeat?

Respondeo etiam vt certum: Posse. Quia in prædicto casu, vel illorum bonorum seruus habet dominium, vt aliqui volunt; vel saltem, vt alij dicunt, administrationem: ergo de illis liberè poterit seruus eleemosynam facere. Sic Palaus *loc.cit. num.3.* vbi assignat aliquos casus, in quibus seruus habere proprium peculium possit. Primò, *si ab aliis sibi donatum est, ea conditione tacita, vel expressa, ne in potestate, Domini deueniat: quod contingit, cùm seruo datur in gratitudinem alicuius obsequij: absque præiudicij Domini facti.* Secundò, *si ab ipso Domino concessum est, vel gratis, vel in præmium alicuius extraordinarij laboris.* Tertiò, *si in compensationem iniuriæ factæ, ei donatum est.* Quartò, *si pecuniâ sic acceptâ aliquid acquisiuit. Ex his igitur bonis eleemosynam facere pro libito potest.* Sic ille ex Ægidio *dub.5.n.46.* & Suario *disp.7.sect.2.n.2.* sic etiam Filliuc. *tract.28.c.4.q.6.n. 95.* qui *n.96.* addit, sibi probabile videri, durante seruitute posse aliquid acquirere in foro conscientiæ, ex donatione, iusto ludo, vel iure hæreditatis, & ideo, horum posse facere eleemosynas, vt docent Couarru. & Sotus, apud ipsum. Sic item cum aliis Diana *2.par.tract.3. Miscell. resol.58. & p 5.tract.8. resol.26.* Trullench. *lib.1.in Decal.c.5.dub.9. n.8.* Vbi cum Castro Palao docet, idem dicendum esse de famulis, ac de seruis mancipiis, quia eadem militat ratio. Ideoque illi solum facere poterunt eleemosynam de bonis propriis; secus ex bonis dominorum, nisi rationabiliter præsumant ratum habituros. Sic & Ægidius *suprà num.50.* Legatur de hac materia, & casibus assignatis, Lugo *tom.1. de Iust. disp.3.sect.3.* vbi de aliquibus diuersimodè sentit. Sed Dicastillo absolutè est nobiscum *tom.1. de Iust. lib.2. tract.2. d.sp.9.dubit.7. n.170.* cum Nauarra *lib.3.de restitut. cap.1.p.3.dub.5.n.219.* & Tamburinus cum Sanchez contra Caramuelem, *lib.8.in Decal.tract.1.cap.2.§.1. per totum.*

Quæstio VI.

An, Minores, pupilli, & prodigi, possint eleemosynas magnas facere?

Affirmandum videtur. Quia hi omnes verè sunt Domini suarum rerum, vt colligitur ex verbis Pauli ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, &c.* Igitur de illis, vt Domini possunt disponere, ac proinde eleemosynas, etiam magnas, elargiri.

Sed tanquam certum Respondeo. Non posse eleemosynas, saltem magnas, facere. Quia licèt verè sint Domini suarum rerum; non tamen possunt illas alienare, eo quod à Iure sit illis prohibitum, ob iustas causas. *l.2.ff.de Curatoribus furios.* Sic omnes legantur Lugo *de Iust. tom.1.disp.2. de Dominio sect.1. n.5* Palaus *disput.2 de Charit.punct.13.num.5. & 6.* Ægidius *disput.27.dub.5.num.61.* Trullench. *lib.1.in Decal.cap.5.dub.9.num.10.* Lessius *lib.2.cap.18.dubit.11. num.77. & 81.* vbi docet, quod nec Prodigus, qui à Magistratu positus est sub curatore; nec Minor 25. annis, si curatori subsit, possunt donare.

Quæstio VII.

An saltem, dicti Minores, pupilli, & prodigi, quibus dantur Tutores, vel Curatores, possint paruas eleemosynas facere?

Respondeo vt quid certum: Posse facere paruas eleemosynas, & suo statui conuenientes. Quia in iis non videntur sibi præiudicare, nec officium

Tutorum, vel Curatorum eludere. Sic Palaus *pun.13. cit.n.5.* & Diana *par.5.tract.8. resol.35.* ibi: *Imo non solum Tutores, sed etiam ipsi pupilli, & minores, possunt moderatas eleemosynas facere, & quales alij eiusdem sortis secum solent facere; & Tutores tenentur ad id consentire.* Et ita docet Coninch. *disp.27.dub.5.n.61.* Hucusque Diana. Et antea, Palaus *loc.cit.n.6.* Lessius *loc.cit.n.81.*

QVÆSTIO VIII.

An, si Minores, Pupilli, & Prodigi, de facto aliquam magnam eleemosynam faciant, teneat factum?

REspondeo. Teneri factum; & ideo non obligabitur recipiens ad reddendum acceptum, quousque repetatur à Tutore, vel Curatore, vel à Minori petenti restitutionem in integrum. Ratio est, quia est acceptum à vero domino. Sic Lessius *n.81. cit.* ibi: *si profusè donet, Minor, vel expendat, peccat: quia contra præscriptum eius, cui tenetur obedire. Rarò tamen ob hanc causam, erit peccatum mortale: quia nemini fit iniuria. Vnde illi, cui donatio est facta, non videtur teneri ad restitutionem, donec donatum à Curatore repetatur, vel ipse donator petat restitutionem in integrum,* vt docet Molina *disp.* 214. 261. & 277. Hucusque Lessius, Quem citat, & sequitur Palaus *pun.13. cit.n.6.* Ant. Gomez. 2. *var.c.14.*

QVÆSTIO IX.

An, Tutores, & Curatores possint, de bonis pupillorum, aut Minorum, seu Prodigorum, moderatas eleemosynas facere?

REspondeo vt quid certum: Posse. Quoniam quamuis talium bonorum proprietas penes ipsos non sit; est tamen administratio, & cedit in vtilitatem eorum, quorum bona sunt, vt eleemosynas moderatas dent. Sic Azor *tom.2.lib.12. c.10.q.5.* Vasquez *de eleemosy.c.4.n.1.* Lorc. 2. 2. *disp.40. memb.* 1. Ioan. de Cruce 1. *p. sum. præcep.7. q.1. art.3. dub.4. concl.2.* Reginald. *tom.1. lib.4. c.21. n.170.* Bonac. *disp.* 3. *de Charit. q.4. pun.6. n.26.* Palaus *disp.2. de Charit. pun.13. n.7.* Diana *p.5. tr.8. resol.35.* Iodocus *v. eleemosyna n.9. vers. Quarto.*

QVÆSTIO X.

An etiam dicti Tutores, & Curatores, possint eas eleemosynas facere, quas pupilli, & Minores, si adultæ essent ætatis, exercere deberent?

REspondeo: Affirmatiuè. Quia non debet censeri cura, & tutela commissa illis, contra bonos mores, & contra pietatem, circa pauperes habendam. Sic Reginald. *tom.1. lib.3. de eleemosyna c.20. n.170.* quem citat, & sequitur Trullench. *lib.1. in Decal. c.5. dub.9. num.10.* Imò, & Diana *par.5. tract.8. Resol.35. in fine.*

QVÆSTIO XI.

An, Tutor possit pro pupillo aliquid donare, & munera consueta consanguineis pupilli mittere?

REspondeo: Posse, ob rationem dictam. Sic Ioan. de la Cruz *in sum. præc.7. q.1. de dominio, art.3. dub.4. concl.2.* his verbis: *Et nota, quod Tutor pro pupillo aliquid potest donare, vt mittere munera, ex more, consueta Magistro, & consanguineis sui pupilli, & remittere debita isti, aliàs non ita liquida.* Ita *l. pactum Curatoris, C. de pactis.* & Ludou. Lopez *lib.2. instruct. c.40.* & Man. Rodriguez *1.p.c.89.* Hucusque Cruz. Quem videtur sequi Diana *loc.cit.*

QVÆSTIO XII.

An, Filiusfamilias possit facere eleemosynas de bonis parentum, quorum non habent dominium?

REspondeo tanquam certum: Non posse; nisi aliàs habeat consensum patris, vel spem probabilem ratihabitionis. Ratio est, quia solùm hi, qui rerum suarum habent dominium, aut plenam administrationem; aut etiam hi, qui ex consensu expresso, aut rationabiliter præsumpto eorum, qui habent dominium, aut liberam administrationem, facere possunt eleemosynas: ergo filiusfamilias de bonis parentum, quorum non habet dominium, aut liberam administrationem, nequeunt eleemosynas facere; nisi alias ex consensu expresso, vel præsumpto parentum. Sic omnes præcipuè mox citandi.

QVÆSTIO XIII.

An filiusfamilias possit facere eleemosynas, ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus?

REspondeo tanquam certum: Posse. Quia horum bonorum filiusfamilias plenum ius, potestatem, & administrationem habet, estque dominus eorum, etiam quoad vsum, non pater: ergo de illis potest disponere, ac proinde eleemosynas facere. Sic communiter Doctores. Legantur Sylvest. *v. Peculium 1.§.2.* Nauar. *c.17. à n.141.* Azor *tom.2.p.2. lib.2.c.22. & 23. & lib.12.c.10.q.1.* Molina *disp.77. & 230.* Filliuc. *tract.28.c.4.q.6.n.94.* Dicastillo *lib.2. de Iust. tract.2. disp.9. dub.8. n.174.* Diana *p.5. tract.8. resol.25.* Trullench. *lib.1. in Decal. c.5. dub.9. n.7.* Palaus *disp.2. de Charit. pun.13. n.8.*

Quod si inquiras, quæ sint bona Castrensia, & quasi Castrensia? Respondeo cum Azorio *lib.2.c.23. citato,* quod bona Castrensia censeri debent, omnia stipendia militum, & quæ bello milites acquirunt, siue sint præmia, siue prædæ ex hostibus reportatæ. Item bona, quæ acquirunt ministri militares, dum exercitum comitantur. Ea itidem, quæ consequuntur quicunque militare munus obeunt. Deinde in Castrensibus etiam bonis computantur, quæ quispiam acquirit, eo quod in Palatio Regis versetur, estque in famulatu regio: & quæ quis habet à parentibus, vt insumat ea, dum est in Palatio: & tandem lucra, quæ facit filiusfamilias ludendo, aut negotiando, & vtendo peculio Castrensi.

Bonæ

Bona verò quasi Castrensia sunt illa, quæ acquiruntur ex munere, & officio publico, alia sunt, quæ acquirunt Aduocati, Iudices, Magistri, Medici, Scribæ, & qui aliquam ex septem Artibus liberalibus profitentur; aut Theologicam, Ius Pontificium, vel Ciuile, aut Medicinam docent; & tandem bona, quæ acquiruntur ex aliquo officio publico. Legantur Azor. *loc.cit.* Sylvest. *v. Peculum. 1. q. 9. & 10.* Nauar. *c. 17. n. 142.* Dicastillo *lib. 2. de Iust. tract. 2. disp. 9. dub. 8. & 2. tom. tract. 3. num. 293. & n. 297.* & alij nuper citati.

Quæstio XIV.

An etiam filiusfamilias possit facere eleemosynas, de bonis aduentitiis?

Affirmandum videtur. Quia filius verè habet dominium horum bonorum, vt omnes concedunt Doctores. Et ratio est, quia hæc bona, non proueniunt filio à patre, nec dantur illi intuitu, vel causa patris, sed ex successione, vel hæreditate à Matre, vel ab Auis maternis illi obueniunt: aut etiam à paternis auis, iuxta aliqua peculiaria statuta Regnorum, aut Ciuitatum, quæ decernunt, vt possit auus paternus tertiam, vel quintam partem suorum bonorum, relinquere vnicè suis nepotibus, cui ipse maluerit. Et eadem est ratio de bonis, quæ filiofamilias ex donatione illi facta; aut aliàs illi fortuito occurrentia obueniunt: igitur si de iis bonis filius habet dominium de illis vtique poterit disponere, & consequenter eleemosynas elargiri.

Sed nihilominus, vt quid certum Respondeo. Non posse: quia licèt verum sit quod filiusfamilias dominium, ac proprietatem habeat bonorum, quæ aduentitia dicuntur, non tamen habet eorum vsumfructum; quia hic est patris, non solùm iure communi, sed etiam iure Castellæ *part. 4. tit. 17. l. 5.* ac proinde de his bonis non potest filius disponere, sine consensu patris; nec consequenter, sine illo, de illis dare eleemosynas. Sic Sylvest. Nauar. Azor, & alij citati nuper, *quæst. antecedenti.*

Quæstio XV.

An saltem, de bonis profectitiis, quæ filiofamilias, ex bonis ipsius patris, aut proximè, patris causa, illi proueniunt; possit dictus filius eleemosynas elargiri?

Affirmandum videtur. Quia secundum aliquos Doctores, filius habet dominium horum bonorum: ergo de illis pro libito potest disponere, ac proinde eleemosynas facere.

Sed vt quid certum Respondeo. Adhuc non posse, de dictis bonis, filiumfamilias eleemosynas elargiri. Quia certum est; quod dicta bona, non solum quoad vsum, & administrationem (vt omnes concedunt,) pertineant ad patrem; sed etiam quoad dominium directum, vt videtur decerni *l. illa citata* Regni nostri, & docent Sylvest. Lessius, & alij, quos amplectitur Dicastillo *loc.cit.* ergo certum est, quod filiusfamilias, sine consensu patris, nequit de dictis bonis disponere, aut eleemosynas facere. Sic omnes DD. præcipuè citati *q. 43.* legatur etiam Tambur. *lib. 5. in Decal. c. 4. §. 1. n. 7.*

Quæstio XVI.

An, filiusfamilias possit facere eleemosynas, de peculio mixto, quod de bonis paternis, suâ industriâ, acquirit?

Respondeo. Etiam vt certum: Non posse. Quia quidquid filius, bonis paternis acquirit, in patrem cedit; nisi alias aliqua pars ex conuentione debeatur filio, de qua veluti sua, potest filius disponere, vt rectè docet Nauar. *c. 17. n. 144.* cum Sylvestro. Sic etiam Filliuc. *tract. 28. c. 4. q. 6. n. 94.* Trullench. *lib. 1. in Decal. c. 5. dub. 9. n. 7.* Fagundez *lib. 4. in Decal. c. 21. n. 16.* & apud ipsum, Molina *de Iust. tom. 1. disp. 234.* & alij.

Quæstio XVII.

An, filiusfamilias possit, ex bonis paternis, eleemosynam facere; quando, consensu patris, peregrinatur; vel in scholis, studij gratia, remotus à patre, versatur?

Respondeo. Posse tutâ conscientiâ ex dictis bonis, eas eleemosynas facere, quas elargiri solent alij filijfamilias, inuicem conditione pares; & eas, quas bona fide, credit ratas habiturum patrem. Et idem dicendum est, casu, quo filius aliqua paterna negotia, absens à paterna domo, gerat. Sic Azor *lib. 12. c. 10. q. 1.* Hurtado de Mendoza *2. 2. disp. 149. sect. 6. §. 139.* Filliuc. & Trullench. *loc.cit.* Diana *par. 5. tract. 8. Resol. 25.*

Quæstio XVIII.

An filiusfamilias possit erogare eleemosynas, ex bonis datis sibi à patre, ad congruam sustentationem, honestamve suam recreationem?

Respondeo similiter posse; si parcè viuendo, subtrahat sibi aliquid ex dictis bonis, quæ ad ipsius victum, seu recreationem, pater concessit, vt in pauperum vsum expendat. Quia præsumitur, quod pater verè consentiat. Sic Azor, Hurtado, Filliuc. Trullench, & Diana *locis citatis.* Vasquez etiam *cap. 4. de eleemosyna, num. 3.* Ægidius *disput. 27. dub. 5. num. 58.* Palaus *disput. 2. punct. 13. num. 8.* Tamburin. *lib. 5. in Decal. c. 4. §. 1. num. 9.* Ita dicens: *Hinc filius, siue domi, siue peregrine agens, ex pecunia, quã Pater ei dat ad alimenta, vel ad liberè expendendam, potest aliquid ludo exponere, vel etiam in eleemosynis, donationibus, ac honestis recreationibus.* Sic ille.

Quæstio XIX.

An, si filiusfamilias, ludo licito, aliquid lucrifaciat, id pauperibus erogare queat?

Respondeo cum Azorio, id ordinariè non posse, quia id acquirit patri: at vero, ex tacita patris voluntate, quæ bona fide creditur ratum habiturus, quod filius dederit ludo partum (sic lege non *partem*, vt apud Dianam) potest tuta conscientia id facere. Sic ille *lib. 12. citat. capite 10. quæst. 1.* & ex illo Diana *Resol. 25. citat.* Sic etiam Tambu

Tamburin. *cit. num.7.* his verbis : Filius in ludo illicito, non est subditus Patri, atque adeo lucrum ex illo habitum, absque controuersia sibi acquirere notat Rebellus. Vnde infertur, posse te Vincere à filiofamilias ea, quæ à te ipse in illicito ludo vicit. Ex ludo licito, propter aliud caput potest, communiter loquendo, sibi filius retinere : nam nunquam solent (vt Rebellius *1. p. disp. 12. q.4. num.1.* aduertit) ea lucra à filiis exigere patres, etiam scientes prouenisse ex ludo. Vnde sequitur hæc ludo acquisita esse filij, non teneri ea adducere in diuisione hæreditatis cum fratribus posse eadem iustè acquiri à collusore in sequentibus ludis &c. sic ille & Petr. Hurtadus mox citandus. Et ex illo Ouiedo, *contr. 10. de Charit. pun. 13. n. 126.*

Qvæstio XX.

An, filius possit, de bonis Patris, facere aliquas eleemosynas, quando Pater nullas facit ?

Respondeo, Posse tunc filius facere aliquas eleemosynas pro suo Patre. Quia hac in parte censetur idem esse pater & filius : Sic Diana *p. 5. tr. 8. resol. 25.* ex Petro Hurtado *in 22. disput. 159. sect. 6. §. 139.* vbi ita ait : *Si Pater nullas eleemosynas erogat, potest filius pro eo eas erogare : quia hac in parte censetur idem esse pater & filius : neque censetur pater rationabiliter inuitus, vt id fiat per filium : quamuis id non liceat facere extraneo.* Sic ille. Et ex illo, Ouiedo *loc. cit.* Quia tunc (inquit) censetur patrem, medio filio, eleemosynas erogare.

Qvæstio XXI.

An, Vxor possit eleemosynas facere, ex bonis communibus ipsi, & marito ?

Respondeo vt certum : Non posse ordinariè; licet benè in aliquibus casibus, vt infra. Ratio est. Quia bona communia vtrique coniugi, illa sunt, iure communi, quæ coniuges percipiunt ex fructibus dotis, & arrharum: atqui horum bonorum administratio, & vsusfructus, non pertinet ad vxorem, sed ad maritum : ergo ordinarie de illis nequit vxor eleemosynas facere. Sic omnes Doctores, vt testatur Ouiedo, *contro. 10. de Charit. pun. 13. n. 130.* legantur Azor. *tom. 2. lib. 12. cap. 10. q.4.* Palaus *tr. 6. disput. 2. de Charit. punct. 13. num. 11.* Bonac. *disput. 2. de Restit. q. 10. pun. 2.* Trullench. *lib. 1. in Decal. cap. 5. dub. 9. num. 9.* Tamburin. *lib. 8. in Decal. tract. 1. c. 2. §. 3.* & alij mox citandi.

Qvæstio XXII.

An, Vxor, ex bonis communibus, possit eas eleemosynas elargiri, quas aliæ fœminæ eiusdem conditionis elargiuntur ?

Respondeo vt certum : Posse ; saltem dum non constet, de contraria voluntate mariti de quo statim. Ratio est. Quia, quod has paruas vxor faciat eleemosynas, consentire debet maritus, ob consuetudinem receptam : & quia hæc eleemosynarum largitio pertinet ad congruam & decentem mulieris ostentationem, & sustentationem, quam præstare vir tenetur. Sic communis, Palud *in 4. dist. 15. q. 3. art. 6.* cum D. Thoma ibidem *q. 2. art. 5. quæst. 1.* Abulens. *in c. 7. Matth. q. 57.* Siluest. *verb. Eleemosyna q. 5.* Angelus (non Augustinus, vt inuenies apud Palaum) *ibid. num. 7.* Suarez *disput. 7. de Charit sect. 2. num. 5.* Vazquez, *de eleemosyna cap. 4 num. 4.* Ægidius *disput. 27. dub. 5. num. 52.* Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 14. num. 85.* Dicastillo *de iust. lib. 2. tract. 2. disp. 9. dub. 8. num. 198.* Filliuc. *tom. 2. tract 28.* (non 281. vt leges apud Dianam) *cap. 4. q. 8. num 181.* Diana *p. 5. tract. 8. resol. 34.* Azor. Trullench, Palaus, Ouiedo, Tambur. & Bonac. nuper citati.

Qvæstio XXIII.

An, casu, quo maritus vxori vetet, dictas paruas eleemosynas facere ; possit nihilominus illas vxor elargiri ?

Negant aliqui, posse tunc vxorem illas eleemosynas facere. Ita Nauarr. *cap. 17. num. 153.* his verbis : *Quæ vxor sibi, aut alteri accipit ex bonis mariti aliquid notabile contra eius voluntatem pro cognatis, ludis, pigmentis, & id genus aliis, cum obligatione restituendi, S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 1. quia nec eleemosynam ex bonis mariti, aut communibus, absque eius licentia dare potest, nisi proximo extremè egenti, cauendo tamen, ne ob id maritus egeat extreme.* cap. pasce 86 dist. Secunda, *vbi consuetudo Regionis haberet, quod vxores eleemosynam panis, aut vini largiantur, ibi enim credere potest, id placiturum marito, quamuis expresse id prohibeat : quia verisimile est id maritum facere, ne eleemosynas extra modum consuetum tribuat. Si autem crederet eum verè nolle, vt etiam consuetam, & moderatam faciat, debet se ab ea facienda abstinere, iuxta S. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 19. §. 1. argum. cap. per tuas 3. de Simon.* Hucvsque Doctus Nauar. quem videtur sequi Diana *Resol. 34. cit. vers. sextus casus.* Trullench *numero 9. cit. vers. sextus* Filliuc. *numero 103. vers. sextus* Luysius Turrian. *disput. 84. dub. 1.* Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 60. num. 8.*

Sed probabilius Respondeo, Adhuc posse vxorem in dicto casu, eleemosynas consuetas, tuta conscientia elargiri. Quia ait Dicastillo, ipsa consuetudo tribuit ius, non secus ac priuilegium, vel lex, quo iure Maritus illam priuare nequit : præsertim cùm ius positiuum magnam vim habeat, circa bonorum administrationem, vt eam vel restringat marito, vel laxet. Rursus, quia vxor non est mancipium viri sed socia, habens etiam auctoritatem administrationis, quamuis sub viro, ne quid inordinatè, aut profusè faciat : ergo non potest maritus ei omnes donationes prohibere, nec negare ornamenta, famulatus, recreationes & cætera, quæ fœminæ eius conditionis in eo loco facere consueuerunt. Sic etiam alter doctus Nauarr. Dicastillo *dubit. 8. cit. n. 198.* & penes ipsum, D. Thom. Palud. Abulens. Siluest. Angel. citati. Necnon Molina *disp. 274.* Lessius *lib. 2. cap. 12. dubit. 14. num. 85.* & Petr. Nauarra *lib. 3. c. 1. p. 2. dub. 6. num. 83.* Quibus ego addo Bonacinam *pun. 2. cit. num. 6.* Ouiedum *pun. 13. cit. num. 130.* Tamburinum *in Decal. lib. 8. tract. 1. cap. 2. §. 3. num. 7.* & clare docuit Diana *2. p. tract. 1. Miscel. Resol. 33.* & alij penes ipsum. Pasqualig. *decis. 449.*

QVÆSTIO XXIV.

An deinde, poſsit vxor, de bonis communibus, aliquas eleemoſynas facere ad auertendum damnum temporale Mariti?

REſpondeo vt quid certum: Poſſe. Quia tunc præſumitur adeſſe voluntas Mariti. Sic Diana *Reſol. 24. cit. verſ. ſeptimus caſus.* Molina mox citandus. Tamburinus, *n.8. verſ. quinto.* & antea Nauar. *cap. 17. cit. num. 154.* vbi adducit exemplum Abigail 1. *Reg. 25.* Filliuc. *numero 103. verſ. ſeptimus.* Trullench *numero 9.* Dicaſtillo *numero 260.* & alij communiter.

QVÆSTIO XXV.

An etiam, poſsit vxor eleemoſynas dictas facere, ad auertendum malum ſpirituale Mariti; vt, videlicet, Deus illum conuertat: vel ne illum, ob flagitia, puniat?

NEgat poſſe in hoc caſu, Molina *de Iuſt. tom. 2. diſput. 234. num. 16.* Quia in hoc caſu (inquit) damnum ſpirituale mariti, non redundat in damnum vxoris; ſicuti redundat damnum temporale; & ideo licèt poſſit vxor ad auertendum damnum temporale mariti facere aliquas eleemoſynas, non tamen inde ſequitur, quod poſſit ad auertendum damnum ſpirituale. Accipe verba Molinæ. *Id vero, quod Nauarrus & alij affirmant, fas videlicet eſſe vxori, ad vitandum ſpirituale damnum viri, contra ipſius beneplacitum, facere moderatas eleemoſynas, vt ea via Deus illuminet, & adducat ad veram pœnitentiam, nobis ſanè non probatur, quando id non redundaret in temporale damnum vxoris. Quoniam ſpirituale malum viri non ita redundat in vxorem, quin ipſa vitare poſſit quodcunque peccatum: ſicut autem extraneus non poſſet accipere bona illius, atque ex illis facere eleemoſynas, vt ille erueretur à peccato; ita vxor non poteſt elargiri bona viri in eleemoſynas, ipſo inuito, vt à peccato eruatur.* Hæc Molina. Cuius ſententiam dicit Tamburinus probabilem.

Sed certe probabilius Reſpondeo Etiam in hoc caſu, poſſe vxorem, ſine conſenſu mariti, facere moderatas eleemoſynas. Quia ad hoc ſufficit, quod vtiliſſime gerat negotium Mariti; nec ipſe poſſit cum ratione eſſe inuitus, quod ſuamet vxor, quæ cum ipſo eſt vnamet caro, elargiatur, ob ſui ſpirituale bonum, aliquas eleemoſynas. Vnde non eſt eadem ratio de extraneo. Sic Nauarrus, Filliucius Trullench, Dicaſtillo, & Diana *loc. ſupra citatis*, Tamburinus, dicens eſſe vtrumque probabile. Item Leſſius *lib. 2. cap. 12. dubit. 14. numer. 85. verſ. ſexto.* Angel. & Silueſt. apud ipſum. Bonac. *de Reſtit. diſput. 2. q. 10. punct. 2. num. mihi 10. verſ. tertio.* Suarez *diſput. 7. ſect. 2. num. 5.* Iodocus *verb. Eleemoſyna n. 9. verſ. tertio.* Vazquez, *de eleemoſyn. cap. 4. num. 5.* Azor *lib. 12. c. 10. q. 4.* Quorum ſententiam limitant Ægigius *diſput. 27. dub. 5. num. 56.* & Palaus *pun. 13. numero 14.* dicentes, poſſe id facere vxores non abſolute, ſed ſolum in aliquo caſu rarò; ne aperiatur via vxoribus omnia bona libere expendendi in pauperes, putantes id ſibi licere, vt à Deo impetrent gratiam, ne maritus vitioſus, & inhoneſtus ſit. Sed certe hæc limitatio ſuperuacanea videtur: cum omnes ſupradicti Doctores, ſolùm affirment, poſſe dare aliquas moderatas eleemoſynas. Et ideo noſtram ſententiam, vt ſatis probabilem, defendit Lugo *de Iuſt. diſput. 16. ſect. 4. num. 69.* Qui bene ad fundamentum Molinæ reſpondet, quod moraliter non contingit, mores deprauatos viri non redundare in damnum magnum ſuæ familiæ.

QVÆSTIO XXVI.

An, vxor poſsit eleemoſynas facere ex datis, ſeu aſsignatis ſibi ad victum, & veſtitum, à ſuo viro?

REſpondeo vt quid certum. Poſſe. Quia tunc earum rerum adminiſtratio à viro vxori committitur: ergo ſi ipſa parcè viuendo, non conſumpſit totum, quod ſibi eſt à viro datum; liberè poterit diſponere de reliquo; cum liberum illi eſſet totum conſumere. Sic communiter Doctores, vt teſtatur Molina, his verbis: *Quando item maritus certum quid præſcriberet vxori ad victum, aut ad alios ſuos ſumptus, ſi illa, parcè viuendo, aliquid reſeruaret, de illo eleemoſynas, & donationes alias, poſſet facere, vt Doctores communiter affirmant.* Sic ille *tom. 2. tract. 2. diſput. 274. in fine*, (non 234. vt leges apud Dicaſtillum) Nauarrus *cap. 17. n. 154. verſ. ſextus.* Azor *lib. 12. cap. 10. q. 4.* Filliuc. *cap. 4. cit. q. 8. numer. 102. verſ. tertius.* Trullench *num. 9. cit. verſ. tertius* Diana *verſ. tertius caſus.* Bonac. *punct. 2. cit. num. 10. verſ. quarto.* Dicaſtillo, *dubit. 8. citata num. 205.* necnon Hurtado de Mendoza *diſput. 159. ſect. 6. §. 138.* & Ouiedo, *controu. 10. punct. 13. num. 130.* Qui id etiam affirmant, dummodo cibaria non expendantur in magna quantitate, vnde graue incommodum ſequatur in familia. Sed hæc limitatio non eſt contra nos, docentes, ſolum poſſe vxores, de eo quod ſupereſt, vel ſibi ſubtrahunt facere eleemoſynas.

QVÆSTIO XXVII.

An item poſsit vxor dare aliquas eleemoſynas, quando maritus eſt dines, ſed prorſus negligens in dandis eleemoſynis?

REſpondeo vt quid certum: Etiam poſſe. Quia maritus, facultatem ad id habens, tenetur aliquas eleemoſynas erogare; cum hoc, tam ad pietatem Chriſtianam, quàm ad honeſtatem ſpectet: ergo ſi in his elargiendis fuerit prorſus negligens, tutâ conſcientia, poterit eius vxor, nomine illius, illas, quas ipſe tenebat, erogare. Sic Azor, & Petrus Hurtado *locis citatis.*

QVÆSTIO XXVIII.

An, ſi Maritus ſit abſens, poſsit vxor elargiri eleemoſynas ex bonis communibus.

AFfirmant Poſſe facere omnes, & ſolas illas, eleemoſynas, quas Maritus præſens faceret: Quia pro tunc ad vxorem pertinet bonorum adminiſtratio, Nauar. *cap. 17. num. 154.* Molina *diſp. 274. num. 17.* & Palaus *tract. 6. diſp. 2. punct. 13. numer. 13* quos videtur ſequi Ouiedo, *controu. 10. punct. 13. num. 131.*

Sed ego abſolutè Reſpondeo Poſſe quidem vxorem, dum maritus eſt abſens, elargiri omnes illas

eleemosynas, quas ratio dictauerit, attentis circunstantiis, ex quibus quantitas eleemosynæ distribuendæ, taxanda est. Ratio est: quia dum maritus est absens, potest vxor absolutè, secundum suam prudentiam, & rectum iudicium, bona communia administrare. Vnde hanc partem, sine vlla limitatione, docent communiter Doctores, Vasquez, *de eleemosyna c.4.n.6.* Lessius *lib.2.c.12.dub.14.n.86.* & penes ipsum, Paludan. Sylvest. & Angelus. Ægidius *disp.27. dub.5.n.52.* Bonac. *de Restit. disp.2.q.10.punct.2.n.9.* vel in noua impressione, 10. (non 6. vt offendes apud Ouiedum) *versu Quinto.* Tamburin. *lib.8.in Decalog. tract.1.c.2.§.3.n.10.* Dicastillo *lib.2.tract.2.disput.9. dub.8.n.202.* Tolet. & Petr. Nauarr. apud ipsum. Lugo etiam *disp.16.sect.4.n.70.*

Qvæstio XXIX.

An etiam possit vxor dare eleemosynas, iuxta suum arbitrium, & prudentiam, si maritus est amens, vel fatuus, aut stolidus?

Affirmat, posse dare eleemosynas tunc; sed solùm illas, quas maritus sui compos faceret, Nauarrus *n.154.* his verbis: *Quarto, si maritus est amens. Quinto si maritus est absens: quia tunc administratio domus ad eam spectat, nisi per illum, aut superiorem aliter statuatur.* Palud. *in 4.lib.sentent.dist.15.q.3.art.6.concl. 2. sed quia nec eius dicta, nec ratio, iure firmo nituntur, verius est eam in his duobus casibus, non posse dare ad summum plusquam eius maritus mentis compos, & præsens largiri solebat.* Ita ille.

Sed probabilius Respondeo: Posse etiam dare, iuxta suum arbitrium, & prudentiam, &c. vt nuper diximus. Ratio est; quia, si maritus est amens, vel fatuus, deuoluitur administratio ad vxorem, nisi aliter à Magistratu prouideatur; ergo, &c. sic omnes Authores pro nostra sententia, quæstione antecedenti, citati; Immo & Palaus & Ouiedo citati pro contraria.

Qvæstio XXX.

An, vxores possint dare eleemosynas, ex bonis communibus, extremè, aut quasi extremè, indigenti?

Respondeo vt quid certum: Posse omnino dare eleemosynas, inscio marito, extremè, vel quasi extremè indigenti. Quia, nec scriptæ, nec humanæ leges, iuri naturali derogare possunt. Sic communis Azor. *c.10. cit.q.4. vers. Quid dicendum.* Bonac. *n.10. alias 9.* Tamburin. *n.6.* qui addit, posse etiam dare patienti non solum extremam, sed etiam grauem, necessitatem. Sic & alij.

Qvæstio XXXI.

An item possint vxores, modicas facere eleemosynas, panis videlicet, vini, &c.

Respondeo. Posse. Sic Azor, *loc.cit.* his verbis: *Quid dicendum de vxoribus, quæ modicas, ac tenues tantum eleemosynas dant: putà parum panis, aut vini, aut olei, aut salis? Respondeo, modicum pro nihilo reputari, & proinde non est cur eis scrupulos iniiciant Confessarij.* Sic Azor. Sic etiam Tamburin. *loco citato num.4.* & anteà Nauar. *cap.17. num.153. fine.*

Qvæstio XXXII.

An, vxor, quæ, vt diximus, moderatas eleemosynas potest elargiri; possit illas simul congregare, & totam summam vni simul Parenti pauperi tribuere?

Respondeo. Posse. Sic Molina *tom.1.disp.174.n.12.* (*non 134.n.8.* vt offendes apud Tamburinum) his verbis: *Quia ergo vxor moderatas eleemosynas, & donationes pro qualitate sui status facere potest, etiam sine viri facultate, vt dictum est, sanè potest eas congregare, non solum parentibus indigentibus, sed etiam fratribus, aut aliis consanguineis, easque illis tribuere, absque viri facultate: modo tamen alias eleemosynas, & largitiones non faciat, quæ simul cum his sumptæ, summam, quam sine mariti facultate potest expendere, excedant. Eodémque modo vir, quæ in alios pauperes potest distribuere, aut aliis elargiri, poterit congregare, & distribuere consanguineis suis indigentibus. Possumus hoc probare, quoniam ordo charitatis postulat, vt pauperes consanguinei, aut affines, aliis pauperibus, cæteris paribus, præferantur: quare cum ea omnia aliis pauperibus possent licitè tribui, aut etiam donari non indigentibus, consequens profecto est, vt tribui licitè possint consanguineis indigentibus.* Hucusque doctus Pater. Cuius placitum amplectitur Tamburinus *lib.8.in Decal. tract.1.c.2.§.3.num.12.* necnon Lugo *disp.16.sect.4. num.72.*

Qvæstio XXXIII.

An etiam vxor, donationes, quas facere potest, possit vnire, & vni, eidemque simul, liberaliter donare?

Respondeo. Ex nuper dictis, etiam posse. Quia eadem est, in vtroque casu, ratio. Sic Tamburinus *loc.cit.* id colligens ex doctrina Molinæ. Qui tamen aduertit, quod, cum ad splendorem familiæ, & ad honorem Mariti pertineat, donationes has, & eleemosynas facere, non possit ita se gerere vxor, vt semper vni tantum congreget; quia sic meritò vir esset inuitus: & ideo non semper, non sæpè; sed parcè, & sine offensione splendoris, vti hac arte poterit congregandi in vtilitatem vnius. Sic ille.

Qvæstio XXXIV.

An deinde, possit vxor, sibi ipsi applicare totam illam summam, quam ex eleemosynis, & donationibus elargiendis vni, congregauit?

Respondeo, cum Tamburino: Non posse sibi applicare summam, quam congregauit ex eleemosynis: bene tamen, quam congregauit ex donationibus. Ratio discriminis est: quia eleemosyna pauperibus, vel locis piis debet erogari; qualis ipsa certè non est: at liberalis donatio, sicuti potest reseruari pro aliis, cur non pro se ipsa? verum tunc scopulus ille detrimenti splendoris familiæ, multo magis erit declinandus. Sic ille *loc.cit.n.13.& 16.*

QVÆSTIO XXXV.

An poſsit aſsignari quantitas, quam in hiſce eleemoſynis, & donationibus liberalibus, vxor, vel expendere, vel congregare, ſine viri conſenſu, valet,

AFfirmant multi. Nam in primis, Diana, cum quibuſdam aliis Doctorib. docet, poſſe vxorem neſciente viro, in eleemoſynas diſtribuere, aut donare aliquibus, vigeſimam partem lucri annualis. Probat ex Banneſio *in* 2.2.*q.*32.*art.*8. ita dicente: *Nullus eſt ſcrupulus affirmare, quod mulier diuitis diſpenſet, neſciente viro, vigeſimam partem lucri annualis: nam talis diſpenſatio debet eſſe interpretatiuè volita à bono viro.* Sic Bannez. Cuius ſententiam, apud ipſum Dianam, amplexi ſunt Malderus 2.2.*q.*32.*art.*8. & Hieronym. Cenedo *de paupert. Relig. dub.* 32. *num.*14. vbi ita ait: *No ay eſcrupulo en decir, que la muger de vn rico puede dar cada año la vigeſima parte de ſu renta, ſin licencia de ſu marido, como ſi tiene dos mil ducados de renta, puede dar ciento.* Ita etiam Ledeſma *tom.* 2.*ſum.tract.*4.*c.*3.*concl.*38. Vega *in ſum.tom.*2.*cap.*17. *caſu* 23. Granados *in* 2.2.*controu.*3.*tract.*11.*diſp.*5.*n.* 3. quos omnes citat, & ſequitur dictus Pater Diana 2.*p.tract.*1.*Miſcell.Reſol.*33.*&* p.5.*tract.*8.*reſol.*34.*in fine.* Quibus ego addo Ouiedum de Charit.*contro.*10. *punct.*13.*n.*130. Paſqualigum *deciſ.*449. Angel. Vericell.*tract.*5.*n.*289.

Horum Authorum ſententiam referunt Lugo *de Iuſt.tom.*1.*diſp.*16.*ſect.*4. *n.*64. & Tamburin. *lib.*8.*in Decal.tract.*2.*c.*3.*n.*2. Qui illam, vt laxam recipiunt. Nam ſic vxor Principis habentis ducenta millia aureorum annua, poſſet quotannis decem millia, inſcio marito, vſurpare, & expendere, quod eſt contra praxim, & ſenſum omnium eius conditionis perſonarum, quibus multo minus ſolent mariti, etiam liberales, ad eiuſmodi ſumptus, & donationes aſſignare.

Alij dicunt, poſſe vxorem quotannis dare duos aureos ex centum aureis, quos habet maritus, quatuor ex ducentis, &c. Ita Tamburin. *lib.*8.*tract.*1.*c.*2. *n.*14. Quia pro huiuſmodi ſumma, vel non erit inuitus vir, vel certè inuitus erit immeritò.

Sed ego cum aliis, certius ac verius Reſpondeo. Minimè poſſe aſſignare certam, ac determinatam quantitatem, quam vxor, inſcio marito, poſſit quotannis diſtribuere, ac expendere; ſed illam decernendam eſſe à viro docto, & prudenti, qui eam deſignabit, attentis facultatibus viri, dote allata, neceſſitate familiæ, immò & neceſſitate, & multitudine pauperum, conſuetudine aliarum mulierum ſimilis conditionis, &c. Sic tandem reſoluit Tamburinus *n.*14.*cit.* vbi concludit, quod ſi in hac re ad prudentis viri iudicium non recurramus, nunquam animi noſtri conquieſcerent.

QVÆSTIO XXXVI.

An, vxor poſsit, præbere eleemoſynas Parentibus aut filiis ex priori matrimonio, indigentibus?

AFfirmant aliqui, poſſe, prius tamen petita licentia à marito. Ita cum aliis tenet Dicaſtillo, *tom.*1.*de Iuſt.lib.*2.*tract.*2.*dub.*8.*num.*204. his verbis: *Nono, quando pater, vel mater vxoris, vel filij ex priori matrimonio ſuſcepti, ſunt in egeſtate: tunc vxor poteſt eorum egeſtatem ſubleuare, non ſolum in neceſſariis vitæ; ſed etiam ſtatus, petita prius facultate à viro, cum par non ſit, ipſo inſcio, & inuito, id facere. Si tamen ille renuat, & vxori non liceat viâ inridicâ obtinere ius, quod habet ad ſubueniendum dictis perſonis, poteſt illis, ex dote, & eius fructibus illis ſubuenire. Nam filia debet parentes in extrema neceſſitate conſtitutos ſubleuare: ſicut etiam mater tenetur alere filios indigentes, nec maritus iuſtè poteſt impedire obligationem, qua tenetur.* Hæc Dicaſtillo, citans pro hac ſua ſententia Petrum Nauarra *lib.*3.*c.*1.*p.*2.*n.*161. Sayrum *in Clani Regia lib.*9.*c.*16.*n.*8. & Leſſium *lib.*2.*c.*12.*dub.*14.*n.*88. & 89. Quibus addo Bonac. *de reſtit.diſp.*2.*q.*10.*punct.*2. *n.*10.*aliàs* 9.

Alij affirmant poſſe, abſque mortali, talem facere eleemoſynam, etiam non petendo licentiam à marito. Quia vir (inquiunt) non eſt, neque eſſe poteſt inuitus in tali eleemoſyna: ſiquidem negata licentia poterit vxor clam ſurripere, vt obligationem naturalem alendi ſic ſibi coniunctos exequatur. Ita Palaus *diſp.*2.*de Charit.punct.*13.*n.*16. & Diana *part.*5. *tract.*8.*reſol.*34.*verſ. Non reticeam*, qui & citant pro ſe, Leſſium, & Petrum Nauarra, & Bonacinam, *vbi ſuprà.*

Sed ego, ſine culpa veniali, poſſe vxorem dare eleemoſynam ſuis parentibus, & filiis, adhuc non petita facultate à viro, ſi hic illis non ſuccurrat, probabiliter èquè Reſpondeo. Quia id conuincit ratio facta à Palao, & Diana. Et id meo videri eſt, quod docet Leſſius citatus *n.*88. his verbis: Si Pater, vel Mater vxoris ſunt pauperes, itavt miſerè ſecundum ſtatum ſuum viuant; tunc enim ſi maritus nolit illis ſuccurrere, poteſt vxor ex bonis communibus, vel ex ſua dote ſubtrahere, vt illis det. Idem dicendum ſi habeat proles ex alio matrimonio, quæ ſimiliter egeant. Ita Petr. Nauarra *num.*159. & Corduba *quæſt.*125.

Ratio eſt: quia iure naturæ tenetur iſtis ſuccurrere, ſi poteſt; & iſti ius habent alimenta ab ea petere. Sic Leſſius. Legatur pro hac parte Dicaſtillus mox citandus, & Lugo *diſput.*16.*ſect.*4. *numero* 68. & 72.

QVÆSTIO XXXVII.

An item, poſsit vxor præbere, inſcio marito, eleemoſynas, non ſolum parentibus, & filiis; ſed etiam fratribus ſuis, vel ſororibus; in egeſtate conſtitutis?

NEgant aliqui, & probabiliter, vt innuunt Leſſius, & Lugo, *locis citatis.*

Sed probabilius Reſpondeo: Etiam poſſe. Quia (probat Dicaſtillo) quamuis demus, id non eſſe de iure naturæ; tamen proculdubio conducit bono Reipublicæ, & charitatis conſeruandæ. Item, quia maritus tenetur ſuis fratribus ſubuenire, vt docent Doctores & Gloſſa *in l. qui filium. ff. vbi pupillus educari debeat.* Cur ergo vxor id non poſſit efficere? Sic ille. Et Lugo, *loc.cit.* & anteà Leſſius *dub.*14.*vt in fine.* Petr. Nauar. *n.*161. Clauis Regia *lib.*9.*c.*16.*n.*8. Palaus *tom.*1.*tract.*6.*diſp.*2.*de Charit.punct.*13. *n.*16. Diana *par.*5.*tract.*8.*reſol.*34.*verſ. Non reticeam.* Tamburin. *lib.*8.*in Decal.tract.*1.*c.*2.§.3.*n.*11. his verbis: *Octauò ſi (vxor) det quid Patri, Matrique, immo & fratribus, ſororibus, ac filiis ex alio marito, quando hi omnes indigent alimentis. Atque in hoc octauo caſu aduerte vxorem ſi habeat aliunde non poſſe licitè hos ſibi attinent c-*

nentes alere fructibus dotis: at si non habeat, poterit quidem. Sic ille. Sed an omnino bene, quod aduertit, dicat, ex dicendis *q.* 41. & 42. colligere poteris Bonac. item *de restit. disp. 2. q. 10. punct. 2. n. 10. aliàs* 9. Verricell. *tract. 5. q. moral. in fine.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An, si vxor habeat bona propria, de quibus possit disponere ad libitum, possit de illis facere extraordinarias eleemosynas?

RESpondeo vt certum: Posse. Quia tunc iam habet dominium liberum, non subiectum voluntati mariti. Sic Pasqualig. *decisione* 449. *numero* 3. addens, quod & possit totum quod habet in eleemosynas erogare. Sed hoc additum limitabimus statim.

QVÆSTIO XXXIX.

An, vxor possit, de bonis paraphernalibus, aut de aliis, quæ, constante matrimonio, illi per hæreditatem, aut donationem, obuenerunt, etiam inuito marito, eleemosynas facere?

RESpondeo vt certum: Posse. Quia de iure communi, omnium horum bonorum vxor habet dominium, & administrationem: ergo de illis ad libitum potest disponere. Sic, vt certum, tenet Palaus *punct.* 13. *cit. num.* 10. ita dicens: *Restat dicendum de vxore, de qua duo sunt certa. Primò certum est, vxorem habentem aliqua bona, quorum dominium, & administrationem ipsi competit, posse de illis disponere prout voluerit: Hæc bona sunt, si quæ ad matrimonium tulit, præter dotem, (& sibi reseruauit ad proprios vsus) quæque vocantur bona paraphernalia: &c.* Sic ille. Idem addit Diana, *dic de bonis, quæ constante matrimonio, illi obuenirent per hæreditatem, vel donationem. Horum enim omnium mulier habet dominium, & administrationem, iure communi; ideoque, etiam repugnante viro, potest de his eleemosynam facere, quantumuis magnam; dummodo propterea non incidant filij, seu familia in necessitatem.* Sic ille *resol.* 34. *cit.* ex D. Thoma 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. Syluest. *v. eleemosyna q.* 5. §. 3. & 5. & Nauarro *c.* 17. *n.* 155. Quibus adde Vasquez, *de eleemosy. cap.* 4. *n.* 4. & 6. Ægidium *disp.* 27. *dub.* 5. *n.* 51. Lessium *lib.* 2. *cap.* 12. (non 16. vt offendes apud Dianam) *num.* 84. *versu Quarto.* Lugo *disp.* 16. *sect.* 4. *n.* 67. Perr. Hurtad. 2. 2. *disp.* 159. *sect.* 6. §. 138. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. c.* 5. *dub.* 9. *n.* 9. ex quibus aliqui limitant nostram sententiam, dicentes esse omnino veram; dummodo alicubi non sit contraria consuetudo, vel statutum particulare nationis, quale dicitur esse in Hispania, de quo iam dicam.

QVÆSTIO XL.

An, vxores in Hispania, stante Iure Cæsareo, possint disponere pro suo libito, de dictis bonis paraphernalibus, & aliis, quorum habent dominium?

RESpondeo: Non posse. Quia in Hispania ex Iure Cæsareo, horum omnium bonorum, siue paraphernalium, siue aliorum administratio, marito est reseruata: ergo de illis minimè ad libitum possunt in Hispania vxores disponere. Sic Nauarr. *cap.* 17. *num.* 154. *in fine*, & ex illo Vasquez, *cap.* 4. *citato n.* 4. Lessius *num.* 84. Diana *loc. cit.* & Palaus *num.* 10. vbi addit, probabile esse, hanc dispositionem Cæsaream, solùm habere locum in vxore nuptiis iam celebratis, vel in sponsis matrimonio consummato: secus in sponsis etiam de præsenti nondum cognitis, nec traductis ad domum.

QVÆSTIO XLI.

An, casu, quo vxor habeat aliqua bona, de quibus ad libitum potest disponere; possit adhuc de bonis mariti facere moderatas eleemosynas, quas diximus posse, eo adhuc inuito, suprà quæst. 23.

RESpondeo adhuc Posse. Quia non ex eo, quod vxor habeat bona specialia, tenetur cedere iis, quæ sibi de iure debita sunt à marito: qualia sunt omnia necessaria ad conuenientem statum; in quibus (vt *loco citato* diximus) computantur modicæ eleemosynæ, & maritus irrationabiliter inuitus esset. Sic Pasqualig. *decis.* 449. *fine*, vbi addit, hoc intelligendum esse, casu quo alias vxor aliter non conuenerit cum marito: nam ratione conuentionis censetur cedere iuri suo.

QVÆSTIO XLII.

An deinde, vxor, quæ alicuius rei habet dominium, & administrationem, & videt aliquem extremè patientem, possit tunc ex bonis mariti illi subuenire?

NEgat Vasquez, *de eleemosy. c.* 4. *n.* 7. Quia (inquit) potius ex propriis, quàm ex alienis, debemus egenis succurrere.

Sed, iuxta nuper dicta, clarius Respondeo dicendo, posse vxorem in dicto casu, etiam ex bonis mariti, si hæc, aliquo iure sibi sunt debita, extremè patienti succurrere: secus si nullo iure illi competant. Primum probat ratio facta pro resolutione antecedentis quæstionis. Secundum, ratio Vasquij.

§. II.

De eroganda à Clericis eleemosyna.

QVÆSTIO XLIII.

An, Ecclesiastici teneantur sub præcepto, de bonis Ecclesiasticis, facere eleemosynam?

RESpondeo vt quid certum: Teneri. Quia sic habetur in Concil. Trident. *sess.* 23. *c.* 2. *de Reformat.* Et colligitur, ex Paulo scribente ad Timotheum, & Titium, vbi ait: *quod Episcopi debent esse misericordes, & hospitales: & ex communi omnium fidelium, & Sanctorum Patrum dicto, nempe, quod bona Eccles. sint*

bona

bona pauperum. Sic omnes DD. quos lato calamo refert Sanchez *opusc. c. 2. d. 38. & 39.*

QVÆSTIO XLIV.

An, Ecclesiastici teneantur iure diuino, superfluum ex redditibus Ecclesiasticis largiri pauperibus?

NEgat Sotus *lib. 10. de Just. quæst. 4. art. 3.* existimans, teneri solo præcepto humano, & Ecclesiastico; non diuino: Ait enim ibi, vers. *Per hæc rursum:* quod totum ius, quod pauperes ad decimas habent, est positiuum, & Ecclesiasticum, super quo Papa dispensare potest.

Sed, vt quid mihi certum, Respondeo Teneri iure diuino, imo & naturali & Ecclesiastico. vt late probat Sanchez *dub. 38. & 39. cit. & dub. 40.* Nauarr. *opusc. de reddit. quæst. 1. num. 48.* Corduba *lib. 1. quæst. quæst. 18.* Diana *p. 5. tract. 8. Resol. 28.* Vazquez, *cap. 4. num. 8.* Valentia *2. 2. disp. 3. q. 4.* Ægid. *disp. 27. dub. 11.* Less. *lib. 2. c. 4. dubit. 6.*

QVÆSTIO XLV.

An, Beneficiarius arctius obligetur ad dandam Eleemosynam ex fructibus sui beneficij; quam laicus ex bonis sui patrimonij?

REspondeo tanquam certum: Arctius, & strictius obligari. *Primò*; quia Ecclesiastici, præcipue Episcopi, debent esse Patres pauperum, ex *1. ad Timoth. 3. & ad Titum. 1.* & Trident. *sess. 23. cap. 1. cit. Secundò*, quia ratione status debent esse aliis exemplum. Denique; quia facilius haberet superflua, cum non habeant, quibus ex officio thesaurizent, & in familia, & statu debent esse moderatiores, vt monet idem Concil. Tridentin. *sess. 25. cap. 1. de Reformat.* Sic cum communi Suarez *disp. 7. de Charit. sess. 6. num. 3.* Azor. *tom. 2. lib. 12. cap. 11. quæst. 1.* Palaus *tract. 6. disp. 2. de Charit. punct. 5. num. 1.* Trullench *lib. 1. in Decal. c. 3. dub. 9. n. 2.* Rocafull *tom. 1. in Decal. par. 3. lib. 1. q. 2. n. 207.*

QVÆSTIO XLVI.

An, Summus Pontifex, hoc astringatur præcepto; & teneatur, superfluum ex suis Ecclesiasticis redditibus, largiri pauperibus?

NEgabit Sotus, *vbi supra*; cum existimet, solum teneri Clericos, iure humano Ecclesiastico, ad eroganda superflua pauperibus.

Sed, vt mihi cercum, Respondeo. Teneri. Quia mihi certum est, præceptum erogandi superflua in pios vsus, esse etiam naturale, & diuinum, vt *quæst. 44.* diximus. Sic Sanchez, Nauar. Corduba, Diana & alij, ibi adducti. Ex quibus, Corduba, & Sanchez addunt, posse, ex causa, in hoc præcepto Papam dispensare.

QVÆSTIO XLVII.

An, Clericus, non solum ex fructibus sui beneficij; verum, ex bonis patrimonialibus, aut quasi; arctius obligetur ad dandam Eleemosynam, quàm laicus ex bonis sui patrimonij?

REspondeo, Non obligari arctius, quàm laicum. Quia, eodem modo, prædicta bona patrimonialia, aut quasi, possidet Clericus, ac laicus possidet. Si quidem illorum plenum habet dominium, & liberam dispositionem: ergo ex his bonis, non arctius, aut alia via obligatur Clericus Eleemosynam facere, ac obligatur laicus. Sic cum communi Palaus *disp. 2. de Charit. punct. 5. num. 2.* vbi notat, triplicia bona posse habere Clericum, *Primò*, bona patrimonialia, quæ successione, obueniunt; aut, donatione, labore, aut industria, sunt acquisita. *Secundò*, bona, quæ intuitu ministerij Ecclesiastici acquiruntur, v.g. stipendia pro celebratione Missarum, pro prædicatione verbi Dei, pro administratione Sacramentorum; etiamsi hæc omnia ex obligatione fiant; & quæ dantur pro Vicaria temporali & hæc vocantur, bona quasi patrimonialia: & de iis omnibus bonis procedit nostra sententia. *Tertiò*, sunt bona merè Ecclesiastica, nempe, ex beneficio percepta; qualia sunt annui fructus ex decimis, capellaniis, aliisque piis legatis beneficio annexis: & de his loquuti sumus *qu. 45.* Legantur Vazquez *opusc. de reddi. cap. 1. §. 2. dub. 1. num. 16.* Nauar. *de reddit qu. 1. n. 4.* Ægidius *disp. 27. dub. 11.* & alij.

QVÆSTIO XLVIII.

An, Clericus possit ex bonis patrimonialibus, aut quasi consanguineos ditare, & ad altiorem statum promouere?

REspondeo vt certum ex dictis: Posse, sicut potest quilibet alius sæcularis. Quia, solum ex fructibus, aut redditibus beneficij, quæ (vt nuper est habitum) sunt bona mere Ecclesiastica, hoc est illi prohibitum à Trident. *sess. 25. de Reformat. cap. 1.* his verbis: *Omnino verò eis interdicit (Concilium videlicet, Carthaginense) ne ex redditibus Ecclesiæ, consanguineos, familiares ve suos, augere studeant: Cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, iis, vt pauperibus distribuant, eas tamen non distrahant, nec dissipent illorum causa: Imo, quàm maximè potest, eos Sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc, erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant.* Hæc Sacrosancta Synodus. ex quo sic docent omnes DD. Legantur Palaus *loc. cit.* & Sanchez *lib. 2. opusc. c. 2. dub. 39. n. 2.*

QVÆSTIO XLIX.

An, Clericus, qui bona patrimonialia, aut quasi patrimonialia, in suam sustentationem insumit; possit illa compensare ex redditibus sui beneficij, & ex illis tantundem in vsus, quos voluerit, insumere?

REspondeo Posse certè; dummodo, quando illa expendit, non habuerit expressam voluntatem non faciendi recompensationem. Ratio est: quia integra

integra sustentatio Clerico beneficiario debetur ex fructibus beneficij: nam qui Altario seruit, de altario viuere debet: ergo si aliunde eam accepit, poterit compensare; dummodo expressam voluntatem non faciendi recompensationem, non habuerit: nam in casu dubio præsumendum est habuisse habitualem animum recompensandi; cum nemo præsumendus sit, se velle iure suo priuare. Sic Molina *tom.1.tract.2.disp.145.num.1.* & apud illum Nauar. *in Apolog. quæst.1. Monito 77.num.7.* Gratianus, D. Thom. & Caiet. Lessius *lib.2. de Iust. cap.4. dubit.6.num.38.* Palaus *disp.2.de Charit.punct.5.n.4.* lege iterum, Nauarrum *loc. cit. Monito 32.num.1. & in Man.c.17.n.94.*

Qvæstio L.

An, etiamsi Clericus beneficiarius bona patrimonialia, aut aliquos fructus eorum, in Eleemosynas, aut alia pia opera, consumpsit; possit tantundem de redditibus beneficij accipere, & disponere de illis, sicut de bonis patrimonialibus?

Respondeo Posse etiam. Constat ex nuper dictis. Nam Clericus licitè poterat dictas Eleemosynas, de talibus redditibus beneficij facere: ergo de his tantundem poterit sibi accipere, & disponere de illis, sicuti de bonis patrimonialibus, aut quasi. Quod similiter intellige, nisi aliàs expressam voluntatem habuerit, non recompensandi. Sic Molina, Nauarr. Lessius, Palaus *loc.cit.* & Sanchez *lib.2. opusc.cap.2.dub.38.num.19.*

Qvæstio LI.

An, si Beneficiarius, parcè viuendo, minus consumat de fructibus sui beneficij, quàm consumere posset in suam congruam sustentationem; possit de huiusmodi fructibus sic reseruatis, disponere, ac de bonis patrimonialibus.

Respondeo Passe. Quia fructus, Quos sic parcè videndo, reseruat, computari debent, vt fructus laboris ac industriæ. Sic Nauarr. *in Man.cap.17. num.94. & in Apolog. monito 80. & 78.* Sotus *lib.10. quæst.4. art.3.* Couarru. *cap.1.de Testament. num.1.* quos citat & sequitur Molina *tract.2. disput.145. num.3.* Lessius *loc.cit.n.39.* Vazquez, *de Eleemosy.c.4. nu.18.* Ægidius *disp.27.dub.11.n.197.concl.4.* Palaus *punct.5.cit.n.5.*

Qvæstio LII.

An, Beneficiarius, cum portione suæ congruæ sustentationis, possit computare totum, quo amplius est dignus; vt id expendere possit in quæ voluerit?

Respondeo Posse. Sic Sanchez *lib.2. opusc. cap.2. dub.38. numer.16.* his verbis: *Nona Conclusio. Si Clericus dignissima sui laboris, & industriæ impensa in Ecclesiæ regimine, mercede plus meretur, quam ad decentem suam sustentationem opus sit, vt si vltra debitum exercet in sua Ecclesia munera, quæ stipendium merentur; vt prædicare, audire Confessiones &c. potest ex superfluo redditu um deducere aliquam quantitatem, quam plus suo labore mereretur, & de illa disponere, ac de bonis patrimonialibus. Ratio, quia secundum ius diuinum, & naturale, dignus est mercenarius mercede sua*; vt habetur *1.ad Cor.9. & Lucæ 11.* Tenent Nauarr. *ead.q.1. num.70. & 71.* Maior *in 4.dist.24.quæst.17.* Couarru. *Cap. Cum in officiis, de testam. num.2.* Ananias *consil. 87.* Petr. Soto *sect.3.* & Molina *dicto tom.1. de Iust. disp.144.col.801.(mihi 511.)§.Illud tamen.* Hucvsque Sanchez. Lege iterum Nauarrum *in Man. capit.17. num.94. & in Apolog. Monito 19. & 30.* Lessium *li.2. cap.4.dubit.6.n.39.*

Qvæstio LIII.

An, Beneficiarij teneantur eam partem fructuum beneficiorum, quæ non est congruæ sustentationi necessaria, sed superflua, in Eleemosynas, aut in alia opera pietatis, sub mortali, expendere?

Respondeo tanquam quid certum: Teneri. Vnde mortaliter peccabunt, si illam partem redundantem ex congrua sustentatione, in vsus profanos, vel ad ditandos consanguineos, vel amicos, expendant. Sic colligitur ex dictis *supra quæst.43.44. & 48.* Et docent omnes Doctores. Legantur Vazquez *de Eleemosyna cap.4.num.8.* & penes ipsum, S. Thom. Caiet. Alexand. Ricard. Palud. Maior, Couarru. Cordoua, & alij Nauarr. præcipuè *in tract. de reddit.q.1. per totam, &* Sarmiento *4.parte de reddit. cap.5.* Molina *tract.2. disp.144.* Lessius *lib.2. capit.4. dubit.6. num.47.* Ægidius *disp.27. dub.11. concl.2. num.192.* Palaus *punct.5.cit.num.6.*

Qvæstio LIV.

An, solum iure positiuo Ecclesiastico, teneantur sub mortali, Beneficiarij, quæ sibi supersunt congruæ sustentationi, in pauperes, piosque vsus insumere?

Affirmat Lessius *n.47. cit.* His verbis: *Itaq; præcipua ratio, cur tam strictè, extra necessitatem grauem corporalem, vel spiritualem, proximi, teneantur superflua illa in pauperes, vel opera pia impendere, est Ecclesiæ præceptum: quo semoto, & si nonnulla sit inordinatio, tamen non videtur mortifera.* Ita Lessius.

Sed, vt fere certum Respondeo: Non solum iure positiuo Ecclesiastico, verum, etiam naturali iure, & diuino, teneri erogare, & expendere in pauperes, aut pios vsus, quæ ipsis Beneficiariis ex redditibus beneficij supersunt congruæ suæ sustentationi. Ratio est: Quia, vt communiter omnes concedunt, ad hoc clerici tenentur eo iure, quoad Eleemosynam suo modo tenentur laici: at hic tenentur ad Eleemosynam iure naturali, & diuino, vt *suprà* est habitum: ergo ei Clerici. Sic Vazquez, *cap.4.cit.num.12. & 13.* vbi dicit, se nullum legisse, qui assereret, iure tantum humano ad id teneri. Legantur Authores nuper citati, *quæstion.44.* & præcipue Palaus *punct.5. num.6.*

QVÆSTIO LV.

An, immunis à mortali maneat Beneficiarius, qui ex fructibus beneficij, suæ sustentationi superfluis, aliquid leuis materiæ, in vanos vsus expendit?

RESpondeo vt certum: Manere à mortali immunem. Quia paruitas materiæ, in hac, sicut in aliis multis, à mortali verè excusat. Sic communiter Doctores, supponentes, quod, vt Beneficiarius mortaliter peccet, expendendo in vanos vsus, quæ ipsi ex fructibus beneficij, supersunt suæ sustentationi, debeat esse in quantitate graui. Vnde solùm est difficultas, quænam sit censenda grauis quantitas, quam expendens Beneficiarius in vanos vsus, mortale admittat, pro qua resoluenda, sit,

QVÆSTIO LVI.

An, si Beneficiarius, tertiam, aut quartam partem beneficij fructuum, congruæ suæ sustentationi superfluentium, in vanos vsus expendat peccet mortaliter?

RESpondeo Peccare mortaliter. Quia, re vera, hæc quantitas censetur grauis. Sic Palaus *loc. cit. n.* 7. vbi citat Ægid. Coninch. *disp.* 27. *dub.* 8. *n.* 108. & *dub.* 11. *num.* 177. & 193. Sed, ex omni parte, benè, solùm hoc vltimo loco, in quo sic ait: *Notabilem autem summam hic vocamus, non quæ furto sublata sufficeret ad peccatum mortale: sed quæ possit dici pars aliquo modo notabilis reddituum superfluorum ipsius Beneficiati; vt si quis horum tertiam, quartam, aut quintam partē in res profanas expenderet.* Sic Ægidius ibi: non alibi, Citat etiam Molinam *tr.* 2. *disp.* 144. *vers. Prior verò eiusdem sententiæ.* Sed hic Author, solùm dicit, peccare mortaliter Beneficiarium, qui ex dictis fructibus, profanè expendit notabilem quantitatem; & non censeri notabilem quantitatem, quæ culpam efficiat lethalem, eam, quæ in materia furti ad lethalem culpam sufficeret; sed longè maiorem requiri; eoque maiorem, quo portio propria Beneficiati maior fuerit. Ita Molina, & non amplius. Legantur Trullench. *lib.* 1. *in Decal. c.* 5. *dub.* 9. *n.* 2. Lugo *de Just. tom.* 1. *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 42. & Quiedo, *controu.* 10. *punct.* 16. *n.* 180. qui dicunt, & merito, minorem quantitatem, profanè expensam sufficere ad mortale.

QVÆSTIO LVII

An, possit assignari certa, ac determinata quantitas, pro congrua cuiusque Beneficiati sustentatione?

AFfirmarunt nonnulli, quos, suppresso nomine, refert Quiedo, *loc. cit. punct.* 17. *n.* 185. eo quod Parisiis anno 1208. decretum fuerit à multis Theologis, & Iurisperitis sufficere Clerico simplici 45. aureos annuos ad congruam sustentationem.

Sed nihilominus Resp. vt certum: Non posse: Non solùm, quia pro diuersitate temporum, loci, & personarum, plus minusve, vno anno, quam altero, aut vni personæ, quàm alteri, requiritur: sed etiam, quia, intra latitudinem congruæ sustentationis, datur infimum, medium, & summum; sicut in pretiis rerum venalium cernitur v. g. infimum congruæ sustentationis sit 500. medium 600. summum 700. tunc optimè poterit Beneficiarius 700. insumere: sicuti quiuis iustè potest rem vendere pretio summo, seu rigido, vnde si Beneficiarius velit vti infimo sustentationis gradu, & expendere tantum 500. in se, suamque familiam alendam, poterit 200. condere, ad ditandos suos consanguineos, vel ad alios vsus, quos voluerit, tanquam fructus industriæ, & laboris sui, vt diximus *sup. q.* 51. sic Nauar. *Monito* 45. *n.* 2. quem citat, & sequitur Lessius *lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 6. *n.* 40. *vers. Notandum hic.* Molina *tr.* 2. *disp.* 145. *n.* 6. *vers. illud quoque.* Ægid. *disp.* 27. *dub.* 11. *n.* 178. Palaus *pun.* 5. *n.* 8. & alij citati *sup. q.* 51. Quiedo, *loc. cit.* & *n.* 190. Lugo *n.* 53.

QVÆSTIO LVIII.

An, quò Beneficiarius est nobilior, & doctior; eò plus illi pro congrua sustentatione, ex fructibus beneficij, sit assignandum?

NEgat Lorca 2. 2. *sect.* 3. *disp.* 40. *n.* 39. *Quia* (inquit) *beneficij fructus dantur pro competenti sustentatione Beneficiati, quatenus Beneficiatus est: ergo ex maiori nobilitate, aut doctrina, nequit crescere illius competens sustentatio.* Huic sententiæ fauent, ex parte, Lugo *disp.* 4. *n.* 61. & Quiedo *pun.* 17. *n.* 192. legantur.

Sed longè multò probabilius Respondeo. Esse illi plus assignandum. *Primo.* Quia sic est praxi receptum *Secundo.* Quia præfatæ personæ ratione suæ nobilitatis, & doctrinæ, plus aliis Ecclesiæ prosunt: ergo, quo plus Ecclesiæ prosunt, eo maiorem ab illa sustentationem merentur, iuxta illud Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore* (ideſt, stipendio) *digni habeantur.* Sic Molina *de Iust. tr.* 2. *disp.* 145. quem citat, & sequitur Ægid. *disp.* 27. *dub.* 11. *concl.* 3. *n.* 194. (non 149. vt leges apud Palaum) Nauarrus *in Apologia de reddit. q.* 1. *Monito* 82. *n.* 7. quos citat, & sequitur Palaus *pun.* 5. *cit. n.* 10. Sanchez etiam *lib.* 2. *cons. c.* 2. *dub.* 41. *n.* 9. vbi dicit, hanc sententiam innuere vniuersos Doctores.

QVÆSTIO LIX.

An deinde, pro qualitate beneficij, & quantitate reddituum, plus pro competenti sustentatione, Beneficiato est assignandum?

RESpondeo. Esse plus assignandum, & ideo plus posse in suam congruam sustentationem insumere *Quis enim dicat* (ait Molina) *tantum fas esse insumere de fructibus sui beneficij in suam congruam sustentationem Canonico, quantum Episcopo eiusdem Ecclesiæ? aut quantum Decano, si longo interuallo redditus Decanatus illius Ecclesiæ superant redditus simplicis Canonicatus? Quis item dicat, tantum fas esse similiter insumere Canonico Conimbricensi, quantum Eborensi, Conchensi, aut Toletano, quorum Canonicatuum redditus in duplo, aut triplo, vel quadruplo superent redditus Canonicatuum Conimbricensium? Aut tantum fas esse insumere Episcopo Portuensi, quantum Conimbricensi; aut Granatensi Archiepiscopo, quantum Toletano? Cum redditus Toletani, & Conimbricensis in triplo, aut quadruplo, superent redditus Granatensis, & Portuensis.* Hæc ille *tract.* 2. *de Iust. disp.* 145. *n.* 7. *vers. Primum est.* Palaus *pun.* 5. *cit. n.* 9.

QVÆSTIO LX.

An, nomine congruæ sustentationis, quam Beneficiarij, ex fructibus Ecclesiæ sibi possunt deducere; veniant necessaria ad sui status, & familiæ, honorabilem sustentationem?

REspondeo vt certum. Hæc omnia venire. Vnde Nauarrus, vt refert Quiedo, *n.* 188. planè docet, quod Clerico quantumlibet simplici, & sano, pro congrua designandum sit, quantum sufficiat ad se ipsum moderatè alendum, & vnum ministrum, & vnum coquum, & conducendam habitationem necessariam, &c. Sic Molina etiam, *tract.* 2. *de Iust. disp.* 145. *à n.* 7. Cordu. *lib.* 1. *q.* 18. Sanchez *lib.* 2. *consil. c.* 2. *dub.* 41. *n.* 1. Palaus *disp.* 2. *de Charit. punct.* 5. *num.* 9. & alij.

QVÆSTIO LXI.

An, nomine congruæ sustentationis, veniant etiam, necessaria, ad exhibenda aliqua moderata conuiuia amicis, & consanguineis ipsius Beneficiati?

REspondeo etiam vt certum: venire. Quia non est credendum Ecclesiam obligare suos ministros austeram, & aggrestem vitam degere. Sic Sanchez *loc. cit. n.* 2. his verbis: *Infertur primò, nomine decentis sustentationis, intelligi moderata, & honesta conuiuia, & recreationes, cum amicis, vel extraneis ex iusta causa, & eis in aliquo benefacere, in signum gratitudinis, & amicitiæ. Ratio, quia hæc faciunt, qui moderatè se sustentant.* Ita D. Thom. *quodl.* 6. *art.* 12. *ad vltim.* Abulens. *c.* 6. *Matth. q.* 74. Nauar. *opusc. de reddit. q.* 1. *n.* 67. Cordu. & Molina, *supra* citati. Hæc Sanchez. Quibus adde Palaum *loc. cit.* Qui idem dicunt, de necessariis ad hospites excipiendos; non solùm quando charitas id postulat; sed quando vrbanitas. Legantur Molina *disp.* 145. *cit. n.* 9. *versic. Tertium est.* Lugo *de Iust. disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 66.

QVÆSTIO LXII.

An deinde, nomine congruæ sustentationis, veniant donationes remuneratoriæ, quas Beneficiarius, ob aliqua bona accepta, alicui facit?

REspondeo vt certum: Etiam venire. Quia tales donationes ex gratitudine sunt debita, & aliquando sub culpa veniali. Sic Molina *loco cit. n.* 10. & 11. Sanchez *n.* 4. & 5. & penès illum, Nauarr. Gabr. Angel. Rosella & Sylvest. Palaus etiam, *numero* 9. & communis.

QVÆSTIO LXIII.

An, Non solùm donationes remuneratoriæ, verum etiam liberales moderatæ; veniant nomine congruæ sustentationis?

NEgant Sanchez, & penès illum alij ab ipso citati, eo quod existiment, solum venire donationes, aliquo titulo debitas; non verò liberales, & gratuitas.

Sed probabilius Respondeo. Etiam venire donationes liberales, si moderatæ sint. Quia nimis durum esset obligare Beneficiatos, ne ex redditibus beneficij aliquid liberaliter donare possent, vel ad animos conciliandos, vel ad beneuolentiam ostendendam, &c. Sic Molina *loco cit. n.* 12. vbi explicat Nauarrum, dicendo loquutum fuisse de donationibus liberalibus immoderatis; non verò de moderatis; nam de iis loquendo, nobiscum sentit, vt in progressu eiusdem operis satis seipsum explicat. Sic etiam, Valentia 2. 2. *disp.* 10. *q.* 3. *pun.* 7. *vers. Itaque.* Palaus *n.* 9. *citat.* Lugo, *disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 73.

QVÆSTIO LXIV.

An, licitum sit Beneficiario, plus, ex fructibus beneficij, remunerare; quàm valet donum prius acceptum?

NEgant communiter DD. ducti ex *c. Relatum el* 2. *de Testament.* vbi Clericis conceditur, vt ex redditibus Ecclesiasticis remunerent seruitia, iuxta seruitij meritum. Ita Bart. Alex. Iason. & Decius, apud Nauar. & Sanchez mox citandos.

Sed probabilius Respondeo. Esse illi licitum, & posse plus quam accepit, remunerare ratione gratitudinis; moderatè tamen, iuxta prudentis arbitrium. Sic Molina *tr.* 2. *disp.* 145. *n.* 11. *vers. De remuneratoriis* vbi ex Nauarro, sic dicit: *vnde probe loc. cit.* (*in Apolog. q.* 1. *Monito* 82. *n.* 9.) ait Nauarrus: *quamuis fas sit Beneficiario remunerare obsequia gratis sibi impensa, aut alia beneficia in se collata, plusquam ad æqualitatem,* quoniam iuxta D. Tho. 2. 2. *q.* 10. *art.* 6. Arist. 5. Ethic. *c.* 5. *id postulat gratitudinis virtus: non tamen immoderatè. Quare quod ad æqualitatem prudentis arbitrio compensaretur duodecim aureis, posset Beneficiarius de redditibus sui beneficij, compensare quatuordecim, aut quindecim, non vero triginta, aut quadraginta; quoniam cederet in detrimentum piorum operum, ad quæ de incremento reddituum sui beneficij, vltra suam competentem sustentationem tenetur.* Hæc Molina, quem sequitur Sanchez *lib.* 2. *consil. c.* 2. *dub.* 41. *n.* 7. & Quiedo, *controu.* 10. *pun.* 17. *n.* 197. & Lugo *num.* 72. qui bene notant; rem donatam, quam Clericus ex bonis Ecclesiasticis remunerauit, computandam esse inter bona Ecclesiastica, & non inter bona patrimonialia: quia iniquum esset, rem donatam fieri patrimonialem, & Ecclesiam obligari ad eam remunerandam: hac enim ratione posset Clericus omnia bona Ecclesiastica in patrimonialia, vel quasi patrimonialia conuertere.

QVÆSTIO LXV.

An, Clericus habens filias illegitimas, possit illis, ex fructibus beneficij, alimenta, & dotes prouidere, si indigeant?

REspondeo vt certum: Posse. Tum, quia, posito delicto, illis sustentatio, iure naturæ debetur. Tum etiam; quia tales filiæ sunt in necessitate constitutæ, vt supponimus: ergo. Sic Nauar. Cordu. Gabr. Armilla, Sylvest. Auendano, Gregor. Lopez, Abulens. cum aliis, quos affert, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 38. *n.* 6. & 9. Molina *tract.* 2. *disp.* 146. (non 249. vt leges apud Lugum) *n.* 8. *vers. Illud præterea.* Bonac. & Filliuc. quos sequitur Lugo *disp.* 4. *sect.* 4. *num.* 69. (non 90. vt leges apud Quiedum) Palaus *disp.* 2. *de Charit.*

Charit. punct. 5. n. 9. Ægidius *disp. 27. dub. 11. num. 182.* Toletus *lib. 8. c. 38.* Ouiedo, *controu. 10. pun. 17. n. 199.* & alij, qui à fortiori, idem docent, loquendo de filiis, aut filiabus legitimis.

Qvæstio LXVI.

An etiam, casu, quo dictus Clericus habeat alia bona propria, vnde posset alimenta, & dotes filiabus propriis, aut spuriis præbere; posset nihilominus, ex fructibus beneficij, hæc illis tradere?

Affirmatiuam partem, tenere Castrum Palaum *loc. cit. n. 9.* nonnullis est visum, & meritò; cum dicat ipse; se non audere affirmare ex obligatione (secus ex consilio) faciendum esse, quod sententia negatiua docet, nempe, quod in proposito casu, nequeat Beneficiarius ex fructibus beneficij filiis suis propriis, aut spuriis, alimenta, aut dotes præbere. *Quia filius* (inquit) *spurius ad omnia bona parentis æquale ius habet: quia solùm habet ius respectu personæ parentis, vt sibi detur sustentatio. Item ipse parens obligatus est alere filios spurios: ergo ex fructibus beneficij eos alere potest, etiamsi aliàs bona habeat; quia omnia onera, quæ beneficiario sunt annexa, ex fructibus beneficij adimplere potest: aliàs non posset donationes remuneratorias facere ex fructibus beneficij, si alia bona patrimonialia haberet,* & docet Valentia *2. 2. disput. 10. quæst. 3. punct. 7. vers. Neque ij solùm Ecclesiastici.* Hucvsque Palaus.

Sed mihi vt ferè certum: Respondeo. Non posse tunc ex bonis beneficij filias suas dotare, & illis alimenta præbere, Tum, quia ex vna parte, filij tunc pauperes non censentur, cum Patrem habeant diuitem, qui potest, & debet eis prouidere. Tum etiam, quia ex alia parte, Ecclesia non tenetur ad hæc onera: ergo. Sic Molina, non *disp. 249.* vt leges apud Lugum, nec *149.* vt apud Ouiedum, sed *146. n. 8. vers. Illud præterea, n. 7.* Lugo *disp. 4. sect. 4. n. 69.* (non 90. vt inuenies apud Ouiedum) Ouiedo *n. 199. cit.* Layman *lib. 4. tr. 2. c. 3. n. 4.*

Qvæstio LXVII.

An, liceat Clerico, filias spurias adeo dotare, ac si legitimæ essent?

Respondeo vt certum. Quod non. Quia inferioris conditionis sunt, ac filiæ legitimæ: ergo non est æquum filias spurias dotare, ac si legitimæ essent, cum non sit æquum pares cum legitimis facere. Sic Molina *loc. cit. n. 10. vers. De filia spuria.* Lugo *n. 69.* Palaus *n. 9.* Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 38. num. 8.* Filliuc. *tract. 43. c. 4. num. 36. & 37.* Qui, quamuis doceant, vt diximus, quòd non sit danda dos filiæ illegitimæ, sicut si esset legitima; neque huic sicut si ex bonis patrimonialibus daretur; addunt nihilominus, quod possit vtrique dari, secundum statum suum; qui status aliquantulo eleuetur ex promotione parentis ad Episcopatum, vel ad beneficium pingue.

Qvæstio LXVIII.

An, possit Clericus, ex redditibus superfluis Beneficij, aliquam mediocrem quantitatem, ad proprias necessitates euenturas, reseruare?

Respondeo. Posse reseruare ad proprias necessitates euenturas probabiliter, non tamen remotè. Sic Lugo *disp. 4. sect. 4. fine,* vbi ita ait: *Infertur decimo quartò, posse aliquando reseruari ex redditibus superfluis aliquam mediocrem quantitatem ad proprias necessitates probabiliter euenturas, v. g. ægritudinis, sterilitatis, litis, & similium; non tamen ad ea, quæ remotè imminent, vt si reseruetur ad dotandas neptes nondum natas; ad viuendum in ætate decrepita, cum nunc sit adolescens, de quo videatur Nauarrus, quem refert, & sequi Sanchez* dub. 38. num. 13. *Quod intelligendum est, quando non vrgent necessitates extremæ, vel graues proximorum, quibus de præsenti subueniendum sit.* Sic Lugo, necnon Ouiedo *punct. 17. citato, fine.*

Qvæstio LXIX.

An, possit Clericus, ex redditibus beneficij superfluis, sustentare consanguineos in studio, etiamsi patrimonialia bona habeat?

Respondeo vt certum: Posse eos sustentare in studio, & eos doctorari facere; dummodo pauperes sint. Quia hoc verè redundat in commodum vniuersalis Ecclesiæ, quæ viris doctis eget. Sic Sanchez *dub. 38. cit. fine,* quem affert, & sequitur Lugo *tom. 1. de Iust. disp. 4. sect. 4. n. 68.* vbi ita scribit: *Infertur nono, posse etiam Clericum ex his bonis nepotes, vel consanguineos in studio alere, quando aliunde non habent, vel quia parentes id non possunt, vel quia nolunt; nam in vtroque casu indigent aliena subleuatione, & ex se est opus pium indigentes ad id iuuare; atque ad eum finem piè, & laudabiliter eriguntur collegia, & seminaria.* Sic ille cum Sanchez Rosella, & Syluestro, necnon Nauarro *lib. 3. consil. 2. de vita & honest.* Bonac. *disp. 4. pun. 2. n. 13.* Sic etiam Ouiedo, *pun. 17. n. 196.*

Qvæstio LXX.

An, etiamsi consanguinei, aut nepotes, non indigeant, eo quod patres diuites habeant; possit nihilominus dictus Clericus, illos ex redditibus beneficij in studio alere?

Affirmat Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 3. numero 5.* his verbis: *Dubitatur autem, vtrum beneficiatus, cui patrimonialia bona suppetunt, ex bonis Ecclesiasticis filium suum in studiis alere possit; aut fratrem suum, aliumve consanguineum, cuius pater satis idoneus est ad sumptus illi ministrandos? Respondeo affirmatiuè,* cum *Nauarro* lib. 3. consil. 2. de vita, & honest. Clericor. edit. 2. *Probatur: Cum enim pater non teneatur filio suo præstare sumptus maiores, qui requiruntur ad studendum; sequitur, talem filium, si propria bona non habeat, re vera indigentem esse; ideoque ex bonis Ecclesiasticis sumptus ei ministrari posse. Deberet tamen hinc deduci æstimatio alimentorum;*

quæ pater, naturali iure, filio suo præstare cogitur: nisi quis sibi persuadeat, cedere id magis ad honorem Ecclesiæ, si integre, nulla detractione facta, ex bonis Ecclesiasticis alterum alat, quo magis is Ecclesiæ ex gratitudinis virtute obligatus existat, Hucvsque Laymanius.

Sed clarius, iuxta nuper dicta Respondeo. Posse quidem Clericum, nepotes suos, quorum patres diuites sunt, in studio alere, casu solùm, quo parentes, licet possint, nolint illis succurrere: quia tunc iam vere nepotes indigent ad studia, vndecumque indigentia proueniat: secus alias. Sic Lugo limitat sententiam Laymanij *numero* 68. Iudicio tamen satis probabilem sententiam Laymanij, eo quod expresè illam doceat Nauarrus *loco* ab ipso *citato*, vbi affirmat absolutè posse beneficiarium fratri suo studenti de fructibus beneficij superfluis subuenire, etiamsi patrem habeat diuitem, qui probabiliter id facere posset, si frater de suo non habeat: *quia* (inquit) *viuente patre, bona illius sunt filij, & ita filius iure dici potest pauper, & aliena opera indigens; nec pater tenetur illum studentem in studio, vt sibi inseruientem alere.* Hæc Nauarrus.

Qvæstio LXXI.

An Clerici, ex redditibus beneficij superfluis, possint suis Consanguineis pauperibus condonare id, quo ad sui status sustentationem indigent?

Respondeo, vt quid certum. Posse condonare, sicuti possunt aliis pauperibus id ipsum facere vnde, si vltra id, quod indigent, illis aliquod notabile elargiantur, peccabunt mortaliter. Sic Sanchez. *lib.* 2. *consil. capit.* 2. *dubit.* 38. *num.* 4. Qui id late probat, ex Canone 39. *Apostol.* Concil. Trident. *sess.* 25. *capit.* 1. *de Reformat.* & Sanctis Patribus, Hieronymo, Ambrosio, Bernardo, & D. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 7. *ad* 2. Deinde citat pro hac parte Nauarrum, Caiet. Petr. Sotum, Siluestrum, Armillam, Rosellam, & alios plures. Sic etiam Molina *disput.* 146. *num.* 5.

Qvæstio LXXII.

An possint Clerici, ex superfluis Ecclesiasticis redditibus, paulo plus suis consanguineis pauperibus, quàm aliis egenis, largiri?

Respondeo Posse. Quia plus suis, quàm extraneis tenentur. Sic Sanchez *loco citato numero* 5. Nauarrus, Abulens. Honcala, & Cordu. apud ipsum.

Qvæstio LXXIII.

An si Clericus, humili loco natus, euehatur ad magnam dignitatem; possit suis consanguineis, de redditibus Ecclesiasticis superfluis, competentem sustentationem augere?

Respondeo, Posse ex præfatis bonis competentem sustentationem suorum consanguineorum, licitè augere; & sic eleuare eos ad statum paulo honestiorem, ita, vt inter ciues, aliquo modo honestos computari possint. Quia hoc ad honorem, & decentem Clerici, ad tantam dignitatem euecti, sustentationem pertinet: cui communiter vitio dabitur, si suos parentes, aut fratres, vel consobrinos in ea paupertate permittat degere. Sic Ægidius *disput.* 27. *dubit.* 11. *num.* 182. ex Molina *tract.* 2. *disp.* 146. *num.* 9. Qui ex Nauarro, *Monito* 77. *num.* 5. bene notat, prædictum sustentationis augmentum, seu incrementum, non debere esse tantum, quantum exigere solent consanguinei, aut quantum beneficiorum inordinata ad illos affectio, facile sibi solet persuadere, ipsis licere: sed moderatam prudentis, & timorati viri arbitrio, spectatisque circunstantiis omnibus, & saltem quantum par est, vt dedecus, & pudor merito non sit beneficiario erga propinquos, tam arctè sibi coniunctos, ita abiectè se gerere.

Qvæstio LXXIV.

An Episcopus, vel alius quilibet Ecclesiasticus, etiam ditissimus, satisfaciat suæ obligationi; si secluſis necessitatibus grauibus, eroget in communibus necessitatibus, quartam partem omnium reditnum Ecclesiasticorum; vel saltem dimidium eius, quod remanet post congruam sustentationem?

Affirmat Petr. Hurtado *disput.* 160. *de Charit. sect.* 5. §. 105. *& sequentibus*, quem affert, & sequitur Diana *par.* 5. *tract.* 8. *resol.* 27. Referuntque pro hac sententia, Sotum *lib.* 10. *de Iust. qu.* 4. *art.* 4. *vers. Quamuis documentum.* Toletum *lib. de* 7. *peccatis mort. capit.* 38. qui affert Tabienam, Lorcam *disput.* 40. *de Charit. num.* 43. Bannes ibidem *art.* 6. *dub. vltimo vers. ex dictis omnibus.* Molinam, *tom.* 1. *de Iust. tractat.* 2. *disputat.* 146. *vers. Contrarium cum Maiore.* Sed omnes hos Doctores, quos pro se afferunt Hurtado, & Diana fuisse alienos ab hac mente (præter Sotum) optime conuincit Lugo *tom.* 1. *de Iust. disput.* 4. *sect.* 2. *num.* 11. (non 10. vt inueni apud Ouiedum) vbi monet, quod in re tanti momenti, & adeo singulari, meliori fide Authores referendi sunt. Meliori ergo fide, pro hac sententia refero ego Angel. Mari. Verricellum *in suis qq. Moralib. & legalib. tractat.* 5. *quæst.* 6. *vbi verb. Eleemosyna, numero* 83. ita scribit: *Episcopus in communibus necessitatibus tenetur ad quartam partem omnium reddituum; vel saltem ad medietatem residui dandam in Eleemosynam: sed in necessitate graui tenetur ad totum residuum, seu totum superfluum.* Sic ibi. *Et numero* 84. *sic: Cæteri beneficiati tenentur ad sextam partem fructuum beneficij; vel medietatem residui dandam in Eleemosynam.* Ita Mendoza, & Diana *locis citatis*, Hæc Verricellus. Refero etiam Cordubam *quæstion.* 18. *pag.* 172. *col.* 1. necnon Gaspar. Hurtadum *disputation. quinta de Charitat. diff.* 18. *vers. Sed quamuis*, dicentem, sententiam Petri Hurtadi, non absque authoritate aliquorum Doctorum; nec absque probabilitate fuisse traditam. Iuuat, quod Granados, *tractat.* 11. *disputat.* 3. *sectio.* 3. refert, quendam doctum Theologum asserentem, Ecclesiasticum satisfacere obligationi suæ, si bonam reddituum quantitatem elargiatur; & in speciali Beneficiarium, qui non sit Episcopus, cuius reditus sunt sex mille aurei, sufficere si quingentos elargiatur: Episcopum vel maiorem quantitatem.

Rursus

Rursus, sententiam Hurtadi esse probabilem, apertè docet Trullench. *lib.1.in Decal. cap.5. dub.9. num.2.* (non 1. vt legi apud Dianam 8. *parte*) his verbis: *Probabile tamen est, satisfacere huic obligationi, etiamsi beneficium pingue sit, qui quartam partem, si Episcopus sit; & qui quintam, aut sextam, si non sit Episcopus, pauperibus elargiatur,* vt tenet Granados *in 2.2. D. Thomæ tractat.11. disputat.3. num.21.* & cum eo Diana *4. p. tract.4. Resol.214.* Huc vsque Trullench. (sed an pro se bene Granadum citet, postea videbis.) Idem sentit Machado *tom.2. lib.4. par.1. tractat. 6. docum. 6. numero 3.* quem pro se affert Diana *par.8. tractat.7. Resolut.12.* vbi etiam (vt fecit Trullench.) affert Granados, *loco citato.* Sed certe Granados minime docet sententiam Hurtadi, & Dianæ; sed omnino diuersum, vt bene notauit Ouiedo, *controu.10. punct.16. numero 170.* his verbis: *Non refero pro hac sententia (Petri Hurtadi, v. delicet, & Dianæ) Granados, ex eo quod asserat* loco cit. num.21. *non damnaturum Episcopum, qui quartam partem: & Beneficiarium non Episcopum, qui quintam, vel sextam largiretur pauperibus; quia immediate subdit; dummodo residuum, post suam congruam sustentationem, piis aliis operibus impenderet, & non occurrerent speciales, & vrgentiores pauperum necessitates, quod existimo à nemine negandum, &c.* Sic Ouiedo. Igitur Granado non est pro prædictorum doctorum sententia.

Seg ego longe multo probabilius; imò, vt mihi certum, Respondeo dicendum, quod nullo modo satisfaciat Episcopus, aut quilibet alius Ecclesiasticus erogando pauperibus vel quartam partem omnium reddituum Ecclesiasticorum, vel dimidium illorum reddituum, qui remanent post eorum congruam sustentationem; sed quod teneantur omnes fructus, aut reditus Ecclesiasticos, qui congruæ sustentationi superfluunt in pauperes, vel in opera pia expendere.

Hæc sententia est communis ferè omnium Doctorum. Et eius veritas colligitur apertè ex Patribus, quorum testimonia tanquam Canones referuntur *16. quæst.1.* colligitur deinde ex Trident. *sess.25. cap.1.de Reformat.* dum serio interdicit, Episcopis, & aliis Ecclesiasticis, nec adhuc consanguineos, nec familiares suos ditent; nec eorum causa, bona Ecclesiastica, quæ Dei sunt, distrahant, vel dissipent. Legantur verba Tridentini relata à nobis *supra qu.48.* vnde hanc sententiam tenent D. Thom. *2.2. qu.87. art.4.ad 4. & art.3.ad 1. & quodlib.6.* Caiet. *verb. Beneficium, c.2.* Nauarr. *opusc. de reddit. qu.41. à n.9.* Couarru. *c. Cum inoffic. de Testam. n.2.* Sarmiento *1.p. defensionum, monito 24. & 40.* Molina *lib.2. de Primogen. cap.10. num.46.* & Pater Molina *tom.1. de iust. disp.146.* Aragon. *2.2.q.32. art.5.* Tabiena, Palatios, vterq; Sotus, Driedo, Ledesma, Gerson, Carthusian. D. Anton. Henricus, Gabriel. Angel. Siluester, Armil. Adrian. Abulens. Horcala, Corduba, Felinus, Decius, Innocent. Cardinal. Alaba, Greg. Lopez, Nieua, & Auendaño, quos affert, & sequitur D. Thom. Sanchez. *lib.2. Consil. c.2. dub.38. n.1.* dicens, id esse certum apud omnes. Vazquez *de Eleemos. c.4. num.8.* Ægidius *disp.27. dub.11. num.102.* Lessius *lib.2. cap.4. numer.47.* Lugo *tom.1. de Iust. disput.4. sectio.2.* Granados *tractat.11. disput.1. sect.3.* Gasp. Hurtad. *loco citato* Valentia *disput.3. quæstione quarta & disput.10. quæstione tertia punct.7.* Tannerus *tom.3. disputatio quarta quæstione sexto dubit.8. numero 233.* Filliuc. *in Append. tract.41. capite sexto num.40.* Palaus *tom.1. tract.6. disput.2. punct.5. num.6.* Villalob. *tom.1. Sum. tract.22. diff.5. num.5.* quos omnes refert, & sequitur Ouiedo, *punct.16. cit. numer.171.* Pater Hemanus *in Medulla Theolog. lib.4. capit.2. dubit.3. Respons.2.*

Nec Hurtadus de Mendoza, (inquit Lugo *numero 11. in fine*) *nec Diana, in contraria sententie persistunt plane. Concludunt enim; reliquum posse pro libito insumi; secluso tamen scandalo, & non in vsus profanos. Equidem omnes alij Doctores, per vsus profanos, in hac materia, non intelligunt solùm, vsus turpes, & illicitos, sed quoscunque non pios. Si ergo solum volunt, posse expendi pro libito in quoslibet vsus pios, nihil dicunt peculiare. Si verò aliud volunt, iam dant licentiam expendendi in vsus profanos; nam emere villam deliciarum viginti mille aureis pro consanguineo, vsus profanus, apud omnes, est.* Hæc Lugo, Addo ego, quod Diana *part.8. tractat.7. Resolut.12.* apertè ait, se velle nostram sententiam ab omnibus Episcopis, & Beneficiariis obseruari, illamque consulendam esse: & merito & impugnari à Lugo oppositam.

Quæstio LXXV.

An Beneficiati integrum dominium acquirant suorum Ecclesiasticorum reddituum; & præcipue illorum, qui suam congruam sustentationem excedunt?

Negant communiter Doctores docentes, quod Episcopi, aut alij Beneficiati non sint domini fructuum, & reddituum suorum beneficiorum; sed solùm administratores, seu dispensatores illorum, hac videlicet facultate, vt capiant sibi necessaria ad congruam suam sustentationem, & reliqua quæ supersunt, teneantur in pauperes, vel alia opera pia distribuere.

Hæc sententia suadetur ex grauissimis testimoniis desumptis ex Iure Ciuili, & Canonico, & decretis Pontificum, & Conciliorum, ex plurimisque Patribus, quibus dicitur, Clericos administratores, & œconomos esse pauperum; & bona Ecclesiastica esse patrimonia illorum. Quæ testimonia latissimè refert Nauarrus *tract. de redditib. qu.1. & 2.* vbi affirmat, nullum antiquorum Canonistarum, oppositam sententiam audire voluisse. Pro illa refert Innocent. Felinum, Ioan. Andream, Ancharranum, Archidiacon. Dominic. Decium, & alios. Et esse cõmunem Canonistarum, & omnium penè, tradunt Valentia *disp.10. q.3. punct.7.* & Lessius *lib.2. cap.4. dub.6. num.42.* Pro eadem referuntur ex Theologis Alens. Ricard. Palud. Antonin. Maior, Gabriel. Petr. Sotus, Michael de Medina, Angel. Armilla, Rosella, Siluest. Pisana & alij, quos referunt Thom. Sanchez *lib.2. consil. c.2. dubio 27.* (non 7. vt leges apud Ouiedum) *num.10.* & Lugo *disputat.4. cit. sectio.1. num.1.* His Authoribus consentiunt adhuc Layman *lib.4. tract.2. cap.3. num.3.* Tannerus *tom.3. disp.4. quæst.6. dub.8. n.215.* vbi ait, sententiam istam multo probabiliorem, imò speculatiue & iuxta propria principia, vnice veram esse. In eandem propendit Ouiedo, *controu.10. pun.15. num.166.*

Sed benignius Respondeo dicendum, & quod Beneficiati vere sint domini omnium reddituum suorum beneficiorum (si non sint Regulares) eosque faciant omnino suos. Sic colligitur ex *cap. vnum de Cleric. non resident. in 6.* & ex Concil. Trident. *sess.23. de Reformat. cap.1.* ibi: *cum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, & sess.24. de reformat.* ibi:

fructus non faciant suos. Et rursus ibi: *quos* (fructus, videlicet) *ratione etiam præbendæ, & residentiæ fecit suos.* Idem habetur in decreto Concilij Lateranens. vltimi, *sess.9. Can.9.* quod est insertum in Bulla Pij. V. *Constit.138.* quæ incipit: *Ex primo.* In quibus locis manifeste supponitur, Clericos facere fructus suos: atqui hoc est illorum dominium acquirere: ergo. Sic Sarmiento, contra Nauarrum, *par.4.de reddit.cap.1. & sequentib.* Sotus, Couarru. Adrian. Corduba, quos affert, & sequitur Vazquez, *de Eleemosy. cap.1.§.3. dub.1.num.28.* Arboreus, Alcozer, Tabiena, Simancas, Gerson, Abulens. Honcala, Turrecrem. Præpositus, Angles, & Aragonius, quos affert, & sequitur Sanchez. *lib.2.consil.cap.2.cit dub.27.num.11.* Molina *tom.1.de Iust. tract.2. disp.143.* Lessius *lib.2. capit.4. dubit.6.* Lorca *2.2. sect.3.disp.40. num.23.* Ægidius *disp.27.dub.11. num.185.* Filliuc. *in Append.tract.41. capit.6. quæstion.8.* quos relatos sequitur Cardin. de Lugo *tom.1. de Iust. disp.4. sect.1. num.2.* Palao, *to.1. tractat.6. disput.2. punct.6. num.6.* Granados, vterque Hurtadus, Azor. Luysius de Torras & alij apud Ouiedum. Tenet etiam Garcias *de Benefic.2. parte cap.1. n.6. & 7.* vbi ait, quod hæc sententia est, sine dubio, magis communiter recepta, maximè inter Theologos Hispanos; & praxi, & consuetudini Ecclesiæ conformis, Diana *par.5.tract.8.Resol.31.* Gordonus, Reginald. Valentia, & alij apud ipsum.

Qvæstio LXXVI.

An Clerici Beneficiarij, si redditus, qui suæ congruæ sustentationi supersunt, pauperibus non exhibeant, non solum peccent mortaliter; sed etiam ad restitutionem teneantur?

Affirmant omnes Authores, qui negant Ecclesiasticos Beneficiarios, esse dominos fructuum, ac redituum suorum beneficiorum; & ideo consequenter dicunt, quod Beneficiarij, qui bona Ecclesiastica, quæ suæ sustentationi superfluunt, non expendunt in pauperes, aut in alia opera pia, sed in vanos vsus; tunc peccant mortaliter contra Iustitiam, & consequenter tenentur ad restitutionem. Sic, vt dixi, tenent Authores primæ sententiæ, nuper relatæ. Et quidem probabilissimæ.

Sed benignius Respondeo dicendum, quod peccent mortaliter, si prædictos fructus, ac reditus in vanos vsus expendunt, & non in pauperes, aut in alia opera pia; sed minime ad restitutionem teneantur, cum non peccent contra iustitiam, sed contra misericordiam: nam obligatio dandi Eleemosynam, ex bonis, quorum dominium habent clerici, non est ex iustitia, sed ex misericordia, sicuti de sæcularibus diximus *supra.* Sic Authores secundæ sententiæ nuper relati. Legantur præcipue, Sotus, vterque Molina, Sarmiento, Valentia, Ægidius, Palaus, & Diana.

Qvæstio LXXVII.

An etiam Pensionarij, seu qui habent pensiones deductas ex bonis Ecclesiasticis; habeant eandem obligationem, ac Beneficiarij, expendendi superflua in pauperes, aut in alia opera pia?

Negat absolute Vazquez, *de Eleemosyna cap.4. dub. vlti. numero 22.* his verbis: *Respondeo, quod nullum video Authorem obligantem pensionarios, ex Charitate adhuc, ad vberiores, vel alias Eleemosynas quam alios sæculares: licet enim bona sint Ecclesiastica, dantur tamen in pensionem, propter bonum Ecclesiæ, eo modo, vt vidimus, in alimentis, & status pensionarij, non obligat eum, nisi sit alias beneficiarius ad Eleemosynas aliter quam alios laicos. Si vero sit beneficiarius ille talis tenebitur ad prædicta ex beneficij superfluo, ratione cuius in eo est constitutus statu.* Hæc Vazquez. Pro cuius sententia fuere Gigas *tract. de pensionib. quæst.52.* Couarru. *cap. cum in officiis de testamentis numer.6.* Palaus Romanus *de pensionib. quæst.8.* Redoan. *de spoliis Clericor. quæst.3.§.1.nu.27. & 28.* Caccialupus *tract.de pensionib.quæst.25.* & ita esse diffinitum in Sacra Rota testatur Azor. *2. tomo lib.7. cap.9. quæst.12.* vbi eandem sententiam amplectitur, quam dicit esse communem, & *lib.8.c.12. quæst.4. & 5.* licèt ipsemet parum constans contrarium docuerit postea *lib.12.cap.11. quæst.3.* vt notat Lugo *to.1.de Iust.disp.4.sect.3.n.32.* Qui etiam hanc sequitur sententiam Hermanus *lib.4. Medullæ cap.2. dub.3.vers.fructus, qui dantur.*

Affirmant contra absolutè alij dicentes teneri Pensionarios superfluum suorum beneficiorum redituum erogare pauperibus, sicuti beneficiatos. Ratio est, quia res transit cum suis oneribus, *cap.ex litteris, de pignorib.* at illa bona Ecclesiastica habent hoc onus: ergo ad quoscunque transeunt, debent cum hoc onere transire. Nec per hoc quod Papa talia bona Pensionario applicet, tollit illud onus. Ita tenent Nauarr. *in Apolog.quæst.1.monito 80. & in opusc. de Spoliis Clericor. §.1. num.6. & §.7.n.7.* Sarmiento, *lib.1.de Reditib.par.3.c.5.n.7.*

Alij denique, media incedentes via, distinguunt inter pensiones, quæ ex beneficij fructibus dantur. Quædam namque dantur titulo sæculari, quædam verò titulo spirituali, vt cum aliis bene docet Garcia *de Benefic.1.par.capit.1.à numer.8.* quo supposito, dicunt, quod Pensionarij habentes pensionem spiritualem, aut Ecclesiasticam, teneantur sicut Beneficiarij ad eroganda pensionis superflua pauperibus: non verò Pensionarij habentes pensionem sæcularem, seu titulo sæculati illis concessam: qualis persæpius applicantur Principibus sæcularibus, vel militibus pro aliquo munere temporali, &c. Sic tenent Molina *to.1. de Iust.tr.2. disp.145.* vbi ait opinionem Nauarri intelligendam esse de pensionariis Ecclesiasticis; secus de laicis, quibus ob benemeaita, aut obsequia, pensio est concessa. Sic etiam Sotus, & Corduba, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.2.consil. c.2.dub.47.n.5. & 6.* Palaus *disp.2.de Charitate pun.7. num.2.* Diana *par.5. tractat.8. Resol.29.* Petr. Hurtad. *2.2.disp.160.sectio.7.§.117.*

Ego Respondeo dicendum, omnes tres sententias esse probabiles, sed inter illas vt benigniorem, liberè poterit Pensionarius primam sequi.

Qvæstio LXXVIII.

An Commendatarij D. Iacobi, Calatravæ, Alcantaræ, & D. Ioannis, teneantur expendere in pauperes, aut in alia opera pia, residuum ex congrua sustentatione?

Affirmant aliqui, eo quod redditus commendarum à dictis militibus percepti, sunt reditus Ecclesiastici, vtpotè, qui ex decimis extrahuntur: ergo. Ita Nauarrus *de reddit. quæst.1. num.95. & 96. & quæst.3. num.30. & 31. & in Apologia monito 61.*

Motta

Motta *in libro instructionis, vt Commendatarij tendant ad perfectionem cap.4.§.4. num.50.* Ayala *in Compendio explication.Regulæ ordinum militarium,* & Manuel Rodriguez (non, Sà, vt male refert Diana *infrà*) *tom.2.quæst.Regul. quæstion.57.art.5.* Bonacina *tom.1. tract. & disput.4. de obligat. Beneficiariorum punct.2. numer.25.*

Sed probabilius Respondeo, Non teneri. Quia redditus commendarum dantur dictis commendatariis,titulo sæculari, scilicet, militari: tenentur namque huiusmodi milites, militari, quoties id imperet Magister: ergo manent liberi ab obligatione conuertendi superfluos redditus in pauperes,aut in alia opera pia. Sic Sanchez *tom.2. in Decal.lib.7.capit.8. num.29.* & apud ipsum, Azor.*tom.1. lib.13. capit.4. quæst.10.* Sotus *lib.10.de Iust.quæst.4.art.3.* Corduba, *lib.1.quæst.18.ad 2.& quæst.21.* Victoria, Sarmiento. & alij. Diana *par.5.tra.8.Resol.30.* Petr. Hurtad.2.2. *disp.160.sect.7.§.119.*cum aliis.

QVÆSTIO LXXIX.

An, ille cui datum est beneficium aliquod in commendam; teneatur dare in vsus pias, quod suæ sustentationi supereſt?

NEgant, Ioannes Andreas, & Hostiensis. apud Sanchez *lib.2. consil.cap.2. dub.48.numer.1.* vbi ait, pro hac parte vterque citari, à Silvestro.Sed re vera fallitur; quia Hostiensem, pro oppositа refert, vt *infrà.*Vnde,

Vt certum Respondeo Teneri.Quia sicut ille succedit, & substituitur Beneficiario in eius munere, ita & in eius oneribus: nec æquum est, vt sit Beneficiarius, quoad commoda solum. Ita Silvest. *verb. Commenda numer.2. quæst.3.* ibi: *Imo non habet ius in fructibus, nisi ad colligendum, gouernandum, & prouidendum sibi, & ministris, & quod supereſt, in vtilitatem Ecclesiæ conuertendum; sicut & de visitatore dicitur* dist.16. obitum. *Et hoc tenet Hostiensis: sed contrarium fit de facto.* Sic ille. Nauarrus etiam, *de reddit.quæst.1. num.80.* quos citat, & sequitur Sanchez *loc.cit.* Lugo item,*de Iust.& iure tom.1. disp.4. sect.3.n.33.*Bonac.*loc.cit.n.22.*

QVÆSTIO LXXX.

An, Beneficiarij, seu Canonici, teneantur, superfluum distributionum, quæ illis dantur, ob præsentiam in Choro, vel alio ministerio, in pauperes, aut alios vsus pios, expendere?

AFfirmant quidam: Quia istæ distributiones, verè sunt pars reddituum beneficij: ergo idem est dicendum de illis, ac de cæteris beneficij fructibus. Ita Nauart.*de reddit. quæst.1.num.74.* & Sarmiento *de reddit. part.3. capit.5. numer.6.* quos sequitur Sanchez *lib.2. consil. cap.2. dub.46.* & indicat Molina,*tract.2.disp.143.vers.Secundo probatur.*

Sed probabiliter Respondeo, Non teneri. Quia (probat Lugo) *licèt distributiones illæ,ex ipsis fructibus beneficij, vel præbendæ, deducantur; iam tamen ab Ecclesia ipsa ad hunc finem deductæ sunt,vt piè expendantur in hunc finem fouendi studium, & assistentiam chori, vt stipendium, & merces illius laboris, & assistentiæ: quare sicut portio reddituum, quæ extrahitur ex aliqua Præbenda, vt sit merces Cantoris, vel Magistri Grammaticæ, transit in eius liberum dominium, & dispositionem; quia datur in stipendium illius laboris, & ad hunc finem expenditur ab Ecclesia; sic idem de distributionibus videtur dicendum, quas Ecclesia ipsa extrahit ex reditibus: & piè expendit in præmium,& stipendium laboris, & assistentiæ Clericorum, quos multum refert eo stipendio prouocare & allicere ad tale obsequium Ecclesiæ exhibendum.* Sic ille, *disp.4.sect.3.num.25.vsque ad 27.* post Silvestr. *verb. Clericus 4.quæst.4.* Auendaño. *responso.19. numer.12.* Couarru. *Cap.Cum in officiis,de testam.nu.4.* Dominic. Francum,Parisiens. Decium, Salogninum, Guillermum, Alcozer. Angelum, & Palacium, quos pro hac parte refert Sanchez *loc.cit.num.2.* His addi possunt Azor.*tom.2.lib.7.cap.9.quæstion.10.*Moneta, *de distribut.* qui & sexdecim Authores refert. Valerus *in differentiis inter vtrumque forum, verb. Munera, num.14.*Filliucius*in Append.tract.43.cap.3.qu st.10.* Bonac.*tract.4.cit.disp.4.punct.2.num.18.* & alij apud Lugum *num.27.* Qui(licèt non omnes) addunt, nostram sententiam locum habere, etiam vbi omnes fructus beneficij consistant in quotidianis distributionibus; nam tunc omnes fiunt quasi patrimonialia bona, & subsunt liberæ dispositioni beneficiarij.

QVÆSTIO LXXXI.

An, ex fructibus Capellaniæ, non collatiuæ, sed amouibilis ad nutum; teneatur Capellanus expendere superfluum suæ congruæ, in vsus pios?

REspondeo tanquam certum: Non teneri. Quia prædicti fructus,sunt bona quasi patrimonialia: nec sunt fructus beneficij, cum non conferatur dicta Capellania per Canonicam electionem: atqui, vt ex supradictis constat, Ecclesiasticus optime potest pro suo libito expendere bona patrimonialia, aut quasi, ergo. Sic Lugo,*loco cit.num.28.*dicens, de hac re non esse dubium. Nauarr. Bonac. & alij mox citandi.

QVÆSTIO LXXXII.

An, saltem,de fructibus Capellaniæ collatiuæ,& inamouibilis; teneatur Capellanus expendere superfluum in vsus pios?

AFfirmant multi. Quia prædicti fructus, verè sunt redditus beneficij Ecclesiastici; cum tale vere sit, Capellania collatiua. Ita sentiunt Nauarrus *de redit. quæstion.1. numer.73.* Silvestr. *v. clericus 4. quæstion.4.* Azor. *tom.2. lib.7. capit.9. quæstion.10.* Filliuc.*loc.cit.num.13.* Bonacina *loco cit. num.19.* ibi: *secus dic de fructibus Capellaniæ titularis authoritate Episcopi erecta.Hæc enim est beneficium Ecclesiasticum.* Sic ille.

Sed probabiliter æquè Respondeo, Adhuc Non teneri. Quia (ait Sanchez) *Tales fructus non dantur nisi pro stipendio Missarum dicendarum in hebdomade, vel mense, &c. & parum refert, temporaliter dari pro vna Missa, vel in perpetuum,vel factos esse spirituales,vel non,dummodo sine tali onere,vel pacto,(nempe, expendendi superfluos in pios vsus)dentur.* Sic ille, *dub.45.n.6.&* apud illum,Sotus *li.10.de Iust.q.4.ar.3.*

concl.3. & Driedo *lib.2. de libert. Christiana capit.4.* Item Lugo *sect.3. cit. num.29.* vbi ait, quod tandem idem videatur sentire Nauarr. *dicta quæst.1. num.75.* & infirmare Vazquez. *opusc. de redit. cap.1.§.3. dub.1. num.51.*

QVÆSTIO LXXXIII.

An, Religiosi assumpti ad aliquod beneficium sæculare, vel regulare ad nutum amouibile; sint vere domini reddituum beneficij, & possint de illis disponere, ac alij Clerici beneficiati sæculares?

REspondeo tanquam certum: Nec esse dominos, redituum beneficij: & consequenter, nec posse disponere de illis, ac possunt alij Clerici sæculares beneficiati. Ratio est: quia dominium talium reddituum, est penes monasterium, & solum illis conceditur administratio ad vsus pios, & non aliter: ergo. Sic cum communi Palaus *tom.1. tract.6. disp.2. punct.8. numer.1.* Vazquez, mox citandus, Pellizzarius, & alij.

QVÆSTIO LXXXIV.

An saltem, dicti Religiosi sint verè domini talium reddituum, & possint de illis disponere, ac alij Clerici Beneficiati sæculares; casu, quo assumpti sint ad beneficium perpetuum, & non amouibile?

AFfirmat cum aliis, nouissime Pellizzarius, *tom.1. tract.4. cap.2. sect.5. quæst.13. num.372.* his verbis: *Respondeo videri probabile, quod sint, si beneficium ad quod assumuntur, sit perpetuum, & tale vt à Prælato regulari non possit amoueri: siue postea illud sit sæculare, siue regulare.* Ita Vazquez, *de reddit. cap.3. dub.8.* & cum eo Alphon. de leone, *de officio Confessor. recollect.11. num.176.* dicens, *hoc ipso, quod Regulari confertur à Papa beneficium aliquod perpetuum, aut pensio, illum eo ipso censeri dispensatum, vt sit dominus fructuum beneficij, aut pensionis, sicuti est dominus quicunque alius beneficiarius, aut pensionarius, Clericus sæcularis. Quod tamen non facit, quin Religiosus modo dicto, beneficiarium expendens fructus sui beneficij in vsus profanos peccet; non quidem contra votum paupertatis, sed contra specialem prohibitionem quoad hoc factam beneficiariis* in Concil. Tridentino *sess.25. cap.1. de Reformat. nisi quis malit dicere, eiusmodi prohibitionem per contrarium vsum fuisse legitime abrogatam: quomodo abrogari potest quodcunque aliud ius positiuum, concurrentibus debitis circunstantiis. Ita docti viri consulti.* Hucvsque Pellizzarius.

Sed probabilius longè Respondeo: Nec in hoc casu esse veros dominos beneficij reddituum; ac proinde nec posse disponere de illis ac Clerici sæculares beneficiati possunt. Ratio est: *Quia* (ait Sanchez *lib.6 sum cap 6.num.39.*) *Religiosus promotus ad beneficium Parochiale alicuius Ecclesiæ, verè tenetur votis Religionis: ergo & paupertatis: ergo nullum dominium alicuius rei habere potest.* Sic contra Vazquez, sentit Palaus, *loc.cit.*

QVÆSTIO LXXXV.

An adminus, Religiosi ad statum Episcopalem assumpti; habeant dominium reddituum Ecclesiasticorum, & possint disponere de illis ac alij Episcopi sæculares?

AFfirmant multi, moti ex cap. *vnico* 18. *quæstion.1.* vbi, loquens de Religioso Episcopo, sic dicitur: *velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem, postea iure vendicandi potestatem habet.* In quibus verbis videtur clarè exprimi, talem Religiosum Episcopum habere dominium hæreditatis paternæ: ergo manet liber à paupertatis voto: ergo de redditibus Ecclesiasticis potest disponere, sicuti alij Episcopi sæculares. Ita, apud Sanchez, Sotus *lib.7. de Iust. quæst.4. art.2. ad vltim. & lib. vltimo, q vltima, art. vltimo col.4.* Palacios, *in 4. dist.38. disp.1. fol.834.* Michaël à Metina *de Sacro homin. Contin. lib.5. cap.26. col.2.* Angles *flor. lib.2. p. quæst. vnica de voto, art.2. post.3. difficult. dub.5.* Gratian. Regul. 320. *numer.4.* & Vazquez, 1.2. *qu.96. art.4. disp.165. c.8. n.91. & n.104.* Adde, & in opusc. *de reddit. c.3. dub.7.*

Sed, longè multò probabilius, Respondeo dicendum, quod Religiosi facti Episcopi, minime habeant dominium reddituum Ecclesiasticorum; nec possint disponere de illis, ac alij Episcopi sæculares. Quia longe probabilius est, tales incapaces esse dominij proprij, & manere obstrictos paupertatis voto. Sic Sanchez, *in summa tom.2. lib.6 cap.6 num.8.* dicens, hanc sententiam verissimam: & citat pro illa, D. Thomam 2.2. *quæst.88. art.11. ad 4. & q.185. art.8. ad 3. & 4. sentent. dist.38. qu.1. art.4. quæstiunc.1. ad 5.* D. Bonauent. ibi, *art.2. q. vltima ad vltim.* Nauarrum *Commentar.1. de Regular. nu.31. & commentar.2. num.17. & comment.3. num.46. & lib. de redit. Eccles. in noua edit. quæst.1. monito 11. nu.1. & 2. & monito 52. num.1. & lib.3. consil. in 1. edit. titul. de Regular. consil. 15. num.11. & in 2. tit. de donation. cons.6. numer.11.* Sarmiento, *de reddit. Eccles. 1. p. cap.1. num.10.* Couarru. *cap.1. num.8. de testament.* Arragonium 2.2. *quæst.88. art.11.* Valentiam *disp.10. quæst.3. punct.8. col.3.* Lessium *li.2. de Iust. c.40. dub.14. n.113.* Azorium *tom.1. cap.7. quæst.2.* Henriquez *lib.10 cap.32. num.5. & cap.33. num.3. & lib.12. cap.5. num.5.* Rodriguez *2. tom. sum. cap.10. num.4. & tom.2. quæst. regul. qu.58. art.3.* Petr. Ledesm. 2. *tom. sum. tra.10. cap. vlti. dub.2. ad 4.* D. Antonin. Rosellam, Angelum, Tabienam, & alios plures. Quibus adhuc addi possunt, Ægidius, *disput.27. dub.11. numer.200.* Palaus *punct.8. citato num.3.*

§. III.

De eroganda à Regularibus Eleemosyna.

QVÆSTIO LXXXVI.

An, Regularibus sit interdictum, aliquas facere Eleemosynas

AFfirmandum videtur ex Bulla Clement VIII. *edita 1594.13. Calen. Iulij*, quæ incipit: *Religiosa.* vbi prohibetur generaliter Regularibus largitio munerum.

Sed

Sed vt certum Respondeo, Non esse illis id interdictum; sed posse licitè Eleemosynas aliquas facere; dummodo id faciant cum debita licentia superioris, Quia id minimè prohibuit Clemens VIII. Sed potius contrarium expressit illis verbis: *Nisi re ipsa pro diuino cultu, & veris Christi pauperum indigentiis, seruato in hoc Charitatis ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio, & consensu superiorum subleuandis.* Sic Pontifex, & Sic omnes. Legantur Sousa *in explicat. Bullæ dictæ* §.7. *num.*91. Riccius *in praxi tom.*2. *Resol.*25. Diana 1.*p. tract.6. Resol.*11. Pellizar.*to.*1.*tract.*11.*c.*9.*q.*14.*n.*27.

Qvæstio LXXXVII.

An, liceat Religioso, cum tacita licentia superioris, aliquam Eleemosynam elargiri?

Respondeo licere cum licentia, saltem tacita; sine illa minimè. *Quia* (ait Pellizzarius) *cum Religiosi nullum habeant dominium nullamve bonorum administrationem, quæ tamen supponuntur in eo, qui nomine proprio facit Eleemosynam, ideo illis est id interdictum: nisi adsit licentia, saltem tacita superiorum: Quæ ad talem effectum certè supponitur, non solum in casu extremæ necessitatis proximi; aut etiam magnæ aduenientis, quo tempore superior adiri non possit; sed etiam quando Religiosus ex legitima licentia degit extra Monasterium, causa studiorum, peregrinationis, aut negotij; vel certè habet peculium de licentia Prælati.* Sic ille *tract.*4. *cap.*2.*sect.*3.*quæst.*17.*numer.*227. alia, quæ circa hanc materiam desiderari possunt, *alibi*, si Deo placuerit dicemus, tractando de voto Paupertatis.

DISPVTATIO IV.

Ex quibus bonis facienda sit Eleemosyna.

Qvæstio Prima.

An ex propriis facienda sit Eleemosyna.

Respondeo tanquam certum: Quod facienda sit per se loquendo, ex propriis, non ex aliens. Quia non est iniustitia committenda, vt Charitati subueniatur; vt rectè dixit Augustin. *lib.* 5.*homiliar.hom.*7. *relatus in cap. Forte.*14. *quæstion.*15. Rursus Eleemosyna est actus dominij atqui nullus potest actum dominij exercere in rebus alienis, domino non consentiente saltem tacite: ergo. Sic omnes legantur D. Thom.2.2.*quæst.*32. *art.*7. & ibi omnes eius expositores. Vazquez, *de Eleemosyna cap.*2.*dub.*2. Palaus *tom.*1. *tract.*6.*disp.*2. *punct.*12. Ouiedo, *de Charit.contr.*10. *punct.*12. Hurt. Complutens.*disp.*5.*de Eleemosyna diff.*13. Trullench. *lib.*1.*in Decalog.c.*5.*dub.*10. Petr. Hurt.2.2.*disp.*159. *sect.*6.§.141. Azor,*tom.*2.*lib.*12.*c.*12.

Qvæstio II.

An, vt licitè Eleemosyna fiat; sufficiat, quod bona sint propria?

Respondeo absolutè non sufficere. Nam requiritur, & quod bona, ex quibus facienda sit Eleemosyna, sint propria, & quod illorum administratio impedita non sit, aut legibus prohibita. Quia cum Eleemosyna dicat alienationem rei datæ, illi, cui prohibita est administratio suorum bonorum, consequenter est prohibita Eleemosyna ex illis facienda: nihil enim magis primario, & directè, quàm alienatio interdicitur, cum administratio prohibetur. Sic omnino Ouiedo, *punct.*12.*cit. numer.*1. & omnes.

Qvæstio III.

An, saltem in casu extremæ necessitatis, liceat cuilibet, ex bonis alienis Eleemosynam facere extremè patienti?

Respondeo tanquam certum: licere cuilibet, si aliàs ipse succurrens bona propria non habeat, vt *infrà*. Ratio est: quia sicut pauper iste potest aliena subripere pro tunc; sic & alius, suo nomine; vt diximus *supra disput.*2.*quæst.*30. *& sequent.* Sic communis. Legatur Ouiedo, Palaus, Hurtado *loc.cit.* Qui idem dicunt, quando pauper grauiter indiget: & bene, vt constat ex dictis *disp.*2.*q.*35.

Qvæstio IV.

An, si apud aliquem sint aliena bona, & propria; possit extreme indigenti subuenire ex alieno, reseruatis propriis?

Respondeo vt certum: Non posse. Quia, quando proprium habemus, capere alienum non licet. Sic Medina *de Eleemosyna quæst.*5. Ledesma *in* 4. *quæst.*15. *art.*5. *ad* 2. Quos citat, & sequitur Azor. *lib.*12.*c.*12.*cit.q.*1. Ouiedo, *punct.*12.*cit.num.*105. his verbis: *Si autem quis habeat bona ex quibus æque, ac alius, teneatur pauperi succurrere, peccabit, si propriis bonis retentis, ab alio arripiat bona, vt pauperi det: quia tunc ille tenetur Eleemosynam dare, quod præceptum non adimplet subripiendo aliena bona, vt pauperi subueniat.* Sic ille, & etiam cum aliis, nos *supra disp.*2. *quæst.*34.

Qvæstio V.

An, Qui habendo propria bona, aliena subriperet, vt extremè indigenti daret; teneretur ad restitutionem?

Negatiuam sententiam amplectitur, (ni fallor) Ouiedo, *punct.*12.*cit. numer.*105. *Quatenus* ait, *illam non omnino ratione carere. Nam dum hic, apud se statuit Eleemosynam extremè indigenti non dare, peccat solùm contra misericordiam, & non contra iustitiam: & licet demus peccare peccato iniustitiæ, iniustitia, quæ præcisè constituit,* (lege, *consistit*) *in negatione Eleemosynæ tantum erit contra pauperem, & non contra diuitem*

tem alium, à quo bona subtrahit, quod inde probatur: quia si ab illo nihil subtraheret, & tantum Eleemosynam omitteret, nullam iniustitiam, contra diuitem committeret. Deinde, quia obligatio dandi Eleemosynam, non est in fauorem alius diuitis, sed in fauorem pauperis. Supposito igitur peccato, contra misericordiam, & posita omissione Eleemosynæ debitæ, necessitas pauperis adhuc vrgens, videtur sufficiens titulus ad bona alia diuitis subripienda, vt pauperi subueniatur, absque peccato iniustitiæ; quia ille, qui ita subripit, ea subripit, quæ pauperi sunt debita, & supposito peccato, quod committit contra misericordiam, quia propria non dat, perinde res se habent, ac si ea non haberet in ordine ad succursum pauperis alio modo procurandum, ac proinde videtur sine iustitia (lege, iniustitia) posse peccantem contra misericordiam, propria bona retinendo, aliena arripere, ne extremè indigens pereat, & nomine pauperis bona, quæ pauper posset arripere ab alio auferre, cuius subreptionis titulus, erit necessitas pauperis ex alio capite non subleuata, licèt in eo quod non subleuetur ex bonis ipsius arripientis, peccatum contra misericordiam committatur. Hæc omnia sapiens Ouiedo.

Sed multo longe probabilius Respondeo Teneri ad restitutionem. *Primò*, quia, qui in prædicto casu aliena subripit, nullo titulo, seu nulla honesta causa excusante, id facit: ergo ad restitutionem eorum, quæ rapuit tenebitur. *Secundò.* Quia prædictus, non solum peccat contra misericordiam; sed etiam contra iustitiam positiue: ergo ex hac parte ad restitutionem tenebitur. Quod peccet contra misericordiam, conuincit Ouiedo: quod etiam contra iustitiam, & positiuè; ergo, sic: Quia positiue rapit, sine causa aliena; cum ipse habeat bona propria, quibus potest, imo & tenetur sub mortali, indigenti succurrere: ergo positiue ex hac parte peccat contra iustitiam: ergo &c. Nec est verum quod Ouiedo dicit, nempe quod ille, qui ita subripit, subripit ea, quæ pauperis sunt debita: nam potius hæc sunt, in eo casu, indebita; debita verò quæ sunt propria rapientis, vt constat.

Qvæstio VI.

An, Hæretici, aut qui commiserunt crimen læsæ Maiestatis, possint, ante criminis declarationem, Eleemosynam dare pauperibus, etiam citra extremam necessitatem?

NEgant aliqui. Quia, qui talia crimina commisit, est bonorum suorum dominio priuatus. cap. *Cum secundum leges. de Hæret. in 6.* Ita Medina, & Ledesma, quos citat, & sequitur Azor. *tom. 2. libro 2. cap. 12. quæst. 4.* ibi: Sed verior est Medinæ, & Ledesmæ sententia. Vnde male citat illum pro contrario, Trullench mox citandus. Ita etiam sentit cum Azorio, Becanus *2.2.c 2.n. 16.*

Sed probabilius Respondeo, Posse dare, dummodo id non faciant in fraudem fisci. Quia probabilius est, quod tales rei non sint priuati absolute dominio bonorum suorum, cum adhuc possessionem retineant; nec teneantur illa fisco, ante sententiam Iudicis, donare, seu restituere. Sic tenet Bonacina *tom. 2. in prim. præcep. Decalogi disp. 3. q. 4. punct. 6. n. 23.* citans pro se Thomam Sanchez *lib. 2. sum. cap. 22. numer. 3.* Medinam *C. de Eleemosyna quæstion. 4.* Reginaldum *lib. 4. cap. 22. num. 270.* Lorcam *disp. 36. num. 13.* Sed ex iis, non bene citatur pro hac parte hic Medina; bene alter poterat, *1.2. quæstion. 96. art. 4.* cum aliis multis, quos affert Sanchez *numer. 3. cit. & numer. 7.* Sic etiam tenent Filliuc. *tract. 28. capit. 4. quæst. 3. numer. 90.* Trullench *lib. 1. in Decal. capit. 5. dub. 10. numer. 1.*

Qvæstio VII.

An, ex bonis vsura comparatis, possit quis Eleemosynam dare?

NEgat cum aliis Trullench citatus *numer. 2.* his verbis: *Dico secundo, turpiter acquisita, ob actionem ipsam iniustam, itavt acquisitio etiam iniusta, sit, vt per furtum, vsuram, donationem extortam, ludum fraudulentum, simoniam, & similes modos non possunt dari in Eleemosynam; quia sunt restituenda.* Ita ille cum Fillucio *quæst. 4. num. 91. & 92.* & Villalob. *tract. 22. diff. 6. n. 3. & 4.*

Sed clarius Respondeo, Posse: dummodo non sit res, quæ in specie restitui debeat; & dummodo quamuis donet, tantundem habeat, quantum restituere debet. Sic omnino Azor. *capit. 12. citato quæstion. 6.*

Qvæstio VIII.

An, qui ludendo lucrifacit; possit ex lucro Eleemosynam largiri, si pecuniam ludo expositam fuerat furatus?

REspondeo cum eodem Azorio *quæst. 5.* Posse: *Quia fecit suum, quod ludendo lucratus est: quamuis tantundem debeat restituere, quantum furto acceperat. Quemadmodum, si opifici artis instrumenta quis auferat, & laborando mercedem acquirat, fit dominus mercedis, tametsi restituere debeat instrumenta furto sublata, & compensare, ac resarcire damnum illatum opifici.* Sic Azor. Quem, non citatum, sequitur Villalobos *tom. 1. summæ tract. 22. diff. 6. num. 5.* his verbis: *El que tiene hazienda ganada contra leyes, en los casos en que verdaderamente adquiere dominio, puede hazer limosna della como dize S. Thomas 2.2. quæst. 32. art. 7. y la commun. El exemplo es del que juega juegos prohibidos, y ganò en ellos, y la Ramera que gana con pecado. El fundamento es, porque estos son verdaderos señores de lo que ganaron, y assi lo pueden dar de limosna. Y aun digo mas, que el que hurtò a vn Official los instrumentos de su arte, y con ellos ganò algun dinero, le hizo suyo, y puede dar limosna del, aunque tiene obligacion a restituir al official el daño que le hizo.* Sic ille. Quod idem dicit, *del vsurero, que ganasse algo negociando con el dinero de las vsuras, que adquiere el dominio, como lo tienen S. Thomas, Silvestro, Abad, Couarruias, y es comun. Porque lo que gana desta manera, no es fruto de lo que adquirio por vsuras precisamente, sino es, con su industria; aunque estara obligado a restituir al que le pagò las vsuras, el daño emergente, y lucro cessante.* Sic ille, *tom. 2. tract. 22. diff. 16. num. 2.*

Qvæstio IX.

An, Meretrix ex his, quæ quæstu meritricio acquirit, possit Eleemosynam dare?

NEgandum videtur. Quia Ecclesia non recipit talem quæstum in oblationem, vt diximus 3. *part. tract.6. disput.* 10. *quæst. vltima*, cum communi: ergo.

Sed nihilominus, vt certum Respondeo, Posse. Quia quamuis meretrix, turpiter, & contra legem faciat, non tamen turpiter, & contra legem accipit mercedem, & ideo illius habet dominium. Ecclesia autem non recipit talem quæstum in oblationem factam ad altare, vel in Ecclesia; bene tamen permittit quod de quæstu meretricio fiant donationes, legata, & oblationes necessariæ, vt *loco citato* notauimus. Sic D. Thom. 2.2. *quæst.* 32. *art.* 7. Azor. *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 12. *quæst.* 27. Ouiedo, *controuer.* 10. *pun.* 12. *num.* 117. Villalob. *suprà*, Trullench *numer.* 2. *cit.* & communis. Imo Caietanus 2.2. *quæst.* 86. *artic.* 3. & ex illo Ouiedo, notant, quod Ecclesia solum reiicit meretricis vestes, quibus vsa est ad pellicatum, ne illis sacris imaginibus ornentur; non verò pecunias ex turpi actione habitas, quia nimis extrinsecum est pecuniis fuisse pretium actionis turpis. Addunt que, posse optimè Ecclesiæ Præfectum, cui similes vestes offerrentur, eas accipere, & acceptas vendere, illorumque pretium in ornatum templi insumere; indecentia enim in eo non est præcisè, quod huiusmodi vestes Deo offerantur; sed in eo, quod immediate Altaria, aut Imagines illis ornentur, & in sacrarum actionum vsum destinentur.

Qvæstio X.

An, liceat dare Eleemosynam, ex bonis obnoxiis restitutionis; veluti, furto, aut rapina, ablatis?

REspondeo quod non liceat. Quia illa bona sunt aliena, non propria. Quod intellige, iuxta nuper *quæst.* 7. *dicta*, casu, quod res ablata in specie existat, quia tunc debet domino restitui: secus vero, si iam non existit in specie, neque ex Eleemosyna reddatur impotens ad restitutionem faciendam; quia tunc iam ex propriis Eleemosynam faceret, absque damno creditoris. Sic Vazquez *cap.* 2. *de Eleemosyna dub. vltimo.* Suarez *de Charit. disput.* 7. *sect.* 2. *num.* 6. & 9. Ouiedo, *loc. cit.* Palaus *punct.* 12. *n.* 3. & licèt non ita distinctè, Trullench *n.* 2. & omnes communiter.

Qvæstio XI.

An, ex acquisitis, ob aliquam illicitam actionem iam executam; vt ob homicidium patratum, aut iniustam sententiam; possit quis facere Eleemosynam?

REspondeo, Posse. Quia talium rerum ille acquisiuit dominium iustè, etiamsi actio per quam illud acquisiuit mala fuerit; nec tenetur danti res datas restituere. Sic D. Thom. 2.2. *quæstion.* 32. *art.* 7. Lessius *lib.* 2. *capit.* 14. *dubit.* 8. Ægidius *disput.* 27. *dub.* 12. *numer.* 210. Palaus, & Trullench *locis citatis*, & omnes.

DISPVTATIO V.

De his, quibus danda sit Eleemosyna.

Qvæstio Prima.

An solùm pauperibus danda sit Eleemosyna?

RESPONDEO tanquam certum. Quod solum illis sit danda. Quia Eleemosyna est actus misericordiæ, cuius obiectum est, subleuare miseriam, seu indigentiam proximi: ergo vbi indigentia non est, minime reperitur materia, circa quam virtus misericordiæ versetur. Sic omnes leguntur Gaspar Hurtado *disp.* 5. *de Eleemosyna diff.* 15. Ouiedo, *controu.* 10. *punct.* 14. *n.* 135. Qui bene notat, quod pauperes reputari debeant, non solum mendici, qui ostiatim petunt; sed etiam omnes illi, quibus necessaria non suppetunt ad congruam sustentationem, & sui status decentiam.

Qvæstio II.

Quotuplex sit pauperum genus?

REspondeo dicendum, quod triplex. *Primò* enim quidam sunt omnino inuoluntariè pauperes, quibus misera sors contigit, quam labore, & actionibus proprio statui conuenientibus, à se excutere non possunt. *Secundò*, alij sunt planè voluntariè pauperes, quales sunt Religiosi, qui ex amore virtutis, & vt Christum Dominum perfectius sequerentur, se omnibus diuitiis exuerunt. *Tertiò*, alij sunt pauperes, quibus paupertas est inuoluntaria secundum se; quia plane oderunt, & cuperent habere diuitias, si eas sine labore consequi possent: est iis tamen voluntaria in causa, quatenus ex amore otij fugiunt laborem, quo, si vellent, facile possent, sibi necessaria acquirere. Sic Ægidius, *disp.* 27. *dub.* 6. *n.* 65. Ouiedo, *punct.* 14. *num.* 136.

Qvæstio III.

An, non solum pauperibus primi; sed etiam secundi generis, nempe, Religiosis, danda sit Eleemosyna?

NEgant hæretici, & inter Catholicos, id ipsum negauit Medina *C. de Eleemosyna. q. de Eleemosyna danda sanis.* §. *Quæret fortè aliquis.* vbi asserit non esse præceptum dare Religiosis Eleemosynam, titulo paupertatis; licèt possit esse alio titulo, nempe, ex eo quod ministrent spiritualia.

Sed plusquam certum Respondeo, Prædictis Religiosis deberi dari Eleemosynam, titulo etiam paupertatis, sicuti aliis pauperibus. *Primò* Quia tota Ecclesia id censet, dum approbat institutum Religiosorum mendicantium, & laudat eos, qui ipsis dant Eleemosynam. *Secundò* Quia Religiosi veram patiuntur necessitatem eorum, quæ ad corporis sustentationem sunt necessaria; quod autem voluntariè

contracta

contracta fuerit, nihil refert, cum voluntas, & causa contrahendi, pia fuerit, Deo grata & rationi conformis. Sic Ægidius *disput. 27. dub. 6. concl. 1. numer. 67.* dicens, hanc sententiam esse omnium Catholicorum. Diana *p. 5. tra. 8. Resolut. 18.* Vazquez. *de Eleemos. cap. 3. dub. 1. num. 1. & 3.* & alij.

Quæstio IV.

An sit danda Eleemosyna patientibus necessitatem, non ob amorem virtutis, sed ob otium, tædiumque laboris; quales sunt vagabundi?

Affirmant Alexand. Gabriel & Medina apud Hurtad. Complutens. quos ipse videtur sequi *disp. 5. dist. 16.* sed absolute Respondeo. Non esse communiter eis Eleemosynam dandam, (nisi casu, quo repentè in grauem necessitatem incidissent; aut nisi data aliqua Eleemosyna crederetur ad meliorem frugem esse reducendos: quia in tali casu, prodest Eleemosyna corpori, & animæ) Ratio est, quia tales homines, regulariter sunt pleni vitiis, ac ita noc ui reipublicæ à quibus auocarentur, si nemine iis dante Eleemosynam, compellerentur vtili labore, victum quærere. Vnde vt bene Soto, *in deliberatione causæ pauperum*, ait, *quod eiusmodi homines, licitè per legem ex Ciuitate expelluntur; vel compelluntur manibus victum, & alia quæritare*, Quia Genes. 3. dicitur; *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* & Matth. 20. reprehendit Christus otiosos tota die in foro. Et ad Thessalon. 2. dixit Paul. *Qui non laborat, non manducet.* Sic Sotus, & Vazquez ex illo, *de Eleemos. cap. 3.* (non 2. vt legi apud Ægidium, & Palaum) *dub. 1.* Ægidius *disp. 27. cap. 6. concl. 2. nu. 69.* Lorca 2. 2 *sectio. 3. disp. 37. num. 10.* Palaus *disputat. 2. de Eleemos. punct. 14. num. 2.* Tannerus *quæst. 6. dub. 3. num. 39.* quos sequitur Ouiedo *controu. 20. punct. 14. num. 139.* vbi ait, hanc sententiam tenere Medinam *C. de pœnit. quæst. 7.* quem pro opposita citat Hurtadus. Et concludit *num. 140.* dicendo, huiusmodi homines vagabundos, nullo modo à Magistratibus permittendos esse; sed cogendos, vt inseruiant ædificiis publicis, agrorum culturæ, aliisve huiusmodi ministeriis.

Quæstio V.

An expediat vnicuique examinare; an mendici occurrentes, sint verè pauperes, an verò vagabundi?

Respondeo Quod non. Quia hoc conuenit Magistratibus, qui per se, aut per ministros pios, ac Fideles sæpe debent inquirere à pauperibus ignotis communia quædam, veluti, quo vadant, vnde venerint, cuius sint nationis, ac religionis, &c. Priuati vero, vt dixi, dum aliud illis non constet, non debent credere mendicos occurrentes esse vagabundos; quia alias fieret illis manifesta iniuria, si absque sufficienti fundamento, putarentur otio torpentes, & laboris tædio Eleemosynam expostulare. Quod si aliquoties id contingat, nihil refert. Nam, vt bene ait Ægidius; Præstat ex errore sæpius dare Eleemosynam, non indigenti; quam semel eam negare indigenti. Sic ille *num. 69. vers. Cauendum.* Palaus, Lorca, & Ouiedo *loc. cit.*

Quæstio VI.

An Pauperibus male viuentibus, danda sit Eleemosyna?

Negandum videtur. Quia Ecclesiastici 12. dicitur: *Da bono, & non receperis peccatorem: benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit, &c.* ergo.

Sed vt certum: clarius Respondeo. Dandam esse Eleemosynam pauperibus male viuentibus, & quantumuis peccatoribus; non tamen, qua tales sunt, ita vt in suis peccatis foueamus, aut intendamus; aut etiam solùm apertè aduertamus, per nostram Eleemosynæ dationem de facto fieri. Quia id esset cooperari ad eorum peccata; & id solùm significatur in scriptura dum dicitur peccatoribus non esse benefaciendum; subintellige, quando beneficio ipso fouentur in suis peccatis. Igitur quod extra hunc casum, sit danda iis Eleemosyna, quatenus sunt homines, siue quatenus illâ indigent, vt vitam sustentare possint; constat ex scriptura *ad Galat. 6.* vbi iuuemur operari bonum, ad omnes, etiam ad infideles, qui verè sunt peccatores. Sic docent omnes. Legantur Bellarmin. *libr. 3. de bonis operibus. cap. 12.* Ægidius *concl. 3. num. 70.* Gaspar. Hurtadus *diff. 17.* Ouiedo *num. 136.* Palaus *num. 1.* & omnes.

Quæstio VII.

An etiam inimicis, quamuis propriis, sit elargienda Eleemosyna?

Respondeo tanquam certum: Quod sic; nisi casu, quo inimici in sua, contra nos, malitia, ea ratione fouerentur, & fierent potentiores ad opprimendum nos. Sic communiter DD. vt fatetur Hurtado, & probat his verbis: *Conueniunt Doctores, pauperibus, quamuis propriis inimicis, dandam esse Eleemosynam; quia*, vt Christus *Matth. 5.* expressit, *benefaciendum est eis, qui oderunt nos.* & infra *Inimicis tamen propriis priuatis, à quibus timetur graue damnum, quamuis sint in extrema necessitate, non est obligatio dandi eleemosynam; quia præceptum Eleemosynæ non obligat cum tanto dispendio proprio, præsertim inferendo ab ipsis: poterit tamen illis licitè dari, quia bonum alienum potest hoc modo præferri proprio.* Sic Hurtado *diff. 17.* Ægidius *dub. 6. cit. concl. 4. n. 76.* Ouiedo, & Palaus & alij, *loc. cit.*

Quæstio VIII.

An etiam Hostibus reipublicæ, saltem extremè indigentibus, danda sit Eleemosyna?

Negat Lorca esse dandam illis Eleemosynam, quamdiu cum illis iustum bellum geritur: secus verò quamdiu cum illis inducia factæ sunt.

Sed clarius Respondeo dicendum, quod non sit danda, adhuc dum sunt inducia; si prudenter timeatur, finitis induciis, grauiter nocituros Reipublicæ (etiamsi dum sunt inducia non liceat illos male tractare positiuè) quia sic prospicitur bono graui Reipublicæ, cui sub obligatione est prospiciendum. Secus verò, si prudenter crederetur in posterum non amplius nocituros Reipublicæ; nam tunc, non solùm potest dari eis Eleemosyna, sed currit præceptum

dandi

dandi illam. Sic Ægid. *disp.* 27. *dub.* 6. *concl.* 4. *num.* 77. Gasp. Hurt. *diff.* 17. *citata.*

Quæstio IX.

An, sit danda Eleemosyna homini auaro indigenti, eo quod nihil ex suo velit insumere, quo suæ necessitati subueniat?

Respondeo tanquam certum, Non esse ex præcepto dandam. Quia prædictus indigens habet vnde possit sibi succurrere; quod si id non facit, sibi imputet. Excipe, nisi tanta esset eius infirmitas, & deprauata animi affectio, quia sibi subtrahit vitæ necessaria, vt cogamur misericordiæ præcepto ad subueniendum illi. Quemadmodum, si quis ex animi infirmitate, vel cæco affectu, se suspendere, vel in flumen deiicere contenderet, misericordiæ præcepto cogeremur eum commodiori medio iuuare. Sed in hoc casu, ex bonis ipsius auari, si fieri posset, subueniendum esset: aliàs ex propriis. Sic Azor. *to.* 2. *li.* 12. *cap.* 9. *qu.* 5. Lorca 2. 2. *sect.* 3. *disp.* 37. *n.* 11. & Syluius 2. 2. *q.* 32. *art.* 9. *qu.* 4. quos sequitur Diana *par.* 5. *tra.* 8. *Resol.* 19.

Quæstio X.

An, peccet grauiter, qui paupertate ficta, petit, ac recipit Eleemosynas?

Respondeo tanquam certum: Peccare grauiter, secundum se. Quia petit, ac recipit illas fraudulenter: ergo, si aliàs paruitas materiæ, non excuset, grauiter, ac mortaliter peccabit. Sic omnes. Legantur Gasp. Hurt. *disp.* 5. *de Eleemosy. diff.* 15. Ioan. de Cruce 1. *p. Sum. præcep.* 5. *art.* 4. *dub.* 2. *concl.* 4. Diana *p.* 5. *tract.* 8. *Resol.* 21. *vers. Et tandem.*

Quæstio XI.

An, recipiens Eleemosynam magnam, aut extraordinariam, simulans paupertatem, teneatur ad illius restitutionem?

Negant teneri ad restitutionem, qui existimant, Eleemosynam datam pauperi simulato, esse validam; & illam recipientem sibi propriam facere; & ideo non teneri ad restitutionem illius. Ratio est: Quia ratio motiua dandi Eleemosynam, est honestas virtutis misericordiæ: at hæc permanet, etiamsi paupertas in petente deficiat: ergo datio Eleemosynæ subsistit, cum illius substantiale motiuum persistat: ergo est valida: ergo qui illam accipit, etiamsi pauper simulatus sit, non tenetur ad restitutionem. Sic Sotus *lib.* 9. *de Iust. q.* 7 *art.* 3. *sub finem.* quem citat, & sequitur Ægidius *disp.* 27. *dub.* 2. *concl.* 6. *n.* 81. (vnde male citatur hic Author pro opposito à Gaspare Hurt. *infrà*) Tenet etiam Lessius *lib.* 2. *c.* 18. *dubitat.* 17. *n.* 132. Addunt tamen hi duo vltimi Authores, quod licèt qui paupertate ficta recipit Eleemosynam, non teneatur eam directe restituere; quia illius factus est dominus, teneatur tamen aperire alteri dolum, quia tenetur tollere deceptionem, in quam alium iniustè induxit, & relinquere ipsi liberum, vt rem datam, si velit, recipiat. Aut si deceptor nolit hoc facere, tenetur rem acceptam restituere.

Sed probabilius Respondeo, Teneri ad restitutionem. Quia probabilius est, talem Elemosynam simulato pauperi factam, seu donationem in illa inclusam, esse inualidam, ac nullam. Ratio, est quia, qui extraordinariam, & magnam Eleemosynam dat alicui pauperi, non dat eam illi, quia pauper apparet, sed quia in re pauper est; itavt non habeat animum alienandi rem talem à se, si verè paupertas non existat: ergo donatarius, seu pauper fictus recipiens talem rem, propriam non facit: ergo illam restituere tenetur. Sic Alexand. *in* 4. *p. q.* 86. *memb.* 3. *art.* 3. Altesiodorens. *lib.* 4. *cap. de restitut.* Adrianus *in* 4. *tract. de Restitut.* §. *Consequenter.* Nauarr. *in sum. cap.* 17. *n.* 107. *& in Apologia contra Sarmientum qu.* 1. *monito* 28. *n.* 1. Medina *C. de restitut. qu.* 24. Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 3. & Angel. *verb. Restitutio* 5. *n.* 1. quos omnes pro hac sententia refert Ægidius dicens, esse valde probabilem. His addi possunt Caiet. *v. restitutio, cap. vltimo, casu* 4. Vazquez, *cap.* 3. *de Eleemosyna dub. vltimo* Luysius 2. 2. *disp.* 85. *dub.* 2. Petr. Hurtad. *disp.* 159. *sect.* 6. §. 142. Gasp. Hurt. *disp.* 5. *diff.* 15. Palaus *tract.* 6. *disp.* 2 *pun.* 14. *n.* 5. (non 15. vt leges apud Ouiedum) Diana *p.* 5. *tra.* 8. *Resol.* 21. Ioan. de Cruce 1. *p. sum. præcep.* 5. *art.* 4. *concl.* 4. Ouiedo, *tract. de Charitate contr.* 10. *punct.* 14. *n.* 144. Dicastillo *de iust. & iure to.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 6. *dubitatione* 5. *n.* 92. Tamburinus *lib.* 8. *in Decal. tra.* 4. *c.* 1. §. 1. *n.* 2. *&* 3. & alij.

Quæstio XII.

An, etiam ille, qui simulans paupertatem, modicas Eleemosynas recipit; teneatur quoque ad illas restituendas?

Affirmant quàm plures nostræ sententiæ Authores; Quia, inquiunt, parum refert, quod Eleemosyna sit parua, vel magna, quoad forum interius; quia non refert, nisi quoad præsumendum, an erogans habuerit, aut non habuerit animum absolute erogandi.

Sed, his non obstantibus, probabiliter certè Respondeo, Non teneri ad restituendas has modicas Eleemosynas. Quia probabiliter certè præsumitur, quod dominus, qui hostiatim mendicantibus modicas Eleemosynas dat, non det illas, sub conditione paupertatis; sed absolute ratione Charitatis, & ideo cum intentione, & animo abdicandi à se dominium talium Eleemosynarum; siue existat, siue non existat paupertas: ergo ille qui simulans paupertatem exiguas Eleemosynas recipit, non tenebitur ad restitutionem. Et certe quis inuenietur tam exigui, & pusilli animi, vt velit duos marauedinos, aut frustum panis, sibi, aut aliis veris pauperibus restitui; & leuissimum hoc munusculum dare dependenter à paupertate in re existente? hoc profecto de nullo est præsumendum; sed iudicandum contentum esse paupertate prudenter ab ipso existimata in ordine ad abdicandum à se dominium rei leuissimæ. Quod sane non ita est iudicandum, quando Eleemosyna est notabilis quantitatis, ac valoris; quia tunc de quouis præsumendum est, nolle illius dominium à se abdicare, vera paupertate non existente. Sic Ouiedo *loc. cit. num.* 145. citans pro hac parte, & bene, Sotum *de Iust. li.* 9. *q.* 7. *art.* 3. (vnde non ita citauit illum Ægid.) Nauarrum *in summa c.* 17. *n.* 107. Molina *to.* 1. *de Iust. disp.* 210. & Iacobum Granados *tract.* 11. *disp.* 6. His addi possunt Dicastillo *loc. cit. n.* 93. Tamburinus *n.* 4. Diana *p.* 5. *tra.* 8. *Resol.* 21. *vers. verum his non obstantibus*, vbi citat Azor. 3. *p. lib.* 4. *c.* 21. *qu.* 8. Item Ioan. à Cruce 1. *p. sum. præcep.* 5. *art.* 4. *dub.* 2. *concluſ.* 4. vbi sic ait: Nota 2. *quod pauper fictus, peccat mortaliter petendo Eleemosynam, & restituere tenetur, quando sibi dantur Eleemosynæ sub conditione, saltem tacita, quod*

sit pauper; vt contingit in amplis, & extraordinariis Eleemosynis: sicut cum petitur Eleemosyna pro captiuo, qui non est. Secus sit si donatio fit absolutè; vt præsumitur in Eleemos. Ordinariis & si aliàs fiant, ob motiuum falsum. Sic Cruz.

QVÆSTIO XIII.

An, eleemosyna data vero pauperi, qui tamen fingit se Sanctum, aut cognatum eius, à quo illam petit, sit valida?

NEgat Medina *C. de restit. q. 24. ad 4.* casu, quo re vera sciatur, aut probabiliter præsumatur, donantem respexisse ad causam simulatam, & ob eam dedisse.

Sed absolutè Respondeo dicendum, talem eleemosynam esse validam; ac proinde, accipientem non teneri ad restitutionem; etiamsi dans eam non daret, si agnosceret paupetem non esse Sanctum, aut cognatum: quia tunc eleemosyna, qua ratione datur, verè est voluntaria. Sic ex Vasquio, Gasp. Hurtadus *q. 15. cit.* Dicastillo *dub. 6. cit. n. 97.* his verbis: *Si quis, qui re vera est pauper, fingit se, peregrinum, vel aduenam, vel infirmum; vel inter fideles fidelem; aut è contra inter infideles infidelem, vt eleemosynam consequatur; non tenetur ad restitutionem; quia præsumitur donatorem dedisse principaliter propter paupertatem; alias verò causas, tantum fuisse impulsiuas, scilicet, vt libentius, aut citius daret, vel quia ad illas non respexit, quamuis fortasse si respiceret, etsi sciret simulari non daret.* Sic ille ex Azorio *loco citato.*

QVÆSTIO XIV.

An, pauper, qui, solùm pigritiæ, aut cupiditatis causa, eleemosynam posit; peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem?

REspondeo. Nec peccare mortaliter, nec ad restitutionem teneri, dummodo verè sit pauper. Quod non peccet mortaliter, constat: quia pigritia illa, vel cupiditas, nisi aliud addatur, non pertingit ad grauem deordinationem. Quod verò, nec teneatur ad restitutionem; etiam paret; quia constante paupertate, constat finis Eleemosynæ, & consequenter eius validitas. Sic Nauarrus, & Bariola, quos citat, & sequitur Diana *Resol. 21. cit. in fin.* Tamburin *lib. 8. in Decal. tra. 4. c. 1. §. 1. n. 4.* & antea, Caiet. cum S. Thom. *2. 2. q. 187. art. 5.* & alij apud Sanchez, *lib. 7. in Decal. cap. 24. n. 15. & 16.* Qui tamen dicunt omnino esse id vituperabile.

QVÆSTIO XV.

An, si pauper astans ostio diuitis, vel Monasterij, expectans Eleemosynam, dicat alteri pauperi accedenti; iam esse datam, cum re vera non sit; teneatur ad restitutionem?

AFfirmandum videtur. Quia, si diues quis, aut alius, cuius nihil interest, mentiendo, impediret Eleemosynam pauperi, peccaret contra Iustitiam, & teneretur ad restitutionem: ergo, etiam pauper ad idem teneretur; cum idem faceret.

Sed probabilius Respondeo: Non teneri ad restitutionem: Quia tale mendacium non esset contra Iustitiam, sed solum officiosum. Sic Arag. *2. 2. q. 77. art. 3. concl. 2.* Sic dicens: *Ad confirmationem respondetur, quod ille, qui, mentiendo, impedit Eleemosynam pauperi, dupliciter se potest habere. Nam vel ipse est pauper, & vt sibi dupla Eleemosyna detur, decipit alterum; decipit autem dicendo*; Dominum non adesse; *aut*, Eleemosynam iam esse elargitam: *& tunc iste mentiens, nec peccat contra iustitiam, nec ad restitutionem tenetur. Vterq; enim pauper habet idem ius: & sic solum mentitur officiosè, vel est diues, qui mentitur pauperi, & tunc mendacium est pernicioſum contra iustitiam, & ad restitutionem obligans.* Sic ille, & ex illo, Lessius *li. 2. de iust. c. 21.* (non 2. vt legi apud Dianam) *dub. 5. n. 43.* Diana etiam, ex vtroq; *Resol. 21. cit. in fin.*

QVÆSTIO XVI.

An, teneatur ad aliquid restituendum pauper ille, qui, vltra modum, eiulatibus, & clamoribus, suam necessitatem exagerat?

REspondeo, Non teneri ad quid restituendum. Quia, etsi filia grauis excitauit animum donantis; tamen est in egeno sufficiens ratio egestatis, vt actio sit voluntaria miserenti, saltem quoad substantiam. Sic Petr. Hurt. §. 142. *cit.* & Tamburin. §. 1. *cit. n. 2. fine.*

QVÆSTIO XVII.

An, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem pauper ille, qui petit, & accepit Eleemosynas, postquam iam sufficientem victum, per illas acquisitum, habet?

REspondeo, Quod sic. Quia iam in hoc casu fingit paupertatem, cum factus iam, per congregatas Eleemosynas, diues, emendicet, poscat, ac recipiat Eleemosyn. Sic Sanchez *loc. cit. n. 16.* Et Tamburin. *lib. 8. in Decal. tra. 4. c. 1. §. 1. num. 6.* vbi nostram sententiam, per casum à se decisum benè declarat. Legatur.

QVÆSTIO XVIII.

An, licitè posit petere, & accipere Eleemosynas tanquam pauper, qui filias habet nubiles, quas commode dotare non potest; habet tamen necessaria ad vitam suam, & filiarum sustentandam

REspondeo probabiliter affirmatiue. Quia pauperes non solùm dicuntur, qui egent cibo, potu, & veste, quæ sunt necessaria naturæ; sed etiam, qui egent opportunis ad conuenientiam sui status, vt docent Caiet & Bannez *2. 2. q. 43. art. 8. & q. 100. art. 1. ad 7.* & Nauar. *in sum. c. 17. num. 93. vers. Addimus etiam, in fine.* Et ideo hanc sententiam tenet Iacobus Mandellus *lib. 1. consil. 69. num. 6.* ex Bald. quos sequitur Diana *part. 2. tra. 15. Resol. 8.* Quorum sententiam refert, nec impugnat, Tamburin. *n. 6. cit.*

QVÆSTIO XIX.

An, sit licitum, diuites emendicare, vt Eleemosynas erogent pauperibus?

REspondeo vt certum: Esse licitum illis: Quia tunc non sibi, sed veris pauperibus emendicant. Sic ex Caietano, & Valentia, docet Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 24. n. 14.* & Tamburinus ex illo, his verbis:

Secundò

QVÆSTIO XX.

An item, si quis diues obligetur, aliquem pauperem alere; possit nihilominus pro illo eleemosynam petere?

REspondeo quod non possit. Quia peteret tunc eleemosynam pro illo, qui non eget; nec est pauper: quia non est reputandus talis, qui ius petendi alimenta habet, vt probat Surdus *de alimentis tit.7.q.37.à num.1.vsque ad 11.* & approbat Sanchez *lib.1.in Decal.c.14.n.6.in fine.* Sic Tambur. *n.6.cit.vers. vnum obseruaui.*

QVÆSTIO XXI.

An, Pater, vel frater diuites possint eleemosynam colligere, pro filio, vel sorore pauperibus?

AFfirmaret forsan Henriquez, qui *lib.5. de Pœnit.c.21.n.3.in Glossa lit. Q.* affirmat satisfacere pœnitentiæ, si eleemosynam pro pœnitentia datam, daret quis suo fratri indigenti, cui tenetur subuenire.

Sed omnino Respondeo. Non posse. Ratio est (ait Tamburinus) *Quia ex eo, quod filius, vel soror gaudent Patre, fratréve diuite, habent ius, quo ali ab ipsis debeant: ergo iam pauperes non sunt pro quibus possit ab his, quibus incumbit eos sustentare, eleemosynam colligi.* Sic ille *n.6.cit.in fine.* Legatur Sanchez *loco nuper citato*, vbi sententiam Henrici reiicit.

QVÆSTIO XXII.

An, Eremita, qui alicui seruit Ecclesiæ, liceat viuere, ex eleemosynis ipsius Ecclesiæ?

REspondeo licere viuere, iuxta suum statum, ex eleemosynis Ecclesiæ; huic tamen æqualiter prouidendo: quia qui Altari seruit, de Altari & viuat. Et si inquiras an quod ex suo competenti victu, & Ecclesiæ cultu supereſt, possit ipse dare suis cognatis, aut extraneis? Respondeo posse modo sint pauperes; & modo ex circunstantiis non appareat, donaria fidelium Ecclesiæ ornatui applicari. Sic omnino Tamburin. *lib.8.in Decal.tract.4.c.1.§.1.n.4.vers. Quid de Eremita.*

QVÆSTIO XXIII.

An, eleemosyna facta pauperi simulato, restituenda sit donatori? an verò aliis pauperibus.

NEgant quamplures Doctores, existimantes, non donatori, sed aliis veris pauperibus restituendam esse eleemosynam datam ei, qui se pauperem dissimulauit. Ratio est, quia donator, qui talem eleemosynam dedit, habuit voluntatem abdicandi à se dominium rei datæ, & illud transferendi in pauperes; ergo his est restituenda. Ita tenent Caiet. Medina Nauarrus, & Adrian. quos citat & tandem sequitur Molina *de Iust. tom.1.tract.2.disp.210.n.4.* Villalob. *tom.1.tract.22.diff.9. n.4.* licèt id doceat cum aliqua limitatione, quam affert *n.5.* Ludouic. de S. Iuan. *in sum.q.de eleemosyn.art.9. dub.1.diff.7.concl.3.* quos videtur sequi Diana *p.5.tr.8.resol.22.*

Alij contra affirmant, donanti debere restitui, præcipuè si res donata sit magni momenti; non pauperibus. Ratio est: quia dans, seu donator, non voluit talem eleemosynam donare, nisi illi pauperi ficto: ergo non alteri: ergo dans semper retinet dominium rei donatæ: ergo illi est restituenda. Sic Sotus *lib.9.de Iust.q.7.art.3.* Lessius *lib.2.c.18.dub. vltimo num.132.* Granad. *2.2.controu.3.tr.11.disp.6.n.5.* Luysius *disp.85.dub.2.* Gasp. Hurtad. *disp.5.diff.15.fine.* Dicastillo *de Iust. lib.2.tr.2. disp.6.dub.5.n.109.* vbi concludit, quod si donator sit notus, & res sit notabilis, & sit restituenda: si verò donatores sint ignoti, aut res sint minutæ, pauperibus poterit fieri restitutio.

Sed ego cum aliis Respondeo dicendum, quod vtrique possit restitui, & Domino; & pauperibus. Domino, quia illius est: pauperibus, quia dum non constat voluntatem retractasse, censetur perseuerare in priori voluntate, quæ fuit rem illam à se abdicare, & pauperibus tribuere: ergo pauper fictus reddens veris pauperibus voluntatem Domini exequitur, & iuxta eius beneplacitum, res disponit. Reddat igitur cui maluerit. Sic Palaus *tract.6. de charit.disp.2.pun.14.n.7.* sequutus Vasquium *de eleemosyn.c.3. dub.vltimo n.24.* Item Tamburin. *lib.8. in Decal.tr.4.c.1.§.1. n.5.* & inclinat tandem Diana *lo.cit.*

QVÆSTIO XXIV.

Quid nomine pauperis veniat; cui, data pauperi ficto, possint restitui?

REspondeo cum Nauarro: *Nomine pauperis venire, nõ solùm personas pauperes, sed etiam Ecclesias Xenodochia, & Monasteria, ornamentis, luminaribus, ædificiis, & aliis similibus, indigentia.* Sic ille *in sum.c.17.n.93.* ex Ioan. Andrea *in c.1. de testam.in 6.* & infra, addit, *quod pauperes intelliguntur, non solum mendicantes: sed etiam alij egentes iis quæ sunt eis ad decentia necessaria.* Sic etiam ex illo, Diana *2.par.tr.15.resol.8.* qui addit, *quod etiam ille etiam dicatur pauper, qui victum quærit ex labore suo:* vt docent Baldus, Iason, & Marc. Anton. Tannerus. Et rursus, *quod etiam talis dicatur, qui non solum, non habet vnde viuat; sed etiam, qui non potest commodè, & honestè viuere, secundum suam conditionem; vt sunt multi artifices, & personæ etiam altioris conditionis, quæ ægrè admodum vitam sustentant.* Sic ille, legatur.

QVÆSTIO XXV.

An, si quis habeat à testatore potestatem distribuendi aliquam pecuniam in pauperes; possit vnico pauperi totam illam donare?

REspondeo quod non possit. Quia re vera faceret iniuriam communitati pauperum. Sic ex Menochio, *de præsumpt.lib.4.q.125.n.20.* Cenedo, *pract. & Canonic.q.lib.1.q.35.n.13.* Augustino Barbosa *3.p. de potest. Episcopi alleg.83. n.9.* docent Palaus *punct.14.citato, n.9.* & Quiedo, *tract.10.de charit.punct.14. n.149.fine.*

QVÆSTIO XXVI

An, si Testator determinatos pauperes eligat, vt inter illos distribuatur certa Elemosyna; possit executor illam aliis pauperibus donare?

REspondeo, Non posse. Quia pauperes electi, ius ad talem Eleemosynam, ex electione acquisierunt. *Quod* (ait Palaus) *non solum verum habet, cum quilibet determinate eligitur, sed cum eliguntur sub aliqua ratione communi, v. g. si eligantur pauperes alicuius ciuitatis; non poterit aliis alterius Ciuitatis distribui. Hinc est, legatum factum pauperibus concurrentibus ad portam testatoris, non posse infirmis existentibus in Hospitali distribui.* Sic Barbosa, *dicta allegat.* 83. *num.* 20. cum Marco Anton. Genuensi *practicar. Ecclesiast. quæst.* 214. *per tot. Et à fortiori, legatum distribuendum pauperibus verecundis* (vulgò, *Enuergonzantes*) *non poterit iis, qui ostiatim postulant, & multo minus mendicantibus Religiosis, distribui.* Sic ille, *loc. cit.* Et, ex illo non citato, Quiedo *num.* 149. *citato.*

QVÆSTIO XXVII.

An, qui Eleemosynam accepit in paupere distribuendam; possit sibi, suisque, si vere pauperes sint, partem illius applicare?

NEgant Angelus, & Siluest. *verb. Eleemosyna.* Argumento cuiusdam legis, *si mandauero*, § *si tibi centum. ff. mandati.*

Sed, vt mihi certum, Respondeo posse. *Quia illa,* (probat Suarez) *est vera Eleemosyna. Item ipsi concedunt, posse dare maximè propinquis, consanguineis, & filiis, cur ergo non sibi. Item expletur voluntas donantis, cum detur verè egenti; nisi contrarium aperte explicet:* ergo. Sic ille *disp.* 7. *de Eleemosyna sect.* 1. *num.* 9. Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancellariæ, Glossa* 2. *nu.* 54. *&* 55. Barbosa 3. *p. de potest. Episcopi alleg.* 83. *num.* 22. *&* 23. Bonac. *in prim. Decal. præcep. disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 6. *num.* 27. & penes ipsum, S. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 9. *ad* 3. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 122. Lorca *disp.* 37. *nu.* 28. Filliuc. *tract.* 28. *c.* 4. *n.* 107. & Reginald. *num.* 304. Sic etiam Palaus *loc. cit. n.* 10. & Quiedo *n.* 150.

QVÆSTIO XXVIII.

An, sit aliquis ordo tenendus in Eleemosyna pauperibus eroganda?

REspondeo, vt certum: tenendum, & seruandum esse ordinem in eroganda Eleemosyna: sicut seruatur in diligendo, & benefaciendo ex Charitate proximis. Sic S. Thom. 2. 2. *q.* 26. & cum ipso omnes eius interpretes, & Theologi.

QVÆSTIO XXIX.

Quando Eleemosyna omnibus fieri non potest, quinam debeant aliis præferri?

REspondeo vt certum, *Primò* quod debeant præferri, cæteris paribus, illi, qui maiori necessitate laborant. *Secundò* debent præferri coniunctiores minus coniunctis; meliores, minus bonis; vtiliores Reipublicæ minus vtilibus; & magis egentes minus egentibus. *Tertiò* coniunctior debet præferri sanctiori; quia huiusmodi bonum est magis debitum illi, ideo pater infidelis præferendus est viro fideli. Legantur S. Thom. *in* 3. *dist.* 29 *quæst.* 1. *art.* 6. Filliuc. *tract.* 28. *cap.* 4 *q.* 10. *n.* 108. Bonac. *disp.* 3. *cit. punct.* 6. *num.* 28. Azor. mox citandus. Trullench *lib.* 1. *in Decal. c.* 5. *dub.* 11. *n.* 1.

QVÆSTIO XXX.

Quinam in extrema necessitate præferendi sunt aliis?

REspondeo *Primò*. Quod existentibus in extrema necessitate Patre, & filio; præferendus sit Pater; & illi, prius quam filio, succurrendum. S. Thom. 2. 2. *qu.* 26. *art.* 2. Azor ex illo, *to.* 2. *lib.* 12. *c.* 13. Trullench, *loc. cit. num.* 2.

Secundò. Si Pater, & Mater sint in extrema necessitate, prius est patri, quàm matri subueniendum. S. Thom. *loc. cit. art.* 10. Azor. & Trullench citati.

Tertiò. Parentibus, aut filiis, simpliciter egentibus; potius est subueniendum, quàm vxori extreme quoque indigenti. S. Thom. 2. 2. *q.* 26. *art.* 6. Azor *cap.* 13. *cit.* Trullench *num.* 2

Quartò, extrema necessitas vxoris, potius est subleuanda, quàm propinqui nos ex latere attingentis. S. Thom. Azor. & Trullench *supra.*

Quintò amico egenti, potius est subueniendum, quàm inimico. S. Thom. *art.* 6. Azor, & Trullench.

Sextò, si egeant naturales parentes, potius est illis succurrendum, quàm spiritualibus. S. Thom. *art.* 7. & 8. Azor, & Trullench.

Septimò. Domestici, & qui nobis sunt aliqua ratione coniuncti, potiùs sunt Eleemosyna iuuandi; quàm externi, & qui sunt nobis minus coniuncti. S. Thom. *art.* 7. Azor, & Trullench.

Octauò. Debitor potius debet creditori subuenire, quàm alteri; nisi alias Rex, vel Princeps, vel alius maxime Reipublicæ vtilis, extremè quoque laborauerit. Sic ex S. Thoma, Azor. & Trullench.

Nonò. Prius est succurrendum his, qui de nobis sunt benemeriti; quàm aliis, qui nihil boni in nos contulerunt. Sic S. Thom. Azor. Trullench. & alij.

TRACTA

TRACTATVS VI.

DE CORRECTIONE FRATERNA.

DISPVTATIO PRIMA.

De quidditate, & præcepto Correctionis fraternæ.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Correctio fraterna?

RESPONDEO dicendum, quod est, admonitio proximi, qua nitimur eum à peccato reuocare; siue emendatio sequatur, siue non. Sic D. Thom. 2.2. *quæstion.* 33. *art.* 1. & ibi omnes eius interpretes. Legantur Suarez *tract.* 3. *de Charit. disput.* 8. Ægidius, *disput.* 28. Azor. *tom.* 2. *lib.* 12. *capit.* 14. Valentia *disput.* 3. *quæstion.* 10. *punct.* 1. Petr. Hurt. *in* 2.2. *Disp.* 162. Gasp. Hurtad. *de Charit. disp.* 6. Palaus *disp.* 3. Ouiedo *contr.* 11. Bonac. *Disp.* 3. *in prim præcep. Decal. qu.* 4. *punct.* 7. Trullench *in prim. præcep. Decal. lib.* 1. *c.* 5. *à dub.* 13.

QVÆSTIO II.

An sit præceptum de Correctione fraterna?

NEgarunt aliqui (vt refert Ouiedo) existimantes, nullum esse præceptum correctionis fraternæ, nec peccatores à nobis corrigendos esse; sed pro illis orandum, vt Deus illis misereatur. Hi fuerunt Semipelagiani tempore D. Augustin. Quamuis Gasp. Hurt. *disp.* 6. *cit. diff.* 3. dicat, nec illos vere id sensisse. Sed quidquid de eorum sensu sit.

Respondeo tanquam certum, & de fide, dari præceptum de correctione fraterna. Constat ex multis scripturæ locis. Leuit. 19. vers. 17. *Non oderis fratrem tuum in corde ouo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Ecclesiastici 17. vers. 12. *Et mandauit illis vnicuique de proximo suo.* 1. ad Timoth. 5. vers. 20. *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Matth. 18. *si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum, inter te, & ipsum solum.* Quod idem dicitur *Lucæ* 17. *versic.* 13. Sic omnes Catholici.

QVÆSTIO III.

An, præceptum huiusmodi Correctionis, sit naturale, diuinum, & humanum?

RESpondeo tanquam certum. Esse. Quod sit naturale, constat, tum ex illo naturæ principio: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris.* Tum etiam, quia naturali præcepto, tenemur per Eleemosynam subuenire proximo patienti necessitatem corporalem: ergo multo magis patienti spiritualem, quod corripiendo præstamus. Quod vero sit diuinum, constat ex locis Sacræ scripturæ citatis. Quod tandem sit humanum, ex cap. *Prouidendum*, cap. *Consentire. dist.* 83. *cap. facienti. dist.* 86. & cap. *Tam sacerdotes*, 24. *q.* 3. Sic communiter DD. cum D. Thoma *q.* 33. *art.* 2. Legantur Suarez, *sect.* 1. Valentia *pun.* 2. Bonac. Ouiedo, Palaus, & alij *suprà* citati.

QVÆSTIO IV.

An, Correctionis præceptum obliget, non solum Christianos, verum etiam infideles?

RESpondeo vt certum: Omnes, etiam infideles, obligare. Quia omnes tenentur præcepta iuris naturæ seruare. Sic omnes Doctores. Legantur citati.

QVÆSTIO V.

An, hoc præceptum obliget, ex genere suo, ad mortale?

NEgandum videtur, ob praxim; quia ferè nullus est qui corrigat; & tamen fere nullus est, qui confitetur hoc peccatum; neque Confessores interrogant de illo: ergo signum est, tale præceptum non obligare ad mortale.

Sed, tanquam certum, Respondeo obligare, ex genere suo, ad mortale. Quia præceptum Eleemosynæ corporalis obligat sub mortali ex genere suo, vt supra est habitum: ergo à fortiori obligabit hoc, cum grauior sit carentia boni spiritualis, quàm corporalis. Sic Suarez *disp.* 8. *sect.* 1. *n.* 4. Qui ad rationem dubitandi, respondet, *Quod potius timorati conscientiæ interdum se accusant de transgressione huius præcepti: & quod confessarij si necessarium iudicent, debent interrogare. Tamen quia obligatio huius præcepti non frequenter occurrit, & obscurior est, ita & rarius, contra*

illud peccatur : vnde multi fortasse excusantur. Sic ille Trullench etiam *dub.13.n.2.*& omnes,præcipue citati.Diana quoque cum aliis *p.5.tr.13.Resol.42.*

QVÆSTIO VI.

An, præceptum Correctionis obliget semper, & pro semper?

REspondeo, Tanquam certum. Quod non. Quia cum sit præceptum affirmatiuum, vt ex ipsius verbis patet, licet obliget semper, non tamen pro semper, seu ad semper; sed tantum in certis euentibus, data opportunitate, & occasione, & concurrentibus certis circunstantiis, & conditionibus. Sic omnes. Legantur citati.

QVÆSTIO VII.

Quot debent conditiones concurrere, vt hoc præceptum astringat?

REspondeo quod ad minus, quatuor. *Prima* est certa peccati mortalis cognitio. *Secunda*, vt sit spes emendationis. *Tertia*, vt sit opportunitas personæ & temporis *Quarta*, vt ea commode fieri possit de quibus omnibus sequenti disputatione agemus. Lege Nauarr.*cap.24.num.12.*

DISPVTATIO II.

De Conditionibus, quibus concurrentibus, obligat correctionis præceptum.

§. I.

De Prima Conditione, quæ est, certa peccati cognitio.

QVÆSTIO PRIMA.

An, vt obliget correctionis præceptum, sit necessaria cognitio probabilis, seu certitudo moralis, peccati mortalis proximi?

NEGAT Adrian.*de Correctione §.sed hæc opinio,* asserens, sufficere probabilem coniecturam, seu dubium; an proximus mortali adhæreat.

Sed, certius multo, ac probabilius, Respondeo. Esse necessariam cognitionem moraliter certam. Quia alias faceret iniuriam proximo; cum temere, ac leuiter iudicans eum esse in peccato, ipsum argueret. Sic Sotus *de Sigillo memb.2. quæst.2. concl.4.* Nauarr.*cap.24.num.12.* Gabriel, Viguerius, & Flores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.6. opusc.c.2. dub.1.n.3.*Bonac.*disp.3.q.4 pun.7.n.7.*Trullench.*lib.1. in Decal. c.5.dub.14.n.1.*Suarez *disp.8.sect.3.n.1.* vbi addit, quod si delictum appareret graue, vel magni periculi, vel cum esset spes emendæ, & nullus timor exacerbandi proximum, habere posset locum sententia Adriani. Sed in indiuiduo prudentia opus est.Palaus *punct.4.num.1.* qui tamen male citat Adrianum pro hac parte. Sic etiam Diana, mox citandus.

QVÆSTIO II.

An, qui per auditum, vel per rumorem, aut per signa dubia, scit crimen graue fratris; teneatur illum corrigere?

AFfirmabit Adrianus, cum hæc probabilis sit coniectura peccati.

Sed probabilius multo Respondeo. Non teneri. Quia non certo,adhuc mortaliter, scit. Sic Sanchez *loc. cit.* ex Viguerio *lib. institut. cap.12. §.2. vers.7.* & Trullench. *num.1. citato.* Qui tamen, ex Soto, notant, pensandas esse coniecturas facientes rem probabilem, & conditiones personarum : atque ita aliquando licere insinuare fratri crimina sua, de quibus rumor spargitur, dummodo fiat prudenter.

QVÆSTIO III.

An, quando peccatum potest redundare in præiudicium tertij, sufficiat dubia cognitio illius, ad corrigendum?

REspondeo sufficere. Sic Filliuc. *tract.28. cap.6. quæst.3.*his verbis : *Quando peccatum est dubium, quibus debeat facere correctionem fraternam? Respondeo. Priuatam personam id facere non debere; pertinet etiam ad superiorem; nisi forte in tribus casibus.* Primus, *quando tale esset peccatum, quod posset redundare in notabile præiudicium, & detrimentum tertij, quale esset peccatum hæresis, proditionis Principis, Ciuitatis, &c.* Secundus, *quando imminet proximi mors : tunc enim, non modo à peccato posset correptio liberare; verum etiam à morte æterna.* Tertius, *quando esset spes probabilis, proximum non admodum ægrè laturum, si sub dubio admoneatur.* Sic Filliuc. Quem sequitur Trullench. *loc. cit.* Diana *par.4. tractat.3. Resol.72. & tractat.4. Resol.228.*

QVÆSTIO IV.

An, peccatum mortale omnino præteritum, & per pœnitentiam deletum, sit materia necessaria Correctionis?

REspondeo, vt certum. Quod non. Ratio est : quia cessante fine, cessat necessitas medij : atqui finis Correctionis est emenda fratris : ergo si iam est emendatus, eo quod eius peccatum deletum sit per pœnitentiam, non erit necessaria correctio. Sic omnes. Sotus, Corduba, Siluest. Angel. Tabiena, & Abulens. Quos citat, & sequitur Sanchez. *lib.6. opusc. capit.2. dubit.2. num.3.*

QVÆSTIO V.

An, saltem, peccatum mortale præteritum omnino, sed non deletum per dolorem; sit materia necessaria Correctionis?

AFfirmant multi DD. existimantes, teneri quem corrigere proximum in mortali peccato existentem; etiamsi ille non teneatur tunc de illo pœnitere,

nitere, nec illum peccasse pœnituerit; dummodo speret sua correctione fore, vt pœniteat. Ratio est: quia existens in peccato habituali, existit in periculo damnationis, quo nulla est maior miseria: ergo cum correctio ad subleuandam miseriam proximi dirigatur, efficitur sanè ad hominem existentem in peccato habituali dirigi. Ita Bannez 2.2.*q.*32.*art.*3. *dub.*1.*ad* 4. Valentia *disp.*3.*q.*10.*pun.*2. Bonac.*disp.*3. *qu.*4.*pun.*7.*n.*4.& apud aliquos, ex parte Suarez *de Charit.disp.*8.*sect.*3.*n.*8. Item Azor.& Petr. Ledesma, quos citat,& sequitur Trullench *lib.*1.*in Decal. c.*5. *dub.*14.*n.*2.(licèt *n.*3.in oppositam inclinetur.) Aragon 2.2.*qu.*33.*art.*2.*dub.*1.*coroll.*1. Petr. Hurt. *disp.* 162.*sect.*8.§.68. & apud illum, Adrian. & Bernard. de Arenalo.

Sed probabilius Respondeo, Non esse materiam necessariam correctionis peccatum habituale, quatenus tale est; sed solùm casu, quo timeatur prudenter, non fore corripiendum proximum suo tempore de illo: quare si à se, vel ab alio speratur suo tempore corripiendus, non tenetur quis illum de præsenti corrigere, etsi possit. *Ratio est*, inquit Ouiedo, *quia nemo ex Charitate, aut misericordia tenetur magis diligere proximum, quàm proximus debet se ipsum amare; ac proinde spirituale bonum, quod ego non teneor mihi procurare, nemo teneri potest illud mihi intendere: sed peccator non tenetur peccatum habituale contractum depellere, dum aliud peccatum ex illo non imminet, nec instat iustificationis præceptum: ergo neque reliqui tenentur intendere expulsionem talis peccati, dum peccator ad eam non tenetur.* Sic ille, *contr.*11. *de Charit. punct.*5. *n.*40.& 41. & apud illum, sic Luysius Turrian. *disp.* 86.*dub.*2. Regin. *to.*1.*lib.*4.*c.*25.*n.*233. Palaus *to.*1.*tr.* 6.*disp.*3.*pun.*2.*n.*6. Sà, verb. *Correctio.n.*1.& *in edit. Romana nu.*5. Gasp. Hurt. *disp.*6.*diff.*4. Layman *lib.*3. *tra.*3.*c.*7. Angel. *v. Correctio n.*1. Silvest. *ibid.q.*1. Lorca 2.2.*q.*33.*art.*5.*disp.*41.*n.*3.& Trullench *n.*3.*cit.* His addi possunt Sanchez *in Consiliis lib.*6.*c.*2.*dub.*2.*n.*3. vbi ex Abulensi *c.*18.*in Matth.q.*8. Sic ait: *Licèt, peccatum præteritum maneat reatu, scilicet, quia de illo delinquens non doluit, non est materia necessaria correctionis; sed tantum de consilio; nisi actu maneat peccatum, siue per frequentationem, siue per continuationem, eiusdem actus, vel propter periculum recidiui. Ratio, quia ad hoc, vt quis alterum corrigat, oportet eius peccatum norit; sed quando tantum manet peccatum quoad reatum, solus delinquens nouit; potest enim esse, vt in corde doluerit.* Sic Sanchez. Et sic, meo videri, Suarez, *supra numer.*7. vbi ita ait: *Si scio fratrem esse emendatum, absque occasione reincidendi, non teneor corripere; quia non eget: ergo eadem ratione, si nunc video peccasse, tamen probabiliter existimo suo tempore acturum pœnitentiam, & ex hoc peccato non sumpturum occasionem peccandi; non teneor illum corrigere.* Sic ille. Villalob. *to.*2. *tract.*4.*diff.*2.*n.*4.

Qvæstio VI.

An, excusetur quis à correctione, ex eo, quod proximus, ex ignorantia vincibili, peccet?

Respondeo tanquam certum. Non excusari. Quia illa vincibilis ignorantia non excusat proximum à peccato, nec ab eius miseria: ergo indiget correctione: ergo &c. Sic vt certum docent omnes Doctores, inter quos, solum est difficultas, an excusetur à correctione, quando proximus ex ignorantia inuincibili delictum patrauerit, pro qua sit,

Qvæstio VII.

An, saltem à correctione vel monitione, quis excusetur, ex eo quod proximus ex ignorantia inuincibili legem offendat?

Negant plures Doctores excusari à correctione, seu à monitione, (dummodo occurrant conditiones ad correctionem quæsitæ) Sed potius teneri ad corrigendum. Tum (probat Palaus) ob reuerentiam ipsius legis. Tum, quia illa ignorantia absolutè malum quoddam est, esto non imputetur culpæ: ergo est materia doctrinæ, vel correctionis, & obiectum spiritualis Eleemosynæ. Ita ille, non solum loquendo de ignorantia iuris naturalis, & diuini; verum etiam loquendo de ignorantia iuris positiui. Quod ante docuerat Ægidius *disp.*28.*dub.*4.*à n.*38. Suarez *disp.*8.*sect.*2.*n.*6. vbi ait, non excusari à monitione, licet benè à correctione.

Alij contra dicunt, verè excusari. Quia tunc proximus non est absolute in statu spiritualis miseriæ, cum non peccet: atqui vbi non est peccatum, non currit obligatio correctionis, seu monitionis: ergo. Ita Azor. *p.*2.*lib.*12.*cap.*15.*quæst.*4. Bonac. *disp.*3.*de Charit. quæst.*4. *punct.*7. *numer.*10. Gaspar Hurtadus *disput.*6. (non 7. vt leges apud Ouiedum) *diff.*6. vbi docet, *Non esse per se obligationem monendi sic ignorantem; posse tamen esse per accidens aliquando, nempe, quando ignorantia illa inuincibilis, cedit in graue detrimentum ipsius ignorantis, vt in grauem notam; aut in detrimentum alterius, siue spirituale, vt si alter est scandalizandus, siue temporale; vt quando sic ignoranter retinetur res aliena grauis momenti.* Ita ille. Sanchez *lib.*2.*de Matrim. disput.*38.*numer.*5.*& lib.*6. *consil.capit.*2.*dub.*2. *numer.*5. & apud illum, Angel. *verb.correctio numer.*6. & Nauarr. *in Man. cap.*24. *numer.*13.

Alij denique, distinguentes inter ignorantiam iuris, & facti; & inter ignorantiam iuris naturalis, positiui diuini, & humani, dicunt nos teneri depellere à proximo ignorantiam iuris naturalis, & positiui diuini, & humani Ecclesiastici in illis rebus, in quibus omnes Christiani tenemur ad obseruantiam legis, veluti de mandatis Ecclesiæ: rursus teneri depellere ignorantiam facti contra ius naturale, & diuinum; non verò ignorantiam facti contra ius humanum. Ita Bannes *quæst.*33.*art.*2. *dub.*3. & ibidem Aragon, *in commentar. eiusdem articuli pag.*789. His ex parte accedunt Valentia 2. 2. *disput.*3. *quæst.*10. *punct.*2.§.*Tertiò certum est.* vbi docet, esse obligationem depellendi à proximo ignorantiam iuris; non verò, per se, ignorantiam facti. Et Villalob. *tom.*2. *tract.*4.*diff.*4.*num.*3. vbi ait, nos non teneri monere eum, qui ex ignorantia inuincibili facti operatur. vbi videtur innuere, secus dicendum si ignorantia sit iuris.

Sed ego clarius cum Ouiedo Respondeo *Primò*, omnes tenemur, non præcepto correctionis fraternæ, sed præcepto docendi ignorantem, monere proximum operantem contra ius naturale, aut diuinum, cum ignorantia etiam inuincibili iuris. Quia ignorantia horum iurium est graue malum respectu ipsius ignorantis: ergo. Sic Suarez, Ægid. & Palaus citati, & Ouiedo *contr.*11.*pun.*6.*n.*59.

Respondeo *Secundò*. Etiam tenemur proximum monere, quando operatur ex ignorantia inuincibili habituali iuris communis Ecclesiastici vniuersalis, impositi pro tota, aut pro maiori parte Ecclesiæ, ve-

luti ex ignorantia legis prohibentis comeſtionem carnis, tempore Quadrageſimæ, aut in vigiliis Natiuitatis Chriſti Domini, Aſſumptionis Matris eiuſdem, & in vigiliis Apoſtolorum, & in diebus quatuor temporum, &c. Quia etiam ignorantia horum eſt valde enormis, ac proinde graue malum, à quo debemus proximum liberare, quando abſque notabili incommodo noſtro poſſumus. Sic idem Doctores citati.

Reſpondeo *Tertio.* Item tenemur monere proximum operantem contra ius naturale, vel diuinum, ex ignorantia facti, aut ex inaduertentia actuali ad aliquod ex his iuribus. Quia huiuſmodi actiones ſunt grauiſſimi momenti. Sic iidem DD.

Reſpondeo *Quarto.* Non tenemur ex præcepto proximum monere, quando operatur ex ignorantia iuris Eccleſiaſtici, non vniuerſalis, ſed alicuius Prouinciæ, aut diœceſis: Quia hæc ignorantia non eſt grauis. Sic Doctores mox citandi.

Reſpondeo *Quinto.* Non tenemur ex præcepto proximum monere, quando operatur materialiter contra ius purè humanum ex inuincibili ignorantia facti, aut ex aliqua inaduertentia actuali ad ius pure humanum, vt ſi videamus Petrum omittere Sacrum in die feſto, putantem non eſſe feſtum; vel edere carnes die veneris, ex inaduertentia aut obliuione. Sic Sotus, Nauarr. Sanchez *vbi ſupra*, & Ouiedo *pun.6.cit. concl.4. num.62.* Hurtad. Bannes, Arriaga, Valentia, & Villalob. citati.

Reſpondeo *Sexto.* Tanquam certum apud omnes, quod in Prælatis, ſeu Paſtoribus Eccleſiæ, & in Confeſſariis in actu Confeſſionis, & in aliis perſonis, quibus ex officio incumbit ſit obligatio monendi & docendi operantem cum ignorantia etiam inuincibili contra quodcumque ius, etiam poſitiuum Eccleſiaſticum. Quia ad id tenentur ex officio, legatur Hurtadus *diff.6.citata.*

QVÆSTIO VIII.

An, Prælati Religionum teneantur, Religioſorum venialia, ſi occulta ſint, ſub mortali corrigere?

REſpondeo Non teneri ſub mortali. Quia talia venialia, ſoli Religioſo nocent, non aliis: at hoc nocumentum non eſt adeo graue, vt, ob illud teneatur ſub graui culpa, illum Prælatus corrigere: ergo. Sic Palaus *diſputat.3.de Charit.punct.3.num.7.* vbi ita ait: *Ex ſola tamen diſſimulatione cum aliquo horum defectuum* (ideſt, *venialium*) *ſi occulti ſunt, non exiſtimo Prælatum peccaturum grauiter; cum ex illis, vtpotè occultis, non detur aliis occaſio ruinæ, neque ob illos diſciplina religioſa labefactetur, neque ipſe Religioſus in periculo proximo ſit cadendi à ſtatu religioſo, vt ſuppono.* Sic ille. Ex Suario *diſp.8.ſectio.2. nu.6.* Bonac. *diſp.3.qu.4.punct.7.* & Luyſio *diſput.86. dub.2.fine.* Ouiedo etiam *punct.5. num.46.* & alij.

QVÆSTIO IX.

An ſaltem, teneantur dicti Prælati, corrigere, ſub mortali, peccata venialia ſuorum ſubditorum; ſi hæc ſint publica; & ob nimiam eorum licentiam, aut frequentiã, aliis ruina paratur, vel religioſa diſciplina labefactatur?

REſpondeo vt certum: Teneri ſub mortali ex Iuſtitia. Quia Prælatis incumbit ex officio, religioſam diſciplinam conſeruare, & nullo modo labefactandam permittere: atqui ex permiſſione defectuum venialium, ſi graues ſint, & nociui, nimium labefactatur religioſa diſciplina: ergo tenentur Prælati hanc diminutionem præcauere. Sic Suarez *nu.6. cit.* cuius verba ſunt hæc: *Si admiſceatur obligatio iuſtitiæ interdum poteſt aliquis obligari ad corrigenda hæc venialia peccata; vt accidere poteſt in ſuperiori Religionis, qui ex officio, & iuſtitia tenetur curare, non ſolùm, vt ſubditi vitent mortalia, ſed etiam, vt ad perfectionem tendant, atque adeo, vt vitent impedimenta: quapropter ſi nimium ſe gerat Prælatus negligenter, & maximè ſi defectus ſint generales communitatis, poterit eſſe obligatio ſub mortali ad corrigenda illa.* Hæc, & non amplius Suarez, vnde caute eſt legendus Palaus, eo quod nonnulla verba, tanquam ex Suariomet addat. Sic etiam Sotus *quæſt.2.concl.3. de ſecreto.* Bannes *de Charit. art.2. dubit.2.* Sà *verb. correctio num.5. in edit. Romana.* Ægidius *diſput.28. dub.3. num.24.* Luyſius *diſput.86. dubit.2. §. tertio dicendum. Quia permittere*, inquit, *peccata venialia, vel defectus contra regulas, & diſciplinam religioſam, vergere poteſt in magnum detrimentum perfectionis ipſius Religionis. Et* (addit ipſe) *idem dicerem ego de obligatione Prælati ad reprehendendum aliquem fraterna correptione, propter aliquod genus peccati venialis nociuum Religioni. v.g. propter impudica aliqua verba, aut conſuetudinem iurandi, aut ſimile quid, quod Religioſum maximè dedecet.* Sic ille. Tannerus *diſput.2. quæſt.5. dub.4. num.76.* Hurtad. Complutenſ. *diſp.6. diff.5.* & Salmanticenſ. *diſput.162.ſect.8.§.64.* Lorca *diſput.45.nu.4.* Palaus *tract.6. diſp.3.punct.3.num.6.* Ouiedo, *controu.11. punct.5. numer.46.* Trullench. *lib.1.cap.5. dubit.14. num.5.*

QVÆSTIO X.

An etiam Syndici Viſitatores, & alij vices Prælatorum gerentes, teneantur, etiam ſub graui obligatione, ad corrigenda venialia, Religioni nociua, ſubditorum?

REſpondeo Teneri etiam. Quia ad omnes hos extenditur obligatio. Sic Ouiedo. & Suario, Ægidio, Palao, & Lorca, *loc. cit.* Qui tamen addit, *quod huiuſmodi Viſitatores, in dicto caſu, ſolùm peccabunt contra miſericordiam, & fidelitatem, eo quod non adimpleant ſuum munus, quod adimplere promittunt, eo ipſo, quod illud acceptant: non tamen peccabunt contra iuſtitiam, ſicut Prælati; quia non tenentur ex officio habente iuriſdictionem aliquam; ſed tantum ex quadam commiſſione, ſeu mandato Superioris operantur.* Sic ille.

QVÆSTIO XI.

An Vicarij, Supriores, Vice-Rectores & alij, qui in abſentia Prælatorum, eorum vices gerunt; teneantur, etiam ex iuſtitia, corrigere ſub mortali, venialia ſuorum ſubditorum, eodem modo, ac alij Prælati proprij?

REſpondeo Teneri, ac alij proprij Prælati, in horum abſentia. Quia tunc vere habent iuriſdictionem propriam in ſubditos: ſecus quando adſunt Prælati proprij, quia dum hi actu præſunt, & gubernant, illis ſubordinantur Vicarij, aut Supriores, & ideo tantum ex mandato præcipui Suprioris operantur, ac proinde penes illos, non eſt ſpecialis

obligatio

obligatio ex iustitia, quæ est penès Prælatos. Sic Ouiedo *loc.cit.* An vero teneantur ex charitate, & misericordia, ex mox dicendis patebit. Sit ergo,

QVÆSTIO XII.

An, Religiosus priuatus, teneatur, ex misericordia, vitare & corrigere venialia, communitati, aut aliis notabiliter nociua?

AFfirmat, vt certum, Ægidius, sic: *Item certum est, superiorem Religiosorum teneri in suis subditis corripere peccata venialia, quando aliàs imminet periculum, ne disciplina Religiosa, magna ex parte dissoluatur: quia tenetur quantum potest dare operam, vt hæc integrè seruetur. Imo credo, certum esse, quemuis etiam priuatum, præsertim si sit membrum illius Religionis, teneri ad eiusmodi correptionem, quando commodè potest, & sperat fructum: quia talis dissolutio est graue valdè malum ipsius Religionis, siue totius communitatis; quod ille, ex charitate, & fide, quam debet matri suæ, scilicet, ipsi Religioni, tenetur impedire* Ita ille *dub. 3. citat. numero* 24. Cuius sententiam refert Palaus, & transit.

Sed clarius Respondeo dicendum, quod per se loquendo, verè teneatur quilibet priuatus Religiosus ad corripienda dicta venialia: per accidens vero, rarò. Primam partem huius responsionis probat, & solùm, ratio Ægidij. Secundam vero, hæc, quæ est Ouiedi: Nam solùm Prælati regulariter loquendo, possunt remouere illud damnum à proximo illatum communitati: ergo solum illis regulariter loquendo, id competit, non subditis in particulari. Sic ille *n.* 47. & antea, Suarez *n.6.cit. in fine.*

QVÆSTIO XIII.

An, Iudices, ac Magistratus, teneantur, etiam sub mortali, expellere à republica peccata venialia?

REspondeo. Teneri sub mortali expellere à republica peccata venialia, non omnia, sed illa solùm quæ rempublicam valdè conturbant, illique graue nocumentum inferunt: vt si ex frequenti ludo, & immoderato luxu in vestitu pax, & bonum Reipublicæ perturbatur. Quia ad hoc tenentur ratione officij sic Palaus, *n.6.* & Trullench. *n.5. citati.*

QVÆSTIO XIV.

An, extra assignatos casus, sit obligatio, sub veniali, corripiendi proximum, in occasione peccandi venialiter constitutum?

AFfirmant quamplures Doctores, asserentes, esse obligationem, sub veniali, corripiendi veniale commissum, aut proximè committendum. Ratio illorum est, quia peccatum veniale est quædam, licèt leuis, miseria, & maioris momenti, quam quælibet temporalis: ergo si quis speret fructum ex tali correctione, & absque incommodo illam possit efficere: ad illam sub veniali tenebitur. Ita Caiet. *in sum. v. Correctio.* Sotus *de secreto, mem.2.q.2. concl.3.* Valentia *q.10. punct.2. in fine.* Suarius *disp.8. de Charitate sect.2.n.6.* Ægidius *disp.28. dub.3.n.32.* Layman *lib. 2.tract.3.c.3.* Petr. Hurtad. *d sp.162.sect.1.§.74.* Gasp. Hurtad. *disp.6.diff.5.* Lorca *disp.41.num.9.* Tannerus *q.5.dub.4. n.76.* Palaus *tom.1.tract.6.disp.3.punct.3. n.3.* Villalob. *tract.4.diff.1.n.5.* citat etiam Diana pro hac parte, Luysium Turrianum *disput.86. dub.2.* sed omnino malè, cum oppositum expressè teneat.

Sed probabilius Respondeo. Non esse obligationem corrigendi venialia aliorum. *Primo*, quia, vt plures Authores oppositæ sententiæ (præcipuè Ægidius, & Palaus) fatentur, rarò aut nunquam, concurrunt circunstantiæ, sub quibus teneatur quis venialia proximi corrigere: ergo. *Secundo*, quia esset intolerabile onus, teneri priuatum hominem, aliorum venialia, quæ passim committuntur, corrigere. *Vnde, sine misericordiæ iniuria,* (ait Ouiedo) *possumus venialia, quæ, intra suum genus, mala sunt leuia, permittere. Nam etsi spiritualia mala, ex suo genere longe maioris sint momenti, quàm temporalia; & ex hoc capite posset reddi disparitas; ex alio, sunt vitatu difficiliora, & ita maior difficultas ea corrigendi æquiualet excessui, quem habent spiritualia, respectu materialium in ordine ad comparandam obligationem vitandi mala temporalia, & spiritualia proximorum.* Sic ille, *controu.11.punct.5.n.51.* Et sic ante illum, Palud. *in 4.dist.19.q.3.n.4.* Alensis *lib.2.sum.tract.6.* Bannez *q.32.art.2.dub.2.* Azor *lib. 12.c.4.q.4.* Luysius *dub.2.cit.* §. *Deinde* Reginald. *lib. 4.c.25.n.333.* Filliuc. *tom.2.tract.28.c.5.n.118.* Bonac. *disp.3.q.4.punct.7.n.3.* Trullench. *lib.1.c.5.dub.14.n. 4.* & ni fallor, Diana *p.3.tr.2.resol.38.* Quamuis oppositum innuat *p.5.tr.5. resol.66.* & ita pro opposita parte citat illum Ausonius *in sum. Dianæ verb. correctio. num.2.*

§. II.

De secunda conditione, quæ est, vt adsit spes emendæ fratris, qui corripiendus est?

QVÆSTIO XV.

An, vt obliget correctionis præceptum, requiratur, vt adsit spes fructus, aut emendæ fratris?

NEgandum videtur: eo quod, si quis laborans aliqua ignorantia culpabili, ad confessionem accedat, tunc tenetur confessarius monere illum, etiamsi iudicet non profuturam monitionem, vt docet Sanchez *lib.2.de matrim.disp.38.num.2.* ergo non est necessariò spes emendæ, vel fructus; vt correctio obliget.

Sed tanquam certum Respondeo dicendum, quod necessariò requiratur spes fructus, aut emendæ fratris, qui corripiendus est, vt obliget correctionis præceptum: & vt correctio propriam sui honestatem habeat. Ratio est: quia correctio propriè, & intrinsecè ordinatur ad emendam fratris: ergo quando hæc non speratur, intrinseco suo fine caret: ergo erit otiosa, & consequenter non adhibenda: iuxta illud Prouerb. 9. vers. 6. *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Ideo dixit Augustinus relatus *in cap. si quis de Pœnitent. distinct. 7. Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.* Sic S. Thom. *2.2.quæst.33.art.6.* & cum eo *ibi omnes* Theologi, præcipue mox citandi. Ad rationem dubitandi, dicendum est, teneri tunc confessarium admonere pœnitentem, non ex præcepto

Corre

Correctionis propriè, ſed ex obligatione ſui officij, vt etiam tenetur concionator, vt dicemus *diſput.3. qu.11.* Legatur ipſe Sanchez.

QVÆSTIO XVI.

An teneatur quis Correctionis præcepto, caſu, quo non habeat ſpem fructus illicò colligendi?

REſpondeo tanquam certum: Teneri. Quia ad hoc, ſufficit quod decurſu temporis fructus ſperetur. Sic cum communi Ouiedo, *controu.11.pun.7. num.66.* per hæc verba: *In primis, non requiritur ſpem concipi fructus illicò colligendi: nam ſi ſpes ſit, proximum meæ Correctionis auxilio, poſt aliquod tempus, paſſione ſedata, vel alia circunſtantia aduenien-te, emendandum eſſe, debeo illum corrigere, etiamſi pro tunc exacerbandus ſit, dum ſit notabiliter maius peccatum, quod Correctione vitabitur, quàm illud, quod tunc in exacerbatione, committet. Quod intelli-gendum eſt, ſi correctio non poſſit differri ad tempus, quo ſine exacerbatione, & cum fructu illam accipiat.* Sic ille, & alij præcipuè ſtatim citandi.

QVÆSTIO XVII.

An caſu, quo ex Prima, & Secunda ac Tertia Correctione, quis non videat emendam fratris correcti; teneatur quarto corrigere, ſi ex hac repetita Correctione, ſperet emen-dam illius?

AFfirmant multi. Et in primis Thom. Sanchez *lib.3. de Matrim. cap.13. num.3.* ſic ait: *vt tamen monitio ſecreta non proſit, non ſatis eſt ſemel fieri, & non prodeſſe; ſed oportet iterum, atque iterum eam adhiberi, quamdiu prudentis arbitrio ſperatur correctio per illam,* vt tradunt D. Thom. 2.2. *quæſt.33. art.8. ad 1.* Abulenſ. *capit.18. Matth. quæſt.106. ad 1.* D. Anton. 2.*p.tit.9. capit.6.§.4.* Silueſt. *v.Correctio. quæſt.5.* vbi Tabiena *num.7.* Sotus *de ſecreto, memb.2. quæſt.4. poſt 5. concl. paulo ante ſolutionem ad 1.* & Nauarra *lib.2. de Reſtitut. cap.4.2.p. dub. vltimo in 2. edit. numero 136.* Hucvſque Sanchez.

Sic etiam Ioan. Sanchez *in ſelectis diſp.6.ſub n.9.* vbi ita ait: *Aduertendum tamen, non oportere ad exemptionem ab hoc præcepto, fructum ſtatim ſperari in progreſſu* vt optimè Suarius *ſup.ſect.3.num.4. Quapropter, quamuis per primam, & quartam Correctionem non ſperetur fructus, tentanda vlterius erit, quando per alios actus ſperatur.* Sic ille citans Thomam, Adrianum, Silueſtrum, & Nauarrum. Sic Deinde Suarius *num.4. cit.* dicens: *ſi perſona corrigenda talis eſt, vt poſſit quis progredi in correptione cum illa, quamuis per primum, & ſecundum actum non ſperetur fructus, ſi tamen ſperatur vel per vltimum, tentanda eſt correctio.* Ita ille.

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod licet poſſit quartò corrigere; non tamen ad id teneatur, cum per trinam correctionem, ſufficienter ordinem Charitatis ſeruauerit, iuxta præſcriptum Euangelij *Matth.18.* Sic Bonacina *diſput.3. quæſt.4. punct.7. numer.15.* citans Malderum, & Filliucium. Quibus fauent Ouiedo *punct.7. num.67.* & Palaus *punct.5. num.2.* dicendo, quod qui ſemel, & iterum fratrem ſuum ſine fructu admonuit, difficile poſſit ſpem concipere tertiam monitionem proficuam fore. Legatur etiam Ægidius *diſputat.28. dubit.6. numero 104.*

QVÆSTIO XVIII.

An vt Correctio obliget, requiratur, quod ſpes fructus ſit certa?

AFfirmatiuam ſententiam tenere Caietanum verbo *Correctio*, ait Palaus *diſput.1. de Charit. punct.5. numero 2.* Sed malè profecto, vt *infra.* vnde,

Tanquam certum Reſpondeo dicendum, quod non requiratur quod ſit certa; ſed ſufficiat, quod ſit probabilis. *Prima pars* conſtat: quia ſi ad obligationem Correctionis requireretur certa ſpes fructus, & emendæ fratris, nunquam correctio opponeretur, cum talis certitudo eſſe non poſſit; ſiquidem eſt de re ab alterius voluntate dependenti.

Secunda vero etiam patet. Quia cum quis probabiliter cognoſcit, Correctionem eſſe profecturam; prudenter poteſt quis vtilitatem fratris ſperare; ergo cum alias nullum ſit inconueniens in ea adhibenda, poteſt, & debet eam adhibere. Sicuti Medicus dum probabiliter iudicat medicinam profecturam, certus non nocituram, eam debet applicare; dum aliam, quam certo ſciat profecturam, non habeat. Sic in primis Caiet. *loc.cit.* ibi: Et quia eſt præceptum affirmatiuum, obligat pro loco, & tempore neceſſitatis, quando ſcilicet, aliquis morte peccati detentus, probabiliter creditur mea correctione liberandus. Sic ille, & idem docet *ibidem, verſ. eſt ergo omiſſio, verſ. Nec mireris.* Sic etiam D. Thom. *quæſt.33. art.2.* Bannes, Suarez, vterque Hurtadus, Luyſius, Sotus Valentia Palaus, quos citat, & ſequitur Ouiedo, *num.68.* Noſter Doctiſſim. Franciſcus à Sancto Iuliano *in Tribunali Regul. capit.2. Aduertent. 2. §.4.* vbi etiam Caietanum pro affirmatiua ſententia male refert.

QVÆSTIO XIX.

An ſi quis probabiliter credat, nihil effectu-rum per Correctionem; teneatur illam ap-ponere?

REſpondeo Non teneri. Quia in prudenti illius æſtimatione, ceſſat finis intrinſecus Correctionis: quo ceſſante otioſa eſt Correctio. Sic Valentia 2.2. *quæſt.10. diſp.3. punct.2.§. Tertia circunſtantia. col.mihi 741.* citans Richardum *in 4. diſt.19. art.2. quæſt.1.* & Durandum *ibidem, quæſt.3. art.3.* Palaus *loc.cit. num.3. verſ. Quod ſi probabiliter,* & alij communiter. Quid autem dicendum in caſu, quo quis æque probabiliter putet, Correctionem eſſe profuturam, ac obfuturam, dicemus *infra qu.22.*

QVÆSTIO XX.

An quando quis dubius eſt, an Correctio nocitu-ra, vel profutura ſit; poſſit illam omittere?

NEgat, apud Hurtadum Complutenſem, Adrianus *in 4. tract. de Sacramento Confeſſ. in fine*, & & apud Valentiam, *in 4. qu. de Correct. fraterna*, do-cens non poſſe tunc, quis dubius eſt, Correctionem omittere, ſed debere eam adhibere.

Valentia

Valentia vero *punct.2. cit. vers. sed si attente Legantur* : docet in dicto casu, posse licite illum, Correctionem adhibere, vel omittere; itavt, vtrumque extremum licitum illi sit, & ad neutrum teneatur.

Sed probabilius Respondeo dicendum, quod in dicto casu, qui dubitat, non solùm possit licite Correctionem omitterre; verum ad omittendam illam, teneatur. *Ratio est* (ait Ouiedo) *quia melius est, proximum in periculum, quod independenter à me patitur, relinquere; quàm illum in aliud nouum coniicere: & sicuti non sunt facienda mala, vt veniant bona; ita non debeo me exponere periculo nocendi proximo, propter contingentiam illi benefaciendi: hoc enim periculum temerarie aggrediar, cum non sit prudens ratio, qua possim iudicare malum ex illo inferendum non esse; nec bonum contingens notabiliter speret malum contingens.* Sic ille, *controu.11. punct.7. num.69.* citans Bannez *art.2. cit.* Suarium *disput.8. sectio.3. num.3.* Palaum. *tom.1. tract.6. disp.3. punct.5. num.4.* Gasp. Hurtadum *disp.6. diff.6.* (lege 7.) Tannerum *disput.5. dubit.4. num.86.* Ægidium *disput.28. dubit.6. num.93.* Lorcam *disput.44. num.10.* & Petr. Hurtad. *disput.162. sectio.6.* Franc. à S. Iuliano *loc.cit.§.4.n.10.& sequen.* & alij.

Quæstio XXI.

An saltem, teneatur ad Correctionem, qui, licèt habeat dubiam spem emendationis; probabiliter tamen putat, quod Correctio non nocebit corripiendo?

Respondeo, Tunc teneri. Quia tunc non temere, sed prudenter procedit: sicuti Medicus non inueniens aliam medicinam prudenter procedit, applicando infirmo medicinam dubiam, seu in dubio, an sit profutura, an non; quando saltem probabiliter iudicat, non esse nocituram sic Gaspar. Hurtado, *loco citato.* Valentia, cum Adriano, & Caietano, quos sequitur Palaus *punct.5. cit.n.5.*

Quæstio XXII.

An, cum æquali probabilitate, quod Correctio oberit, ac proderit; teneatur qui à Correctione abstistere?

Affirmat Petr. Hurtado *sectio.6. cit.* §. 52. Quia melius est (inquit) fratrem non adducere in discrimen nouum, quam eum in alio relinquere.

Sed probabilius Respondeo. Non teneri tunc à Correctione abstistere; sed posse licite facere quod libuerit, vel omittere Correctionem, vel illam adhibere. *Ratio est* (probat Ouiedo) *quia, qui probabiliter iudicat Correctionem profuturam esse; etiamsi agnoscat aliunde probabile esse obfuturam, iudicium prudens habet de vtilitate medicinæ futuræ, ex quo prudentem spem concipere potest de eadem vtilitate, & ex hac spe Correctionem exhibere. Item contingit in aliis materiis. Qui enim probabiliter iudicat, tali occasione posita peccaturum non esse, si ex hoc iudicio talem occasionem non fugiat, seu aggrediatur, non dicitur temere periculum peccandi subire, etsi alias agnoscat, probabile esse, ipsum esse lapsurum. Id ego dicerem* (addit Ouiedo) *in casu probabilitatis circa vtilitatem, & circa nocumentum, quod in casu dubij circa hæc extrema, docet Valentia* (vt diximus quæst.20.) *nempe, licere Correctionem apponere, & licere etiam illam omittere, hoc ex prudenti metu damni futuri; & illud ex prudenti spe vtilitatis processuræ.* Hæc Ouiedo. Et bene certe.

Quæstio XXIII.

An, in extremo vitæ periculo, quando probabiliter creditur, frater moriturus in mortali, tunc debeat fieri Correctio, etiam in dubio, an sit profutura, an nocitura?

Respondeo, Tanquam certum: Debere fieri Correctionem Ratio est: Quia nocumentum, si non adhibeatur Correctio, est certum, grauissimum, & irreparabile; nempe damnatio æterna: nocumentum verò ex Correctione timendum, non est ita graue, quod abunde non compensetur spe, etsi dubia, illud nocumentum æternum reparandi: ergo debet fieri Correctio, vt illa non solùm præsens peccatum reparetur; sed & æterna damnatio. Sic Suarez, & Bannes, Valentia. Bonac. Lorca, Villalob. quos citat, & sequitur Palaus *punct.5. num.6.* Ouiedo *pun.7.n.70.* Gasp. Hurtad. *disp.6. diff.7.* Petr. Hurtado §.52. *cit. vers. At in extremo vitæ.* & omnes.

Quæstio XXIV.

An, sit omittenda Correctio, ex qua probabiliter speratur fructus; si ex illa in eo, qui corrigitur, aliqua tristitia, aut aliud leue damnum, sequatur?

Respondeo, Tanquam certum: Non esse omittendam. Quia id expresè colligitur ex Paulo 2. ad Corinth.7. vers.8. *Et si contristaui vos in Epistola non me pœnitet: & si pœniteret, videns, quod Epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit: nunc gaudeo; non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Sic Paulus, vnde caute lege Ouiedum (ob errorem Ichyrographi) aduertentem hunc locum Pauli. Sic Suarez, *disp.8. de Correct. sectio.3.* ita scribens: *Notandum primo, non esse existimandum nocumentum proximi, tristitiam aliquam, vel etiam iram cum aliqua culpa: nam si tandem speretur emenda, corripi debet; quia hæc per accidens sequuntur; & propter maius bonum permitti possunt: prudenter tamen curandum est, ne sequantur quantum fieri possunt.* Hæc ille, & Ouiedo, *controu.11. punct.7. num.72.* Tannerus *disput.2. quæst.5. dubit.4. num.85.* Franciscus noster, *in suo Tribunali cap.2. aduer.2. nu.11.* ex Sanchez *lib.6. consil. cap.2. dub.8. num.4.*

§ III.

De Tertia conditione, quæ est, opportunitas temporis, & personæ.

Quæstio XXV.

An, excusetur quis à Correctione statim facienda; si speret aliud tempus magis opportunum, in quo fructuosius est proximus corrigendus?

Respondeo, Tanquam certum: Excusari. Quia cum Correctio fraterna referri debeat ex Charitate ad vtilitatem spiritualem proximi; minime violatu

violatur ipsius præceptum, si ea differtur in tempus, quo, omnibus consideratis, futura sit proximo vtilior. Sic Valentia *quæst.10. punct.2. vers. sexta circunstantia* ex D. Augustino *lib.2. de Ciuit. Dei cap.9.* D. Thoma *quæst.33.art.2. ad 3.* Silvestro *verb.Correctio numer.2.* & Nauarro *cap.34. num.33.* Sic etiam Luysius *disput.86. dub.2. vers. Deinde.* Palaus *tom.1. tract.6. disput.3.punct.6.num.6.* Ouiedo, *controu.11. punct.8. num.74.* Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.5. dub.14.num.8.* Villalob. *tom.2. tract.4. diff.3. num.5.* Diana *p.7.tract.3.de Correct.resol.30.* & omnes.

Qvæstio XXVI.

An, liceat cuipiam, differre Correctionem in aliud opportunius tempus, casu, quo, illo intermedio, proximus graue aliquod ad missurus sit peccatum?

Affirmat Palaus, *loco cit. num.7. Quia hoc damnum abunde* (ait) *videtur compensandum, certitudine de maiori profectu, & resurrectione firma à peccato.* Ita ille. Ex Soto *quæst.2. de tegendo secreto, concl.6.* Adriano *in 4. quæst. de Correct.* Luysio *dub.2.§. Restat.* & Villalob. *loco cit. num.6.* citat etiam Diana pro hac parte, Filliucium *tom.2. tr.28. cap.6. numer.239.* & Thomam Sanchez *tom.2.opusc. lib.6.cap.2.dub.1.num.7.*

Alij contra dicunt; non licere tunc differre Correptionem. Ita in primis tenet Sanchez *loco citato, num.7.* his claris verbis: *opportunitas ex parte temporis: oportet etiam Correctionem fieri tempore opportuno. Si enim hominem recenti iniuria affectum sedare velis, importunum tempus est. Item, qui Correctionem differt eo quod tempus opportunius ad id fore spectat, rectè agit, vt docet D. Augustinus, &c. Sed nota hoc esse intelligendum, quando non timetur nouum mortale; vel quando speratur fructus totalis emendæ, qualis ex præsenti Correctione non speratur.* Ita Corduba *sup. mem.2. quæst.2. condit.4. Soti: nam si tunc est tempus opportunum, & non speratur maior Correctio in alio tempore, imò continuabit peccatum illud per nouum peccatum, vel aliud peccatum contrahet, non potest licite eius Correctio differri ad tempus opportunius; vel vt alius melius corrigat* vt docet *ibi* Corduba, & Adrian. Hæc Sanchez *n.6.* licet *num.7. sequenti*, oppositum videatur dicere, & ideo pro opposito citauit illum Diana. Tenent etiam hanc partem apud ipsum Dianam, *p.7. tract.3. Resol.29.* Franciscus de Castillo *in 3.senten.tom.2.disp.6.de Correct.quæst.4. numer.10.* Reginaldus *tom.1.lib.4.cap.25.num.345.* quem citat, & sequitur Diana, *loco cit. Resol. 30. vers. Igitur.* Negat etiam ex parte Trullench. *lib.1. capit.5. dubit.14.num.18.*

Ego clarius, & distinctius Respondeo dicendum, quod, si ex Correctione statim facienda credat quis, fratrem, quem corrigit non amplius peccaturum, eo quod aliquo modo cognoscat ad emendationẽ esse dispositum; tunc non liceat ei differre Correctionem, etiam in opportunius tempus, si timeat, aut iam ex aliis circunstantiis sciat, eo tempore intermedio proximum esse grauiter peccaturum. Quia talis dilatio, tunc cederet in magnum detrimentum proximi. Secus vero dicendum puto, si credat, aut probabiliter coniecturet, attentis circunstantiis loci, temporis, & passionis corrigendi, quod ex Correctione statim facienda nullus fructus est ab ipso colligendus; quia tunc optimè poterit quis differre Correctionem in tempus opportunum, etiamsi ex dilatione Correctionis timeat, in intermedio tempore, lapsum fratris: quia tunc non eueniet proprie, & directe ex dilatione correptionis, sed ex sua malitia.

Qvæstio XXVII.

An, teneatur quis ad proximum corrigendum, si certo, aut saltem probabiliter, credat, vel speret, ab alio, vel à semetipso, esse corrigendum?

Respondeo, Non teneri tunc proximum corripere. Ratio est: quia tunc proximus non indiget tua correptione: ergo, nec tu teneris eum corripere. Quemadmodum, nec tenetur aliquis exhibere Eleemosynam corporalem ei, cui nouit ab alio subuentum iri, vt, *tract.de Eleemosyna* diximus. Sic Caiet. *in Sum. verb. Correctio*, & ex illo Valentia *disp.3. quæst.10. punct.2. vers. Quinta circunstantia.* Ægidius *disp.28.dub.6. num.115.* Luysius *disput.86. dub.2.§. Deinde.* Villalob. *tract.4. diff.3.num.5.* Sà, *verb. Correctio num.1.* Palaus *disput.3.punct 6.num.5.* Ouiedo, *controu.11.punct.8. num.73.* Diana *par.7. tract.3.Resol.25.* Qui bene notat, non sufficere, quod adsint alij, qui possint, aut etiam magis quàm ego, teneantur talem proximum, ex corporali, aut spirituali necessitate eripere, nisi omnino probabiliter credam eos hoc facturos.

§. IV.

De Quarta Conditione Correctionis, quæ est, vt fiat commodè.

Qvæstio XXVIII.

An, præceptum Correctionis obliget cum damno notabili salutis, honoris, famæ, & bonorum personæ priuatæ corripientis?

Affirmant aliqui, eo quod debet præponi bonum temporali saluti spirituali proximi. Ita D. Thom. *2.2.quæst.33.art.2.ad 3.* & innuit ibi Caiet. Siluest. *verb.Correctio.quæst.1.* Angel. *num.1.* Tabiena *num.6.* Armilla *num.3.* Abulens. Gabriel, Richard. D. Anton. Adrian. & Margarita, quos omnes citat pro hac parte Sanchez *lib.6. opusc. capit.2. dub.3.num.1.*

Sed longè multo probabilius Respondeo. Non obligare talem personam ad Correctionem: etiamsi certũ habeat, eam profuturam; saltem citra casum extremę necessitatis. Ratio est Quia priuatus homo, sola lege Charitatis tenetur corrigere peccatorem: atqui lex charitatis non obligat cum tanto dispendio, saltem citra casum extremæ necessitatis: vt patet à simili in Eleemosyna corporali: ergo. Sic Sanch. *loc.cit.n.7.* citans Sotum, *mem.2. q.2. concl.6.* Flores Theologiæ *tract. de Correct. diff.1.* & Nauarr. *in Sum.c.24.n.12. & cap. Inter verba corol.59.n.631.* Ita etiam, Aragon, Bannez, Valentia, Reginald. Malder. Ægid. Nauarra, & Bonac. quos citat, & cum communi, sequitur Palaus *tom.1. tract.6. disp.3. punct 6.num.1.* Franciscus, *in suo Tribun.cap.2.aduertentia 2.§.4.num.11.*

QVÆSTIO XXIX.

An saltem, in casu extremæ necessitatis proximi, teneatur quis ad illum corrigendum cum periculo vitæ propriæ; &c. si moraliter existimet certum, Correctione posita, in gratia decessurum; secus vero, in mortali moriturum?

NEgant adhuc, Franciscus Mairon, & Victoria, apud Valentiam 2.2. *disp.3. qu.10. pun.2.vers. secundo controuersum est.* Loquendo de persona priuata; licèt secus dicant de Prælatis.

Sed vt certum, Respondeo. Teneri, etiam quamlibet personam priuatam, ad corrigendum seu monendum proximum, cum periculo vitæ propriæ, honoris, &c. in casu, quo dictus proximus extremè indigeat Correctione seu monitione: secus vero si extremè non indigeat illa, ad decedendum in gratia. Sic communis. Ratio est. Quia salus spiritualis proximi, maioris momenti apud me, debet esse, quàm propria corporalis vita: ergo. Sic docent omnes Authores citati *supra quæst. antecedenti* pro vtraque sententia. Et ita tenent omnes ex suppositione, quod proximus verè sit in extrema necessitate meæ Correctionis ad decedendum cum gratia ex hac vita: nam nonnulli suppositum negantes, consequenter negant teneri sub mortali ad corrigendum proximum cum damno propriæ vitæ vllo in casu. Vnde pro decidenda hac controuersia, sit,

QVÆSTIO XXX

An, possit dari casus, in quo proximus necessariò egeat mea Correctione ad suam salutem?

NEgat Lorca 2.2. *disput.45. numer.7.* vbi asserit, nunquam peccatorem extremè indigere Correctione ad salutem; quia hanc, inquit, poterit consequi semper, mediis auxiliis diuinæ gratiæ: maximè cum Correctio ex se, non sit medium adeo efficax ad emendationem, seu cum illa coniunctum: consentit ex parte Hurtad. *infra* citandus. Et omni ex parte Palaus, *num.4.*

Sed vt mihi certum Respondeo. Posse dari talem casum vt statim videbimus. Nec obstat fundamentum Lorcę. Quia Deus potest velle auxilia peccatori conferre media mea Correctione, seu monitione. Sic Ouiedo, *controu.11. punct.8. n.76. & 79.*

QVÆSTIO XXXI.

Quando dentur casus, in quibus proximus, extremè, & necessario, mea Correctione ad salutem egeat?

REspondeo, Dari *Primo*, iuxta placitum Henrici de Villalobos, quando peccator laborat aliqua ignorantia vincibili alicuius rei necessariæ ad salutẽ, de qua alium consulit. Sic ille, *to.2.tr.4.diff.5. in fine.* his verbis: *El caso d'esta conclusion, rarissimas podria acontecer, porque como dice* Soto *de secreto, memb. 2.q.2.concl.6. Si el pecado procede de malicia, ò passion, el mismo se puede corregir: y si de ignorancia inculpable, no peca; y si es vincible, el està obligado a buscar quien le enseñe. Y assi solo parece podria auer lugar, quando fuesse el pecado de ignorancia vincible de alguna cosa, de las que tiene obligacion à saber, y preguntar se: porque entonces auria obligacion de enseñarle con peligro de la Vida.* Sic ille.

Secundo, iuxta sententiam Patris Hurtadi Complutens. (vt refert Ouiedo) *datur hæc proximi extrema necessitas, quando proximus laborat ignorantia inuincibili circa rem ad salutem simpliciter necessariam: & in eo casu, ait, tunc proximum indigere extremè, monitione, non verò Correctione: quia monitio Correctio non est: & ita asserit nunquam esse obligationem corrigendi cum dispendio vitæ: bene tamen monendi:* Ita ille. Et ex illo Ouiedo, *n.76. & 79.* vbi dicit, negari non posse, *quod ille, qui inuincibiliter ignorat rem ad salutem simpliciter necessariam, & iam est morti proximus, extremè indigeat monitione, & doctrina, quam adsque dubio, debeo exhibebere cum dispendio vitæ propriæ corporis.* Sic ille. Sed certe hic dicendi modus parum, aut nihil distat, à modo dicendi Henrici, vt videre est.

Tertiò, secundum Thom. Sanch. tunc proximus extremè mea indigeret Correctione, si v.g. hæreticus disseminaret hæreses, quibus per ignorantiam aliqui assentirent, & non esse, qui posset, aut vellet, instruere, nisi ego; si creditur meam Correctionem profuturam, teneor, etiam cum mortis periculo, corrigere. Sic Sanchez *lib.6. consil.c.2. dub.3. n.5.* dicens, in hac conclusione omnes conuenire.

QVÆSTIO XXXII.

An item, extra casum necessitatis, teneatur Prælatus corrigere subditos, etiam cum dispendio propriæ vitæ, quando speratur Correctio profutura?

REspondeo, Teneri. Quia ad id tenetur, non solùm lege Charitatis, sed etiam lege iustitiæ, & ex officio. Iuxta illud Christi Domini Ioan.10. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis: mercenarius autem fugit.* Sic, & à fortiori, omnes Authores citati pro prima sententia *q.28.* Sotus etiam, Corduba, & Flores Theologiæ, quos citat, & sequitur Sanch. *vbi supra, n.6.* Ouiedo, etiam *pun.8. cit. fine*, vbi ita ait: *In Prælatis autem, & in his, qui ex officio alios tenentur corrigere, obligationem longè strictiorem agnoscunt Doctores. Tenentur enim Episcopi, Parochi, & Religionum Prælati, etiam cum dispendio propriæ vitæ, corrigere subditos, quando id necessum sit, ne graue damnum Religio Christiana, aut alicuius Communitatis obseruantia Religiosa penitus extinguatur, & proportione seruata, cum damno notabili subditorum, notabilioria vitia corrigere, maximè cum in Communitatis damnum vergunt.* Sic Ouiedo. Palao *pun.6. n.4. fine*, & apud illum, Bannes, Sotus, Nauarro, Luysius de Torres, & Villalob.

QVÆSTIO XXXIII.

An saltem excusetur à mortali, qui, obpu dorem, vel verecundiam aut negligentiam, seu tepiditatem, omittit Correctionem?

AFfirmat Palaus, *disputat.3. de Charit. punct.6. numer.2.* excusari quidem à mortali, casu, quo pudor, & verecundia sit alicuius momenti, quem facilè cordatus vincere non potest: non verò si leuis sit pudor, & verecundia: quia alias, nunquam fieret Correctio. *Si enim* (ait Palaus) vt bene dicit Ægidius, *disp.28. de Correct. dub.6. numer.126. in communibus necessitatibus tenetur priuatus corripere*

peccantem, & si credat ideo deridendum, aut aliquas iniurias auditurum, aut aliquid odium non ita sibi nociuum excitaturum, modo speret de Correctione fratris lucrum: à fortiori obligatus erit, tametsi aliquem pudorem patiatur. Hæc Palaus.

Sed probabiliter Respondeo, excusari à mortali, qui ob pudorem, verecundiam, tepiditatem, aut negligentiam, in communibus necessitatibus omittit Correctionem: secus esset in extremis, vt diximus. Sic in primis tenet Sà, *v. Correctio num.* 2. his verbis: *Omittere Correctionem ferè semper veniale peccatum est. In Prælatis, quorum maior est obligatio subditos corripiendi, facilè potest esse mortale, si negligentia, aut timore Correptionem necessariam omittant.* Sic ille.

Gaspar Hurtadus etiam, *disputat.6. de Correct. diff.*8. *fine*, expresè ait, quod attentis omnibus circunstantiis, rarò obliget correptionis præceptum, in actu secundo, hominem priuatum. Audi eius verba: *Ex omnibus in hac, & in præcedenti difficultate dictis, deducimus, Correptionem ad impediendum peccatum mortale, quæ ex se, seu ex suo obiecto, est obligans sub peccato mortali, rarò de facto, seu in actu secundo, sub eo obligare priuatos ex defectu alicuius ex pluribus requisitis ad id*, vt aduertunt Valentia *punct.* 2. Sà, *verb. Correctio.* Ægidius *num.* 127. Lorca *disp.* 45. Granados *disp.* 1. *num.* 7. *vel quia deficit notitia peccati sufficiens; vel spes emendæ sufficiens; vel necessitas Correptionis; vel quia timetur graue aliquod detrimentum ex Correptione; vel aliter. Imò non pauci ex relatis, & alij, addunt excusari à mortali eos, qui ex timore aliquo humano, aut ex verecundia, aut ex tepiditate aliqua, aut ex alio simili affectu, omittunt dictam Correptionem: quod non caret probabilitate sufficiente, vt absque conscientia peccati mortalis eam Correptionem possimus omittere, &c.* Sic ille.

Sic etiam Suarez *disput.*8. *sectio.* 3. *num.* 5. ita dicens: *Et iuxta hæc, explicandum est quod D. Thomas dicit* art. illo 2. ad 3. *aliquos timore, aut verecundia, omittere Correctionem sine peccato mortali; quia fortasse, sit aliquis defectus; tamen est ferè naturalis, & inuoluntarius, & ab illo ita impeditur homo, vt sit inefficax ad corripiendum, & ita caret spe fructus: & quamuis hæc carentia spei proueniat ab ipso homine, tamen quia vix est in hominis potestate vincere illum timorem, aut cum illo fructuosè corripere, ideo excusatur saltem à mortali.* Hæc Suarius. Legantur pro hac sententia Granad. *in* 2.2. *controu.* 3. *tract.* 1. *disp.* 1. *à n.* 6. Ioan. Sanch. *in select. disp.* 6. *n.* 9. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *Resol.* 228. Machado *to.* 1. *lib.* 2. *par.* 2. *tr.* 6. *docum.* 11. *num.* 7. Quiedo *controu.* 11. *punct.* 7. *n.* 80.

DISPVTATIO III.

De Personis, quæ tenentur Corrigere; & quæ sunt Corrigendæ.

Qvæstio Prima.

An, omnes cuiuscunque conditionis personæ, teneantur proximum Corrigere?

Negavit Glossa *in cap. Tam Sacerdotes* 24. *quæst.* 3. *verb. Fideles.* Asserentes, tantum teneri ad proximum corrigendum, Sacerdotes, & Prælatos.

Sed tanquam certum Respondeo. Teneri omnes personas idoneas ad corrigendum, cuiuscumque conditionis fuerint. Quia cum hoc præceptum sit etiam naturale, ex hac parte omnes etiam infideles obligat, vt diximus *disp.* 1. *quæst.* 4. vnde sententia Glossæ prorsus est falsa, & improbabilis, vt vt bene ait Suarez *disputat.*8. *de Charitate sectio.* 4. *num.* 3. Nec textus citatus à Glossa est ad rem; quia loquitur de iudiciaria correctione, quæ est propria Prælatorum.

Qvæstio II.

An, solùm iusti, obligentur hoc Correptionis præcepto?

Affirmandum videtur, & quod scriptura sacra clarè reprehendit peccatores, qui audent alios corripere: ergo ad corripiendum non ligantur. Antecedens constat ex illo Ioan.8. *Qui sine peccato est, vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Ad Rom.2. *In quo alium iudicas, te ipsum condemnas* & aliis locis; ex quibus hanc partem innuit Abulens. *Matth.*7.

Sed, vt certum Respondeo. Non solùm iustos, sed etiam peccatores, obligari, per se loquendo, hoc præcepto. Tum, quia præcepta Misericordiæ, & Charitatis omnes obligant. Tum etiam, quia peccator interdum est aptus ad corripiendum: ergo, positis aliis circunstantiis, obligabitur. Sic communiter omnes cum D. Thom. 2.2. *qu.* 33. *art.* 5. Richard. Palud. Gabriel, & Silvest. & Sotus, quos citat & sequitur Suarez *sect.* 4. *cit. num.* 6. Hurtad. Complutens. *disp.* 6. *diff.*10. Palaus *disp.* 3. *pun.* 7. *n.* 2. & alij, qui id certo certius existimant verũ, loquendo de peccatore occulto.

Qvæstio III.

An, Peccator publicus, & vt talis notus, obligetur ad Corrigendum alios, præcipue circa peccata, quibus ipse est infectus?

Negandum videtur. Quia huiusmodi peccator indiget Correctione, ineptusque est ad alios corrigendum; cum ei dici possit illud Matth.7. *Hypocrita eiice prius trabem de oculo tuo, & tunc prospicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.* & illud Lucæ 4. *Medice cura te ipsum.*

Sed clarius Respondeo, dicendum, quod licèt talis peccator, per se teneatur, & obligetur ad corrigendum alios peccatores, vt constat ex dictis: tamen per accidens, regulariter deobligatur à tali Correctione, eo quod nullus ab ipso sperari potest fructus. Sic D. Thom. 2.2. *q.* 33. *art.* 5. Nauar. *cap.* 24. *n.* 12. Valentia *disp.* 3. *q.* 10. *pun.* 3. Quiedo *controu.* 11. *punct.* 4. *n.* 32. & 33. Palaus *num.* 2. & omnes communiter. Legatur Suarez, mox citandus.

Qvæstio IV.

An, Prælatus, seu Superior Ecclesiasticus, possit, absque peccato, in statu peccati, iudicialiter alium corripere?

Negat ex Paludano, Silvest. *v. Correctio q.* 16. & *vltima* sic dicens: *Prælatus si sit in mortali publico, vel occulto, peccat corrigendo ex officio suo, vt Prælatus, vel quidquid aliud faciendo: quia indigne vtitur suo officio: & secundum Petr. de Palud. peccat mortaliter quia suspensus est coram Deo, &c.* Ita ille.

Sed

Sed vt certum Respondeo. Posse talem Superiorem, absque peccato, iudicialiter corripere subditum in statu peccati. Quia nullo titulo ad actum iudicialem requiritur status gratiæ; vt bene Suarez *disputat.8. sectio. quarta numero sexto*, vocans sententiam Silvestri falsam. Addit tamen, & bene: *quod per accidens, ratione scandali, si quis sit in peccato publico, vel certè noto ei, qui corripiendus est, tunc vitanda sit Correctio; interdum tamen poterit aliquis ad hoc obligari.* Sic etiam Hurtad. Complutens. *disputatio. sexta difficult.10. vers. Caietanus vero.*

QVÆSTIO V.

An, Prælati, qui ex officio tenentur subditos corrigere, teneantur prius de suis peccatis pœnitere, vt sic fructuosè possint corripere illos?

RESpondeo, Teneri, aut officium Prælati deponere, aut se in statu apto fructuosæ Correctioni constituere. Sic vt certum supponit Ouiedo, *controu.11. punct.4. numero 33. fine*, his verbis: *Prælatos, & quoscumque, qui ex iustitia tenentur alios corrigere, certum est, ex eadem iustitia, teneri remouere impedimenta, ad suum munus obeundum; & ita teneri proprios mores componere, & peccata emendare, quantum necesse fuerit, alios, quorum cura est circa illos, vtiliter corrigere.* Sic ille. Et antea, Suarez, ex Soto, *disputat.8. de Correct. sectio.4. sub numero 7.* Villalob. & Lorca, quos sequitur Palaus *disputat.3. punct.7. numero quarto vers. ab hac doctrina.*

QVÆSTIO VI.

An, etiam priuatæ personæ, teneantur ex Charitate, propriam emendare vitam, & de suis peccatis pœnitentiam agere, vt sic vtiliter possint corrigere indigentem?

AFfirmant, apud Suarium, S. Thom. *in 4. dist.19.* Richard. *ibi art.2. quæstione secunda ad primum* Palud. *quæstione tertia*, & Nauarr. *capite 29. numero 12.* quatenus ait; peccatorem non excusari à præcepto correctionis, cum possit, diuinâ gratiâ, pœnitere.

Sed probabilius longè, imò, vt mihi verum, Respondeo. Non teneri (saltem extra casum extremæ necessitatis) ob Correctionem faciendam, de peccatis propriis pœnitere. Quia, absque pœnitentia, poterunt proximum cum humilitate fructuosè corrigere. Addo, quod esset onus valde rigidum, & scrupulis plenum, cogere priuatum hominem de propriis peccatis pœnitere, propter Correctionem aliorum, qui eâ Correctione extremè non indigent. Sic Suarez. *disput.8. sect.4. numer.7.* Sotus, *de secreto, mem.2. quæst.3. concl.6.* Bannez *quæst.33. art.5.* Lorca *disputat.42. numero 12.* Ægidius *disput.28. dub.7. numero 132.* Palaus, *punct.7. citato numero 4.* (Qui & citat pro hac parte Valentiam, *vbi supra*) Ouiedo, *controu.11. punct.4. num.34.*

QVÆSTIO VII.

An saltem, casu, quo proximus constitutus in extremis, Correctione indigeat, quia sine illa, in peccato decedet; teneatur tunc priuata persona emendare vitam, vt sic in gratia decedat proximus?

AFfirmant communiter Doctores, teneri tunc priuatum hominem emendare suam vitam, si prudenter iudicet, hâc suâ emendatione posita, & non alio modo, Correctionem ab illo exhibitam forè vtilem. Ratio est: Quia in re tanti momenti, vt est extrema salus proximi, non est graue onus censendum, teneri proximum ad emendandam suam vitam; cum teneatur ob proximi salutem, alias perituram, certo consequendam, corpori vitam contemnere. Ita Suarez, Bannes *loc. cit.* Luysius *disputat.88.* Villalob. *tractat.4. diff.8. numer.2.* & alij.

Negat vero, Castrus Palaus, *disputat.2. punct.7. numero sexto*, ita dicens: *Mihi videtur dicendum, ratione præcepti Correctionis raro, vel nunquam te, nisi Prælatus sis, esse obligatum pœnitere: ratione verò scandali, obligatio esse potest, cum tuo peccato, & malo exemplo facis, vt alius peccatis inhæreat*, & ita expressè docet Valentia *disputat 3. quæst.10 pun.3.* (*sic lege, non pag.3. §.*) *vnde verè asseruit Sotus. pag. 668.* (*mihi col.754.*) & Ægidius de Coninch. *2.2. disput. 28. dubit. 7. à numer. 132.* Hæc Palaus. Sed certe Ægidius oppositum docet cum authoribus primæ sententiæ *numero 134.* Legatur Diana mox citandus qui approbare videtur placitum Palai.

Sed ego cum Ouiedo Respondeo: casum hunc moraliter esse ferè impossibilem. *Qui enim iam moribundus, metu damnationis æternæ illi propositæ, & aliis rationibus, ad pœnitentiam non mouetur; difficile credi potest, ad hanc esse trahendam, emendatione vitæ alienæ. Deinde, quia de hac emendatione non potest constare, nisi post notabile tempus: extrema autem necessitas pœnitendi ex se parum durat: incipit in tempore, quod morti proximum indicatur: præcognosci autem à longè hanc extremam necessitatem peruenturam, difficillimum est: Tum propter incertitudinem temporis: tum maximè propter naturam voluntatis indifferentis ad bonum & malum, & ita variabilis, vt vix ex his, quæ vult hodie coniici liceat, quod craſtina die sit valitura.* Hæc Ouiedo, *punct.5. cit.n.34.*

QVÆSTIO VIII.

An ille, qui alium ad peccatum positiuè pertraxit; teneatur emendare vitam, etiam extra casum extremum, vt eum corrigat, quem ad peccatum induxit?

RESpondeo Teneri, hâc causâ emendare propriam vitam, si putet, aliter non corrigendum eum, quem suo exemplo ad flagitiosam vitam pertraxit. Quia tunc præsumendum est, quod alter eius exemplo ad peccandum semper moueatur, quamdiu vitam suam non corrigit. Sic Ægidius *loc. cit. nn.133.* quamuis addat, id vix contingere posse, nisi in his, qui magna sunt authoritate apud alios, ita vt suo exemplo eos facile in vtramque partem mouere possint. Ouiedo, *loc. cit. numer.36.* & Diana *par.7. tract.3. Resol.16.*

QVÆSTIO IX.

An ſubditi teneantur, ſuos Prælatos fraterne, cum opus eſt, corrigere?

REſpondeo, vt certum: Teneri. Quia ſic docet Gregorius *Epiſt. ad Nicacium*, & habetur *in cap. ſicut. 2. quæſt. 7.* his verbis: *ſicut laudabile, & diſcretum eſt, reuerentiam, & honorem exhibere Maioribus; ita rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſi quæ in eis ſunt, quæ indigent Correctione, nulla diſſimulatione poſtponere; cum & proximi ſint, & arctius teneantur eos diligere.* Sic Gregrius. Et ſic D. Auguſtin. *in Regula, Non ſolum,* (inquit) *veſtri, ſed & Prælati miſerimini. & Epiſt. 19.* vbi id probat exemplo Pauli, qui in faciem reſtitit Petro: & ideo id docent omnes Theologi, cum D. Thoma *quæſt. 33. art. 4.* Caiet. Bannes & Aragon, *ibi* Lorca *diſp. 43.* Ægidius *diſp. 28. dub. 4. num. 52.* Valentia *diſput. 3. quæſt. 10. punct. 4.* Gaſp. Hurtado, *diſp. 6. diff. 11.* Palaus *diſp. 3. punct. 4. n. 10.* Quiedo *controu. 11. punct. 4. num. 36.* Diana cum aliis multis *par. 7. tract. 3. Reſol. 15.*

QVÆSTIO X.

An, vt fructuoſa ſit Correptio ad Prælatos facienda; ſeruandæ ſint aliquæ Conditiones?

REſpondeo, ſeruandas eſſe aliquas, & præcipue tres. *Prima* ſit, quod corrigantur cum magna prudentia, reuerentia, & humilitate; & potius obſecrando, quàm increpando; iuxta illud *1. ad Timoth. 5. ſeniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt Patrem*: nam alias nullius effectus erit correptio.

Secunda, vt non publicè, ſed ſecreto ſemper corrigantur: iuxta decretum Innocentij III. *cap. cum ex iniuncto. de Hæretic.* Quia, qui publicè Prælatorum vitia reprehendunt, ſcandala generant; & ſubditis, occaſionem deſpiciendi tribuunt. Quod intelligi debet, niſi peccata ſint ſcandaloſa, & publica; nam tunc, ne noceant ſubditis, publicè argui debent, etiamſi nulla ſperetur emendatio.

Tertia eſt, vt talis correctio fiat in primis à ſubditis grauioribus, & ſenioribus, & in horum defectu, ab aliis iunioribus, & minus grauibus. Sic D. Thom. cum aliis Doctoribus, nuper citati.

QVÆSTIO XI.

An, Concionatores teneantur corripere publica peccata; etiamſi credant, ea committentes, non emendandos?

REſpondeo, Teneri: (niſi alias ex tali Correctione maiora mala timeant; vt fere accidit, quando Superiorum peccata publicè reprehenduntur) Quia ad id tenentur ratione officij, nec tunc gerunt rationem priuatæ perſonæ, ſed publicè. Sic Ægid. *diſputat. 28. dubit. 6. numero 113.* Petr. Hurtad. *in 2. 2. diſputat. 162. ſectio. 7. §. 58.* & Diana *part. 7. tract. 3. Reſol. 13.*

QVÆSTIO XII.

An, aliquando ſit licitum, publicè reprehendere Prælatum?

REſpondeo, dicendum quod ſic; præcipuè in duobus caſibus. *Primus* eſt, quando Prælatus erraret in Fide, & doceret alios errorem ſuum. *Secundus* quando Prælatus ſuis moribus notabiliter ſcandalizat. Quia cum in his caſibus, publicè deſtruat Fidem, & Charitatem; publicè corrigendus eſt; maximè cùm huiuſmodi Correctio, regulariter loquendo, valde póſſit prodeſſe populo, & nihil obeſſe. In aliis verò caſibus, caueant Prædicatores verbi Dei, ne ponant in cœlum os ſuum, vt faciunt, qui in Prælatos Eccleſiaſticos imprudenter inuehuntur, quorum auctoritas valde neceſſaria eſt ad bonum communitatis, quapropter, niſi communitati pernicioſi fuerint, non ſunt publicè reprehendendi. Sic Bannez *in 2. 2. quæſt. 33. art. 4.* ex Caietano *ibidem.* Et ex vtroque, Diana, *Reſol. 13. citata.*

QVÆSTIO XIII.

An, Concionatores, & Iudices, in mortali peccato Corrigentes alios, mortaliter peccent?

AFfirmant Caiet. Nauarr. Angel. Palud. & Lublinus, quos, loquendo de Concionatoribus, citauimus *2. par. tract. 6. diſp. 2. de ordine quæſt. 27.* Et idem docet Silueſt. loquens de Correctione iudiciali, *verb. Correctio. num. 16.*

Sed longè probabilius Reſpondeo: Minimè peccare mortaliter. Quia nulla eſt efficax ratio obligandi Concionatores, & Iudices gratiam habere, vt peccata publicè corrigant. Sic, loquendo de Concionatore, tenent Sotus, Suarez, Vazquez, Ægidius, Ochagauia, Granados, Hurtad. & alij adducti à nobis *2. p. loc. citato.* Sic etiam Palaus *diſp. 3. de Charit. punct. 7. num. 7.* Torres, Medina, & Villalob. apud ipſum. Diana etiam *loc. cit. Reſol. 14.* Legantur à nobis dicta *ſupra diſp. 3. quæſt. 4.* vbi diximus, ſententiam Silueſtri loquentis de Iudice eſſe falſam.

QVÆSTIO XIV.

An, Meretricibus, vſurariis, & aliis peccatoribus publicis, adhibenda ſit Correctio ex præcepto.

NEgandum videtur: Tum, quia horum peccata licitè à Magiſtratu permittuntur. Tum etiam; quia illorum Correctio, ferè ab omnibus, etiam viris timoratis, negligitur: ergo.

Sed, vt certum, Reſpondeo. Adhibendam eſſe, per ſe loquendo, Correctionem. Quia verè Deus offenditur, ac proximus ſibi malum infert: ergo ſi hæc auertere quis poteſt, abſque periculo grauioris mali, tenebitur. Sic Ægidius *diſp. 28. dub. 3. n. 33.* Malderus *2. 2. q. 33. art. 2. dub. 3.* Palaus *diſp. 3. de Charit. pun. 2. n. 4.* Diana *par. 7. tract. 3. Reſol. 33.* & Lorca *2. 2. diſp. 41. num. 4.* Qui bene notat, plures excuſari à Correctione iſtorum; vel quia cum ſint in notitia omnium, ſunt alij, qui facilius & melius eos corrigere poſſint: vel quia in his raro ſperatur fructus, & vtilitas Correctionis, & præterea frequenter negligitur.

DISPVTATIO

DISPVTATIO IV.

De ordine, quo facienda sit Correctio fraterna peccati occulti.

QVÆSTIO PRIMA.

An, Correctio fraterna peccati occulti sit facienda, eo ordine, quem Christus Dominus in Euangelio, Matth.18. præscripsit?

RESPONDEO, vt certum, sic faciendam esse. Hic autem ordo, à Christo Domino, his verbis fuit designatus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solùm: si te audierit lucratus erit fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

In his igitur verbis, tria præscripsit Christus à priuatis facienda ad correptionem peccati occulti fratris. *Primò*, vt secreto admoneatur frater. *Secundò*, vt si hæc priuata, & secreta monitio non profuerit, adhibeatur vnus, vel duo testes, qui eum admoneant. *Tertiò*, vt Prælato denuncietur, si correctio obseruatis primis duobus modis, non profuerit. Sic omnes. Legantur Hurtadus Complut. *disp.6. diff.12.* Diana *par.7. tr.3. Resol.35.* & alij *infra* citandi.

QVÆSTIO II.

An, dictus ordo in Correctione peccati occulti adhibendus, cadat sub præcepto naturali?

RESpondeo, Tanquam certum: Quod sic. Quia ipsa natura dictat corrigendum esse proximum cum minori damno famæ, & honoris, quo fieri possit: ac proinde, si absque testium inductione corrigi potest, ipsa natura dictat, vt corrigatur: & si solum vnicus testis sufficiat, vt quid duo sunt adducendi? & si iis addictis emendatur, quare Ecclesiæ, seu Prælato denunciandus est? Sic Palaus *tom.1. tract.6. disp.3. pun.8. num.4.* Gasp. Hurtad. *disp.6. diff.12.* Trullench. & noster Franciscus mox citandi.

QVÆSTIO III.

An etiam, prædictus ordo in correptione seruandus, sit à Christo Domino præceptus?

NEgant plures Doctores, existimantes, verba Christi Domini, *supra* ex Matth. 18. allata, non continere præceptum; sed solùm consilium. Ita D. Bonauentura *in capit.17. Lucæ*, ad illa verba, *si peccauerit in te*: Vbi hæc habet: *Hic autem ordo congruitatis est, non necessitatis.* Areualo *tract. de Correct. fraterna, per totum.* Maldonatus *in cap.18. Matth. num.15.* Salmeron *tom.4. in Euang. tract.17.* Petr. Hurtado *in 2.2. disp.163. §.207.* & (apud Ouiedum) Pater Vazquez, *in manuscriptis.*

R. P. Leand. in Decalogum.

Sed longe probabilius Respondeo: Esse etiam præceptum à Christo Domino. Quia sic videtur definitum ab Innocent. III. *in cap. cum ex iniuncto. de hæret.* ibi: *cum aliud sit fratrem in se peccantem occultè corripere, quod quisque tenetur efficere, secundum regulam Euangelicam,* & sic tenent communiter DD. S. Thom. *2.2. quæst.33. art.7.* Richard. *in 4. dist. 19. quæst.1. & 2.* Valentia *quæst.10. pun.5.* Ægidius *disp.28. dubit.8.* & Granad. *disp.5. sectio.2.* quos citat & sequitur Gasp. Hurtad. *disput.6. diff.13.* Suarius, *de Charit. disput.8. sectio.6. num.2. & tom.4. de Relig. lib.10. cap.7. à numer.10.* Luysius *disput.89. dubit.2.* Tannerus *disput.2. quæst.5. dubit.5.* Lorca *disput.46. mem.2. à numero 15.* Bannes, Filliuc. Palaus, Villalob. & Bonacina, quos citat, & sequitur Ouiedo, *de Charit. controu.11. punct.9. num.91.* Sanchez. *in consiliis lib.6. cap.2. dubit.6. num.8.* Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.5. dub.16. sub num.1.* Franciscus de Castillo *in 3. senten. tom.2. disp.6. quæst.7. num.3.* quos, & alios citat, & sequitur Diana *par.5. tractat.16. Resol.42. & par.7. tract.3. Resol.36.* noster Franciscus à S. Iuliano *in Tribunal. Regul. cap.2. aduertentia 2. num.1.* cum aliis.

QVÆSTIO IV.

An, ad Correctionem adhibendam, teneatur quis, prius adhibere vnum testem, quàm duos?

AFfirmant aliqui, existimantes, sub præcepto teneri quem adhibere vnum testem, & deinde, si hic non sufficit, alterum. Quia sic videtur colligi ex verbis Christi, *Adhibe vnum, vel duos testes.* Ita Sotus *de secreto mem.2. quæst.4. concl.6. fine*, & Flores, *tract. de Correct. diff.6.*

Sed clarius, ac probabilius, & Respondeo. Non teneri quem, sub præcepto adhibere prius vnum testem, & postea, si iste non sufficiat, alterum; sed posse ambos simul adhibere; licèt melius sit, prius adhibere vnum, vt sic correctio cum minori damno proximi fiat. Ratio est. Tum quia parum refert, quod duo sciant delictum, siue simul, siue successiue. Tum etiam, regulariter loquendo, minus prodest correctio priori modo facta, nam magis erubescet, & retrahetur à peccato coram duobus admonitus, quàm coram vno: ergo. Sic Abulens. *in Matth. capi.18. quæst.102.* & Nauarr. *cap. Inter. verba Corol.46. numero 572.* quos sequitur Sanchez *lib.6. consil. cap.2. dubit.7. num.2.* & hos, Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.5. dub.16. sub num.1.*

QVÆSTIO V.

An, ad corrigendum fratrem, possit quis, plures, quàm duos testes adhibere?

AFfirmatiuam sententiam esse probabilem, insinuat clarè Sanchez, *vbi supra.*

Sed cum ipso, probabilius, & longe certo, Respondeo. Non posse. Tum quia Christus Dominus, vnum, vel duos tantum designauit. Tum etiam, quia ad hoc corrigendus confundatur, & resipiscat; sufficit, quod coram duobus admoneatur. Sic Sanchez *loc. cit. num.3.* ex Abulensi *loco cit. qu.103.*

Qvæstio VI.

An, testes, qui ad Correctionem adhibendi sunt debeant esse ex his, qui norunt crimen fratris?

Respondeo, Quod sic. Quia lex Charitatis postulat, vt saluti spirituali proximi, quèm minimo famæ dispendio fieri possit, consulatur. Sic Altisiodor. *lib. 3. tract. 25. capit. 2.* Tabiena, *verb. Correctio num. 2.* & Sanchez. *loc. cit. num. 4.* addens, quod quando delictum esset omnino occultum, possunt tunc adhibere testes, licèt crimen illud alias nesciant; sed de hoc addito *infra.* Sic etiam Trullench. *loco citato numero 1.*

Qvæstio VII.

An, ad Correctionem peccati, vni tantum noti sint adducendi testes, iuxta præfatum Christi ordinem?

Affirmant multi. Quia Christus Dominus, loco Matthæi 18. citato, de omni peccato videtur loqui. Adde, quod si speratur fructus ex inductione testium, plane videtur, quod misericordia obliget. Ideo ita sentiunt S. Thom. 2. 2. *quæst. 33. art. 8. ad 1.* ex D. Augustino *tom. 1. in reg. 3. cap. 23. & Epist. 109.* Caiet. *in art. 8. cit.* Valentia *disp. 3. quæst. 10 punct. 5.* & Luysius *disp. 89. dub. 3.* (non 4. vt legi apud Dianam) & Hurtad. Complutens. *disp. 6. diff. 12.*

Alij contra negant, Quia contra iustitiam videtur, crimen omnino occultum, & vni soli notum, reuelare Prælato, vel testibus. Deinde, quia si delinquens contemnat correptionem secretam eius, qui nouit crimen, facilius contemnet, imò & poterit negare crimen occultum, quando testibus manifestetur à corripiente. Denique, quia peccatum, quod est materia Correctionis fraternæ, debet esse publicum, saltem secundum quid: atqui, quod vni tantum est notum, non est, adhuc secundum quid publicum: ergo Ita sentiunt Henricus, *quodlib. 9. qu. 8.* Durand. *in 4. dist. 19. qu. vltima* Altisiodorens, *lib. 3. summæ tit. 25. cap. 2.* Imò & Caiet. *in citatum locum Matthæi.* & Franciscus del Castillo *in 3. sent. tom. 2. disp. 6. q. 8. n. 9.* Quem refert, & videtur sequi Diana *par. 7. tract. 3. Resol. 37.*

Sed clarius, ac distinctius ego Respondeo dicendum, quod licèt possit quis primam sententiam amplecti: eo quod maioris momenti sit bonum spirituale fratris, quod ex reuelatione sui criminis testibus speratur, quàm fama illius; non tamen ad id teneatur ob fundamenta, quibus Authores secundæ nituntur ad asserendum oppositum. Quorum placitum conformius est nostræ Regulæ, in qua expressè cauetur, *quod si quis frater in fratrem peccauerit, ideſt contra fratrem, ideſt, eo solo sciente, qui iniuriam passus est sustineat patienter, & cum quieuerit cominotio animorum, benigne ac fraterne commoneat, & corripiat eum, vsque ter inter se, & ipsum solum, & pœnitentiam agere de commisso, & à similibus in posterum abstinere: quod si non audierit dicat Ministro, & ille corripiat eum secreto, secundum quod viderit saluti eius expedire.* Sic Regula *cap. 34.* Igitur iuxta illam, quando peccatum est omnino occultum, & solùm iniuriato notum, non debet reuelari testibus, sed Correctio debet secreto ab ipso Iniuriato fieri, cui si non acquieuerit, renunciari debet Prælato, vt hic etiam secreto eum corrigat.

Qvæstio VIII.

Quot, & Quales sint causæ inducendi testes?

Respondeo cum D. Thoma, esse tres. *Primà* est, vt corrigens ostendat se præstitisse, quod debebat erga correctionem fratris, antequam denunciaret Prælato. *Secundà*, vt per testes delinquens possit postea ab Ecclesia conueniri; & probetur delictum. *Tertià*, vt melius emendetur peccator, & qui vnum corrigentem contempsit; duos, vel tres reuereatur, & audiat. Sic ex D. Augustino, Chrysostomo, & Hieronymo, docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 33. art. 8.* & ibi Malderus *dub. 3.* Luysius *dub. 3. cit.* Nauarra *de Restit. lib. 2. cap. 4. num. 264.* Bonac. *in 1. Decal. disp. 3. quæst. 4. punct. 7. num. 14.* Franc. del Castillo *disp. 6. de Correct. quæst. 8. num. 9.* Diana *p. 7. tract. 3. Resol. 38.* & alij contra Lorcam 2. 2. *disp. 46. memb. 2. num. 2.* assignantem solummodo tertiam causam, eo quod existimet, alias duas priores esse inutiles.

Qvæstio IX.

An, renunciari possit ab aliquo, vt secum hic ordo correptionis seruetur; quando aliàs ex præcepto diuino seruandus erat?

Negant aliqui Doctores, existimantes, huiusmodi viri in correctione seruando, à nullo in particulari, nec à tota aliqua communitate renunciari posse. Ideoque in nulla Religione (aiunt) est licitum, reuelate Prælato, vt Patri, peccatum occultum fratris, absque præuia monitione, etiam casu, quo melius sit per ipsum Prælatum correcturus: nec licitam esse constitutionem Religionis contrarium statuentem. Ita tenuit Petrus Lorca 2. 2. *disput. 47. num. 13.* vbi pro se affert. D Thomam 2. 2. *quæst. 33. art. 7. ad 5.* Sotum, *de Secreto tegendo memb. 2. quæst. 4. dub. 3. concl. 3.* Adrianum *in 4. de correct. frater.* Abulens. Palud. Gabriel, Armillam Siluest. Nauarrum, & alios. Ita etiam Philiarcus *de officio sacerd. tom. 1. part. 1. lib. 4. cap. 14.* vocans impiam Constitutionem Religiosam, quæ talem delationem, absque præuia correctione, præciperet. Impium certe dictum. Vnde.

Tanquam quid certum Respondeo, Posse quemlibet, & totam aliquam Communitatem, renunciari iuri, quod habet, vt sibi peccata secreto corrigantur, antequam ad Prælatum deferantur; itavt ipse deferens nullius culpæ reus sit, etiamsi correctionem non præmittat. Ratio mihi sit; quia ita facit sapientissima, & sanctissima Religio Societatis Iesu: ergo omnino licita est talis iuris renunciatio. Sic docent Suarez *tom. 4. de Relig. l. b. 10. cap. 9. & 10. & disp 8. de Charit. sect. 6. num. 17.* Vazquez, speciali tractatu de correct. fraterna, Thom. Sanchez *lib. 6. sum. cap. 18. num. 46.* Luysius *disp. 89. dubit. 4.* Gaspar Hurtadus *disput. 6. diff. 12.* Petrus Hurtado *disp. 163 sect. 5.* vbi latissime rem tractat, & Sotum, Nauarrum, & alios Doctores, quos pro se adducit Lorca, in alium sensum explicat. Palaus *disput. 3. de Charit. punct. 9.* Quiedo, etiam latissimè, *cont. 11. punct. 10. per 14. §.* Diana *par. 7. tra. 3. Resol. 44. & 45. & alibi.* & est communis sententia.

Qvæstio

Qvæstio X.

An, prædictus ordo in correctione seruandus, semper cadat sub præcepto?

Respondeo, Quod non. Quia cum sit præceptum affirmatiuum, non obligat semper, & pro semper. Sic communiter Doctores, vt bene Diana *loco citato., Resol. 39.* vbi adducit Villalobos, sic dicentem: *Mas ha se de aduertir que este precepto no es de tal manera, que en todo caso se deba guardar este orden, sino quando lo ditare assi la razon, que guardandolo assi ay esperança de la enmienda; porque es precepto afirmatiuo, y ha de tener sus tiempos regulados por la razon. Por loqual aunque muchas vezes la correccion comienza por el primer grado, alguna vez aura de començar del segundo; y alguna dexar el primero y el segundo, y acudir al Prelado como a Padre, para que el corrija; y alguna vez dexarlos todos, porque no ay esperança de enmienda, sino temor de lo contrario.* Hæc Villalob. *tom. 2. tract. 4. diff. 9. num. 3.* & communiter omnes.

Qvæstio XI.

An, immediata delatio secreti criminis ad Prælatum, possit aliquando esse necessaria, aut de præcepto?

Negare videtur Lorca cum aliis, *locis vbi supra quæst. 9. citatis.*

Sed vt mihi planum Respondeo: Posse aliquando esse necessariam, imo & de præcepto. Sic tenet Petrus Hurtado 2. 2. *disput. 163. sect. 5. subsectione 30. §. 230.* dicens, in sequentibus casibus esse de præcepto.

Primò (inquit) *quando ego despero emendationem delinquentis, per monita secreta; eam autem spero per delationem occultam paternam; teneor crimen occulte, & paterne deferre Prælato. Probat. Quia conscientia fratris, & salus æterna præferenda est exiguo illi bono. Item, tunc ego me possum gerere, ac si peccantem monuissem, & ille non respuisset: sed tunc teneor adire, aut testes aut Prælatum: ergo.* Sic ille, §. 230. *cit.* & ex illo Diana *part. 7. tract. 3. Resol. 39. vers. Et ideo, & Resol. 43.* cum aliis,

Secundò. Quando peccans arrepturus est occasionem me grauiter vexandi; aut si non possum, sine graui, & proportionato damno proprio vel alieno, tunc teneor adire Prælatum: quia teneor mederi fratri, cum minimo damno ipsius, & meo.

Tertiò. Si ego non possum formare assensum probabilem, peccatorem emendandum monito secreto, at illum assensum efformo, eum emendandum per Prælatum, tunc teneor adire Prælatum. Quia tunc emendatio speratur prudenter per alium, per me minimè: ergo. Sic ille, §. 232. Legatur ipse: & Diana *loc. cit. & Resol. 43.* Suarez *disp. 8. sect. 7. n. 17.* Ægidius *disp. 28. dub. 8. num. 152.* & Trullench *c. 5. cit. dub. 16.*

Qvæstio XII.

An, si quis speret, delinquentem emendandum esse per suam monitionem, licet non tam bene, quàm per Prælati tunc possit Prælatum immediate adire?

Respondeo dicendum, quod non. Quia lex Charitatis in proximum, me obligat ad eius emendationem; non ad optimum modum eum emendandi: sed per me possum absolutè eum emendare, vt suppono, per Prælatum verò, non additur, nisi melior modus: ergo non teneor, imo nec possum adire Prælatum. Sic Petr. Hurtado *loc. cit.* §. 234. *concl. 3.* Pater Franc. à Sancto Iuliano *in tribunali regulari cap. 2. aduertentia 2. §. 2.* & penes ipsum, Diana, Tanner. Sotus, Nauarrus & alij plures.

Qvæstio XIII.

An, si quis existimet, suam correctionem, nec coram testibus esse profuturam; vel non adsint testes idonei, eo quod timeat, eos peccatum reuelaturos; possit tunc Prælato immediatè delictum deferre?

Respondeo, Posse. Quia verè tenetur ille proximo spiritualiter subuenire: at aliter, vt supponimus ei subuenire non potest: ergo. Sic Diana *p. 7. tract. 3. Resol. 43.* ex Ægidio Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 5. dub. 16. num. 2.* vbi etiam addit, quod si probabiliter quis credat, nec sua secreta monitione, nec coram testibus, nec à Prælato, peccatorem esse emendandum; possit totam correctionem omittere, & illum Deum commendare.

Qvæstio XIV.

An, Quando peccatum est notorium, notorietate facti; sit seruandus ordo in correctione faciendus?

Respondeo, Quod non; sed potest statim, non præmissa correctione fraterna, denunciari superiori, iuxta illud Pauli 1. ad Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Ratio est, quia, quando peccatum proximi est publicum, & notorium, eo quod in præsentia multorum fiat, aut alio modo, à pluribus cognoscatur, tunc non infamatur ille per denunciationem immediate superiori factam, eo quod iam sit infamis: ergo. Sic D. Thom. *quæstion. 33. art. 7.* Valentia *tom. 3. disput. 3. quæst. 10. punct. 5.* Ægidius *disp. 28. dub. 8. numer. 147.* Filliucius *tom. 2. tract. 28. cap. 7. num. 149.* Trullench *dub. 16. cit. numer. 2.* Diana *part. 7. tract. 3. Resol. 42.* Palaus *disp. 3. punct. 13. num. 3.* Qui *num. 4.* addit, *obligationem denunciandi huiusmodi publica peccata tunc adesse, quando adest præceptum superioris; vel quando ex illis imminet damnum tertio, quod per denunciationem potest reparari.* Sic ille, Legatur.

QVÆSTIO XV.

An, in peccatis Carnalibus, possint procedere Religiosi ad immediatam denunciationem Prælato, vt Patri?

REspondeo, Posse. *Quia* (ait Mendosa) *lapsus carnis, est vitium infectiuum communitatis, & est in Religionem maxime infame. Quod propterea deferre tenemur, quoties timemus probabiliter ex illo imminere damnum, aut aliis inficiendis, aut si iteretur, adducendam communitatem in infame discrimen. Ratio est, quia frequenter non speratur in his peccatis, tam perfecta emendatio per priuatum, quàm per Prælatum, itavt non sit periculum relabendi: fornicatio enim raro contingit vna vice duntaxat, si perseuerat occasio, nec priuatus potest frequenter tanta authoritate pollere, ob quod regula illa generalis in delictis recensitis est optima. Si quando verò spes vitandi ea damna per priuatam monitionem sit æqualis, aut ferè æqualis, itavt moraliter nullum censeatur periculum in alterutro ex his modis, aut peccata non sunt recentia, sed iam emendata, cum spe ea non iteranda; tunc non obligat lex Charitatis ad delationem immediatam occultam, atque paternam.* Sic Hurtadus de Mendoza *disp.163.sect.5. subsect.30. §.236. & 237.* Et ex illo, Diana *part.7. tract.3.Resol.62.* vers. *Vnde à fortiori.* vbi addit, *quod si casus accidat in praxi adeat Religiosus pro consilio pium, & prudentem Confessarium.* Legatur Miranda mox citandus.

QVÆSTIO XVI.

An, peccata carnalia in Religionibus, dici debeant, & sint, contra bonum commune?

NEgant Rodriguez, *de Ordin. Iudic.cap.3.num.5.* & Spatharius *in praxi Correct. regul. tract.3. cap.28. numer.9.* Giragus *part.3. dubit.37. conclus.2. num.131.*

Affirmant econtra, Miranda *de Ordine Iudic. tom.1. quæst.11. art.2. concl.2.* Aldrete *de Religiosa disciplina lib.1. cap.2.§.4. num.29.* Ioseph de Sancta Maria *in Tribun.Religion.tract.2.cap.3.§.2.* quos citat & sequitur Diana *par.3.tra.2.Resol.69.*

Distinguit Valerus, *in different. Vtriusque fori, verb.inquisitio. differ.2.num.6.* dicens, *peccata carnalia seu fornicationis, in Religiosis, esse in damnum totius Religionis, quando talium peccatorum timeri potest publicatio: secus verò, si sunt adeo secreta, vt verisimiliter credatur nunquam esse publicanda.* Ita ille quem sequitur Lugo *to.2.de Iud.disp.18.sect.1.n.2.*

Ego, Respondeo dicendum, omnes tres sententias esse probabiles, licet secunda probabilior. Legantur eius patroni.

QVÆSTIO XVII.

An, Religiosorum peccata occulta carnalia, denuncianda sint Prælato, vt iudici absque præuia correctione fraterna?

AFfirmant aliqui, inter quos, nouissimè Caspensis *in Cursu Theologico tom.2. tract.27. disput.6. sect.4. numer.39.* expresse affirmant, talia peccata quamuis sint occulta, debere ante præmissam monitionem denunciari Prælato, tanquam Iudici, dummodo sint in via, & periculo diuulgationis. Ratio est. *Quia nullus prudens* (inquit) *negare poterit, huiusmodi peccata esse contra bonum commune totius Religionis: sed quando peccata vergunt in perniciem publicam, vel in damnum communitatis, omnes fatentur debere denunciari Prælato, tanquam Iudici, ante præmissam monitionem: ergo idem, & ob eamdem rationem, necessario fatendum est, de peccatis carnalibus Religiosorum, quando est periculum publicationis.* Confirmat *Primò*, Caspens. *Quia in his peccatis carnalibus, regulariter loquendo, parua aut ferè nulla, est spes emendationis per monitiones secretas.* Secundò *quia ipse delinquens, liberè voluit, sua culpa, inferre malum toti Religioni: ergo iure, & via defensionis, licitum est, illud repellere per medium denunciationis.* Sic ille. &c,

Alij contra defendunt, non posse prædicta peccata occulta denunciari Prælato, vt iudici, absque præuia monitione. Tum, quia probabile est, vt nuper vidimus, dicta peccata non esse contra bonum commune, vt dicunt Rodriguez, & Spatharius. Tum etiam, quia dato, quod sint contra bonum commune, non inde sequitur, quod debeant denunciari Prælato, vt iudici, si adsit spes emendæ per secretam monitionem, vt cum aliis tenet Miranda, *loco citato.*

Alij denique distinguunt dicentes, quod delinquentes in peccatis carnalibus sunt in duplici differentia; Quidam, qui fragilitate potius, quàm peccandi libidine, in hoc crimen incidunt, quos non captata, sed oblata occasio, illis peccandi ansam præbuit. Quidam vero, qui ex malitia peccantes, diu in animo delictum versant, & vndique lapsus occasiones quærunt, ingrediuntur domos suspectas, præcedunt colloquia praua, literæ amatoriæ, donuscula, & alia id generis: & hos posteriores, vtpotè, peruersa peccandi libidine, animo corrupto, & aliorum subuersores, ac corruptores, absque vlla præuia admonitione iudici denunciandos esse affirmant; quia fraternam correctionem, non tam illis prodesse, quam obesse, existimant; eo quod ea, non meliores, sed peiores fiunt. Priores verò, non statim denunciandos esse, sed fraterna prius admonitione corripiendos; eo quod modus peccandi, ea illis profutura satis persuadet. Sic Diana *part.7. tract.3. Resol.62.* ex Zacharia à Salutio, *in Directorio iudiciali, cap.12.* necnon Peyrinus, quoc citat, & sequitur noster Iulianus *in Tribunali, Regul.c.1. aduert.3.§.5. num.12.*

Sed ego Respondeo: omnes tres sententias esse probabiles, & in praxi quamlibet amplecti posse. Sed hæc vltima magis placet.

QVÆSTIO XVIII.

An, si in nostra Sacra Religione occurrat (quod Deus auertat,) aliquod peccatum carnale secreto admitti: possit denunciari Prælato, vt Iudici, non præmissa monitione?

NEgandum videtur, eo quod expressè Regula præcipiat, quod, *si quis frater in fratrem peccauerit, id est, contra fratrem, id est, eo solo sciente; qui iniuriam passus est, sustineat patienter, licet sit innocens, & cum quieuerit commotio animorum, benigne, & fraterne commoneat, & corripiat eum vsque ter, inter se,*

& ipsum solùm, & pœnitentiam agere de commisso, & à similibus in posterum abstinere: quod si non audierit dicat Ministro & ille corripiat eum secreto, secundum, quod viderit saluti eius expedire. Sic textus nostrę propriæ Regulæ datæ ab Innocent. III. anno primo sui Pontificatus. Igitur iuxta illam, de omnibus peccatis occultis fieri debet correctio fraterna, antequam deferantur Prælato, præcipue, vt iudici.

Sed nihilominus Respondeo dicendum, quod adhuc in nostra Religione, possit denunciari Prælato, vt Iudici; in omnibus casibus, in quibus in aliis Religionibus, iuxta nuper dicta, peccata occulta carnalia denunciari possunt Prælato, vt Iudici, non præmissa monitione. Ratio est. Quia eadem currit ratio in nostra, ac in aliis Religionibus, in quibus communitas non cedit iuri suo: at in illis, aliquando possunt denunciari dicta carnalia peccata Prælato, vt Iudici, non præmissa monitione: ergo & in nostra.

Nec obstat textus Regulæ pro contrario adductus, quia ibi Innocent. III. non agit de omni peccato fratris, sed solum de peccatis factis contra hominem, vt ex contextu constat, *siquis* (inquit) *frater in fratrem peccauerit, ideſt, contra fratrem.* Et ideo statim adiungit modum, quo tolerare debeat iniuriam à fratre illatam, dicens, *Qui iniuriam passus est, sustineat patienter, licet sit innocens* &c. & etiam modum corrigendi ipsum fratrem iniuriantem: ibi. *Et cum quieuerit commotio animorum, benigne, & fraternè commoneat &c.* Et certe ipsemet Innocent. III. hoc eodem modo explicauit illa verba Matth. 18. *si peccauerit in te frater tuus*, ideſt, *contra te*, in cap. *Nouit. de Iudiciis.* & cap. *Cum ex iniunct. de hæretic.* Imo & alij PP. vt videre est apud Puente Hurtado *disp. 163. sect. 5. subsect. 23. à §. 192.* & apud Ouiedum, *contr. 11. punct. 9. num. 84.* Maneat igitur liquidum, quod textus nostræ Regulæ, solum loquatur de peccatis factis contra fratrem, non de aliis peccatis.

TRACTATVS VII.

DE CVLTV, ET ADORATIONE DEI, ET SANCTORVM,

IN PRIMVM PRÆCEPTVM DECALOGI;

Non habebis deos alienos, coram me.

DISPVTATIO PRIMA.

De Cultu, & Adoratione Dei.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid vox Adoratio *significat?*

RESPONDEO dicendum, quod significat actum reuerentiæ interioris, vel exterioris qui debetur Superioribus, aliisque dignis honore, veluti Deo, Angelis, & hominibus, vt colligitur ex scriptura *Genes. 18. 23. & 33. Iosue 5. 3. Regum. 5. Matth. 4. & alibi.* Propriè autem, significat reuerentiam, quæ fit genuflexione, incuruatione, prostratione, deosculatione manus, vel pedum &c. Sic communiter DD. Legantur D. August. *lib. 10. de Ciuit. Dei* D. Thom. *2. 2. quæst. 84. art. 1.* Iodocus *verb. Adoratio. num. 1.* Sayrus *in Clau. Reg. lib. 4. c. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 9. c. 5.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO II.

Quanam ratione, Adoratio definiatur?

RESpondeo Quod ita. *Est submissio, & recognitio excellentiæ personæ adoratæ, ex affectu illam sic recognoscendi.* Vel (quod, idem est,) *est exhibitio reuerentiæ propter excellentiam illius, cui exhibetur.* Sic communiter DD. ex D. Damasceno *orat. 1. de Imaginib. & orat. 3.* D. Thom. *loco cit.* & *ibi* omnes interpretes.

QVÆSTIO III.

Quotuplex est adoratio?

RESpondeo quod est multiplex alia interna, externa alia. Adoratio interna, est interna submissio voluntatis alicui, tanquam Superiori; & hac ratione, & modo Angeli, & animæ beatæ adorant Deum suam voluntatem illius excellentiæ submittens. Externa vero adoratio, est voluntatis submissio per actus externos manifestata vt genuflexione, prostratione, osculatione manuum, vel pedum capitis apertione &c.

Rursus, Adoratio diuiditur in Latriam, Hyperduliam, & Duliam. *Latria*, est supremus cultus diuinus, qui soli Deo increato; & rerum omnium creatori debetur, ob summum eius imperium, quo vniuersa creauit, & regit. *Hyperdulia*, est cultus specialis, & eximius, quo Virginem, Mariam Dei matrem, propter seipsam, & propter eius filium, supra cæteros Sanctos honoramus. *Dulia*, verò est adoratio, seu sacer cultus, quo cæteros Sanctos, & Angelos, Beatissima Virgine inferiores, honoramus, ob eorum sanctitatem creatam, in qua modo speciali & supernaturali, Dei excellentia resplendet. Sic omnes Doctores. Legantur Suarez *tom. 1. in 3. p. disput. 51. sect. 3.*

*sect.*3.D.Thom.2.2.*quæst.*84.*art.*1. Syluius *ibi*, cum reliquis expositorib. Valentia *tom.*3. *disp.*6. *quæst.*3. *punct.*1. Sayrius *in Clani Reg. lib.*4. *cap.*3. *numer.*4. Lessius *lib.*2. *de Iust. cap.*38. *dub.*1. Filliuc. *tract.*23. *cap.*1.*quæst.*7.Bonacina *tom.*2.*disp.*3. *quæst.*1.*punct.*1. Fagundez *lib.*1. *in Decal. cap.*32. *num.*7. Trullench, ibi, *lib.*1.*cap.*9. *dub.* 1.Thomas Tamburinus *in Decalog. lib.*2. *capit.*4.§.1. Castro Palaus *tom.*2. *tract.*8. *disp.*1.*punct.*1.Diana *part.*11. *tract.*9. *de Adoratione sum.Pontif.Resol.*2.Iodocus,Basseus, & alij Summistæ,*verbo,Adoratio.*

Præterea,Adoratio diuidi etiam solet, in absolutam, & respectiuam. Absoluta est illa, qua quis alteri se submittit,ob excellentiam illius; quæ adoratio soli creaturæ rationali,& intellectuali conuenire potest; quia hæc sola est capax absolutæ adorationis; cum hæc sola sit capax virtutis, Sanctitatis,dominij, quæ sunt qualitates constituentes obiectum dignum adoratione, solaque illa intelligere submissionem potest. Respectiua verò adoratio est illa, quæ fit alteri, non propter excellentiam in illo residentem, sed propter respectum, quem habet ad aliud, & ratione cuius iudicatur honore dignus: & hæc adotatio potest rebus inanimatis conuenire: quia non sistit in ipsis, sed refertur, transitque ad personas ad quas illæ res inanimatæ respiciunt, vt contingit in adoratione Imaginum. Sic Suarez, & Bonac.Palaus,Trullench,& alij *loc.cit.*

QVÆSTIO IV.

An, omnis externa adoratio, sit per se adiaphora, seu indifferens, vt possit, tam Deo, quam creaturis, exhiberi?

NEgandum videtur.*Primò.*Quia actus percutiendi pectus, solum designatur ad petitionem veniæ peccatorum: at hanc solum potest conferre Deus: ergo.

Secundò. Quia expansio manuum, est proprium signum adorationis veri Dei, iuxta illud Psalmi: *Si expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Ergo &c.Legatur pro hac parte Corduba *lib.*1.*quæstion.*6. *dub.*6. *vers.*6. Qui inter actus ad propriam adorationem Dei designatos, actum percutiendi pectus ponit.

Sed absolute Respondeo dicendum, quod omnis adoratio externa, sit adiaphora, & possit tam creaturis, quàm Deo exhiberi. Probatur. Quia genuflexio, & totius corporis in terram prostratio (quæ summæ videntur adorationes) etiam hominibus exhiberi solent: vt constat ex scriptura, *Genesis* 43. *&* 50.3. *Reg.*1. *&* 4.*Reg.*4. *Ruth* 2. *&* 2. *Paralip.*6. *&* 1.*Esdræ cap.*9.*ergo.*Et Ratio est;quia, à sola adorantis intentione pendet, quod per hæc, & alia similia signa, ista, vel illa honoris species deferatur. Si enim externa illa submissionis nota intendat quis se alteri submittere tanquam Deo, & testari eius diuinitatem, erit cultus latriæ: si, vt amico Dei, erit duliæ: Si vt viro sapienti, potentique, erit obseruantia politica. Ex quo constat, quod idem actus externus, quatenus successiuè potest procedere à diuersa intentione, & accipi vt signum diuersæ excellentiæ in honoratis, & diuersæ æstimationis reuerentiæ, & submissionis in honorante, potest successiue esse actus latriæ, duliæ, & obseruantiæ politicæ, sic omnino Lessius *lib.*2.*de Iust.c.*38.*dub.*1.*n.*5. ex illoq; Trullench *dub.*1.*cit.n.*6.*& dub.*2.*n.*7.Suarez *to.*1.*in* 3.*p.disp.*52.*sect.*4.*& to.*1.*de Relig.c.*2.*n.*7.

Nec obstant rationes dubitandi, Respondeo namque, quod etiam illæ actiones extendi possint ad homines,eo quod non ex naturali lege,sed ex frequenti vsu tantum hominum,ad honorandum Deum dirigantur. Legantur Suarez *tract.*2.*de Relig. lib.*1. *cap.*2.*à n.*7. Fagundez *lib.*1. *in decal. c.*32.*n.*6. Trullench *lib.etiam* 1.*c.*9.*dub.*2.*n.*7.

QVÆSTIO V.

An, Adoratio, à tribus Theologicis virtutibus distinguatur?

REspondeo vt certum. Distingui. Quia Adoratio, est actus Religionis, ac proinde virtutis moralis, vt docent communiter Theologi cum D. Thoma 2.2. *quæst.*81.*art.*4. & Caietano *ibidem*, & constat, quia adoratio non respicit Deum, vt proprium obiectum, sed cultum submissum, & adorationem Diuinæ excellentiæ: ergo &c. Sic præter DD. citatos,Suarez, & Fagundez adducti,Castro Palao *to.*2. *tract.*8.*punct.*1.*n.*5.

QVÆSTIO VI.

An, detur præceptum colendi, & adorandi Deum?

REspondeo vt certum. Dari, illudque esse diuinum, ac naturale. Probatur. Nam quod detur, etsi diuinum, constat *ex Exodo* 20. & *Deuteron.* 5. Deum tuum adorabis. Quod verò sit naturale, etiam constat: Quia recta ratio naturalis dictat, Deum à nobis colendum, & adorandum esse. Legantur Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*1.*cap.*1. Corduba *lib.*1.*quæst.*5.*dub.*7.Fagundez *lib.*1.*in Decalog.cap.*32. *num.*1. Trullench *lib.*1.*cap.*9.*dub.*2.*num.*1. Tamburin.*lib.*2.*cap.*4.§.2.& à nobis dicta *sup. tract.*1. *Disp. vnica quæst.*5.

QVÆSTIO VII.

An, dictum præceptum adorandi Deum; sit negatiuum, & simul positiuum?

NEgandum videtur. Quia in locis scripturæ, vbi hoc præceptum traditur, solum exprimitur præceptum negatiuum non adorandi alium, præter ipsum Deum: Exodi 20. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile.*&c.ergo &c.

Sed vt certum Respondeo dictum præceptum, non solùm esse negatiuum; sed positiuum etiam.Ad duo enim obligat, Primo namque ad exhibendum Deo debitum cultum, & honorem. Secundo ad non colendum alium, præter verum Deum. Sic omnes Theologi cum D. Thoma 2.2. *quæstion.* 110. *art.*& *quæst.*122.*art.*2.

Nec obstat ratio dubitandi; quia licet in relatis scripturæ verbis, solùm exprimatur præceptum negatiuum non colendi alium, præter Deum; tamen sub illo includitur, & traditur præceptum affirmatiuum colendi Deum. Nam,vt bene ait Sayrus dum scriptura dicit. *Non habebis deos alienos coram me.* Idem est ac si dicet. *Me vnum,& verum Deum coles, diis alienis cultum non adhibebis.* Ratio autem quare potius ibi apposita fuerit forma negatiua, quam positiua, est quia adeo est à natura insitum colere Deum,

Deum, vt solum fuerit necessarium per præceptum negatiuum, impedimenta abrumpere, qualis erat, Idololatria. Legantur D. Thom. *loc.cit.* Suarez *to.1. de Relig.tract.2.lib.1.cap.1.num.17.* Fagundez *loc.cit. num.2.* Trullench *dub.2.num.2.* Rocafull *lib.2.in Decalog. capit.3. vers. Dubitabis, & capit.4. per totum.* Navarr. *in Man. cap.11. num.20.* Sayrus *in Clavi Reg.lib.4.cap.3.num.2.*

QVÆSTIO VIII.

An, præceptum negatiuum, non adorandi deum alienum, obliget semper, & pro semper?

REspondeo vt quid certissimum, quod Sic. Quia omnia negatiua præcepta, semper, & pro semper obligant. Itaque, vi huius negatiui præcepti, nunquam possumus deum alienum adorare; aut cultu superstitioso, aut indecenti Deum verum colere; aut illi aliquam irreuerentiam irrogare. Sic omnes Doctores; vt certum, supponunt, ac docent, vt notat Trullench *lib.1.c.9.dub.2.n.3.& 14.*

QVÆSTIO IX.

An, Præceptum affirmatiuum diuinum, & naturale, adorandi Deum, obliget indirectè, in aliquo determinato tempore?

REspondeo cum communi omnium Doctorum, obligare indirecte pro aliquo determinato tempore. Hæc responsio constat ex dictis *tract. de fide, Spe, & Charitate*, vbi docuimus, præcepta harum virtutum, determinatis temporibus indirecte obligare: obligabit & hoc etiam. Sic omnes DD. Legantur Suarez, Fagundez, Tamburinus, & alij citati. Difficultas ergo solum est, An obliget directe, pro determinato aliquo tempore, sit ergo,

QVÆSTIO X.

An, præceptum naturale, & diuinum colendi, & adorandi Deum, etiam obliget directè, & per se, pro aliquo determinato tempore?

NEgant, & plures Doctores, docentes nullum determinatum tempus dari pro quo directè, & per se obliget præceptum naturale adorandi Deum. Ita omnes illi qui dixere, non dari certum tempus, & determinatum in quo directe obligent præcepta Fidei, Spei, & Charitatis quos *supra suis locis*, retulimus. Et specialiter id docet Fagundez *lib.1. in Decalog. capit.32.* (non 23. vt errore Typographi, leges apud Rocafull.) *numer.9.* qui & citat Suarium *tom.1.de Relig.cap.2.lib.1.de diuino cultu numer.6.* & Azorium *tom.1.lib.9. cap.10. §. Quo igitur tempore.* Sed certe Azor, ibi, solum sermonem agit de præcepto orandi. Rursus loquendo de hoc oppositum vt probabile tenet. Ait enim sic: *Mihi probabile videtur, vnumquemque vi præcepti naturalis orare debere iis temporibus, quæ supra Angelus, Medina, & Navarrus expresserunt. Item iis temporibus, quibus debet Dei gratiam, auxilium, & opem inuocare, vt impetret à Deo quæ sunt necessaria ad salutem sempiternam.* Hæc Azor. Deinde cum Fagundio tenet Thomas Tamburin. *lib.2.in Decal.cap.4.§.2.num.4.* Rocafull. *lib.2.in prim. præcep. Decalog. cap.5.dub.2.* licèt non ita clare.

Sed probabilius Respondeo: obligare dictum præceptum, directè, & per se, pro aliquo determinato tempore; sicuti diximus obligare præceptum Fidei, Spei, & Charitatis. Sic debent sentire omnes Doctores, *locis cit.* pro nostra sententia adducti, & alij; quos sequenti quæstione referemus. Sit ergo,

QVÆSTIO XI.

Quo tempore obliget directè, & per se, præceptum colendi, & adorandi Deum?

REspondent aliqui, non solum obligare semel in vita, aut in articulo mortis; verum etiam toties, quoties Diuinus periclitaretur honor, nisi hunc homo tueretur. Ita Corduba *lib.1. quæstion.5. dubit.8.*

Alij arbitrantur obligare homines ad actum adorationis habendum, intra tempus quinquennij, vel sexennij; itavt qui intra tot annos omiserit Deum adorare, peccatum mortale admittat. Sic aliqui Iuniores: inter quos Trullench *lib.1. cap.9. dubit.2. numer.14.*

Sed ego (aliorum omissis placitis) probabilius Respondeo obligare, & solum, temporibus, quibus diximus, obligare præceptum Fidei, Spei, & Charitatis. Legantur à nobis dicta, suis tractatibus.

QVÆSTIO XII.

An, colendi Deum præcepto, possit fieri satis, exercitio actuum virtutum Fidei, Spei, & Charitatis?

REspondeo, Posse. Quia, iis præcipue virtutibus colitur Deus: vt ex D. Augustino diximus *sup. tractatu 2. disputatione 1. quæst.1.* Sic Suarez *tom.1. de Relig.lib.1.cap.2. à num.1.* & ex illo, Trullench *loc. cit.num.5.& 14.* Rocafull. *lib.2.cap.5.vers. Ex actibus vero*, & alij. Legantur dicta à nobis *tractatu de Spe. disput.2.*

QVÆSTIO XIII.

An detur præceptum Ecclesiasticum, adorandi Deum publicè, & pro quo tempore obliget; & quibus actionibus impleatur?

REspondeo vt quid certum: Dari, & obligare omnibus diebus Festis: (Nam Festas sunt ad Deum colendum instituta) adimplerique assistentia sacrificio Missæ; nam tunc omnes circunstantes, vnà cum Sacerdote offerunt Deo Sacrificium, illumque adorant. Sic communis. Legantur Corduba *lib.1.quæst.5.dub.6.* Thom. Tamburin. *in Decal.lib.2. cap.5.§.2.n.3.* Trullench *lib.1.c.9.dub.2.num.10. fine.* Fagundez *lib.1.cap.32.num.9.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIV.

An nunc detur locus determinatus diuino, aut naturali iure, in quo homines Deum adorare debeant? aut teneantur?

REspondeo vt Certum: Non dari. Et quidem, quod iure naturali non determinetur, Constat: Quia cum Deus vbique præsens sit; vbique potest debita illi reuerentia exhiberi, atque adeo adorari. Quod verò, nec iure diuino assignetur, constat ex illo Ioan. 4. *venit hora, quando nec in monte hoc, nec in Ierosolymis adorabitis Patrem &c.* Sic omnes DD. Legantur Corduba, & Trullench *loc. cit.* Rocafull *cap. 5. cit. in fine.* & Azorius *1. p. lib. 9. c. 34.* vbi agit de Orationis circunstantiis *à q. 3.*

QVÆSTIO XV.

An saltem, iure Ecclesiastico, assignetur locus, in quo homines Deum adorare debeant?

REspondeo, Assignari. Nam ex Ecclesiæ instituto, conuenientissime, certa sunt assignata loca, vbi fideles debent ad Deum adorandum, & ad sacrificia celebranda, diuinàque audienda, conuenire. Sic omnes DD. Legantur citati.

QVÆSTIO XVI.

An, Nunc, aptius Deum, versus Orientem adoremus, oremusque, quam olim, versus Occidentem Iudæi orabant?

REspondeo vt certum: Nunc aptius versus Orientem nos orare, & adorare Deum: quam olim Iudæos versus Occidentem. Quia hi cum essent in tenebris, & nondum illis esset ortus Sol Iustitiæ, versus Occidentem orabant: Nos verò, quibus Sol Iustitiæ ortus est, versus Orientem oramus. Item, quia hoc modo, clare significatur, quod quemadmodum Sol, & lux, quæ ab Oriente oriuntur, quendam inter sui ordinis res obtinent principatum: ita Deus, ad quem oratio dirigitur, res omnes procreatas immenso interuallo post se relinquat. Sic omnes Catholici. Legantur D. Thom. 2. 2. *quæst. 84. art. 3. ad 3.* D. Augustin. Damascen. & alij Patres apud Azorium *lib 9. cit. cap. 34. quæstion. 4.* Corduba *lib. 1. quæstion. 5. dub. 9.* Trullench *lib. 1. capit. 9. dubit. 2. numer. 12.*

QVÆSTIO XVII.

An, Deus solus, primò, & per se, & ratione sui, sit per latriam, hoc est, per adorationem supremam, adorandus?

REspondeo tanquam certum. Quod solus ipse, iuxta illud *Deuteron. 9. & 10.* & Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Necnon & Pauli ad Timoth. 1. *Soli Deo honor, & gloria.* Et Ratio est. Quia diuina Maiestas, & potestas, provt in ipsa est, nulli creaturæ communicari potest: ergo nec cultus, seu adoratio tali Maiestati debitus. Sic omnes DD. addentes, ob eamdem rationem, hac eadem adoratione latria, adorandam esse totam Trinitatem, & quamlibet personam eiusdem. Quia omnes tres vnus est Deus. Legantur Suarez *tom. 1. in 3. disp. 51. sect. 4.* Sayrus *lib. 4. Clau. Reg. capit. 3.* (non 2. vt leges apud Trullench) *numer. 6.* Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 5. quæst. 7.* Trullench *loc. cit. dubit. 3. num. 1.*

QVÆSTIO XVIII.

An, vna persona Sanctissimæ Trinitatis, possit distinctè ab aliis adorari?

REspondeo tanquam certum: Posse, dummodo aliæ diuinæ Personæ, explicite non excludantur. Ratio est. Quia sicut vna sine alia potest ab intellectu concipi: ita & adorari. Rursus: quia sicut Ecclesia dies festos cuilibet personæ Trinitatis Sacros instituit; sic etiam quamlibet personam nominatim, & per se possumus colore, & adorare. Sic omnes. Legantur Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 5. quæst. 7.* Bonacina *disp. 3. quæst. 1. punct. 1. num. 3.* Trullench *lib. 1. capit. 9. dub. 3. n. 1.* Rocafull. *lib. 2. in Decal. cap. 6.*

QVÆSTIO XIX.

An, Christus, Deus, & homo, sit etiam per se, & ratione sui, adorandus adoratione latriæ?

REspondeo tanquam certum: Quod sic. Quia Christus Dominus, vt sic, & absolutè, est, & dicitur verus Deus, seu persona diuina: at huic (vt nuper est habitum) per se, & ratione sui debetur adoratio latriæ: ergo etiam Christo Domino. Sic omnes Legantur D. Thom. 3. *p. quæst. 25. art. 1.* Suarez ibi, *disput. 53. sect. 1.* Vazquez *disput. 95. cap. 2.* Sayrus *lib. 4. cap. 3. num. 8.* Azor. *lib. 9. cap. 5. quæst. 7.* Bonacina *quæstion. 1. punct. 1. num. 4. & 5.* Trullench, *loc. cit. num. 2.* Rocafull. *cap. 6. cit. nu. 24.* Palaus *tom. 2. tract. 8. disp. 2. punct. 2. num. 1.* Thom. Tamburin. *lib. 2. in Decalog. capit. 4. §. 1. numer. 3.* & Fagundez *lib. 1. capit. 32. numer. 27.* Acacius *tom. 1. verb. Adoration, numer. 2.*

QVÆSTIO XX.

An, Humanitas Christi, provt coniuncta est diuino verbo, debeat adorari, eadem latria, qua adoratur ipsum verbum?

REspondeo tanquam quid certissimum: debere adorari eadem latria, qua adoratur ipsum verbum, non tamen per se, & ratione sui, sed ratione coniunctionis cum personalitate diuina. Ratio est: quia humanitas provt coniuncta, seu vnita est verbo, est aliquid verbi, & ei intrinsicè coniuncta: ergo debet adorari eadem latria, qua verbum adoratur. Sic Omnes Catholici. Legantur nuper citati.

QVÆSTIO XXI.

An, Humanitas Christi, considerata in nuda natura, per se, seu provt abstracta ab Hypostasi, sit etiam adoranda latriâ?

REspondeo tanquam certum: Quod non. Quia humanitas per se considerata, non habet excellentiam increatam: ergo per se considerata, & provt abstrahit ab hypostasi, non potest adorari latria. Posset tamen adorari hyperdulia, propter excellentiam creatam, & gratiam, quâ omnes Sanctos superat, Sic omnes DD. præcipuè citati. Qui tamen bene aduertunt, quod licèt separari possit humanitas Christi à verbo per intellectum, & adorari tunc adoratione hyperduliæ, vt dictũ est, in praxi tamen Christus Dominus, semper adorandus est Latria: quia humanitas Christi semper est coniuncta, & vnita verbo diuino. Legantur Vazquez *de Adoratione lib. primo disputation.* 4. Trullench, & Palaus, citati.

QVÆSTIO XXII.

An, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sit ratione sui, adorandum per latriam?

REspondeo vt certum: Quod sic. Quia licèt hoc Sanctissimum Sacramentum non sit Deus, continet tamen ipsum; cùm contineat ipsum Christum, qui ibi præsentialiter per latriam ratione sui adoratur. Sic ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 5. *& Can.* 6. docent omnes Catholici. Legantur. Valentia *tom.* 3. *disput.* 6. *q.* 11. *pun.* 4. Trullench, Palaus, Rocafull. & alij *loc. cit.*

QVÆSTIO XXIII.

An, Eucharistiæ Sacramentum, possit absolutè adorari per latriam, nulla addita conditione?

NEgant quidam Doctores, dicentes, hoc ineffabile Sacramentum minime esse absolute adorandum; sed conditione hac tacita, & implicita, non expressa, adiecta, nempe; *Adoro Sacramentum, si panis est ritè consecratus; si vero non est rite consecratus, non adoro.* Ita apud Azorium, sentiunt, Gabriel *in Canon. Missæ lect.* 50. (Vbi citat S. Thomam, Bonauentur. Alexandrum, Albertum, & Ricardum,) necnon communis Theologorum *in* 3. *dist.* 9. & Summistarum Angeli, Siluestri, Tabiensis, Armillæ, *in verbo, Latria*, aut *in verbo, Adoratio.*

Alij verò contrà affirmant, docentes, absolutè, & sine vllâ conditione, Sacramentum adorari per latriam posse. Sic Bonacina *quæstion. prima cit. punct.* 2. *numero* 7. Qui & probat: *quia prudenter credere possumus consecrationem factam fuisse: qui autem prudenter operatur non peccat: sufficit ergo adorantem ita affectum esse, vt non adoraret, si panis non esset consecratus.* Ita ille citans pro sua sententia Caiet. 2. 2. *quæstion. prima, articul.* 3. Azorium *lib.* 9. *cap.* 9. *quæstion.* 10 Rodriguez 1. *p. cap.* 8. *numero* 2. & Vazquez *disput.* 108. *cap.* 12. Quibus addo Ægidium Trullench *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *dub.* 3. *num.* 6.

Sed ego clarius Respondeo, *Primo.* Certum est non esse necessarium ad Eucharistiam adorandam addere relatam conditionem, expressè, & explicitè. In hac responsione conueniunt Doctores, & praxis Catholicorum, & ratio assignata probant.

Respondeo, *Secundo.* Ad adorandam Eucharistiam sufficit Catholicis habere habitualem intentionem non adorandi illam, si panis non esset consecratus; aut (quod idem est) si ibi non esset Christus. Id enim, & non aliud volunt Authores primæ sententiæ (quidquid contrarium insinuet Bonacina) vt bene vidit Azor, & constat, Nam inprimis Angelus, *verb. Adoratio numero* 10. *& vltimo*, Sic vltimo ait: *In adoratione vero Hostiæ, sufficit hanc conditionem habere habitualiter*, scilicet, *si consecratio debita est facta.* Sic ille, & Siluester, sic. *Sexto, Hostia, sub conditione tamen habituali, si sit ritè consecrata.* 3. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 2. *q. vltim. ad* 2. Hucvsque ille, *verb. latria. num.* 2. & alij. Et certe in hoc etiam omnes DD. conueniunt, vt legenti illos potebit.

Respondeo, *Tertio.* Absolutè loquendo, absolutè adorari potest Eucharistia. *Primo*: quia prædicta habitualis conditio non tollit quin absolute adoratio fiat, vt constat. *Secundo.* Quia non est credendum, aut ministro animum, aut voluntatem defuisse consecrandi: aut debitam Sacramenti formam, aut materiam abfuisse; cum oppositum nobis certò non constet. *Tertio.* Quia si aliqua conditio esset addenda, maximè ad periculum idololatriæ vitandum: at cum quis adorat Hostiam credit illam esse ritè, & rectè consecratam, humana certitudine, quæ excludit periculum Idololatriæ, & omne aliud periculum peccandi; ergo &c. Sic Caietan. Ioan. Hasselanus, & Claudius Sainstes, quos citat, & sequitur Azor *lib.* 9. *c.* 9. *q.* 10. Rocaffull 3. *p. Praxis lib.* 2. *c.* 6. *n.* 29. Et credo, in re, omnes communiter id sentire, lege Filliucium *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *q.* 11. *n.* 152. & Palaum *disput.* 1. *pun.* 4. *n.* 5.

QVÆSTIO XXIV.

An, Caro, vel sanguis, qui aliquando miraculosè in speciebus Eucharistiæ apparet; sit adoratione latriæ adorandus?

NEgant quidam esse adorandum latria, sed dulia adoratione solum; eo quod existiment probabilius esse, illa quæ apparent, non esse propriè veram Carnem, & Sanguinẽ Christi; sed nouum quid creatum, & miraculo formatum. Ita Azor sequutus alios *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 6. *q.* 3. *prope finem*, ibi: *Tametsi necesse non est, vt sanguis, & Caro ad breue tempus conspicua, sit verè, & propriè Caro, & sanguis Christi; cum caro creata diuinitus esse queat; si fuerit verè caro, aut sanguis Christi, coli debet latria; si tamen fuerit denuo diuinitus facta, alium cultum solum meretur, vt res sacra: & hæc opinio videtur mihi magis rationi, & veritati congruere.* Hæc Azor.

Sed ego probabilius Respondeo dicendum, adorandum esse cultu latriæ, siue verè, & proprie sit sanguis, aut caro Christi, vt quidam volunt: siue quid nouum creatum illa repræsentans; quia quidquid dicas, sufficit. Vt nos cum S. Thoma, & aliis, innuimus 2. *p. tract.* 7. *disp.* 10. *q.* 31. Sic S. Thom. 3. *p. q.* 76. *art.* 8. *in argum. Sed contra.* Suarez ibid. *disp.* 55. *sect.* 2. Rocaffull 3. *p. praxis lib.* 2. *cap.* 6. *numero* 31. Qui tamen malè citat Filliucium *tom.* 1. *tractat.* 4.

*capit.5.numer.*145. Bonacina *disputatio.3.quæstion.*1. *pun.2.num.*8. & Trullench *lib.*1.*cap.*9.*dub.*3. *num.*6. ex quibus Authoribus duo vltimi, malè citant Azorium pro hac parte.

Qvæstio XXV.

An, in triduo mortis Christi, adorari posset eius Corpus, per latriam?

Respondeo vt certum. Quod posset, imo, & deberet. Quia re vera, erat verbo diuino coniunctum: ergo. Sic omnes DD. lege Azorium *tom.*1.*lib.*9.*cap.*5.*quæst.*7. Trullench *lib.*1.*in Decalog. cap.*9.*dub.*3.*num.*5. Rocafull.*lib.*2.*in Decalog.capit.*6. *num.*28.

Qvæstio XXVI.

An, etiam Sanguis Christi, in triduo eiusdem mortis, adorari per latriam deberet?

Respondeo, etiam vt mihi certum, quod deberet. Quia mihi certum est, (quidquid dixerint Riccard. Durand. Gabriel, & Abulens.) Sanguinem Christi in triduo, non fuisse à verbo diuino separatum, & diuisum: ergo dignus fuit semper latriæ. Addo, quod dato, & non concesso, quod pro tunc esset à verbo diuisus, adhuc adorari deberet per latriam, eo, quod tetigisset corpus Domini, quod erat verbo coniunctum, & vnitum. Sic Azor. *loc. citato quæst.*7. ex D. Thoma 3.*p. quæst.*25. *art.*4. *ad.*2. Rocafull.*loc.cit.* ex Siluestro *in Rosa aurea q.*31. & Hieronymo Rua *contr.*4. *Scholastica.* Trullench. *num.*5.*citato.*

Qvæstio XXVII.

An, omnes res inanimatæ, quæ Christum Dominum attigerunt; vt Claui, Lancea, spongia, spinæ, flagella, Crux, & alia huiusmodi, latria coli debeant?

Negarunt quidam, nunc sic coli debere; licèt benè olim, quando dictæ res Christum tangebant. Ita sensit D. Augustinus *serm.*58. *de verb. Domini*, dum hæc protulit verba: *Quando Regem purpura vestitum reueremur, eodem honore, & eodem cultu, quo Regem, vestem veneramur. Hinc est, vt pari ratione, eodem cultu honoraretur Christus, & præsepe, in quo iacebat: quia colebatur Christus, iacens in præsepio. Sic etiam Christus, & tunica, qua orat vestitus, & Claui, quibus in Cruce transfixus, Lancea, cuius cuspide latus eius configebatur. Quando verò res, quæ Christum tetigerunt, per se seorsim coluntur, non debent eodem cultu honorari, quo Christus, sed distincto, & proinde dulia cultu, non Latria.* Hæc D. Augustinus, relatus ab Azorio, *vbi infra.*

Sed absolutè Respondeo dicendum, quod non solum olim, sed etiam nunc, adorari debeant adoratione latriæ. Quia Christum Dominum tetigerunt, & cum eo fuerunt aliquo modo coniuncta: adorari ergo debent. Semper latria, non per se, sed per aliud, hoc est, per coniunctionem; sicuti ipsa humanitas, quia adorantur, vt quid vnum cum Christo. Sic S. Thom.3.*p. quæstion.*25. *art.*4. Azorius *tom.*1.*libro* 9.*capit.*5. *quæstion.*9. Rocafull. *loco cit. numer.*32. Trullench *dubit.*3. *numero sexto* Vazquez *de Adoratione libro* 3. *disput.*1. *capit.*2. Castro Palaus *disput.*1.*punct.*4.*numero* 6. Thom. Tamburin. *lib.*2.*in Decalog.capit.*4.§.1. *numero quarto* Fagundez *lib.*1.*capit.*32. *numer.*14. Bonacina *disput.*3. *quæst.*1. *punct.*3.*numer.*6. Acacius, *verb.Adoratio. Resol.*25. *num.*2.

Qvæstio XXVIII.

An etiam, omnes res animatæ, quæ Christum Dominum ignominiosè tetigerunt; vt impiæ manus alapas infligentium, flagellantium, & Crucifigentium Christum, sint adorandæ latria?

Affirmandum videtur ex dictis. Quia tales manus etiam Christum Dominum re vera attigerunt: ergo ratione contactus dignæ sunt adoratione eadem.

Sed vt certissimum Respondeo, Minimè esse adorandas, adoratione, latria, imo nec vlla alia: sed potius execrandas; eo quod sint membra iniquissimarum personarum: vnde, licet spectata præcisa ratione contactus, non defuerit in prædictis animatis rebus, sufficiens causa adorationis, etiam latriæ, respectu personæ Christi, quam attigerunt; aliunde tamen, vt diximus, datur impedimentum talis adorationis, & alterius qualiscunque. Nec idem iuris est, vt bene Azor, de instrumentis separatis, quod de coniunctis. *Manus enim Crucifigentium, flagellantium, spongiam aceto planam ori eius porrigentium, spineam Coronam capiti imponentium, contumelioso, & impie Christum tractabant: sed non Claui, flagella, & Corona spinea, cum ratione, & sensu carerent.* Sic ille, *lib.*9.*cap.*5. *in fine.* & omnes vt ipse ait. Legantur nuper citati, & Fagundez *lib.*1. *in Decal.c.*32.*n.*15.*&* 16.

Qvæstio XXIX.

An saltem, sint adorandæ latria, res animatæ, quæ Christum piè, & religiosè tetigerunt, vt Apostoli &c.

Negant quidam adhuc, posse tali adoratione coli. Quia cum per ipsas aliquem honorem mereantur, si cum latria venerarentur, viderentur coli solum propter ipsas. Sic Azor, Trullench, Rocafull. Palaus, & Fagundez, *loc.cit.*

Sed Clarius Respondeo, Posse; sed non debere, vt statim Dicam, cum Bonac. & aliis.

Qvæstio XXX.

An adminus, Beatissima Virgo possit adorari per latriam, ratione coniunctionis Cum Christo eius Filio?

Negant communiter Doctores, præcipue citati, ob rationem dictam.

Sed ego clarius Respondeo, Posse quidem; sed non debere, ob aliqua inconuenientia inde sequutura.

Prima

Prima pars constat. Quia Beatissima Virgo pressius Christum tetigit, illique fuit coniunctior, quàm, Crux, & aliæ res, quem illum tetigerunt: at hæc omnia venerari possunt adoratione latriæ, ob dictum contractum: vt nuper diximus, & docet Bonac. *disp. 3. q. 1. pun. 2. n. 6.* ergo.

Secunda pars, etiam patet. Quia si Beatiss. Virgo Latriæ adoratione instar Dei adoraretur, posset quis occasionem sumere ad iudicandum, illam esse Deum: ergo, ob hoc inconueniens vitandum, non debet latria adorari. Sic tenent Palaus *tom. 2. tract. 4. disp. 1. punct. 3. nu. 6.* ibi: *Beatissima verò Virgo, ex illa diuina coniunctione cum Filio, dignitatem intrinsecam habet, ob quam honore, cultu, & adoratione digna est: non igitur hac omissa adoratione, illa tantum adoratio extrinseca Filij exhibenda est, tametsi fieri possit.* Sic Palaus. Et ex illo Thomas Tamburinus *lib. 2. in Decal. cap. 4. §. 1. nu. 7.* per hæc verba: *Petes, Beatissima Virgo, quandoquidem est coniuncta cum Christo Domino, per relationem Maternitatis, potestne adorari per latriam ratione coniunctionis? Respondeo, posse, sed non solere, nec fidelibus suadendum, propter periculum, ipsam propter se ipsã adorandi, quod nõ subest in cæteris vilioribus rebus, licèt Christo coniunctis,* vt fusè Theologi: cum S. Thoma *dicta q. 25. art. 5.* & clarius Castro Palaus *loc. cit.* & Nazarius *q. 25. cit. art. 5. in prima parte Controuer. circa finem,* & Perez *ibidem sect. 6. disp. 38.* & alij.

Qvæstio XXXI.

An, eodem cultu latriæ, quo ipsa Crux, in qua Christus pependit; reliquæ Cruces venerari debeant?

Respondeo vt certum: Debere venerari eodem cultu. Ratio est. Quia eodem cultu colitur, & adoratur imago, quo colitur ipsa res, quæ per imaginem repræsentatur, vt dicitur in septima Synodo, *Act. 7.* atqui quælibet Crux est vera imago Christi, ipsúmque immediatè repræsentat: ergo eodem cultu, quo Christus adorari debet. Sic communiter DD. legantur S. Thom. *3. p. quæstion. 25. art. 4.* Suarez *ibi disp. 56. sect. 1.* Bonacina *punct. 3. cit. num. 8.* Palaus *punct. 4. num. 8.* Azor. *lib. 9. cap. 6. quæst. 2.* Fagundez *lib. 1. cap. 32. num. 14.* Tamburin. Trullench, Rocafull, & alij citati.

Qvæstio XXXII.

An, sicut quælibet Crux, cuiuslibet sit materiæ, cultu latriæ venerari debet; sic etiam, claui Lancea, flagella, corona spinea, ex qualibet materia nouiter confecta, ad significanda relata instrumenta passionis; eodem cultu Latriæ, ac ipsa exemplaria, coli possint?

Negant plures, inter quos est Azor his verbis: S. Thomas *3. p. quæstion. 25. art. 4.* Respondet, *Crucem ex qualibet materia constantem, coli debere Latria; quia eo cultu, non solum Crux, qua Christus pependit digna est, eo quod Christum tetigerit, sed etiam quatenus Crux est, hoc est, signum, & imago Christi in Cruce pendentis: at vero cætera Dominicæ Passionis instrumenta, solum cultum latriæ merentur, quia Christi corpus tetigerunt: Quare si in alia materia consistant, cultu latriæ coli non debent, quia non sunt signa, &*

imagines, quæ Christum referant, & repræsentent, sed sunt similitudines eorum instrumentorum, quibus Christus est Cruci affixus. Obiicies id vnum sufficere. Respondeo, minime, quoniam Crux alterius materiæ non colitur, vt signum illius, in qua Christus pependit, sed in signum ipsius Christi in Cruce pendentis. Scriptura enim Crucem quamlibet Filij hominis signum appellat, quod in cœlo, hoc est, in aëre videndum prædixit Christus: at verò Clani, & lancea alterius materiæ nusquam in Sacris literis, signum Filij hominis appellantur: quare signa tantummodo sunt eorum Clauorum, quibus Christus fuit Crucifixus. Hæc Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 6. quæst. 2. per totam.* Quem citat, & sequitur Bonacina *quæst. 1. cit. punct. 3. num. 8.* & hos Authores Palaus *disp. 1. punct. 4. num. 8.* & nouissimè Carolus Malletus *tom. 2. Malleatione 2. Bractea 1. Respons. 4.* licèt hic Author attentè sit *ibi* legendus; nam vbi dicitur: *adorantur adoratione latriæ.* Legi debet; *Non adorantur* &c. vt constat ex ratione, quam tradit.

Alij contra affirmant, latria adorari posse. Ita sentit Fagundez *lib. 1. in Decalog. cap. 32. numer. 14.* vbi ita ait: *instrumenta alia passionis v. g. Clani, Lancea, columna &c. Si sint ea ipsa, quibus in passione sua Christus passus est, propter contactum cum Christo Domino venerari debent, etiam adoratione, latriæ, reliqua verò quæ vera ipsa instrumenta repræsentant, eodem modo venerari debent, quamuis non vt imagines Christi* Ita ille.

Sed clarius, ac distinctius Respondeo dicendum, quod instrumenta clauorum, flagellorum, Coronæ spinæ, &c. debeant adorari latria, per significationem, casu, quo efformentur ad repræsentandam Christi passionem, seu Christum passum: quia tunc sunt imagines Christi pro nobis passi. At si efformentur ad significanda alia instrumenta passionis inanimata, tunc tali adoratione non sunt digna. Sic multi DD. Suarez *disput. 56. art. 4. sect. 2. prope finem.* Trullench ex illo, *dubit. 3. cit. in fine.* Tamburinus *loc. cit. §. 1. numer. 6.* Nazarius *3. p. quæstion. 25. art. 4. in 3. p. Controuersæ in fine.* vbi ita ait: *Cum autem ex Circunstantiis apparet ad repræsentanda Dominicæ Passionis instrumenta fuisse depicta: vt videre est in tabella, in qua figurantur eiusdem Dominicæ Passionis insignia omnia: tunc adoranda sunt, vt suorum exemplarium imagines.* Sic ille. Et tandem Bonac. & alij communiter.

Qvæstio XXXIII.

An, si dæmon, sub imagine Crucifixi appareat; adorari possit talis imago absolute, & sine vlla conditione?

Affirmare videntur Vazquez *in 3. p. disput. 110. capit. 5.* (non 15. vt legi apud Palaum) & ex illo Bonacina *punct. 3. numer. 5.* quatenus docent, adorari posse sine peccato, modo adsit recta intentio, & affectus.

Sed clarius Respondeo, quod non possit, nisi sub conditione expressè, apposita; *si tu es Christus* (vel Deipara, vel Sanctus) *colo, & adoro; sin secus, minimè.* Probatur: quia hæ apparitiones, tam à bono Spiritu, quàm à malo fieri solent: ergo, vt vitetur morale periculum errandi, apponi debet conditio. Deinde ab Azorio probatur sic: *quia nonum fermè est, & insolitum, Christum, vel Deiparam, vel Sanctos in imaginibus loqui; quod autem præter communem morem est, absolutè, & simpliciter non est tanquam verum, aut bonum, statim leuiter amplectendum, cum falli, ac*

decipi facile possimus. Sic ille *lib.9.cap.9. quæst.*11.ex Altisiodor. Alexand. Bonauent (non Bonacina, vt leges apud Palaum) Marsilio, Gabriele, Adriano, Angelo, Siluestro, Tabiena,& Armilla.Qui tamen addit,quod minimè condemnaret rudem, & rusticum,qui bona fide, nihil dubitans in hac parte erraret. Quod additum libenter ego admitto, & amplectuntur Vazquez,& Bonac.vt vidimus.Sic etiam Palaus *disp.1.pun.4.n.5.* & communis. Lege de hac re Nazarium *q.25.art.3.contr.8.per tot.*

QVÆSTIO XXXIV.

An, homo, provt est ad imaginem Dei factus, possit latria adorari?

AFfirmant posse latria adorari, secluso scandalo, & periculo, ab homine spirituali, & bene instructo; eo quod non sit intrinsecè malum adorare hominem, provt ad imaginem Dei est; Suarez (apud Nazarium, *vbi infra*) *disp.54. sect.5.* Vazquez *disp.*110. *cap.3. &* 4. Raguſa *disp.53.* & alij.Quibus addo Rocafull.*lib.2.cap.3.n.44.*

Negat verò Nazarius, *loc.cit. contr.*7. Quia putat, contra, quod adorare hominem (aut Angelum) latria, etiam quatenus est imago Dei, non solùm sit erroris occasio; sed etiam intrinsicè malum. Citat hic Author pro sua sententia D.Thomam *3.p.q.25. art.3. ad 3.& in 2.2.quæst.*103. *art.3. ad 3.* Caietan. Albertum,Alensem, & Paludanum. Quibus ego addo Perez *in 3.p.disp.38.sect.*10. *num.*8. qui, & citat pro se Suarium *disput.54.cit. sect.6.§. circa Confirmationem.*

Ego verò distinctius sic Respondeo, *Primò.* Nunquam expedit latria adorare hominem, aut Angelum, propter similitudinem, aut imaginem, quam habet ad Deum.Quia sic adorans posset sibi sumere, aut aliis circunstantibus offerre occasionem idololatriæ;adorandi scilicet, hominem, aut Angelum per se,aut secundum se latria; & hostibus Ecclesiæ materiam præbere, antiquas in eam calumnias exaggerandi, & palam vociferandi, nos Gentilibus esse peiores, eo quod illi non omnibus, sed quibusdam tantum hominibus diuinos honores tribuerint, nos autem omnibus passim exhibeamus hominibus, & exhibendos esse doceamus. Sic Nazarius, *loc. cit.* & omnes etiam Authores primæ sententiæ, Suarez, Vazquez, Raguſa & alij. Estque sententia D. Thomæ, & omnium Theologorum *cum ipso 3.p. qu.25. art.3.ad 3.*

Respondeo secundo. Licèt secunda sententia sit valde probabilis, non minus iudico primam. Eamque innuit S.Thom.*loc.cit.ad* 3. vt fatetur his verbis Suarez *sect.6. cit.circa confirmationem Diuus Thomas hic ad tertium, planè sentit, non esse intrinsecè malum adorare hominem,provt ad imaginem Dei est,seu potius in illo adorare Deum cultu latriæ. Et ratio eadem est, quæ de aliis Imaginibus.* Sic ille. Igitur si non est intrinsece malum adorare hominem, provt ad imaginem Dei est; honestari talis adoratio in aliquo casu posset. Et ideo Suarez *loc. cit.* id innuit, *dum in fine addit,quod secluso scandalo, & periculo, & in homine spirituali, ac bene instructo non posset intrinsece talis modus adorandi hominem, malus existimari.* Sic ille. Vnde immerito citat illum Perez pro sua parte. Nostra ergo conformior est illi, quam dedimus *supra quæst.*30.

QVÆSTIO XXXV.

An, Nomina Sacra Dei,seu, Iesu Christi, aut Mariæ,&c.sint vere,& proprie adoranda?

NEgant Sotus *lib.2. de Iust. qu.4. art.2.* Corduba *lib.1.quæst.5.dub.4.art.2.ad primam confirmat.7. argum.* existimantes, dictis Sacris nominibus, non deberi vllam adorationem propriam. Addunt tamen abusiuè,& impropriè adorari; quia excitant memoriam personarum, quæ auditis huiusmodi nominibus,statim honorantur.

Sed,vt ferè certum Respondeo: Dicta nomina, non tantum abusiue,seu improprie;sed verè, & proprie adoranda esse, adoratione respectiua, propter personas, quas significant. Probatur primo, ex illo Pauli adPhilipp.2.*In nomine Iesu omne genu flectatur.* & etiam ex vsu Ecclesiæ,cuius fideles omnes, audito nomine Iesu,caput denudant, corpus inclinant, aut genuflectunt.

Secundò. Quia licèt dicta nomina materialiter sumpta, ideſt, vt ex literis, & syllabis tantum constant, & vt res sunt sensus,animæ, & vitæ expertes, nullo cultu, & veneratione prosequamur; attamen sumpta respectiuè, hoc est, vt significant personas, quæ verè, & proprie adorari debent, & ipsa eodem modo,& cultu, adorari possunt. Sic communis DD. sententia.Legantur D. Thom.*opusc.60.art.6.* Suarez *in 3.p.q.25.disp.54.sect.6.* (non 5. vt leges apud Bonacinam)*vers.ad 2.Confirmationem.* Vazquez *ibidem disp.*108.*c.*11. *& disp.*110. *cap.*2. Azor.*1.p.lib.9.c.8. quæst.*12.Bonac.*disp.3. pun.3.n.9.* Trullench *lib.1.in Decal.c.9.dub.7.n.*12.Rocafull.*lib.2. in Decal.cap.6. in fine.* Carolus Mallet. *in Decal. Malleatione* 2. *Bractea* 1.*respons.*4. *in fine.* omnino ex Bonac. quem non citat.

DISPVTATIO II.

De Adoratione debita Sanctis Angelis, & hominibus Canonizatis, & Beatificatis.

QVÆSTIO PRIMA.

An, Sancti Angeli adorari possint?

NEGANDVM videtur.Quia quidam Angelus prohibuit Apostolum Ioannem, ne ipsum adoraret, his verbis: *vide ne feceris conseruus tuus sum,Deum adora, Apocay p.*19. ergo Sancti Angeli adorari nequeunt

Sed de fide certum Respondeo: Sanctos Angelos adorari posse,& debere. Sic definitum fuit in multis Conciliis, in Romano sub Felice I. in Gangrensi, & in VII.Synodo,& in Concil.Trident.*sess.*25.vt refert Suarez, *vbi infra.* Et constat ex Scriptura Sacra in qua legitur iustos,& prudentes homines adorasse Sanctos Angelos. Sic Genes.18.& 19. Abraham, & Loth adorauerunt Angelos *& Iosue* 5.*Iudicum.*13.*& Num.*22.Iosue,Manue,& Balaam: ergo &c.

Nec obstat ratio dubitandi, Respondeo namque; Angelum prohibuisse Ioannem, ne ipsum adoraret, tum ad ostendendam dignitatem ipsius Ioannis, qui multis

multis Angelis, dignior fuit. Tum vt indicaret, quanti ab Angelis humana natura post verbi assumptionem æstimabatur; & vt quanti Sacerdotes, Apostoli, & Deo Chariſſimi æstimari debeant. Legantur D. Thom. *in 3. sentent. dist. 9. q. 1. art. 2. quæst. 6. & 2. 2. qu. 84. art. 1. ad 1.* D. Augustin. *q. 61. in Genesim.* Bellarmin. *lib. 1. de Beatitud. cap. 14.* Suarez *disp. 52. sect. 1.* Vazquez *disput. 97. capit. 3.* Nazarius *in 3. p. quæstion. 25. art. 5. controuer. 1.* Palaus *disp. 1. de Adorat. punct. 3.* Trullench *lib. 1. in Decal. capit. 9. dubit. 4.* & alij, qui & alias responsiones ad Apocalysis locum offerunt.

Qvæstio II.

An etiam homines Sancti canonizati, coli, & adorari possint?

NEgarunt hæretici antiqui, & negant moderni hæretici, docentes, minime esse Sanctis adorationem tribuendam: eo quod Sancti nec adorari possunt cultu religioso, cum hic soli Deo debeatur; nec cultu ciuili, seu humano; cum hæc non detur hominibus absentibus, præsertim mortuis. Ita hæretici, quos refert Suarez *sect. 1. citata.*

Sed de Fide etiam Respondeo: Sanctos homines canonizatos coli, & adorari posse. Id constat ex definitionibus Conciliorum adductis; & ex vsu Ecclesiæ, necnon ex doctrina Patrum, quos videre poteris apud Bellarmin. Suarium, & alios Authores nuper citatos. Ex quibus ad rationem dubitandi statim dicemus.

Qvæstio III.

An, Sanctis Angelis, & hominibus canonizatis, debeatur adoratio plusquam Ciuilis?

REspondeo vt quid certissimm: Deberi. Patet: quia fundamentum adorationis, est excellentia, & dignitas personæ adoratæ: atqui excellentia & dignitas Sanctorum cum Christo Domino regnantium, est altioris, & superioris Ordinis, qualibet alia dignitate humana, & politica: ergo adoratio Sanctis competens plusquam ciuilis est. Sic tenent omnes DD. Legantur D. Thom. 2. 2. *quæst. 103. art. 1. & 2.* Suarez *in 3. p. disput. 52. sect. 3.* Vazquez *lib. 1. de Adorat. disput. 5. capit. 2.* Palaus *disput. 1. punct. 3.* Nazarius *in 3. p. quæst. 25. art. 5. controuer. 1. & 2.* & alij.

Qvæstio IV.

An, adoratio Sanctis debita, ad virtutem religionis pertineat?

NEgant aliqui DD. docentes, non ad virtutem religionis, sed ad virtutem pietatis pertinere. Ita Suarez *disp. 52. sect. 3. vers. Quarto.* Vazquez *lib. 1. de Adorat. disp. 6. c. 1.* Lessius *lib. 2. de Iust. c. 26. dub. 3. nu. 22.* ex D. Thoma 2. 2. *q. 18. 101. & 102.* quos omnes citat, Palaus *pun. 3. citato n. 4.*

Alij contra affirmant, existimantes talem adorationem ad virtutem religionis pertinere. Quia (inquiunt) non est inconueniens eadem virtute honorari Sanctos, vt Dei amicos, ac ipse Deus honoratur sicuti non est inconueniens, eadem virtute Charitatis Deum, & proximum diligere: atqui adoratio, qua Deus colitur pertinet ad virtutem religionis: ergo & qua coluntur Sancti. Sic à fortiori Martilius *in 3. quæst. 14. art. 1. ad 3. dubit.* Trullench *lib. 1. 2. Decalog. c. 9. dub. 4. n. 6.*

Sed ego distinctius Respondeo dicendum. Adoratio, seu Cultus, qui exhibetur Sanctis; propter propriam, & priuatam eorum excellentiam, minimè pertinet ad virtutem Religionis: benè tamen cultus, qui exhibetur illis, propter excellentiam diuinam, quatenus ipsi Sancti ad eam habent aliquem respectum.

Vtraque huius responsionis pars, probatur à Palao, his verbis: *Quia dignitas increata, & creata sunt omninò diuersæ: postulant ergo diuersa virtute adorari. Nec obstat eadem Charitate Deum, & proximum amari: quia hoc tantum verum est, quando proximus non propter se, & propter suam bonitatem amatur, sed propter Deum, & Deus in ipso, quod sæpe contingit. At si proximus, ob bonum, quod habet, ametur, quia bonum, illius est, non ad Charitatem, sed ad aliam virtutem misericordiæ, seu beneficentiæ pertinet. Sic dicendum est in adoratione, si enim non, ob dignitatem, quam ex Sanctitate participant colantur, sed quatenus templa Dei sunt, & in illis Deus complacet, itavt proxima, & formalis ratio adorationis, diuina excellentia sit, & non creata dignitas in illis existens, tunc certè illa adoratio ad virtutem religionis pertinebit, sicuti pertinet adoratio imaginis Dei* &c. Sic Palaus. Et sic in concordiam sunt redactæ sententiæ, quæ videbantur contrariæ.

Qvæstio V.

An, vt sanctus quis, cultu publico honoretur debeat esse canonizatus, aut Beatificatus?

REspondeo vt quid certum: Debere. Quia sic habetur in iure multis in locis. Et ratio est, quia iustum est, quod, vt Sanctus quis publico, & solemni cultu veneretur, habeatur certitudo de eius Sanctitate, quam sola Ecclesia potest pro tota Ecclesia proponere, canonizatione, vel beatificatione, vel generali approbatione, quæ iis æquiualet. Sic omnes Doctores. Legantur Bellarmin. *lib. 1. de Sanctis cap. 10.* Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 43. n. 3.* Suarez *in 3. p. disp. 52. sect. 3.* Vazquez *lib. 1. de Adorat. disput. 5. in fine.* Azor. *1. p. lib. 9. c. 8. q. 8.* Bonac. *disp. 3. q. 1. punct. 2. n. 2.* Palaus *disp. 1. punct. 3. n. 7.* & omnes.

Qvæstio VI.

An sint aliqui speciales cultus, quibus honorari soleant Sancti Canonizati?

REspondeo Esse aliquos. *Primò* namque, vt ab omnibus publicè, & habeantur, & appellentur *Sancti.* 2. vt inuocentur in publicis precibus. 3. vt in eorum memoriam templa, & altaria dicentur Deo, ipsique ibi sacrificia offerantur. 4. vt dies festus in eorum memoriam celebrentur. 5. vt imagines eorum quibusdam luminis radiis, in signum luminis gloriæ, quam in cœlis habent, depingantur. 6. vt eorum reliquiæ publice venerentur. Sic omnes. Legantur Azorius *tom. 1. lib. 9, cap. 10. quæst. 8.* vbi optime satisfacit hæreticorum nostri temporis calumniis, Bellar. *tom. 1. lib. 1. de Sanctor. beatitud. c. 7.* Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 5. numer. 27.* Castro Palao *disput. 1. de Adorat. punct. 5.*

pun.5. Trullench *lib.1. in Decal. cap.9.dub.4. num.5.* Rocafull. *lib.2.in Decal.cap.8.n.52.*

QVÆSTIO VII.

An, omnes cultus, qui deferri poßunt Sanctis Canonizatis; poßint & deferri Sanctis Beatificatis?

REſpondeo dicendum, quod non. *Quia*, (vt optimè Trullench *loc. cit.dub.5. num.6.*) *quantum attinet ad cultum, beatificatio dicitur, & eſt quædam canonizatio particularis, eo quod limitetur ad certum genus cultus; necnon ad certum genus perſonarum. Conceditur enim communiter facultas perſonis certæ Prouinciæ, aut Religionis, vt poſſint diuinum officium recitare, vel Miſſam celebrare certo die; quæ reſtrictio minime fit circa ſanctum canonizatum. Et quamuis aliquando in canonizatione alicuius Sancti, non obliget Eccleſia de recitandum officium illius ſancti; ſcribitur tamen ille in Catalogo ſanctorum, & aliqui cultus poſſunt illi deferri à tota Eccleſia: v.g.quod eorum imagines collocentur in Templis; quod poſſint in totum memoriam Templa Deo dicari; quod eorum reliquiæ poſſint etiam in Templis adorandæ conſtitui* (ſeruata lege Trident. *ſeſſ.25.*) *& ſimilia, quæ deferri non poſſunt ſanctis beatificatis, niſi, iuxta infra dicenda. Deinde, de eo, qui eſt canonizatus, poteſt Religio, cuius patronus eſt, vel titularis, abſque ſpeciali facultate recitare officium, & Miſſam celebrare tanquam de duplici, etiam per Octauam: quod tamen de Beatificato non licet, ſine ſpeciali facultate Summi Pontificis.* Hucvſque Trullench, ex Luyſio *in 2.2.diſput.17.dub.7.* & Rocafull. *loc.cit.num.53.* ſed in hoc vltimo, non ita bene, cum probabile ſit oppoſitum, vt cum Granado dicemus *infra q.12.*

QVÆSTIO VIII.

An, Sancto Beatificato poſſint tribui alij cultus publici, ac in Bulla beatificationis exprimuntur?

AFfirmant quidam, quos, tacitis nominibus, refert Luyſius *loc. citato dub.8.* aſſerentes poſſe deferri omnes alios cultus, quos fideles Canonizato Sancto deferunt. Quia tales cultus non ſunt reſtricti in Beatificationis Bulla, vt ſupponimus: ergo deferri poſſunt homini beatificato.

Sed alij cum eodem Luyſio contrà, reſpondent: Non poſſe deferri, niſi ſolùm cultus, quos Pontifex in Bulla conceſſerit. Quia (inquiunt) poteſt Pontifex illos reſtringere: & ideo obſeruandum eſt, quod in Bulla Beatificationis fuerit conceſſum, atque expreſſum; & quod conceſſerit Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Sacrorũ rituum. Sic Luyſius *loc.cit.* Qui ad rationem contrariorum dicit, quod hoc ipſo, quod eorum cultuum non fiat mentio in decreto beatificationis, minime ſunt deferendi, iuxta praxim, & ſtylum Curiæ ſic etiam Trullench *dub.5.cit.num.11.* Rocafull. *loc.cit.num.53.* Caſtellinus *de certa gloria ſanctorum cap.2. num.11.* Molfeſſ. *tom.1. Summæ tract.11. cap.6. num.51.* Diana *par.2.tract.15. Reſol.55.* Angelus Maria *tract.8.q.23.n.2.*

Sed ego Reſpondeo poſſe quidem aliquos alios cultus tribui, licet non omnes, quos Canonizatis tribuimus, vt dicemus *infra q.22.*

QVÆSTIO IX.

An homo Beatus, appellari poßit, Sanctus.

NEgandum videtur. *Primo*, nam hæc appellatio, eſt cultus quidam ſacer: ergo ſi non exprimitur in Bulla Beatificationis, non poterit tribui ei, qui ſolum beatificatus eſt. *Secundò*, quia nomen *Sancti*, dignius eſt nomine Beati, vt innuit Caſtellinus *loc.cit. cap.2.pun.7.§.1.fol.75.* ergo in conceſſione huius, non poteſt illud venire.

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod homo beatificatus, optimè poſſit appellari Sanctus. *Primo*, quia Eccleſia in ſuis orationibus, & in officiis, Sancti appellantur Beati. *Secundo*, quia appellatio Sancti, incluſa videtur in appellatione Beati; nam nomen Beati, nil aliud inpræſentiarum ſignificat, niſi hominis defuncti animam eſſe in beatitudine eſſentiali, & videre Deum clare: at omnis, qui ſic videt Deum, eſt Sanctus: ergo. Sic Luyſius *dub.8. cit.* & Trullench *num.11.* Qui bene addunt, ita vtendum eſſe hoc nomine *Sanctus*, vt non velimus ſignificare Beatum, eſſe iam canonizatum, & adſcriptum in Catalogo Sanctorum, hoc enim ſenſu, non poteſt appellari ſanctus, qui ſolum eſt beatificatus; ſed ſolum poſſimus eo vti ad ſignificandum eſſe beatificatum. Sic etiam Rocafull. *numero 53. citato.*

QVÆSTIO X.

An, liceat, ſanctum beatificatum inuocare in publicis litaniis?

AFfirmant aliqui Recentiores apud Dianam *par.3.tract.5.reſol.9.*

Sed ego abſolute Reſpondeo, Non licere; ſaltem caſu, quo in decreto beatificationis non fuerit expreſſum, vt de illo beato poſſit dici Miſſa, aut de illo recitare officium: vt contigit in Beatificatione Ludouici Gonzaga è Societate Ieſu, qui beatificatus fuit ſolâ conceſſione, vt Beatus appellari poſſet, abſque conceſſione recitandi officium de illo, aut Miſſam celebrandi. Ratio eſt. Quia in dicto caſu excederetur facultas à Sum. Pontifice conceſſa, vt conſtat. Sic Diana *loc. cit.* qui & citat Portellium *in addit. ad dub. regul. verb. Reliquiæ Sanctorum numero 11.* & Caſtellinum *de Canonizat. ſanctor.cap.2. punct.6.§.2.* ſic etiam Trullench *lib.1. in Decal.c.9. dub.5. in fine*, qui contra Dianam aduertit, quod Portellius ab illo citatus, ſolum loquatur de non canonizatis. Sed re vera hanc aduertentiam optimè potuiſſet omittere hic author, cum conſtet hominem beatificatum ſolum, non eſſe canonizatum: bene igitur citauit Diana Portellium.

QVÆSTIO XI.

An ſaltem, ſit licitum, inuocare in publicis litaniis, Beatum illum, de quo dici Miſſa, & officium, eſt (iuxta Bullam ſuæ beatificationis) licitum?

AFfirmat Trullench (licèt cum timore) *loco cit.* dum hæc verba profert: *An ſaltem id liceat* (nempe, *inuocare in publicis litaniis*) *in ea Prouincia in qua conceditur, vt de eo poſſit dici Miſſa, & officium*

cium, viri docti id iudicent, mihi autem non videtur aliquid, contra fidem, aut bonos mores continere, saluo &c. Hæc ille. Cuius sententiæ satis fauet Palaus *to.* 1. *tract.* 4. *punct.* 5. §. 5. *n.* 7. legatur.

Sed ego clarius, ac distinctius, Respondeo Sic. Licitum est inuocare in publicis Litaniis beatificatum eo die, quo est concessum, vt de illo dicatur Missa, & officium; minimè vero in aliis, in quibus est id prohibitum. Prima pars constat. Quia quamuis in Bulla Beatificationis non exprimatur posse Beatum in publicis litaniis inuocari; tamen hoc ipso videtur concessum, dum conceditur id, quod in eodem genere maius est, vt Missæ Sacrificium, atque officium. Secunda vero pars, etiam ex prima constat; quia si in aliis diebus est prohibitum Missam, & officium pro dicto Beato celebrare, consequenter & erit, illum in publicis litaniis inuocare. In his namque materiis facultates Pontificiæ potius sunt restringendæ, quàm dilatandæ, vt docet Diana *3. p. tractat.* 5. *Resol.* 9. ex Castellino *cap.* 2. *citato punct.* 51. §. 2.

Qvæstio XII.

An, quando Pontifex concedit Sacerdotibus certæ Religionis; vt certo die dicant Missam de aliquo Sancto Beatificato, (vt concessum fuit Sacerdotibus nostri Matritensis conuentus, de Beato Thoma de Villa-noua) possint in eadem die dicere officium de communi Pontificum, de dicto Beato?

Affirmandum videtur ex nuper dictis. Quia eo ipso, quod conceditur, quod maius est in eodem genere, videtur concessum quod est minus: sed in casu proposito conceditur à Pontifice quod maius est, nempe, quod dicatur Missa de dicto Beato: ergo plane videtur concessum quod est minus, nempe quod dicatur officium de illo.

Sed ego absolute Respondeo Nunc, quod in casu relato, respondi, nempe; Non posse. Quia re vera, diuersa sunt prædicta, nec vnum includitur in alio. Sic colligitur ex doctrina Luysij *in* 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 17. *dub.* 8. (non 18. vt leges apud Dianam) & Diana *to.* 3. *tract.* 4. *Resol.* 9.

Qvæstio XIII.

An, si concedat Pontifex Sacerdotibus alicuius Ordinis, vt in die Obitus Sancti Beatificati, dicant Missam, & officium de illo; possint id facere, per totam octauam?

Negant communiter DD. inter quos præcipuus est Luysius. Qui addit, id esse verum, etiam casu, quo talis facultas non negetur expresse in decreto Beatificationis; idque confirmat exemplo sui sanctissimi Patriarchæ Ignatij, qui postquam beatificatus est, facultas peculiaris fuit necessaria, vt Sacerdotes Societatis celebrarent festum illius cum Octaua. Prius enim solum concessum fuit, vt in die obitus possent officium recitare, & Missam celebrare. Sic ille, & Diana *loc. citatis*, & Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *dub.* 5. *num.* 8. Rocafull. *loc. cit.* qui, & dicunt id esse verum, etiam loquendo de Beato Fundatore alicuius Religionis, aut Patrono.

Sed distinctius Respondeo dicendo, *Primo.* Si talis facultas concessa sit dictis Sacerdotibus celebrandi Missam, & dicendi officium Sancti Beatificati in die obitus illius, addita particula *tantum*, vel, *solùm*, certum est, quod non possint id facere per Octauam. Quia expresse negat Pontifex. Solum ergo potest esse difficultas, casu, quo non addatur à Pontifice in Decreto Beatificationis, illa particula *tantùm*, vel, *solùm*. In quo,

Respondeo *Secundo.* Nec posse in dicto casu; nisi aliàs Beatificatus sit Patronus, Titularis, aut Patriarcha Ordinis, cui concessa est dicta, sine restrictione, facultas. Prima pars huius responsionis constat. Quia, vt per Octauam dicatur Missa, & officium, necessum est, vt in Decreto Beatificationis, aut aliàs in alio, exprimatur, aut contineatur, quod minimè fit, vt supponimus: ergo.

Secunda pars, quæ certè mihi probabilis est, sic probatur: quia, quod dicatur Missa, & officium in die obitus, & etiam per totam Octauam est priuilegium concessum omnibus Sanctis Patronis, Titularibus, aut Patriarchis, seu Fundatoribus cuiusuis Religionis, vt constat ex Bulla Gregorij XIII. apposita in Breuiario Romano, ergo si simul habeamus à Pontifice facultatem dicendi Missam, aut officium de aliquo Fundatore, Patrono, Titulari Beato; possumus & hæc per Octauam dicere. Sic Granado *controu.* 1. *de fide tract.* 7. *disput.* 4. *sect.* 1. *num.* 10. per hæc verba: *Solum hic addendum est, eo ipso quod alicui Religioni fiat potestas celebrandi Sacrum, & recitandi Horas Canonicas in honorem sui Fundatoris, vt concessa est Societati Iesu in honorem B. Ignatij, consequenter concedi potestatem id faciendi eo modo, quo Ecclesia in Rubricis generalibus præscribit faciendum esse cum Patronis. Nam mens Pontificis est, vt in hoc regulas generales obseruemus: cum ergo de Patrono recitetur cum octaua, & ille quotidie inuocetur in Missa, cum dicitur confessio, & de eo fiat commemoratio in fine Laudum, & Vesperarum, id totum concessum est Religioni, cum Fundator eius Beatificatur.* Sic Granado.

Nec obstat exemplum sui Fundatoris Ignatij sanctissimi, quod ad contrarium firmandum adducit Luysius. Respondeo enim *Primo*, quod multa impetrãtur à Sede Apostolica, quę aliàs ab ipsa erant iam obtenta. *Secundo* quia id fecerunt ob maiorem securitatem & ad tollendum omne dubium &c.

Qvæstio XIV.

An quando in Bulla Beatificationis alicuius, concedit Pontifex facultatem dicendi Missam, & officium certis personis, & non aliis; adhuc tunc liceat aliis hæc dicere?

Respondeo vt quid certissimum, quod non. Quia tunc Pontifex expresse restringit facultatem ad certum genus personarum: ergo certissimum est, quod illæ solum, & non aliæ possint Missam, & officium de illo Beato dicere. Quis enim fidelium negare poterit Pontificem posse id facere? In hoc conueniunt DD. solum est inter illos difficultas, quam quæstione sequenti iam proponimus. Sit ergo,

QVÆSTIO XV.

An saltem, quando conceditur facultas certis personis, v.g. Sacerdotibus alicuius Religionis, celebrandi Missam de aliquo Beato, & expresse non negatur aliis; possint tunc omnes alij Sacerdotes sæculares, & Regulares, dicere Missam de eo Beato, in Ecclesia assignata in Diplomate?

AFfirmant aliqui Recentiores, quos, tacitis nominibus, refert Luysius *dub.8. cit.* sentientes in hoc casu posse omnes Sacerdotes celebrare Missam de eo Beato in Ecclesia assignata in Decreto Beatificationis. Quia priuilegia sunt amplianda *ex cap.olim.de verb.significat. l. Beneficium, ff. de Constit. Principum,* & ex aliis.

Affirmat etiam expresse Castro Palao *tom.1. de Fide tract.4.punct.5. §.5. num.5.* præcipuè *num.7.* vbi ait, longe pius, & probabilius esse posse quemlibet Sacerdotem in dicto casu, Missam, non propriam, sed votiuam, & officium votiuum recitare in honore illius Beatificati, pro quo Sedes Apostolica concessit alicui speciali Religioni, vel Prouinciæ, Missam, & officium proprium pro aliquo die celebrare. Probat Palao, Primo. *Quia vna Missa in vno loco, eiusdem valoris est & æstimationis, ac plures Missæ pluribus in locis factis: ergo Sedes Apostolica concedens, vt in honore alicuius Missa aliqua dicatur, simul declarat dignum esse, in cuius honorem omnes dici possent, sed hac declaratione facta tollitur prohibitio relata* in cap.1. de Reliq. & venerat. Sanctor. *in quo cauetur, neminem esse venerandum, sine authoritate Romanæ sedis. Nam cum hunc Sanctum ex tua deuotione veneraris, authoritate Sedis Romanæ facis, quæ iudicauit dignum esse illa veneratione, &c.*

Secundo. *Quia eo ipso quod concedit Romana Ecclesia Missam in honore Beati celebrari, illum vt Sanctum veneratur, siquidem exhibet illi cultum maiorem, quem exhibere potest: ergo hac concessione facta, quilibet poterit eodem cultu Sanctum pro deuotione venerari.* Sic ille. Qui aliis confirmat suam sententiam, & dicit illi subscripsisse Doctores, & Magistros Salmanticens. anno 1625. sunt autem, quos refert, Aluarus de Oca, D. Martinus de Bonilla & D. Petrus de Vega Magistri autem Basil. de Leon. Bernardin. Rodriguez, Franc. Dominguez. Angel. Manrrique, Alphonsus Perez, Ludou. Bernardo & alij plures. Citat etiam Diana pro hac parte Megalum, *tom.1. verb. Canonizatio numer.1.* & Thomam Tamburin. *opusc. de Sacrific. Missæ lib.2. cap.6. §.8. num.15.* & Quintanaduennam *tom.1.tract.6. sing.5. num.2.* addetu, & *2.tom.tract.14.singul.6.* citat etiam Prado pro hac parte, Ægidium Trullench. *vbi infra:* sed non bene: nam oppositam, vt tutiorem & conformiorem decretis Pontificum consulit, tenet tamen eam vt probabilem Verricelli *in qq. moral.tract.8. qu.25. num.3.*

Sed distinctius sic Respondeo, *Primo.* certum mihi est, quod in præassignato casu nequeant alij Sacerdotes sæculares, vel Regulares dicere Missam, & officium proprium alicuius Beati, in cuius Beatificationis Bulla solùm concedit Pontifex facultatem dicendi Missam, & officium Sacerdotibus certæ Religionis. Quia certum est, quod excederent facultatem in Bulla concessam: cum non censeatur omnibus Sacerdotibus concessa, vt possint de eo Beato Missam celebrare, ex eo quòd hæc facultas certæ Religionis Sacerdotibus expresè concedatur: Imò per talem formam facultatis videtur subintellecta restrictio: quod etiam praxis ita suadet. Sic omninò Luysius *dub.8.cit.* Molfesius *in summa tom.1. tract.11. cap.6.num.5.* Diana *par.2 tract.15.& 1. Miscellan. Resol.55.* (vbi testatur ita fuisse determinatum per Theologos Salmanticenses, quod certe credo,) *& 3.par.tract.5. Resol.9.& 4.par. tract.4. Resol.231. & p.11. in fine tract.2. Resol.21. pag.532.* Prado *tom.2. cap.10. quæst.7. §.2. num.17.* Trullench. *lib.1. numer.1. in Decal. cap.9. dub.5. num.9.* Rocafull. *lib.2. in Decal. cap.8. num.53.* Granado *2.2. controuer.1. tract.7. disp.4. sect.2.* Amicus *tom.5. disp.7 sect.4. num.100.* Pellizarius *in Man. Regular tom.2. tract.8. cap.2. numer.126.* Anton. Escobar. *in Theolog. Moral. in edit vlt. tract.1. examin.12. cap.4. numer.42.* Ioan. de S. Thoma *2.2. disp.9. art.1. fol.772.* & alij.

Respondeo, *Secundo.* Longe probabilius, tutius, ac conformius Decretis Pontificiis fuisse, & iam nunc est certum, minime posse quemlibet Sacerdotem, ex non recensitis in Bulla Beatificationis, dicere Missam votiuam, aut officium votiuum, in honore illius Beati pro quo Sedes Apostolica concessit Sacerdotibus alicuius Religionis facultatem dicendi Missam, & officium proprium in aliquo certo die. Probatur, *Primò.* Quia aliàs Canonizatio, & Beatificatio in nullo differrent.

Secundo. Quia non solùm olim, vt ex Eminentiss. Cardin. Bellarmino, refert Luysius; sed & nunc nouissimè, tempore Innocentij P. P. X. hæc decreuit Sacra Congregatio, annuente eodem Pontifice: ergo. Iam sententia opposita minime sustineri poterit. Accipe verba Congregationis Sacræ. *Sacrorum Rituum Congregatio die 5. Octobris 1652. censuit, & declarauit, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, non potuisse, nec posse, tam sæculares, quam Regulares cuiuscumque Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Iesu, excedere limites Indultorem Sedis Apostolicæ, super Beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, & officij cum Octauis, nisi hoc expresè Sedes Apostolica eis indulserit. Et facta relatione per me Cardin. Cornelium Episcopum Albanensem, die 16. Decembris 1652. Sanctitas sua approbauit, & sic, vt præmittitur, seruari mandauit.* Hæc Sacræ Congregationis verba, relata à Diana *p.11. loc.cit.* Post quæ, hæc ille addit: *Itaque ex verbis supra dicti Decreti corruunt ea omnia, quæ Tamburinus, Palaus, & aliqui Recentiores, circa dubia superius posita, scripserunt.* Sic Diana, & cum ipso tenent omnes à nobis nuper relati.

QVÆSTIO XVI.

An, ad minus, possint alij Sacerdotes, quibus non est concessa facultas dicendi Missam de aliquo Beatificato, illam dicere; casu quo, id ab aliis, petant Sacerdotes illi, quibus concessa est facultas dicendi Missam de dicto Beatificato?

AFfirmat Doctus Granado *2.2. controu.1. de Fide tractat.7. disputat.4. sectio.2. numero 16.* his verbis: *Respondetur, mihi videri valde probabile, posse celebrare, dummodo id fiat petentibus (sic lege, non præsentibus, vt leges apud Trullench. & Rocafull.) illis Sacerdotibus, quibus ea potestas concessa est.* Probatur ex regula *72. de regulis iuris in 6.*

qui

Qui facit per alium est, perinde, ac si faciat per se ipsum: ergo qui potestatem habet celebrandi in honorem alicuius Beati, consequenter censetur habere vt per alium celebret. Hæc Granado.

Sed, vt iam certum, Respondeo. Non posse. Quia verè excederent facultatem sibi concessam, cum alias omnes alij Sacerdotes, tam sæculares quam Regulares, possent Missam de Beato celebrare, si ad id rogati essent à Religiosis, quibus hæc facultas solùm est concessa. Sic tenent nominatim contra Granadum Diana *par.4. tract.4. Resol.231. & p.10. in fine. tract.2. Resol.21.* & apud ipsum, M. Ioann. à S.Thoma *2.2. disp.9. art.1. fol.772.* vbi ita scribit: *sequitur præterea, quod si conceditur Beatificatis certæ Religionis, aut pro hominibus certæ Prouinciæ, vt quod Sacerdotes talis Religionis possint de illo Sancto celebrare; nullis aliis Sacerdotibus id licet. Vnde nec etiam ad cantandum solemniter Missam potest alius Sacerdotes subrogari: quia in tali licentia standum est præcisè verbis concessionis, sine qua non licet deferre illum cultum publicum alicui personæ ex prohibitione iuris communis, quæ solum intelligitur quantum sonat licentia, & concessio, & non amplius.* Hæc Doctus Pater. Trullench. etiam *loc. cit. num.9.* & Rocafull. *num.54. pag.17.*

Qvæstio XVII.

An, quando aliquibus Sacerdotibus conceditur facultas celebrandi Missam de aliquo Beato in aliqua determinata Ecclesia; liceat adhuc, celebrare in aliis?

Respondeo cum communi Doctorum. Non licere. Quia non licet publicum cultum alicui deferre, nisi iuxta facultatem Ecclesiæ, seu Pontificis capitis eius: ergo si illum limitat, aut restringit ad certum locum, in quocumque alio loco illicitus erit. Sit exemplum, in Bulla Beatificationis Beati Francisci de Borgia, est concessa facultas Presbyteris Societatis Iesu celebrandi Missam in suis Ecclesiis vbique terrarum: non ideo succedit profecto illis celebrare in alienis Ecclesiis, vel in aliqua Parœcia, aut Monasterio alterius Religionis. Sic Granado *sect.2.cit.num.17.* Diana *p.4. tract.4. Resol.231.* Trullench. *loc.cit.* & communis.

Qvæstio XVIII.

An, si quis ex nuper dictis Sacerdotibus, in casu proposito, celebraret in aliis Ecclesiis, peccaret mortaliter?

Negat Granado *loc. cit.* casu, quo semel, aut iterum id faceret; per hæc verba: *Et si obiter petas, an sit culpa mortalis? Respondetur, si id semel, aut bis fieret, non videri peccatum lethale: quia cum celebratio sit licita, quod solùm mutetur Altare, vel Ecclesia, non videtur grauis inordinatio; nisi ea mutatio toties fieret, vt merito iudicari posset valdè contraria Decreto, & legi summi Pontificis.* Hæc Granados.

Sed ego securius, ac tutius, & certè, vt mihi certum Respondeo. Peccare mortaliter; etiamsi semel id faceret. Quia huiusmodi loci mutatio, etiamsi semel fiat, omnino est contraria Decreto Summi Pontificis, eiusque legi: ergo cum sit in materia grauissima, lethalis esset. Sic videtur sentire Diana, & Trullench. *locis citatis.*

Qvæstio XIX.

An, si in Bulla Beatificationis concederetur, vt tali die, in Ecclesia tali, liceret celebrare Missam de tali Beato; possent omnes Sacerdotes, tam sæculares, quam Regulares, ibi celebrare?

Respondeo, Posse. Quia tunc solum datur restrictio ex parte loci; non verò ex parte personarum: ergo omnes personæ Sacro Sacerdotio initiatæ licite possent in tali loco celebrare: patet, quia vbi ius non restringit, nec nos restringere debemus. Sic Diana *p.10. in fine tract.2. Resol.21.* ex Ioanne de S.Thoma *2.2. disp.9. art.1. fol.772.*

Qvæstio XX.

An, Quando concedit Pontifex, vt in die obitus Beatificati celebretur Missa de illo; liceat transferre illum diem, & in alio celebrari?

Negant absolute aliqui: eo quod re vera excederetur forma concessionis Pontificiæ. Sic Granado *loc.cit.num.18.* & Diana *p.10. loc.cit.*

Sed clarius Respondeo. Non quidem licere, si translatio festiuitatis fiat omnino, & libito, & mera voluntate, vt in hoc optime dicti Doctores: licere tamen si fiat, ob aliquod legitimum impedimentum, ob quod, iuxta Rubricas Breuiarij Romani, transferri debent sanctorum festiuitates. Sic sentit D.P.M.Ioann.à Sancto Thoma *loc.cit.* ibi: *Cum fauores sint ampliandi, celebratio diei propriæ non est intelligenda ita restrictè, quod debeat esse propria, secundum computum mensis, quasi mathematicè, sed propria, secundum modum celebrationis Ecclesiæ, quod impedito die, censetur adhuc proprius dies esse illa, in quam primum transferri potest.* Sic ille. Quia tamen addit, tutius esse in hac parte consulere Sac. Congregationem, quod non dubito. Sententiam hanc nouissimè sequitur Doctus Ioann. Martinez de Prado *to.2. Theolog.moral.cap.30.qu.7.§.2.num.28.*

Qvæstio XXI.

An, Quando primùm conceditur facultas celebrandi Missam pro aliquo Beato; liceat, quasi pro initio festiuitatis, illam celebrare, ante diem à Pontifice præfixum?

Affirmat Granado *2.2. controu.1. tractat.7. disp.4. sect.2. numer.18.* Ita dicens: *Verum quidem est, cum primùm conceditur dicta potestas, licere, quasi pro initio, & inchoatione festiuitatis, Missam celebrare in honorem Beatificati, etiam ante diem à Pontifice præfixum, si dies hæc multum distet à tempore, pro quo fit concessio: praxis enim declarauit hanc esse tacitam voluntatem illius.* Ita Granados.

Sed, vt mihi certum, Respondeo. Non licere, Quia per hoc omnino contrauenitur Decretis Congregationis Sacræ, supra adductis. Nec praxis declarauit, contrarium esse de mente Pontificis, vt bene Diana *p.4. tract.4. Resol.231.* vbi ita ait: *Sed hoc vltimum non videtur admittendum, & praxis, de qua testatur Granado, in hoc Siciliæ Regno non adest.*

Vnde

Vnde in tali casu, non vtique celebrantur Missæ, sed cum innoteſcit Pontificium diploma, pulſantur in aliquo die Campanæ, & cum præſentia Epiſcopi, cantatur ſolemniter Hymnus Te Deum Laudamus, *ante Imaginem & Altare Beatificati, & in fine dicitur oratio v.g. de communi Confeſſorum non Pontificum. Et ita fecerunt Patres Societatis Ieſu in caſu B. Frãciſci Borgiæ: & Clerici Regulares pro B.P. Noſtro Caietano, & B Andrea.* Sic ille. Et ex illo, ſic Trullench. *lib.1.in Decalog.cap.9.dubio 5. num.9.*

QVÆSTIO XXII.

An, omnia Monaſteria alicuius Religionis poſſint Miſſam, & officium dicere de Sanctis, aut Beatis eiuſdem Religionis, quorum Miſſæ, & officij celebratio conceſſa eſt à Pontifice alicui ſpeciali Monaſterio ipſius?

AFfirmat Doctiſſimus Quintanaduennas *tom.2. tract.2.ſingul.15.& 16.* Quia (inquit) licet ex iure communi priuilegia conceſſa vni domo non poſſint ad alias extendi, iuxta *cap. cum Capella. & cap. Ex ore ſedentis. de priuileg.* tamen reſpectu Religioſorum extat ſpecialis communicatio concedens, quod priuilegia conceſſa vni domo, ſint communia omnibus,& ſingulis, dum tamen militet eadem, vel æquiualens ratio, vt docent Rodriguez *tom.1. quæſt.55.art.9.& 18.* Miranda *tom.2. quæſt.46. art.7.* & Ioann. à Cruce *in Epitome lib.2.cap.1.* (non 3. vt leges apud Pradum) *concl.3.verſ. Ex dictis ſequitur.1.* & ipſe Pradus *vbi infra.* Ergo eo ipſo, quod pro vno conuentu, vel Prouincia, adeſt Pontificia facultas celebrandi de aliquo Sancto, vel Beato, adeſt etiam Pontificia conceſſio, expreſſa in priuilegiis à Pontifice conceſſis, de Priuilegiorum communicatione, ad illum celebrandum in aliis domibus.

Sed nominatim contra Quintanaduennam, oppoſitum docet Doctiſſimus etiam Martinez de Prado *tom.2.cap.30. citato, quæſt.7. n.63.* dicens, ſententiam illius penitus eſſe falſam,& impracticabilem. *Primo.* Quia videtur reprobata decretis Vrbani VIII. *Secundo.* Quia communicatio Priuilegiorum non debet regulari inſtituto Religionum contrariari; nec debet eſſe ianua eludendi decreta Summorum Pontificum; nec confundendi rubricas Breuiarij: nec iſto velamine violari debent leges vniuerſalis Eccleſiæ in re tanti momenti, &c.

Tertio. Quia ſtylus Curiæ Romanæ & Summorum Pontificum (qui quidem facit ius) eſt, quod conceſſa Beatificatione pro vno conuentu, vel Diœceſi, vel Prouincia, non ideo cenſeatur conceſſa facultas recitandi in toto ordine, de illo Sancto, ſeu Beato, vel, vt poſſit Miſſa de illo celebrari: ergo nullatenus id licet, abſque ſpeciali, & expreſſa noua conceſſione Sedis Apoſtolicæ. Antecedens conſtat ex Decretis Beatificationis B.Thomæ à Villanoua, quæ habentur *in Bullario tom.3. conſtit.118. Pauli V. & Conſtitut.5.Gregorij XV.* atqui hac ſecunda Bulla opus non eſſet, ſi virtute aliarum conceſſionum ab omnibus Religioſis eiuſdem ordinis poſſet de eo celebrari Miſſa, & recitari officium. Rurſus Paulus V. ſua Bulla, incipiente, *Domini Noſtri Ieſu Chriſti,* data anno 1618. extendit Beatificationem Beati Philippi Benitij Ordinis Seruorum B.Mariæ, quam fecerat Leo X. concedens, vt ab omnibus eiuſdem ordinis poſſet recitari officium, & Miſſa celebrari, refertur *tom.4.Bullarij fol.361.* ſimiles Bullæ habentur ibi *fol.363.* in Beatificatione B.Paſchalis Baylon ex Diſcalceatis Ordinis Minorum. Sic Prado, addens *num.65. in fine*, ſe non dubitare quin Romæ in Sacra Congregatione Indicis,& Sacra Rituum Congregatione, oppoſita aſſertio, male audiret, & impunita non euaderet, ſi ad eam differretur tam noua,& paradoxa poſitio.

Sed ego diſtinctius, Reſpondeo *Primo.* Certum eſt, quod de Beato, de quo cum reſtrictione per verbum, *tantùm*, ſeu, *ſolùm*, aut, *duntaxat*, data eſt facultas celebrandi in vno conuentu alicuius Religionis, non liceat, nec poſſit in tota illa Religione celebrari. Quia excederetur facultas Pontificia, vt conſtat ex dictis *ſupra quæſt.12.* eſtque communis Doctorum.

Reſpondeo, *Secundo.* Certum eſt etiam mihi, quod, attentis priuilegiis Religioſorum, licitum ſit illis in omni ſua Religione, celebrare Miſſam & Officium de Sancto, aut Beato, de quo abſolute, & ſine reſtrictione aliqua, data eſt facultas Pontificia, in certo, ac determinato conuentu talis Religionis, de illo celebrandi. Hanc Reſponſionem efficaciter probat argumentum Antonij Quintanaduennas. Quod ego, alio à ſimili, ſic confirmo. Nam indulgentia liberandi animam à Purgatorio conceſſa celebrando pro defunctis, in Altari B. Virginis Roſarij, Eccleſiæ Sancti Dominici de Caceres, cuius, originale ibi ſeruatur, communicatur omnibus Conuentibus Ordinis Prædicatorum pro celebrantibus in Altari B. Virginis Roſarij, vt hiſce relatis verbis, vt quid certum, docet Doctiſſ. Ioannes à Cruce *capit.4. cit. concl.3. verſ. Ex dictis ſequitur fol. mihi 61.* ergo etiam erit certum, quod conceſſio abſolute vni conuentui facta de celebranda Miſſa, aut officio de aliquo Sancto, vel Beato, extendatur, attentis priuilegiis, ad omnes alios conuentus Religionis, cuius conuentui fuit gratia facta: quia non eſt maior ratio extenſionis in vno, quam in altero caſu.

Reſpondeo, *Tertio.* Valde probabile eſt mihi, quod priuilegia communicationis conceſſa Religioſis, per quæ, gratiæ, & fauores conceſſi vnico conuentui illorum, extenduntur ad omnes alios eorum ordinum conuentus, minime ſint reuocata per decreta vrbani VIII. aut aliorum Pontificum; & ideo valde probabile eſt, quod omnes conuentus alicuius Religionis poſſint Miſſam, & officium dicere de Sancto, aut Beato, cuius Miſſæ aut Officij celebratio ſine reſtrictione per verbum *ſolùm*, vel *tantum*, *&c.* conceſſa eſt ab Apoſtolica Sede alicui ſpeciali Monaſterio dictæ Religionis. Ratio eſt, quia Decretum Vrbani VIII. Aut aliorum Pontificum, nullam habent clauſulam derogatiuam prædictorum priuilegiorum, vt conſtat, ergo, &c. Sic à fortiori Quintanaduennas. Cuius ſententia, præcipue ſic explicata, non certè falſa, nec impracticabilis, nec damnanda, (vt ait Martinez) eſt; ſed probabilis prorſus, practicabilis, & laudanda, cum verſetur circa materiam fauorabilem, ac nemini nocentem, atque ad Cultum Sanctorum ſpectantem. Nec argumenta Pradi ad oppoſitum aſſerendum cogunt, cum facillima à quouis minus docto ſolui queant.

Ad *Primum*, namque, negandum eſt, hanc noſtram, & Antonij ſententiam, eſſe reprobatam Decretis Vrbani VIII.

Ad *Secundum.* Negandum eſt etiam, quod per communicationem priuilegiorum, de quibus nunc agimus, contrarietur regulari inſtituto, nec ſit ianua eludendi decreta Summorum Pontificum; nec confundendi

fundendi Rubricas Breuarij, nec Violandi leges vniuersalis Ecclesiæ, vt clare videbit, etiam parum videns, contrariatur quæso, regulari instituto, veneratione Sanctorum Ordinis, aut Religionis cuiusuis? Eluduntur Decreta Pontificum, eo quod Religiones vtantur cum omni gloria, & honore, priuilegiis, & gratiis Pontificis sibi concessis? Confunduntur Rubricæ Breuiarij, quando, iuxta illas, de Sanctis Diœcesanis recitamus? Num per celebrationem Sanctorum Religionum violantur leges vniuersalis Ecclesiæ? Dicat, in quo, Pradus? Dicat, & vsque dum dicat, non credas illi.

Ad *Tertium.* Dicendum multa. *Primo*, quod non ex eo quod precisè Beatificetur quis, conceditur precisè facultas de illo Missam dicendi, aut Officium (vt videtur supponere in suo argumento Pradus) sed solùm appellandi illud Beatum: vt contingit in Beatificatione Luysi Gonzaga, Authore Luysio Turriano 2.2. *disp.* 17. *dub.* 3. & Ægidio Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *dub.* 5. *numer.* 3. *in fine. Secundo*, dico, quod vel facultas recitandi, aut Missam dicendi concessa vni conuentui de aliquo Beato, datur cum restriction eper particulam *tantùm*, vel *solùm*, aut *duntaxat*, vel non si datur cum dicta restrictione, certum est, vt diximus *responsione* 1. non posse. Quia tunc certum est non communicari dicta facultas alteri conuentui: in quo casu bene Prado. Si verò non datur cum restrictione, sed absolutè; tunc per priuilegia Pontificia communicatur facultas dicta omnibus conuentibus Religionis, cuius conuentui in specie concessa fuit, & ideo in tali casu possunt omnes conuentus absque speciali, & noua concessione, Sedis Apostolicæ dicere Missam, & Officium de Beatificato. Ad probationem autem antecedentis, dico primo, quod fuit necessaria in eo euentu, secunda Bulla Pauli V. & Gregorij XV. non ad hoc, vt omnes Religiosi S. Augustini possent de B. Thoma à Villanoua celebrare Missam, & recitare Officium; quia ad id facultatem habebant virtute communicationis priuilegiorum; præcipue cum facultas recitandi de illo officium, & dicendi Missam fuerit absolute, & sine restrictione concessa à Paulo V. omnibus Religiosis eiusdem Ordini, S. Augustini in toto Regno Valentiæ; sed ad hoc, vt possent alij clerici sæculares, & Regulares aliorum ordinum degentes in Oppido Villanouæ de los Infantes. Rursus extensio Beatificationis B. Philippi Benitij, facta à Paulo V. fuit necessaria non vt ab omnibus eiusdē Ordinis posset recitari Officiū, & Missa celebrari vt male existimat Prado: quia facultatem hanc iam habebant ex concessione Leonis X. vt constat ex eiusdem Bulla incipiente: *Expositi Nobis, edita anno* 1516. & relata *in Bullario post Bullam Pauli V. citatam*; sed ad hoc, vt ab omnibus tam sæcularibus, quàm regularibus personis Ciuitatis Tiburtinæ, posset officium ab eodem Paulo V. approbatam recitari. Et eodem modo potest responderi ad instantiam aliorum Decretorum Sum. Pontificum.

Rursus ad probationem antecedentis dictam, dico 2. quod licet Religiosi sæpe postulent à Pontifice Bullas per quas fiat extensio facultatis dicendi Missam & officium Beati intra eundem ordinem, cuius est Beatus non est, quia ad id opus habeant, cum vi aliarum concessionum id possint: sed ad maiorem conscientiæ securitatem. *Multa enim* (ait ipse Prado) *in priuilegiis conceduntur; non quia necessaria sunt, sed quia petuntur, vel propter timorem, vel scrupulum, vel ob dubitationem ex variis opinionibus ortam remouendam; vel quia, quod petitur ex rigore iuris non licet, &c.* Sic ille *cap.* 30. *cit. quæst.* 6. §. 4. *nu.* 43. ex Suario *tom.* 2. *de Regul. tract.* 4. *libr.* 4. *capit.* 27. *numer.* 12. & bene; sed non in bonum sui. Maneat igitur firmum, quod opinio Antonij, præcipuè prout à nobis defenditur, minime sit falsa, sed probabilis certe. Legantur circa hanc materiam Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 9. & 18. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 46. *art.* 7. Ioan. de Cruce *loc. cit.* Portel. *verbo communicatio priuileg.* Bruno *de priuileg. Regular. tract.* 1. *cap.* 3. *Propositione* 5.

Quæstio XXIII.

An, Aliqua alia specialia signa cultus publici exhiberi possint Beatis, quorum non fit mentio in Decreto Beatificationis?

Affirmat M. Ioann. de S. Thoma 2.2. *disput.* 9. *art.* 1. dicens, *Posse etiam deferri Beatorum Imagines, aut Reliquias in solemni processione, & in Templo, aut Altari collocari, cum lumine depingi, &c. quare ista damnanda non sunt, etsi in Decreto non exprimantur: quia videtur quasi connexa cum celebratione Missæ, recitatione officij: si enim in eorum honorem Sacrificium, & officium Deo offertur per se est connexum, quod in Templo, & in Altari, vbi tale Sacrificum & officium dicitur speciali signo honoris eius imago collocetur, in cuius honorem talis publicus cultus exhibetur.* Hæc Ioannes. Cuius sententiam difficultatem habere, stantibus verbis Decreti Innocentij X. supra *quæst.* 14. relatis, ingenue fatetur Diana *par.* 10. *tractat.* 2. *in fine Resol.* 21. *pag.* 533. & alij citati sup. *quæst.* 8.

Sed meo videri, non solùm est probabilis dicta sententia, sed etiam certa, præcipue si loquamur de Beatis, de quibus concessione Apostolica, potest Missa, & Officium celebrari. Quia hæc inualuit apud omnes Prouincias consuetudo, quam semper tolerauit Ecclesia, vt præfatis signis ostenderetur quis esset Beatificatus. Sic tenent Palaus *to.* 2. *disp.* 1. *de Adoratione punct.* 3. *num.* 8. & apud ipsum, Thomas Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 43. *à nu.* 3. Bonac. *disp.* 3. *de Adorat. quæst.* 1. *punct.* 2. *à num.* 2. & Granado *tr.* 7. *cit. disp.* 4. *sect.* 1. *num.* 12. ibi: *sextus honor sine dubio deferri potest Beatificatis, omnes enim depinguntur splendoribus illustrati.* Sic ille, & alij, quos citat & nouissimè in casu contingenti definit Angelus Maria *tract.* 8. *quæst.* 23. vbi his verbis, illam concludit: *Ad 2. respondetur, quod quamuis in diplomate Pontificio Beatificationis, non exprimatur Beati statuam in Altari constitui adorandam, aut in processionibus deferendam; tamen hoc ipso censetur concessum, dum conceditur, quod in eodem genere maius est, vt Missæ Sacrificium, atque Officium, &c.* Legantur dicta à nobis *sup. quæst.* 8.

Quæstio XXIV.

An, liceat Episcopo, instituere diem festum alicuius Beati?

Negauit Diana 3. *p. tract.* 5. *Resol.* 9. citans pro se Thomam Sanchez, Azorium, Barbosam, Villabos, & Castellinum, vt vidimus 3. *p. tractat.* 1. *de obseruat. Festorum. disp.* 2. *qu.* 7.

Sed probabilius iterum, Respondeo. Posse & licite. Quia re vera, potest instituere diem festum Sancti Canonizati, vt omnes concedunt: ergo etiam poterit, & Beatificati; nam hic etiam est Canonizatis,

nonizatus, licèt minori pompa, & apparatu : vt latius diximus *loc. cit.* Sic Suarez Fagundez, Palaus, Trullench. Granados Rodriguez & alij, *ibi* adducti. Nec contra nos sunt Authores, quos pro se citat Diana.

QVÆSTIO XXV

An, in Canonizatione Sanctorum, possit Pontifex errare?

AFfirmandum videtur. Quia Pontifex, in Canonizatione Sanctorum, innititur medio fallibili, vtpotè testimonijs hominum : ergo in illa potest errare. Ita tenuere Caiet. *tom.1.opuscul tract.15. de Indulgent.ad Iulium Medicem cap.8. ad vltim.* vbi pro se citat D. Thomam ; & Canus *lib.5.cap.5.qu.5.* apud Dianam, *vbi infra Resol.18.* Glossa etiam *in cap.1.de Reliq.& venerat.Sanctor.*

Sed plusquam certum, Respondeo. Non posse errare. Quia, si posset Pontifex in Sanctorum Canonizatione errare ; posset, & tota Ecclesia ; cum hęc teneatur obedire Pontifici in huiusmodi decreto seruando : sed tota Ecclesia non potest errare, iuxta promissionem illi à Christo factam Ioann. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* ergo. Sic sentiunt communiter omnes Catholici. Sic in primis D. Thom. (quidquid dixerit Caietan.) *quodlib.9.art.vltimo.* Siluester. *verb.Canonizatio, in fine.* Bellarmin. *tom 1. lib.1.de Sanctorum Beatitud. cap.9.* Valentia *punct.7. §.40.* Banncs. *2.2. in comment.art.10.dub.7.* Aragon. *tract.de Pontif. ad finem.* Azor. *tom.2. lib.2.cap.6.* Luysius *2.2.disp.16.dubit.3.* Granados, *controuers 1. de Fide tract.7. disput.3. sect.5.num.22.* qui pro hac parte citat, & bene Canum *5. de locis cap 5 paulo ante finem.* Diana *par.11. in fine tract.2. Resol.15.* qui male citat Canum pro opposito. Arriaga *tom.5.disp.9.sect.5. numer.31.* Qui oppositam sententiam censet hoc tempore ad minimum esse erroneam, & temerariam. Machado *to.2. lib.4 par.7. tract.1. docum.14.*

QVÆSTIO XXVI.

An, saltem in Beatificatione alicuius serui Dei, possit Pontifex errare?

AFfirmandum videtur. Quia ex hoc, quod in Beatificatione alicuius errare possit Pontifex ; non inde sequitur, vniuersalem Ecclesiam errare posse ; cum Beatus non proponatur vniuersali Ecclesiæ Sanctus ille colendus : ergo.

Sed vt quid certissimum, Respondeo. Nec in Beatificatione posse Pontificem errare. Quia Beatificatio, quædam particularis Canonizatio est : ergo non potest Pontifex in illa errare.

Vnde ad rationem dubitandi, negandum est antecedens. Quia, dum Pontifex Beatificat aliquem, & concedit, vt aliquod Missæ Sacrificium, in honorem illius celebretur, toti Ecclesiæ venerandum proponit ; quia nomine totius Ecclesiæ Sacrificium offertur ; ipsaque tota Ecclesia medio illo Ministro & Sacrificio ab illo oblato, sanctum illum veneratur : ergo si Pontifex in Beatificatione erraret, vniuersalis erraret Ecclesia. Sic omnes Authores citati *supra*, Præcipuè Diana *Resol.17.* Angelus Maria Vericelli *in qq.moral.tract.8 qu.26.*

QVÆSTIO XXVII.

An, sit certum de Fide, Papam non posse errare in Canonizatione Sanctorum?

NEgant multi Doctores, docentes, non esse certum de Fide diuina, animam Sancti Canonizati esse in gloria ; esse tamen ita certum, vt oppositum asserere, sit temerarium, impium, & scandalosum.

Ratio pro prima parte huius sententiæ sit. Quia in Canonizatione Sanctorum, nihil Pontifex, tanquam de Fide certum, definit ; sed tantum declarat, esse moraliter certam eorum gloriam : ergo. Antecedens probatur ; quia in multis Canonizationibus, non vtitur Pontifex verbo, *Definimus*, nam in Canonizatione S. Bonauenturæ dixit ; *Decernimus vt Sanctum haberi*, & in Canonizat. S. Thomæ de Aquino, ibi : *Eum Sanctorum Confessorum Cathalogo diximus adscribendum.* Et in Canonizat B. Bernardi Abbatis ; ibi : *Eum Apostolicæ sedis auctoritate Cathalogo Sanctorum adscribi mandauimus.* Et in Canonizat. S. Francisci : ibi ; *ipsum adscribi decreuimus Sanctorum Cathalogo venerandum*, & in Canonizatione S. Didaci Complutensis ; *Vt Sanctum Venerandum mandamus.* ergo, cum non dixerit, *definimus* ; nihil tanquam de Fide certum definit. *Secunda vero pars*, infra patetebit. Ita docent Canus *de locis Theolog.lib.5. capit.5. quæst.5.* Bannes *2.2.quæst.1.art.10.dub.7.concl.2.* Suarez *de Fide disp.5. sect.8. num.8.* Bellarmin. *lib.1. de Sanct.cap.9.* Granado *in 2.2.controu.1.tract.7.disp.3. sect.3.numer.22.* (non 24. vt inueni apud Dianam) Ioann. de S. Thoma *in 2.2.disp.9.art.2 fol.767.* Franciscus de Castillo *in 3.sentent.tom.2. disput.6.quæst.8. numero 25.*

Sed ego, Respondeo. *Primo.* Certum est apud omnes communiter, quod dicere, & affirmare, posse Pontificem errare in Canonizatione Sanctorum, sit temerarium, impium, & scandalosum. *Temerarium* ; quia est contra torrentem omnium Theologorum in materia grauissima. *Impium*, quia est contra Religionem, & cultum Sancti Canonizati, & *Scandalosum.* Nam quis non scandalizabitur audiens Vuicleph dicentem animas B. Augustini esse damnatas ; propter quod ipse, & sua sententia damnata fuit in Concilio Constantiens. *sess.8.* Sic omnes communiter præcipue citati.

Respondeo, *Secundo.* Probabilius est, esse contra Fidem asserere, posse Pontificem errare in Canonizatione Sanctorum. Quia probabilius est, quod Pontifex in Canonizatione Sanctorum, non solùm declarat, vt moraliter certam gloriam eorum ; sed id de Fide definiat. Probatur. Quia multoties in Canonizatione Sanctorum vtitur Pontifex verbo, *Definimus*, prout habetur in Canonizatione S. Francisci de Paula, ibi, *Decernimus & Definimus inter Beatorum Choros, iam receptum : æternæque gloriæ coronatum fuisse.* Et in Canonizat. S. Brigittæ : ibi ; *Decernimus, Declaramus, Definimus, pronunciamus, Bonum. Beatam Brigittam, alias Brigidam, Sanctam esse, &c.* Et in Canonizat. S. Catharinæ Senens. ibi ; *Eamque tanquam Sanctam publicè, priuatimque colendam esse Decernimus, & Definimus.* Hoc eodem verbo, vtuntur Pontifices in Canonizatione S. Theresiæ ; S. Franciscæ Romanæ, Sancti Caroli ; S. Hyacinthi ; S. Raymundi, etiam, tam, in omnibus Canonizationibus, de quibus Bullarium Roman. tractat : ergo Pontifices Canonizando aliquem Beatum, de Fide definiunt gloriam eius certam.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ Respondeo quod,

quod ea verba Canonizationis, quibus aliquando vti sunt Pontifices, nempe, *Decernimus, mandamus, &c.* æquiualeant verbo, *definimus*, alias quædam ex Canonizationibus haberent maiorem certitudinem, quam aliæ, imo aliquæ essentque de Fide certæ aliquæ non. Sic sentiunt nobiscum Valentia *tom.3. disput.1. quæst.1. punct.7. §. 40.* Castro Palaus *tom.1. tractat.4. disput.1. punct.5. §.4. num.2.* Verricelli *in qq. moralib. tract.8. quæst.24. num.3.* Amicus *in cursu Theolog. tom.4. disputat.7. sectio.4. numero 13.* Arriaga *tom.5. disput.9. sect.5.numero 28.* Luysius Turrian. *2.2. tom.1. disput.17. dubit.6.* quos omnes pro hac parte citat, ac sequitur Diana *par.11. tractat.2. in fine, Resol.18.* Sed certe ex his Authoribus, Luysius solùm dicit hanc sententiam esse probabilem, & pro oppositа citatur à Granado, *vbi supra* & melius Trullench. *lib.1.cap.9. dub.4. in summario, n.4.* Machado *docum.14.cit.n.3.*

Qvæstio XXVIII.

An, eadem de fide certitudine, sit tenendum, Papam non posse errare in Beatificatione Sanctorum?

NEgant, à fortiori, omnes Authores pro prima sententia nuper adducti. Insuper & ex nostra, Luysius *dubit.6. cit.* Castellinus *de certa gloria Sanctor.capit.2. numero 11.* Amicus *loc. cit. numero 98.* Arriaga *loco citato sectio.6.* Ioann. de S.Thoma *2.2. disp.9. art.2. fol.770.* Diana *par.11. tract. illo 2.cit. Resolut.19.*

Probatur hæc sententia. Quia, si de Fide certum esset, quod Papa non posset errare in Beatificatione Sanctorum; & consequenter esset de Fide, Beatificatum esset in cœlo; gratis, imo in iniuriam Fidei inquireretur deinde in vitam eius; & noua testimonia exigerentur (vt fit) ad probandum eum esse in cœlo: ergo supponitur res adhuc non esse certa de Fide.

Sed ego sic, Respondeo. *Primo.* certum est, apud omnes (vnum si excipias Ioann.à S.Thoma) quod affirmare, quod Pontifex possit errare in Beatificatione Sanctorum, vel practice, vel speculatiue, sit temerarium, impium, & scandalosum. Quia sentiret contra communem sensum omnium Doctorum, imò & fidelium; & diceret contra Christianam Religionem, & Cultum Sanctis debitum: & poneret scandalum, & obstaculum pietati Fidelium, si audirent aliquem dicentem, Pontificem errasse in Beatificatione alicuius Sancti. Sic omnes DD. præcipuè, *supra* pro vtraque sententia adducti.

Respondeo, *Secundo.* probabilius est, esse contra Fidem asserere, posse Pontificem errare in Beatificatione Sanctorum. Quia probabilius est quod Pontifex etiam in Beatificatione, non solùm declararet, sed & determinet, ac definiat, certam esse gloriam Beatificati, sicuti est & Canonizati. Quia ideo de Fide est credenda Canonizati gloria, quia illa proponitur à Pontifice toti Ecclesiæ credenda: sed etiam toti Ecclesiæ proponitur credenda gloria Beati: ergo pari Fidei certitudine vtriusque gloria est credenda. Minor constat ex dictis *quæst.24.* ad rationem dubitandi.

Ad Argumentum primæ sententiæ, quod est Arriagæ, optimè respondet Verricelli, his verbis: *Ad 2. Respondeo, me accipere à viro piissimo, & in hac materia expertissimo P.D. Ioanne Baptista Castaldo, quipe qui fuit Procurator in causa Beatificationis B. Caietani, ac B.Andreæ, quod post Beatificationem nullæ fiunt nouæ diligentiæ, quoad virtutes, neque quoad miracula in vita, neque quoad miracula patrata post mortem, aut Beatificationem, sed tanquam examinantur testes circa perseuerantiam cultus, ideſt, quod Fideles post Beatificationem perseuerauerint in veneratione, & cultu Beati, ac circa perseuerantiam mirculorum, ideſt, quod post Beatificationem, noua intercessione Beati, à Deo sint facta miracula. Tales autem diligentiæ circa perseuerantiam cultus, & miraculorum non ideo fiunt, quasi dubitetur de gloria Beatificati; quia nulla fit diligentia de virtutibus, quæ verè sunt causa gloriæ; sed fiunt; quia cum solemniter definienda sit Beatificati gloria, & illi in tota Ecclesia honor Officij, ac Sacrificij decernendus; ideo ad maiorem solemnitatem Canonizationis; & quia quamuis de Fide certum sit; eum esse in gloria; non tamen conueniens est, quemcumque existentem in gloria publico officij cultu in tota Ecclesia honorandum decerni, sed illum tantùm, quem, ob heroicas virtutes, ex multitudine miraculorum significatas, & Deo acceptissimum esse, ac in insigni sanctitatis gradu, & in magna deuotione apud Fideles habert, compertissimum est; ideo nouæ diligentiæ fiunt de perseuerantia cultus, ac miraculorum, vt ostendatur insignis Sanctitas, ac eximia apud Fideles deuotio, vnde conuenienter solemniter Canonizetur, & in tota Ecclesia officij honor illi decernatur.* Hæc Verricelli *tract.8. quæstio.25. à numero tertio.* Megalius, *verba Canonizatio, numero primo* Castro Palao *tom.1. tractat.4. disputat.1. punct.5. §.5. numero 4.* Cuius sententiam, vt probabilissimam sequitur Trullench. *lib.1. in Decalog.cap.9. dubit.5.numero 5.in fine.* Machado *tom.2. libro 4. par.7. tractat.4. docum.14.n.3.*

Qvæstio XXIX.

An sit necessarium, vt Beatificatio præcedat Canonizationem?

REspondeo, vt certum: Quod non. Quia, patet, ex vsu Ecclesiæ antiquissimo, fuisse multos Canonizatos, quin prius Beatificati fuerint. Sic Luysius *in 2.2. disput.17. dubit.1.* & ex illo Trullench. *lib.1. in Decal. cap.9. dub.4. num.2.*

Qvæstio XXX.

An, Pontifex possit Beatificare Martyrem?

NEgandum videtur. Quia, si semel constat de vero Martyrio, non est necessaria alia Beatificatio, vt omnes possint, imò & debeant, talem Martyrem, vt Sanctum venerari, & colere.

Sed vt certum, Respondeo, Posse. Quia potest Pontifex talem Martyrem Canonizare, etiamsi constet de vero illius Martyrio; ergo & poterit illum Beatificare, seruando formam Beatificationis, & postea procedere ad Canonizationem sic Luysius *disputat.27.cit.dub.9.in fine*, & ex illo Trullench. *loc.cit.dub.5.num.11.in fine.*

DISPVTATIO III.

De Cultibus Sacris, qui deferri possunt hominibus defunctis, cum signis Sanctitatis; non tamen Canonizatis, nec Beatificatis.

QVÆSTIO PRIMA.

An, Defunctum virum, cum signis Sanctitatis, liceat honorare, publico, & solemni cultu; qui nomine totius Ecclesiæ exhibetur?

RESPONDEO, vt quid certum: Minimè licere: Nam hic cultus solùm Canonizatis, aut Beatificatis à Pontifice, exhiberi potest. Et ratio est. Quia id solùm fit nomine Ecclesiæ, quod fit auctoritate Ecclesiæ: ergo absurdum esset tribuere alicui cultum, qui non exhibetur nisi nomine Ecclesiæ, absque eius, seu capitis eius authoritate, seu potestate: ergo, &c. Sic docent omnes DD. qui id colligunt ex *cap. 1. fin. de Reliq. & vener. Sanctorum.* Legantur Bellarmin. *lib. 1. de Sanctis c. 10.* Suarez. *in tom. 1. in 3. p. disp. 52. sect. 3.* Sanchez *in sum. lib. 2. c. 43. à n. 3.* vbi bene notat, quod publicus & solemnis cultus non dicatur talis, eo quod coram aliis, exhibeatur; sed quia totius Ecclesiæ nomine, & tanquam ab ea institutus, exhibeatur, Granado *in 2. 2. controu. 1. de Fide tr. 7. disp. 4. sect. 4. à n. 24.* Barbosa *in Collectan. ad Trident. sess. 25. de Inuocat. Sanctorum.* Luysius *2. 2. disp. 17. dub. 9.* Trullench. *lib. 1. in Decal. c. 9. dub. 6.* Bonac. *to. 2. disp. 3. q. 1. pun. 2.* Rocafull. *lib. 2. in Decal. c. 8.* Thomas Tamburin. *lib. 2. in Decal. c. 4. §. 2. à n. 8.* Palaus *de Adorat. disp. 1. pun. 3. in fine.* & alij.

Et licèt id in communi dictum, verum sit; tamen, vt veritas hæc clarius innotescat, ad dubia singularia descendamus. Sit ergo,

QVÆSTIO II.

An, licitum sit, appellare Sanctum, *huiusmodi virum, etiam nondum Beatificatum?*

NEgandum, ex supra habitis, videtur. Quia hac prærogatiua, & honore, solùm gaudent Canonizati, & Beati.

Sed Nihilominus, Sanchez. *c. 43. cit. n. 5.* id licitum esse, his verbis, absolutè affirmat: *Hinc deducitur, licere huiusmodi virum, credere, & vocare* Sanctum, *ac ipsum inuocare, etiam aliis audientibus; sicut fecere D. Gregor. Nazianzenus, in vita D. Athanasij, & D. Basilij. & D. Hieronymus in vita D. Paulæ antequam essent Canonizati. &c. At non liceret eum prædicare tanquam Sanctum, in Sanctorum Catalogo à Pontifice inscriptum.* Ita ille. Quem sequitur Tamburinus *loc. cit.* & etiam Trullench. *num. 5.* Bonac. *n. 2.*

Sed ego clarius Respondeo. Non esse licitum appellare dictum verum, *Sanctum* absolutè, sed cum additamento. Sic Granado *sect. 4. cit. nu. 77.* vbi respondens ad rationem dubitandi dicit, quod Canonizati, aut Beatificati appellantur absolute Sancti; non verò, qui non sunt; nam licèt hi aliquando dicantur Sancti, est cum additamento. Sic ille his verbis: *Non Canonizati, aut Beatificati, appellantur aliquando* Sancti, *cum additamento, v. g. si dicatur,* fuisse Sanctus vir, *aut* Sanctus Pater: *at absolutè nec solent, nec debent. v. g. dicendo,* San fulano, *& id tantum est proprium Canonizati, aut Beati.* Sic Granado: ex cuius verbis, constat ad rationem dubitandi.

QVÆSTIO III.

An saltem, licitum sit, appellare Sanctum, *publicè in concionibus, & in scriptis, illum virum quem Pontifex nuncupauit* Beatum, *vel* Sanctum, *etiamsi, talem esse, expressè non declarauerit?*

RESpondeo, Esse licitum. Quia suo Exemplo, & facto, ad id tribuit facultatem. Sic docet Trullench. *loc. cit. n. 5. in fine,* his verbis: *Procedunt autem omnia hæc, non solùm de Beatis declaratis, sed etiam de Beatis nuncupatiuè, & acclamatiuè: Illi enim dicuntur Beati declaratiuè, quos Summus Pontifex declarauit; & de his nulla est difficultas, & diximus superiori dubio. Beati nũcupatiuè illi dicuntur, qui per summum Pontificem nuncupantur* Beati, *vel in licentia concessa, vt typis mandetur illorum vita, sculpantur eorum imagines, vel quouis alio modo. Beati vero acclamatiuè illi dicuntur, quos populus, tanquam Beatos illos colit, & veneratur.* Molfesius *supra,* nempe *in addit. ad quæstiones consuetudinum Neapolitanarum tom. 2. consil. 45. n. 25. 26. & 27.* Ratio horum est, quia talis cultus non publicus, sed priuatus censetur. Sic ille.

QVÆSTIO IV.

An etiam sit licitum, Sanctum *vocare publicè, quem vulgus, aut populus,* Sanctum *absolutè proclamat?*

RESpondeo ex nuper dictis. Esse licitum; dummodo ex loquendi modo, minimè in Sanctorum numerum relatum, diuulgare videatur. Quia talis cultus, seu honor, licèt sit publicus, & manifestus, sed nõ exhibetur nomine Ecclesiæ; vel vnde priuatus esse censetur: ergo licitum est, tali cultu honorare virum pro Sancto habitum. Sic vt vidimus Trullench. necnon Granados *controu. 1. cit. tract. 7. disp. 4. sect. 4. n. 29.*

QVÆSTIO V.

An, liceat in honorem viri defuncti nondum Beatificati, Sacellum erigere, seu Altare illi dedicare?

AFfirmandum, videtur ex facto. Nam in honorẽ B. Frãciscæ, & Sancti Didaci, erecta sunt Sacella, antequam Beatificarentur. Rursus antequa B. Thomas de Aquino Beatificaretur, Monachi Cistercienses Missam in honorẽ illius, de vno Confessore celebrarunt, quod factum postea Ioannes XXII. dicitur laudauisse: ergo potest alicui eximiæ sanctitatis viro altare dedicari, ibiq; in honorẽ illius Sacrificiũ offerri.

Sed vt certum, Respondeo. Neutrum licere. Quia vtrumque est proprium Sancti Canonizati, seu Beatificati: cum sit cultus publicus, institutus pro eo, qui authoritate, aut facultate Pontificis colitur: Sic omnes. Sanch. *lib. 2. sum. c. 43. n. 7.* ex Bellarmino *lib. 1. de Sanctis c. 10.* Luysius *2. 2. disp. 17. dub. 11. vers. Tertio,* & vers. *Quarto.* Granados *loc. cit. n. 27.* Bonac. *pun. 2. cit. n. 2.* licèt non ita in specie. Trullench. *lib. 1. cap. 9. dub. 6. n. 20.* Palaus *disp. 1. de Adorat. pun. 3. n. 8.*

Ad rationes pro affirmatiua parte, bene respondet Granado,

Granado, dicendo ad primam, quod illa sacella erecta fuerunt ex interpretatiua voluntate Pontificis, quia aliàs non liceret. Ad secundam, quod illud fecerunt Monachi ex speciali instinctu Spiritus Sancti, qui tanti doctoris eximiam sanctitatem voluit manifestare: nos autem hic loquimur de honore, qui secundum communem legem deferri potest, & debet.

Qvæstio VI.

An liceat, imaginem hominis nondum Beatificati, cum radiis hominis pingere; & adorandam in templo proponere?

Affirmandum videtur. Quia, vt ex vsu antiquo constat, imagines multorum solent depingi radiis illustratæ; & in publico loco adorandæ proponi, antequam Beatificentur: vt refert ex Molfesio Trullench. *vbi infra.*

Sed, vt quid certissimum iam, Respondeo. Minimè licere. Tum quia id prohibuit Tridentin. *sess. 25. initio, decreto de Inuocatione, &c.* vbi interdicitur insolitam ponere imaginem, absque Episcopi approbatione. Imo nec Episcopus eam licentiam concedere potest, nisi Sanctus Canonizatus, aut Beatificatus sit. Tum etiam, quia id nouissimè prohibuit Sacra Congrgatio Cardinalium Sanctæ Romanæ, & vniuersalis inquisitionis habita coram S. Vrbano VIII. *anno 1625.* quam referunt Granados, Trullench. & alij moderni authores.

Ad rationem dubitandi iam constat ex dictis, esse talem vsum prohibitum; & merito, quia ille pingendi modus est proprius Beatificatorum: habet enim gradus suos Beatificatio, & vnus illorum est, vt imago cum eo splendore depingi possit: Huncque gradum habere credendi sunt illi, quorum Imagines sic depictæ fuerunt in Ecclesia coram oculis omnium, saltem implicitè consentiente Pontifice. Sic Granados *loc. cit. n. 27. in fine* Sanch. *lib. 2. sum. c. 43. n. 6.* Luysius, *dub. 11. cit.* Trullench *lib. 1. in Decal. c. 9. dub. 6. n. 6.*

Qvæstio VII.

An saltem, liceat, talis hominis non Beatificati imagines radiis depingere; si non in publico, sed in secreto cubiculi, habeatur?

Affirmare videtur Sanchez *n. 61. cit.* licèt cum formidine. Ait enim sic. *Secundo deducitur; licitum quoque esse imaginem eius pingere, & venerari: non tamen in Templo constituere, eo modo, quo aliorum Sanctorum imagines. Ita Bellarmin. ibidem. At prius videtur, etiamsi cum radiis, & diademate depingatur, dummodo non in publico loco adoranda proponatur. Quia id non pertinet ad cultum publicum. Et quamuis ea pictura, ex vsus accommodatione, Sit Sancti Canonizati: at cum priuatim habenda tantùm pingatur, ea pictura non pertinet ad cultum publicum.* At id non audeo affirmare. Ita Sanchez.

Sed, iam vt certum, Respondeo. Nec id licere post decretum Sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ vniuersalis Inquisitionis, quæ absolutè imaginem hominis non Beatificati cum depingere radiis, prohibuit. Et merito cum dicta signa sint introducta ab Ecclesia ad signandum talem imaginem esse hominis iam Beatificati, vnde siue in publico, siue in secreto collocetur, id ipsum significabit. Sic Trullench. *loc. cit. num. 6.* ibi: *At nunc dicendum est, non posse horum imagines depingi, nec haberi cum radiis, laureolis, aut splendoribus, cum aliquo signo Sanctitatem præ se ferente, antequam Beatificentur, aut Canonizati sint: quia S. Congreg. d. Decreto ab Vrbano VIII. approbato anno 1625. die 13. Maij, & confirmato, declarato, & aucto, ab eodem Pontifice, Motu proprio die 15. Maij 1634. Hæc, & alia prohibita sunt.* Sic ille. Et Rocafull. *lib. 2. de primo præcep. Decal. c. 8. n. 58.* ibi: *Ab Vrbano vero VIII. &c. prohibitum est Ecclesiis, Oratoriis, & quibuscumque locis publicis, vel priuatis, imagines istorum, qui nondum sunt Canonizati, vel Beatificati, cum laureolis, radiis, splendoribus proponi.* Sic Rocafull.

Qvæstio VIII.

An ad minus sit licitum, imagines hominum virtute insignium, nondum tamen Beatificatorum; sine radiis depingere, tenere in domibus priuatis, ibique eas venerari?

Respondeo, vt quid certum: Id verè esse licitum. Quia hic cultus priuatus est, non publicus. Sic omnes DD. qui id ex vsu, & communi praxi confirmant. Legantur Sanchez, & Trullench. *n. 6. cit.* Palaus *disp. 1. cit. pun. 3. n. 8.* Bonac. *disp. 3. q. 1. pun. 2. n. 2. vers. Ex dictis colligitur.* Luysius *disp. 17. dub. 11.* ex Bellarminio; *vers. Sexto docet.* Thom. Tamburin. *lib. 2. in Decal. cap. 4. §. 1. n. 8.* & omnes.

Qvæstio IX.

An etiam sit licitum, talium hominum imagines, sine radiis depictas, in aliquo Altari inter imagines Sanctorum Canonizatorum, reponere?

Respondeo, Etiam esse licitum, dummodo id solum fiat, vel in memoriam beneficij ab illis Sancti recepti; vel ad ornatum Altaris simul cum aliis imaginibus: aliàs non. Sic omnes communiter, Sanchez, Bonacina Palaus, Tamburinus, *loc. citatis.*

Qvæstio X.

An liceat, deosculari publice pedes, & manus defuncti, qui vitæ sanctitate præluxit?

Negat, apud Trullench. Felix Contelorius *tract. de Canoniz. Sanctorum c. 22. n. 5.* existimans, non licere pedes, aut manus defuncti deosculari publicè, si osculatio fiat ad Sanctitatem denotandam; quia id prohibuit Vrbanus VIII. in Decreto Sac. Congreg. *supra* citato. Quam sententiam proculdubio esse tenendam, vbi dictum decretum est vsu receptum, apertè ait Trullench. *loc. cit. n. 9.*

Sed vt mihi certum, Respondeo omnino licere. Quia hic est vsus communis, & inueteratus in Ecclesia, vt nunquam ab ea prohibitus, sed semper permissus, vt constat ex variis Sanctorum historiis; & habetur expressè in Canonizatione S. Didaci Complutensis, & D. Hyacinthi, & aliorum plurium; & nunc, vt videmus, fit passim.

Nec id est prohibitum ab Vrbano VIII. in decreto præfato, vt videre est. Et constat, quia deosculatio manuum, & pedum, quæ fiunt his defunctis, qui decedunt cum opinione Sanctitatis, non fit eo modo, quo exhibetur Sanctis Canonizatis, aut Beatificatis; sed eo modo quo priuatim fieri solet iis, de quibus piè creditur decessisse in gratia, & esse in gloria. Sic

tenent etiam post decretum Vrbani, communiter Doctores. Legantur Palaus, Granados, Tamburinus *loc.cit.* Trullench. *num.*8. & 9. Sanchez ex Bellarminio, *num.*7. §. *Nec licet.*

QVÆSTIO XI.

An etiam, de corporibus prædictorum hominum, liceat, vestes, capillos, vel fructulum, sumere, & pro reliquiis seruare, & venerari?

REspondeo, Etiam licere. Tum quia hic non est cultus publicus, & solemnis, sed priuatus. Tum etiam, quia sic habet vsus, & praxis Ecclesię, vt obseruat Bellarmin. *loc.cit.c.*10. Et in Bulla Canonizationis Sācti Thomæ Aquinatis refert Pontifex Ioan. *XXII.* quendam, qui Sancti reliquias, longè ante Canonizationem, venerari contempserat, fuisse à Deo punitum. Licitum ergo est prædicta, vt reliquias seruare, ac venerari. Sic ex Bellarmino, Luysius 2.2. *disp.*17. *dub.*11. *vers. septimo* Sanchez *c.*43. *n.*7. *in fine* Granados *tract.*7. *cit. disp.*4. *sect.*4. *in fine.* Azor. *lib.*9. *c.*8. *q.*8. Bonac. *disp.*3. *q.*1. *pun.*2. *n.*2. *vers. secundo licere.* Trullench. *lib.*1. *in Decal. cap.*9. *dub.*6. *n.*22. Thom. Tamburin. *lib.*2. *in Decal. cap.*4. §.1. *num.*10. Rocafull. *loc. cit. cap.*8. *num.*57.

QVÆSTIO XII.

An, corpora talium defunctorum, possint per aliquos dies insepulta manere, ad exercendam deuotionem Fidelium, & osculandi pedes eorum, & manus, &c?

REspondeo, Posse. Tum quia id non est prohibitum. Tum praxis & vsus honestat, vt discurrendo per Sanctorum historias patebit. Sancti etiam Francisci de Paula corpus vndecim dies insepultum, mansit. S. Stephani Prothomartyris septuaginta, & aliorum Sanctorum Alexi, & S. Thomæ per multos dies: vt videre est apud Surium, & Baronium & Nostri Sanctissimi Patriarchæ Ioannis de Mattha vt habes apud R.D. Ioann. Iennim, eius vitæ, scriptorē, qui *cap.*3. *pag.*50. hæc dicit: *Et quia deuotio populi, & conuersus ad venerandum corpus Sancti erant maxima, præcepit Pontifex, Innocent. III. quatuor diebus esse expositum. Quibus transactis, ipse cum Cardinalium cœtu officio sepulturæ fuit præsens.* Hæc ille. Legantur Molfesius *d. consil.*45. *num.*13. Trullench. *loc.cit.n.*8.

QVÆSTIO XIII.

An deinde, liceat, corpora talium virorum, sepeliri in aliquo loco honestiori, & digniori, ab aliis separato, & magnifice structo.

REspondeo licere; Imò, & esse necessarium. Quia id comprobat vsus antiquissimus Ecclesiæ, vt videre est apud Surium. Et probat Iustinianus ordinis Prædicatorum in vita B. Ludouici Beltran. & Doctor Ioannes Iennim in vita nostri Sancti Patriarchæ Ioannis de Mattha, *loc.cit.* vbi hæc scripsit verba: *In magna enim veneratione Innocentius habuit Sanctum Ioannem, ideo corpus eius collocari præcepit in honorifico, & sumptuoso sepulchro, à terra eleuato, in suo Monasterio S. Thomæ de Formis, in eoque vsque ad præsentia tempora conseruatur; ex quo multis annis salutifer liquor in modum olei fluxit, cuius, vnctione, multi infirmi sanabantur.* Sic Ioannes hic, *in Sacra Theologia, & I.V.* Doctor; de nostro Sanctissimo Patre Ioanne de Mattha Doctore Parisiensi eximio. Et certè vere: quia id sæpe hisce oculis vidi, & manus meæ contractauerunt, legatur de hac quæst. Molfes. *consil.*45. *cit. n.*14. vbi asserit prædictorum virorum sepulchra, sic ab aliis separata, sericis, aureisque vestibus integi tapetibusque pretiosis exornari pro maiori illorum honore, & reuerentia vt laudetur Deus in Sanctis suis, &c. Sic ille. & benè, si id nouissimè non esset prohibitum, per citatum decretum vniuersalis Inquisitionis. Legatur etiam Trullench. *loc.cit.n.*10. & Rocafull. *n.*57. *in fine*; ibi: *Possunt quoque istorum corpora sepelire in honestiori aliquo loco, & à cæteris separato, & magnifice structo.*

QVÆSTIO XIV.

An corpora talium Virorum, possint sepeliri, sub altari consecrato?

REspondeo, vt certum: Non posse. Quia hic locus proprius est, Martyrum, aut aliorum Sanctorum Canonizatorum, vel Beatificatorum, iuxta illud Apocalypsis, *vidi sub Altare Dei anima interfectorum* sic decreuit Congregatio Sac. Cardinal. vt testatur Barbosa, iis verbis: *Cadauera reponi non debent sub Altaribus, nec sub gradibus eorum. Sac. Congreg. Episcop. & Regul. cuius meminit Gauantus*, in Man. Episcop. verb. sepultura n.6. Lezana in Sum. qq. Regul. to.3. v. Altare, n.17. vers. secunda, vbi in vers. Tertia, ait, *eandem Sac. Congregationem præscripsisse, quod si quæ Altaria essent, quæ, vel superius, vel in medio, continerent cadauera, siue laicorum, siue etiam Prælatorum, non esset in ipsis celebrandum.* Sic Barbosa *in Decision. Apostolic. verb. Cadauer. num.*2.

QVÆSTIO XV.

An, Ad sepulchra hominum decedentium cum Sanctitatis opinione, possint lampades, aut cerei ascendi?

AFfirmat Luysius 2.2. *disp.*17. *dub.*10. ibi: *Mihi sanè placet licitum esse cereos ascendere ad sepulchra prædictorum hominum*; *Colligiturque ex vsu Ecclesiæ, & deducitur ex Antonio* 3. p. historiali, tit.23. §.4. *& colligitur ex Innocen. IV. in Bulla Cannonizat. S. Petri Martyris, & ex multis aliis historiis Sanctorum idem deducitur: isti enim non reputantur cultus publici, hoc est, ex Ecclesiæ authoritate ordinati ad colendum solos Canonizatos, vel Beatificatos.* Ita Luysius. Cuius sententiam tenet etiam Molfesius *consil.* 45. *cit. num.*37. qui id late probat.

Sed, iam vt certum, Respondeo. Non posse, post Decretum Sanctæ Romanæ Vniuersalis Inquisitionis; & Motum proprium Vrbani VIII. datum Romæ 5. *Iulij* (non Maij, vt inuenies apud Trullench.) anno 1634. per quem expressè id prohibetur iis verbis: *Ad horum hominum sepulchra vetuimus etiam, ac inhibuimus tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, aut ex alia quacumque materia, tam pictas, quam fictas, atque sculptas appendi, seu affigi, & lampades, siue alia quacumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.* Hæc Vrbanus *in suo proprio Motu.* Igitur vbi hic, vsu receptus est, non licet Lampades, aut luminaria ascendere, sine recognitione

gnitione Ordinarij, adhibitis Theologis, & viris doctis ad illam faciendam, Sedíque Apostolicæ referenda. Sic Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 11. Rocafull. *num.* 58.

QVÆSTIO XVI.

An ad dictorum hominum sepulchra, vel imagines, possint deferri tabellæ, & alia donaria, quæ solent suspendi, iuxta sepulchra Martyrum?

AFfirmat Luysius, & Molfesius *loc. cit.* dicentes, esse communem vsum, & praxim Ecclesiæ ab eius ortu, cõfirmatum à multis Summis Pontificibus in multis Bullis Canonizationũ Sanctorum; veluti necessarium, vt per illa constet perpetua fama, & opinio, atque irrefragabile testimonium probantia Sanctimoniam virorum, qui Canonizandi, vel Beatificandi sunt.

Sed iam, vt certum, Respondeo: Non posse. Quia, vt ex nuper habitis constat, id prohibuit Vrbanus VIII. dum proprio Motu decreuit, ne ad horum hominum sepulchra, tabellæ, aut imagines affigantur, sine recognitione Ordinarij, ad Sedem Apostolicam mittenda, & approbanda. Sic Rocafull. *loc. cit.* Trullench. *n.* 7. Qui bene circa hoc aduertit, quod post decretum dictæ Congregationis ab eodemmet Vrbano confirmatum; Idem Vrbanus *in suo proprio Motu, supra cit.* declarauit, posse huiusmodi Tabellas accipi, & approbante Ordinario, ad quem statim tenentur referre, in secreto aliquo loco, seorsum ab Ecclesia, custodiri, collocari, & asseuerari, vt exrent pro Beatificationis tempore, si domino placuerit. Vbi ergo talis Motus proprius, est vsu receptus, omnino est obseruandus.

QVÆSTIO XVII.

An, saltem in Altari domus priuatæ, liceat, imaginem alicuius nondum Beatificati tenere, si sola in eo sit, & cum lampade?

AFfirmat Molfesius *consil.* 45. eo quod hic cultus non sit publicus, sed priuatus. Cuius sententiæ subscribit Trullench. *loc. cit. n.* 2. secluso Motu proprio Vrbani VIII. eiúsque viridi obseruantia. In quo adhuc casu, non audet id affirmare Sanchez *n.* 7. licet in illam, satis se inclinet.

Sed ego, iam vt certum, Respondeo. Non licere. Quia id clarè prohibuit Vrbanus VIII. tam in Decreto Sacræ Congreg. à se approbato, quam in proprio Motu à se expedito. Ante illum autem, vel illo secluso, satis probabile est placitũ Molfesij, & Trullench.

QVÆSTIO XVIII.

An, possit ciuitas aliqua, saltem cum consensu sui Episcopi, festum diem instituere in honorem alicuius, qui nec dum Beatificatus?

AFfirmarunt olim quidem Canonistæ, vt vidimus 3. *p. tract.* 1. *disputat.* 2. *quæst.* 6.

Sed iam, vt certum, Respondeo. Non posse. Quia non potest dies festus institui in honorẽ alicuius Sancti, qui, vt talis à Pontifice approbatus non sit. Sic Sanch. Azor. Suarez, Palao, & Fagundez, *loc. nuper cit.* à nobis adducti. Quibus adde nunc Bonacinam *disp.* 3. *q.* 1. *pun.* 2. *n.* 2. *vers. Addo cum Sanchez.* Thom. Tamburinum *lib.* 2. *in Decal. cap.* 4. §. 1. *n.* 11.

QVÆSTIO XIX.

An saltem, possit quilibet, in Natali viri prædicti, à seruilibus se abstinere, & vacare Deo, in eius memoriam?

NEgat Felix Cantelorius *in tract. de Canoniz. Sanctor. c.* 22. *dicens, illicitum esse festum celebrare ab operibus manualibus abstinendo, & eo die lætari peculiariter, & Deo vacare in memoriam eius defuncti. Quia* (ait) *est id reprobatum in Bullis Vrbani VIII.* Ita Cantelorius, apud Trullench. *n.* 15. qui dicit eius sententiam esse certam, reprobatione contrariæ facta ab Vrbano VIII. in viridi obseruantia existente.

Sed distinguendo tempora, sic clarius Respondeo, *Primo.* Certissimum est, fuisse licitum cuilibet, ante Decretum Vrbani VIII. in Natali sui defuncti, peculariter se à seruilibus abstinere, lætari, & vacare Deo in eius memoriam. Tum quia hæc omnia ad cultum priuatum spectat. Tum etiam quia Sancti veteres; hoc ipsum facere: licitum ergo sine dubio fuit. Sic Sanchez *cap.* 43. *citato, n.* 8. (non 48. vt leges apud Trullench.) ex Bellarminio *cap.* 10. Palao *de Adorat. disp.* 1. *punct.* 3. *num.* 8. Thomas Tamburinus *num.* 11. *cit.* Bonacina *n.* 2. *cit. vers. Tertio.*

Respondeo, *Secundo* probabilius est mihi, quod etiam post Decretum Vrbani VIII. prædicta omnia cuilibet in particulari liceat. Tum, quia, vt diximus, prædicta in honorem sui defuncti exercere, pertinet solum ad priuatum cultum. Tum etiam quia non video, vbinam hæc in Decreto vrbani prohibeantur. Vnde post illud decretum, ita sentiunt Palaus, Tamburinus, & alij Recentiores. Et amplius ex mox dicendis constabit.

QVÆSTIO XX.

An possit, in memoriam alicuius defuncti nondum Beatificati, indici ieiunium publicum?

REspondeo, vt certum: Non posse. Quia omnia hæc ad cultum publicum pertinent; quapropter prohibita sunt exhiberi nondum Beatificato. Sic Sanch. *lib.* 2. *c.* 43. *n.* 8. ibi: *Idem intelligo de Ieiunio, & voto. Publicum enim ieiunium in memoriam eius indici nequit, nec publicum votum ei offerri, quale esset, quod totus populus ei offerre vellet.* Sic ille. Bonacina *pun.* 2. *cit. num.* 2. *vers. Tertio* Bellarmin. *loc. cit. cap.* 10. Trullench. *dub.* 6. *cit. num.* 21. Palaus *punct.* 3. *cit. n.* 8.

QVÆSTIO XXI.

An saltem posset in memoriam dicti defuncti, votum publicum (quod solet fieri à toto populo in publicis necessitatibus) ei offerre?

AFfirmat Molfesius *consil.* 45. *num.* 73. & 74. *Quia* (inquit) *licet nomine publico, nempe pro populo, Ciuitate, aut Regno, offerant votum, tamen cultu priuato id faciunt; quia non offerunt, vt aliquid determinatum ab Ecclesia pro solis Canonizatis.* Ita ille.

Sed, vt mihi certum, Respondeo. Non posse. Quia mihi certum est, talem cultum esse publicum. Sic Sanchez, vt vidimus, Tamburinus, Bonac. Palaus *loc. cit.* Trullench. *loc. cit. num.* 21. Felix Cantelorius *cap.* 22. *citato num.* 2.

QVÆSTIO XXII.

An saltem possit quis, in memoriam defuncti non Beatificati, ieiunare in vigilia eiusdem, & votum priuatum ei offerre?

RESpondeo: Posse, etiam, si id coram aliis efficiat; dummodo scandalum absit. Quia totus hic cultus est priuatus, non publicus. Sic Sanchez *nu.* 8. *cit.* his verbis: *At posset priuatus in memoriam eius* (ideſt, non Beatificati) *ieiunare, aut ei votum offerre; sicut de festo seruando diximus; & hoc etiam aliis scientibus, dummodo scandalum absit*, sic ille. Bonacina etiam, Palaus, Tamburinus, citati, & communis.

QVÆSTIO XXIII.

An item, possit quis defunctum virum, quem Sanctum putat, inuocare, & orationem ad eum fundere?

RESpondeo, Posse. Quia hic cultus etiam est priuatus non publicus, aut ab Ecclesia in honorem Sanctorum institutus. Sic optime Sanchez *lib.* 2. *sum. c.* 43. *n.* 5. his verbis: *hinc deducitur licere huiusmodi virum credere, & vocare Sanctum, ac ipsum inuocare, etiam aliis audientibus, sicut fecere D. Gregorius Nazianz. in vita D. Athanasij, & D. Basilij; & D. Hieronymus in vita D. Paulæ, antequam essent Canonizati. Et constat quia oramus viuentes, quamuis eos sanctos esse nos lateat: cur ergo non licebit defunctos orare, quos maiori ratione Sanctos esse confidimus.* Sic ille. Ex Bellarminio *lib.* 1. *de Sanctis cap.* 10. Palaus, Tamburin. Rocafull. Bonac. supra citati, & omnes.

QVÆSTIO XXIV.

An deinde, liceat in honorem talis viri defuncti, aliquem Psalmum, aut Pater, & Aue, *priuatim recitare?*

RESpondeo Etiam, ob eandem rationem, licere. Sic Luysius 2. 2. *disp.* 17. *dub.* 12. per hæc verba: *Tertio existimo, vnum Psalmum, vel plures, non seruato ordine præscripto, & instituto ab Ecclesia posse recitare in secreto in honorem hominis non Canonizati: quia iste est cultus priuatus, & priuatæ preces, & sic, ex communi Doctorum sensu, potest iste cultus sanctis hominibus non Canonizatis deferri.* Sic Luysius. Et Thomas Tamburinus sic: *Ex his infertur defuncti viri, quem Sanctum putas, licere tibi* (præciso semper scandalo) *pedes, & Reliquias osculari, eadem cum decore, seruare, ei orationem fundere, eiusdem imaginem depingere, & domi habere, diem mortis eius priuatim vt festiuum colere, in eiusdem Vigilia ieiunare, in priuatis colloquiis aut precibus Sanctum, & Beatum nominare, & inuocare,* Pater, & Aue, *in illius honorem priuatim recitare, votum priuatum ei nuncupare, quia hæc omnia publicum cultum nequaquam sapiunt.* Sic ille, *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 4. §. 1. *num.* 11. Rocafull. *loc. cit. num.* 57. *in fine.* & certe D. Hieronymus *in vita S. Hilarionis* refert Magnum Antonium Abbatem Nocturnis Vigiliis, Hymnis, Psalmis, & orationibus singulis annis diem illius obitus celebrasse.

QVÆSTIO XXV.

An etiam liceat alicui, recitare Officium diuinum, prout est dispositum ab Ecclesia, in honorem Sancti nondum Beatificati?

AFfirmarunt aliqui, vt quid probabile, apud Luysium, vbi infra.

Sed, vt quid certissimum, Respondeo: Mimime licere, præcipuè nunc, post proprium Motum Vrbani VIII. Sic omnes præsertim Luysius, his verbis: *Secundo existimo, Officium diuinum Horarum Canonicarum formaliter, vt dispositæ sunt ab Ecclesia, non posse in secreto recitari in honorem non Canonizati, quia sub hac forma institutum est Officium hoc ab Ecclesia pro Canonizatis: nec de hoc videtur fuisse controuersia apud Doctores, vel dissensio.* Sic ille 2. 2. *disputat.* 17. *dubit.* 12. qui id late probat. Sanchez etiam *libro* 2. *sum. cap.* 43. *num.* 5.

QVÆSTIO XXVI.

An saltem liceat, facere commemorationem in officio, pro nondum Beatificato?

AFfirmat Molfesius *consil.* 45. *num.* 48. quem citat, & videtur sequi Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 16. *in fine*, dum hæc dicit verba: *Addit etiam Molfesius, posse fieri priuatim commemorationem in Officio pro non Canonizatis, cum oratione de communi pro Canonizatis* (Sic lege) *quod videtur posse admitti: quia constat ex se, talem cultum esse priuatum, & abest periculum scandali: quod videtur etiam admittere Castro,* vbi supra, *dum affirmat, posse ad eos orationem fundere.* Ita Trullench.

Sed vt certum, Respondeo: Nec licere cuipiam, etiam priuatim, aut in secreto, facere commemorationem in officio diuino, pro nondum Canonizato, aut saltem Beatificato. Quia iste cultus, sub tali forma dispositus, est ab Ecclesia institutus pro Sanctis Canonizatis: ergo non poterit, etiam in secreto, fieri pro nondum Canonizatis, aut saltem Beatificatis. Sic communis. Sanchez *loc. cit.* Bonac. *punct.* 2. *cit. num.* 2. *vers. Quarto.* Thomas Tamburinus *num.* 11. *cit.* ibi; *Contra, non licet eius nomen in Litaniis, etiam priuatim eas recitando apponere; eius imaginem in Altari, etiam priuato, vel in Ecclesia collocare* (*nisi constet collocari ad solum ornatum*) *in orationibus, seu Collectis Missæ, vel Officij nominare, &c. quia hæc vel publicum cultum supponunt, vel sunt instituta solum ad Sanctos publicè propositos venerandos.* Hæc Tamburinus. Nec oppositum sentit vllo modo Castro Palao, vt malè vidit Trullench. vt ex dicendis *infra quæst.* 28. constabit.

QVÆSTIO XXVII.

An, licitum sit, Sanctum nondum Canonizatum, aut Beatificatum, in publicis Litaniis inuocare?

RESpondeo, vt certum: Quod non quia iste cultus ab Ecclesia est institutus, tanquam solemnis, & publicus, & in nomine ipsius delatus: ergo solum deferri potest Sanctis ab eadem habitis. Sic Sanchez, Luysius, Bonac. Tamburin. Palaus, Molfes. Trullench. Rocafull. & communis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXVIII.

An saltem sit alicui licitum, priuatim recitando, Ecclesiæ litanias, inuocare Sanctum illum, qui nec Beatificatus est?

AFfirmant Molfesius *consil.45.cit.* Luysius *dubit. 11.cit.* ex Bellarmino, quos citat, & sequitur Trullench *dubit.6.cit.num.16.in principio*; (licet postea non longè oppositum videatur sentire) Huic sententriæ adhærere videtur Rocafull, eo quod solùm dicat, non licere tales viros in publicis litaniis inuocare: sentire ergo videtur, quod priuatim liceat. Legatur *lib.2. de primo præcepto Decalog. capit.8. numer.57.*

Sed vt mihi certum Respondeo Minime esse licitum, præsertim post Motum Vrbani VIII. Quia, vt habitum est, hic cultus est ab Ecclesia institutus ad Sanctos solum propositos ab ipsa venerandos. Sic Sanchez *lib.2.sum. cap.43.numer.5.* Bonac. *disput.3. quæstion.1. punct.2. numer.2. vers. Quarto.* Palaus *de Adorat. disp.1. punct.3. num.8.* Tamburinus citatus *quæst.26.*

QVÆSTIO XXIX.

An ad minus sit licitum, inuocare dictos non beatificatos viros, in litaniis, quæ, vel Religiosi, vel Moniales, dicunt in eorum Ecclesiis?

AFfirmat *loc.cit.* Molfesius *num.48.& 70.* Qui & probat, *Primò* exemplis, de Beata Ida, & Coleta, ac de Beato Dogrone, qui ante eorum canonizationem, aut beatificationem, publicè à dictis legendo, aut canendo litanias, inuocabantur. *Secundò.* Quia licèt institutæ sint litaniæ nomine Ecclesiæ, non tamen non canonizati inuocantur in illis nomine Ecclesiæ, sed priuato, & ob deuotionem: ergo licitum vnicuique erit hoc modo illos inuocare.

Sed vt certum mihi Respondeo, Nec esse licitum, hoc modo in dictis litaniis inuocare. Quia talis cultus ex Ecclesiæ institutione, vere est solemnis, & publicus: ergo minimè exhibendus, illi, qui nec est beatificatus. Addo quod re vera, id prohibitum videtur Decretis Vrbani VIII. Sic Trullench *num.16. cit.* & apud ipsum Castro Palao. Quibus adde cum illo, omnes à nobis *suprà* relati.

QVÆSTIO XXX.

An, in die aniuersarij obitus non Canonizatorum, aut Beatificatorum, liceat Missam de Sanctissima Trinitate, vel de Dei Genitrice Maria, aut de Omnibus Sanctis, in eorum memoriam solemniter cantare?

NEgandum videtur post decretum, & Motum proprium Vrbani VIII.

Sed ego, sic, distinguendo tempora. Respondeo. *Primò.* Certum est mihi, olim licuisse solemniter celebrare Missam de Sanctissima Trinitate, vel de Beata Virgine Maria &c. in die Obitus alicuius viri, (vel fœminæ) qui claris virtutibus, & miraculis, obdormiuit in Domino, etiam ante eius Canonizationem, aut Beatificationem. Quia praxis, & vsus Ecclesiæ id fecit licitum. De praxi enim constat ex his, quæ scribit Molanus in suo Martyrologio, præcipuè 11. Decembris, vbi sic habet: *In Barbantia Monasterio obitus Sanctæ Idæ de Niuella Sanctimonialis, Ordinis Cisterciens.* Et Paulo post. *Vnde in die depositionis, etsi non sit Canonizata, ex consensu Generalis Abbatis Cisterciens. Sacrum fit de Omnibus Sanctis cum collecta de Communi Virginum &c.* Sic ille. Et de beata Lyduige sub *die* 14. *Aprilis*, refert, ante eius canonizationem eius festum celebrari cum solemni Sacro, & officio de Trinitate. Idem de Beata Coleta hæc scribit: *In memoriam huius Virginis 6. die Martij, abstinentur ab opere mechanico & summum Sacrum fit de Deipara Virgine* &c. Legatur Trullench *lib.1. in Decalog. cap.9.dub.6.* & Molfes. *consil.45. numer.46.* vbi multa de hac re inuenies exempla.

Respondeo *Secundò* probabile est mihi, quod adhuc post decretum, & Motum proprium Vrbani VIII. possit in die anniuersarij obitus alicuius viri defuncti, virtutis eximæ, Sacrum publicè, & solemniter fieri, dummodo non fiat, sub nomine illius non canonizati viri, sed dicatur Missa, vel de Sanctissima Trinitate, vel de B. Virgine, vel de omnibus Sanctis. Quia iste cultus non videtur prohibitus per dicta Vrbani Decreta. Sic Rocafull. expresse per hæc verba: *In die vero anniuersario illorum, celebrari Missam solemnem de Trinitate, vel de B. Virgine Maria, vel de Omnibus Sanctis, & Concionem de ipsorum virtutibus haberi, prohibita non videntur, modo non fiant isthæc illis tanquam Canonizatis.* Sic ille. Qui latè probat & saltem probabiliter, bene. Trullench etiam *dubit.6. cit.num.17.* quamuis *num.18.* dicat omnia à se dicta *à num.12. vsque ad 17.* intelligenda esse, quatenus non contrariantur decreto Vrbani VIII. eiusque obseruantiæ. Quibus verbis perplexa redduntur quæ satis clare docuerat. Quintanaduenas *tom.2. tra.14. singul.2.num.9*

QVÆSTIO XXXI.

An res gestæ, egregia facta, miraculave hominum, qui cum opinione Sanctitatis, è vita decesserunt, possint in lucem edi, statim ac moriuntur?

REspondeo, vt quid certum, *Primò*: olim ante decretum Vrbani VIII. absolute licebat omnes res gestas ac facta egregia insignium in Sanctitate virorum, colligere statim post eorum obitum & in lucem dari. Quia sic fuit praxis, & vsus vniuersalis Ecclesiæ à temporibus Apostolorum, vsque ad hæc nostra tempora. Et merito, vt sic eorum posteri imitarentur vitam: legatur Molfesius *consil.45.cit.à n.51.* Trullench *cap.9.cit.dub 6.n.19.*

Respondeo *Secundò.* Etiam nunc post decretum Vrbani VIII. possunt prædicta colligere, & in Lucem dari; sed cum hac limitatione, quod vbi receptum est dictum Decretum, non possunt libri eorum, qui cum opinione Sanctitatis, aut Martyrij decesserunt, illorum gesta, miracula, & reuelationes continentes, imprimi, sine licentia Ordinarij, & illius recognitione, per Theologos, & viros dictos facienda, & postea totam rem ad Papam remittendam. Sic colligitur ex dicto Decreto, & notat Trullench *loc.cit.*

QVÆSTIO XXXII.

An, si per aliquot annos celebratum sit Sacrum & officium diuinum in honorem alicuius viri Sancti, nondum, tamen canonizati à Pontifice debeat manuteneri in sua possessione?

NEgandum videtur, ob motum proprium Vrbani VIII.

Sed oppositum omnino Respondeo dicendum, debere manuteneri in possessione sua. Quia aliàs in republica maximum, ob mutationem, oriretur scandalum, vt *infrà* constabit. Et probatur exemplis. Nam (teste Molfesio, *consil.45.num.50.*) antequam S. Carolus à Pontifice Canonizaretur, Missam, & officium, de eo celebrarunt, eius Ciues; quorum factum non fuit reprobatum Romæ. Licèt enim Eminentiss. Cardinalis Borromeus eius Nepos, voluisset impedire Populum Mediolanensem, ne publicè prædicta facerent in honorem S. Caroli, fuit tamen Romæ prouisum, vt Populus relinqueretur, in sua libertate, vt suam faceret deuotionem, vt legitur in eius vita, *lib.7.cap.16.fine.* Sic ex Molfesio Trullench *lib.1.in Decalog. cap.9.dub.6. num.17.* Qui id latius confirmat *numer.22.* per hæc notanda verba: *Concludendum igitur est, cultum priuatum licitum esse respectu Sanctorum non Canonizatorum, aut Beatificatorum, modo supra explicato, dummodo absit scandalum, & aliud non sit prouisum à Pontifice: Quod magis certum, & indubitatum est, si adsit possessio, quia nempe solerent tales viri non Canonizati pro Sanctis ab omnibus coli; eorum imagines pingi cum titulo Beati, & tenerentur publicè in Ecclesia; ad eorum sepulchra Lampades, ac cerei solerent accendi: Tunc enim, quamuis non præcesserit licentia summi Pontificis, debent manuteneri in possessione, tam lite pendente in possessorio summario, quàm etiam in possessorio ordinario, & ita pluries fuit Romæ resolutum, coram diuersis summis Pontificibus, & præcipuè, coram Clemente VIII. in quadam Congregatione, tam quoad Sanctum Carolum, ante ipsius Canonizationem, quàm etiam, quoad Philippum Nerium, & alios plures Beatos; fuit enim dictum:* Nihil innouetur, & vti possidetis, ita possideatis. *Hoc idem fuit resolutum coram Pontifice Paulo V. anno 1615. quoad B. Gaetanum, fuit enim dictum*, nihil innouandum: *& fuit etiam prouisum, vt manutenerentur in possessione; eo quod dum ab aliis turbarentur, recursum haberent ad Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis, quæ in hoc eos defenderet. Quæ prouisiones legitimo iure fieri, nemo in dubium reuocare potest: fundantur enim in iusto, & legitimo titulo; nimirum, in doctrina Theologorum, & Canonistarum, & Summistarum: tum etiam in communi vsu, & praxi, & antiqua consuetudine totius Ecclesiæ, ab eius ortu, vsque in præsentiarum successiuis temporibus continuatam, & obseruatam: prudenter igitur prouidetur, nihil esse innouandum, lite pendente; itaut possidetis, ita & possideatis: & postea causa cognita, capiuntur informationes de vita, moribus, miraculis, ac deuotione populorum, circa tales viros non Canonizatos ad finem videndi, si legitime omnia fiant, etsi aliquid sit, quod sit scandalum populi, vt sic possit Sacra Congregatio, ac Sedes Sancta Apostolica dare formam, qualiter prædicta fieri debeant, citra scandalum. Nam si mutatio aliqua fieret, & innouatio de facto, oriretur maximum scandalum, daretur enim suspicio, vt ille, qui paulo antea inuocabatur, & colebatur pro Sancto, pingebatur pro Beato; ad eius sepulchrum Lampades, ac cerei accendebantur; tabellæ, & pretiosa donaria, in signum gratiarum acceptarum, appendebantur, & sic de aliis; erat vir malus, ac malæ conditionis, & sic scandalum magnum esset, non solùm in illo loco, sed etiam in tota Ecclesia: retraherentur enim fideles populi à cultu priuato, & vix Ecclesia postea procederet, causa cognita ad Canonizationem Sanctorum.* Hæc omnia Ægidius Trullench, & optime quidem. Nam & ego eius sententiæ, in casu nobis retro annis contingente, totis viribus adhæsi, ac subscripsi: & profuit quidem.

QVÆSTIO XXXIII.

An liceat de Sanctis non Canonizatis, recitare officium diuinum, de Communi, vbi viget consuetudo immemorialis recitandi de illis?

REspondeo licere omnino. Quia consuetudines laudabiles, & in honorem Dei, & Sanctorum eius introductæ, seruandæ, & tuendæ sunt, vt decreuit Congreg. Sacra Rituum in Narniens. 16. *Iulij.* 1605. vt ex Aldano *in Compend. Canon. resol. lib.3. tit.14. num.43.* refert Barbosa *in Decision. Apostol. collect.221. verb. consuetudo, num.1.* Et ideo in specie nostri casus sic fuit decisum ab eadem Sac. Congreg. Rit. *in Visen. 21. Iunij* 1605. vt ex Sellio *in Selectis Canon. cap.33.n.18.* Barbosa *loc.cit. verb. officium diuinum collect.532.n.11.* refert.

QVÆSTIO XXXIV.

An, etiam liceat retitari officium, de Sanctis non Canonizatis, nec beatificatis, de quibus probata est solùm immemorabilis, super cultu, & veneratione illorum?

REspondeo absolutè Non licere. Quia quod id concedi, adhuc non debeat, nec possit, decreuit Sac. Congregio, vt refert Barbosa *in Decis. Apostol. verb. Missa. Collect.474. num.13.* his verbis: *Missa, vel officium concedi non potest, probat aimmemoriali, super cultu, & veneratione alicuius Sancti non Canonizati, nec beatificati; sed in specie, & in illo loco est probanda immemorialis, quoad cultum, cum Missa, & officio.* Sacra Congreg *Rit.20. Nouemb.1628.* Cuius meminit R.P.D. meus Contelor. *de Canoniz. Sanctor. cap.22. num.19.* & refero *de offic. & potest. Episcopi p.3. alleg. 97. prope finem.* Hæc Barbosa.

QVÆSTIO XXXV.

An saltem concedi possit officium, vel Missa, pro illis Sanctis, qui aliquos gradus Beatificationis ab Apostolica Sede obtinuerunt; eo quod permissum sit ab illa quod appellentur Sancti; quod depingantur Laureolis; quod in Altari eorum celebrando, lucretur Indulgentiam, & liberetur à Purgatorio anima &c?

REspondeo vt mihi certum: Posse concedi. Quia re vera, verè reputantur, & sunt Sancti, verbis,

&

& factis, Beatificati à Pontifice : non ergo de illis venit intelligendum decretum Sacræ Congregationis *q.*4. relatum, vt patet ex ipsius verbis.

DISPVTATIO IV.

De Cultu, quo Sanctorum Reliquiæ sunt adorandæ.

QVÆSTIO PRIMA.

An sit pium ac Sanctum, Reliquias Sanctorum venerari?

RESPONDEO tanquam de Fide certum : Esse. Sic definitum est contra hæreticos, in multis Conciliis, præcipue in Septima Synodo *action.* 1. 4. & 7. & in Trident. *sess.* 25. *Decreto* 2. Sic omnes Catholici. Legantur Bellarmin. *lib.* 1. *de Sanctis à cap.* 1. *vsque ad* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *à quæst.* 1. *vsque ad* 12. & *cap.* 10. *à quæst.* 6. *vsque ad* 9. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 6. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *p. quæst.* 25. *art.* 6. *disp.* 55. *sect.* 1. Vazquez *de Adorat. Imagin. lib.* 3. *disp.* 3. *à num.* 78. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 43. Castro Palao *tom.* 2. *tract.* 8. *disp.* 1. *punct.* 6. Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 5. Nazarius *in* 3. *p. qu.* 25. *art.* 6. *contron.* 1. Bonacina *disput.* 3. *circa prim. præcep. Decal.* 1. *q.* 1. *punct.* 4. Fagundez *in Decal. l.b.* 1. *c.* 37. Trullench ibidem *lib.* 1. *c.* 9. *dub.* 8. Rocafull. *lib.* 2. *de primo Decal. præcep. c.* 9. *n.* 59. Acacius March. *v. Reliquias Resol.* 380.

QVÆSTIO II.

Quid nomine, Reliquiarum Sacrarum, *intelligatur?*

RESpondeo Intelligi Sanctorum Ciuium corpora, & quaslibet itidem eorum particulas, vti capillos, ossa, carnes, vngues, dentes, cineres, pulueres, vestes, & alia, quibus tempore vitæ suæ ipsi vsi sunt : Item vela, pannos, & alia, quæ ad eorum corpora, vel ossa admouentur, vel quæ ipsos tetigerunt, vel ad ipsos pertinent. Sic omninò Azor. *cap.* 8. *cit. q.* 1. & *ex illo* Sanchez *c.* 43. *cit. n.* 2. Bonac. *pun.* 4. *n.* 1. Trullench *dub.* 8. *cit. num.* 1. *in fine. cap.* 9. *num.* 59.

QVÆSTIO III.

An, cineres, aut pulueres, in quæ corpora Sanctorum conuertuntur, liceat adorare, & colere?

NEgant hæretici, eo quod nihil iam ex Sanctis, huiusmodi pulueres habeant, ex eo tempore, quo eorum corpora, sunt in ipsos resoluta.

Sed vt quid certissimum Respondeo licere. Quia ab initio eos vniuersalis Ecclesia colit, ac veneratur. Nec obstat, quod ossa, & corpora Martyrum, in pulueres, vel cineres transierint : quia, vt eos veneremur, sufficit, quod eorum materia prima permaneat; & quod Deus velit eos honoremus, per quos tanta facit mirabilia. Legantur D. Ambros. *serm.* 39. & Gregorius Turonens. & Nicenus, quos citat Azor. *cap.* 8. *cit. quæst.* 4. Sanchez *num.* 2. *cit.* & omnes Catholici.

QVÆSTIO IV.

An etiam liceat, adorare, & colere vermes? in quos ipsa corpora Sanctorum conuertuntur

AFfirmandum videtur : quia sicut cineres, in quos Sanctorum corpora sunt conuersa veneramur; ita & vermes, qui ex Sanctorum corpora generantur venerari possumus : cum vtrobique sola Sanctorum materia prima superstit. Ob id aliqui affirmant, posse quidem à nobis vermes huiusmodi coli; dummodo recta intentione, & Syncera fide in vermibus Sãctos apprehendamus; Ita Vazquez *de Adorat. lib.* 3. *disp.* 3. *c.* 8. *n.* 114. Quem citat, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *cap.* 43. *numer.* 2. *in fine.* Palao *disp.* 1. *cit. punct.* 6. *num.* 1.

Sed clarius procedendo Respondeo *Primò*. Certum est, apud omnes, dictos vermes nullo modo licere publice proponere adorandos. Quia re vera viderentur, proponi propter se adorandi, quod superstitiosum esset. In hac conclusione conueniunt etiam Vazquez, Sanchez, necnon & alij DD.

Respondeo *Secundò*, probabilius est, quod, neque adhuc priuatim, possint vermes prædicti coli à nobis, & adorari etiam si recta intentione & Syncera fide fiat. Quia re vera est indecens, adorare Sanctos in vermibus (licèt hi constent eadem materia prima, quam cineres, ac Sancti habuerunt :) cum indecens videatur, & sit, in rebus putridis, & obscænis Sanctos venerari; videremur enim, (vt diximus) vermes, & non Sanctos, venerari. Sic Suarez *disp.* 55. *cit. sect.* 1. *in fine. vers. De tertio argumento.* Rocafull. *cap.* 9. *dubitatione* 1. *n.* 60. & inclinat Bonac. *punct.* 4. *cit. num.* 1.

QVÆSTIO V.

An, vt Reliquiæ Sacræ adorari possint cultu publico, debeant esse Sancti Canonizati, vel Beatificati?

RESpondeo vt quid certũ : Debere. Quia sic colligitur apertè *ex Cap. Audiuimus. & c. Eo. de Reliquiis & venerat. Sanctor.* & Trident. *sess.* 25. Et cõstat, ex *disput. præcedenti* dictis. Quia nullus Sanctus publicè, tanquam Sanctus coli potest, nisi à Pontifice sit Canonizatus, aut Beatificatus : ergo nec eius Reliquiæ, sic omnes. Legantur Sanchez *lib.* 2. *sum. c.* 43. *num.* 3. Trullench *lib.* 1. *c.* 9. *dub.* 8. *n.* 2.

QVÆSTIO VI.

An, vt quis licitè Reliquias Sacras adorare possit; debeat esse certus, quod sint veræ, & non suppositæ?

RESpondeo : Debere esse certum; certitudine saltem morali : hæc namque sufficit. Primum, patet, quia sine hac morali saltem certitudine, imprudenter cultum & adorationem exhiberet, & periculo errandi facile se exponeret. Secundum verò, nempe quod sufficiat certitudo moralis, etiam constat :

ſtat : quia in rebus moralibus, non eſt petenda maior certitudo. Sic Sanchez *n.*13. Suarez, Azor, Palao, Trullench, Rocafull. mox citandi.

QVÆSTIO VII.

An, vt quis priuato cultu, Reliquias venerari poſsit ; ſufficiat teſtimonium priuatum alicuius viri probi, & Fide digni, dicentis, eſse Reliquias Sancti Canonizati, & Beatificati ?

REſpondeo ſufficere ; cum tale teſtimonium ſufficiat, vt prudenter quis iudicet ita eſſe. Sic optime Azor. *tom.*1. *lib.*9. *cap.*8. *quæſtion.*8. *in fine.* his verbis : *ſi Roges, quod ſi vir pius, & religioſus Fide dignus mihi tradiderit Reliquias alicuius Sancti, licebitne mihi eas pro Reliquiis venerari ? Reſpondeo priuatim id licere; quia tanto Viro fides eſt habenda : at vero publicè nequeunt exponi, niſi Epiſcopo eas primum recognoſcente, & approbante.* Sic Azor. Et ex illo Sanchez *lib.*2. *cap.*43. *num.*13. Qui addit, idem prorſus eſſe dicendum, de Reliquiis Sancti non Canonizati ; ſufficit enim, vt priuatim adorentur, ſi prædicta moralis certitudo Sanctitatis illius viri, ac veritatis eius Reliquiarum habetur : Quia eadem eſt ratio. Sic etiam Suarez *diſput.*55. *cit. ſect.*2. *verſ. At vero.* Vazquez *lib.*3. *de Adorat. diſp.*3. *cap.*8. *num.*114. vbi ait : ſufficere humanas coniecturas. Et quamuis addat, *& rationes certas*, id, vt notat Sanchez, intelligit de certitudine morali, qualis ex humanis coniecturis habetur. Palao *diſp.*1. *cit. punct.*6. *num.*3. *verſ. Dicendum ergo eſt :* ibi ; *ſi enim priuato cultu Reliquias venereris, ſufficit. ſi tibi vir probus, & religioſus eas tradiderit ; quia illius teſtimonium te reddit moraliter certum de veritate.* Bonac. *diſp.*3. *quæſt.*1. *punct.*4. *num.*5. Layman *lib.*4. *tra.*7. *cap.*5. *num.*16. Trullench *lib.*1. *cap.*9. *dub.*8. *n.*6. Rocafull. *lib.*2. *c.*9. *dub.*3. *n.*62.

QVÆSTIO VIII.

An, Reliquiæ, quæ publico cultu proponuntur adorandæ, debeant prius à Pontifice, vel Epiſcopo, approbatæ eſse ?

REſpondeo vt certum : Debere. Quia ſic determinatur *in cap.*1. *& 2. de Reliquiis & vener. Sanctor.* & in Trident. *ſeſſ.*25. *in princip.* & Sixtus V. *Conſtit.*88. §.3. incipit : *Dominus. Idib. Nouemb.* 1588. & refert Barboſa *in deciſionibus Apoſtol. verb. Reliquiæ, num.*2. Et merito : quia verè eſt illicitum, ſine approbatione publica ; publicum cultum Reliquiis exhibere. Legantur Sanchez *num.*13. Azor. *quæſt.*8. Suarez *ſect.*2. *cit. verſ. ſed quæret aliquis.* Bonacina *num.*5. Palao *num.*4. Trullench *num.*7. Rocafull. *loc. cit. num.*62. Qui omnes notant, non poſſe Epiſcopos omnes cuiuſcumque Sancti Reliquias approbare, quas autem poſſit ? dicam.

QVÆSTIO IX.

An, poſsint Epiſcopi, Reliquias Sancti nondum à Pontifice in Sanctorum numerum relati, exponere populo adorandas ?

REſpondeo vt quid certum : Non poſſe. Quia ſic habetur *in cap.*1. *& 2. de Reliq. & vener. Sanct.* Et ratio eſt ; quia hic cultus eſt publicus ad honorandos Sanctos ab Eccleſia approbatos, inſtitutus. Sic ex Sacra Congregatione deciſum, docet Barboſa *in Remiſſ. Concilij cap.*2. *ſeſſ.*25. Azor. *cap.*8. *& quæſt.*8. *cit.* Sanchez *lib.*2. *ſum. cap.*43. *num.*14. Suarez *diſput.*55. *ſect.*2. Bonac. *diſp.*3. *quæſt.*1. *punct.*4. & penes ipſum, Farinac. & Marzilla, Trullench, Palaus, & Rocafull. *loc. citatis* & omnes.

QVÆSTIO X.

An, ſaltem, poſsint Epiſcopi, approbare Reliquias alicuius Sancti, qui ſolùm, antiquæ Eccleſiæ traditione, aut vniuerſali ipſius conſenſu, approbatus eſt ?

REſpondeo, Poſſe. Quia prædicta, per traditionem Eccleſiæ, aut ipſius vniuerſalem conſenſum, Reliquiarum approbatio, æquipollet Canonizationi, & pro illa valere debet ; quandoquidem, cum notat Hoſtienſ. antiquitus non ſeruabatur ſolemnitas, aut forma Canonizationis, quæ modo eſt in vſu. Igitur, ſi Epiſcopi poſſunt approbare Reliquias Sancti Canonizati à Pontifice, atque exponere illas populo adorandas ; itidem poterit approbare Reliquias, iam per traditionem Eccleſiæ approbatas. Sic, Suarez, & Bonac. *loc. cit.* Sanchez *num.*11. Trullench *n.*7. Rocafull. *n.*61. *dubit.*2.

QVÆSTIO XI.

An etiam poſsint Epiſcopi, approbare Reliquias Sancti antiqui, nondum à Pontifice Canonizati, nec approbati, antiqua Eccleſiæ traditione, aut Vniuerſali ipſius conſenſu ?

AFfirmandum videtur. Quia Concil. Tridentin. *ſeſſ.*25. expreſſe concedit Epiſcopis priuilegium approbandi Reliquias de nouo inuentas : ergo & Reliquias Sancti non Canonizati approbandi. Ita videntur ſentire Petr. Lorca *in 3. p. D. Thom. quæſt.*25. *art.*6. *diſp.*98. *num.*10. & Nazarius *quæſtion.*25. *cit. art.*6. *cont. vnica,* §. *Quarto notandæ ſunt. pag. mihi.*244.

Sed vt certum : Reſpondeo, Non poſſe. Quia certum eſt, ſolas Reliquias Sancti Canonizati, aut aliàs ab Eccleſia approbati, poſſe Epiſcopos approbare, vt publice venerentur. Sic tenet, & latè probat Sanchez *cap.*43. *cit. n.*10. & penes ipſum, Suarez *diſp.*55. *cit. ſect.*2. Azor. *tom.*1. *lib.*9. *cap.*8. *quæſt.*8. & Philiarcus, *de officio Sacerd. tom.*1. *part.*2. *lib.*3. *cap.*9. Quibus adde Laymanium *lib.*4. *tract.*7. *cap.*5. *num.*15. Bonacinam *punct.*4. *cit. num.*5. *verſ. Dixi.* Zipæum *in Analit. & c. lib.*3. *de Reliquiis & vener. Sanctor. num.*3. Barboſam *de poteſt. Epiſcopi part.*3. *alleg.*97. *n.*10. & Dianam 2. *p. tra.*15. *reſol.*51. *verſ. quæritur ſecundo.*

QVÆSTIO XII.

An poſsit Epiſcopus, extra ſuam Diœceſim exiſtens, abſque aliquo Epiſcopi Diœceſis, in qua tunc eſt, licentia ; approbare Reliquias Sancti Canonizati ; & concedere, vt in ſua Diœceſi publicè collocentur venerandæ ?

REſpondeo vt certum : Poſſe. Quia hic approbationis actus, non eſt iuriſdictionis contentioſæ, cum

cum non exerceatur inter partes inuitas, sed voluntariæ: atqui Iurisdictio voluntaria, potest vbique, absque alicuius licentia, exerceri: ergo. Sic communis. Sanchez *lib. 2. sum. cap. 43. num. 14. in fine.* Bonacina *disput. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 5.* vers. *An autem Episcopus.* Suarez *disp. 55. cit. sect. 2.* Barbosa *3. p. de potest. Episcopi alleg. 97. fine.* Palaus *punct. 6. cit. num. 6.* Trullench *lib. 1. cap. 9. dub. 8. num. 7. in fine.* Rocafull. *cap. 9. cit. dub. 3. nu. 62. pag. 18.* Diana *part. 2. tract. 15. Resol. 51. quæsito 5.*

Qvæstio XIII.

An, postquam summ. Pontifex, aut Episcopus, Reliquias alicuius Sancti approbauit; possint absolute, & absque conditione adorari?

NEgandum videtur: Quia plurimæ Reliquiæ sunt incertæ: ergo si absolute adorentur, subiicitur periculo, ne falsæ pro veris adorentur.

Sed vt certum Respondeo, Posse absolutè, & absque conditione adorari. Quia huiusmodi Reliquiæ dignæ sunt adoratione; neque vllum est periculum erroris, saltim formalis, in huiusmodi adoratione; & licèt materialiter, erretur, si contingat re ipsa, non esse veras Reliquias, nullum tamen peccatum incurretur, quia adorans bona Fide adorat, nec imprudenter operatur, sed potiùs prudenter valde; cum non temere credat, sed ductus magna authoritate approbantis ex rationibus certis, aut valde probabilibus: quod sufficit: nam vt bene Naldus *in sum. verb. certum, num. 11.* Siluest. *verb. Matrimonium quæst. 13.* quos sequitur Diana *loc. cit.* ille dicitur certus de re aliqua esse, qui probabiliter talem esse credit. Sic Bonac. *punct. 4. cit. n. 5.* Trullench *dub. 8. nu. 5.* Palaus *punct. 6. cit. num. 3. & 4.* & innuit Sanchez *loc. cit. n. 13.*

Qvæstio XIV.

An, casu, quo Reliquiæ Sancti non Canonizati, ita sint permixtæ cum Reliquiis Sancti Canonizati, vt discerni nequeant; tunc possit Episcopus, omnes illas approbare, & adorandas proponere?

AFfirmandum videtur. Quia dignus trahit ad se minus dignum, qua ratione, oleum non consecratum admistum consecrato, remanet consecratum, cap. *Quod in dubiis de Consecr. Eccles.* cum communi Doctor: ergo similiter &c.

Sed vt certum Respondeo, Non posse. Quia excederet suam facultatem, vt ex dictis constat. Nec obstat ratio dubitandi adducta. Est enim dispar ratio; quia extrema vtriusque olei, ita connectuntur, & coniunguntur, vt separari nequeant: quod non contingit in dictis Reliquiis. Vnde *Cap. Quod in dubiis*, citatum, solum procedit de liquoribus. Sic Sanchez *loc. cit. numer. 12.* Bonacina & Trullench etiam & omnes.

Qvæstio XV.

An saltem casu, quo contingat, vt Reliquiæ certæ, & approbatæ, ita immisceantur incertis, & non approbatis vt discerni nequeant; possit tunc quis, certas adorare?

REspondeo, Posse adorare certas Reliquias, etiam si sint permixtæ Reliquiis non approbati Sancti, imo etiam hominis peruersi. Quia nullum in hac adoratione crimen reperiri videtur. Sic Bonacina & Trullench *loc. cit.* Imo & Sanchez *n. 12.* ibi *Nec cap.* Sacris, *probat omnes illas Reliquias ob connexionem venerandas esse. Sicut si constaret inter eos esse Reliquias hominis peruersi, non essent, ob connexionem omnes venerandæ, sed adoratio ferenda esset ad eas solas, quæ sunt Sancti.* Sic ille Castro Palao *disp. 1. punct. 6. num. 12.* Qui bene aduertit cum Sanchez, quod in casu proposito, debeant omnes illæ Reliquiæ in loco decenti separari, ibique custodiri; quia hac ratione cauetur, tum periculum temnendi veras Reliquias, tum periculum adorandi falsas. Legatur etiam Suarez *disp. 55. cit. sect. 2.*

Qvæstio XVI.

An licitum sit, Crucem, variis Reliquiis, nec à Pontifice, nec ab Episcopo approbatis, ornatam; collocare in Altari, & populo adorandam proponere?

NEgant aliqui Doctores; eo quod periculum instet, vt adorentur ab intuentibus tales Reliquiæ. Ita Bonacina *disp. 3. quæst. 1. punct. 4. numer. 5.* vers. *Dixi postquam summ. Pontifex.* & Nazarius *in 3. p. quæst. 25. art. 6. controuer. vnica. §. Quarto.* ibi: *Certum est autem intuentium mentes ferri posse in Reliquias, cum Cruce simul expositas, non considerando eas ibi positas esse ad Crucis ornamentum; sed eas absolute contemplando, ac proinde iudicare eas, vt Sanctorum Reliquias esse colendas, & actu voluntatis eas, vt tales adorare.* Ita Nazarius. Huic sententiæ non leuiter adhæret Trullench *dub. 8. cit. num. 8.* dum dicit, non esse omnino reprobandam oppositam sententiam, præcipue vbi talis Crux solet exponi, & toleratur.

Sed æque certe probabiliter Respondeo licitum esse. *Primò* quia sic vsus obtinuit. *Secundò.* Quia receptum est ad Ornatum Crucis Reliquias collocari, sicuti collocantur sæpe paruæ imagines. *Tertiò.* Quia cum Crux in Altari collocatur, non Reliquiæ, sed Crux ipsa adoranda proponitur: quod verò vnus, vel alius tunc Reliquias in Cruce inclusas adoret, idest per accidens, & ad priuatum cultum pertinet, non ad publicum ad quem solum requiritur, Papæ, vel Episcopi approbatio. Sic Sanchez *lib. 2. sum. cap. 43. num. 17.* Castro Palao *de Adorat. disput. 1. punct. 6. num. 11.* Diana *part. 5. tract. 5. Resol. 35.*

Qvæstio XVII.

An, Reliquiæ, quæ Româ allatæ sunt, cum Bulla Apostolica; aut aliunde cum sufficienti testimonio; sit necessariò, vt publicè collocentur, approbari ab Episcopo illius loci ad quem sunt allatæ?

REspondeo vt quid certum: Non esse necessariò approbari ab Episcopo Diœcesis, ad quam sunt allatæ

allatæ cum iam legitime approbatæ fuerint. Et ideo ſufficit, vt Epiſcopus loci ad quem Reliquiæ transferuntur, examinet antequam publicè exponantur; an ſint illæ, quæ teſtimonio ſummi Pontificis, vel Epiſcopi legitime fuerunt approbatæ. Sic omnes Sanchez *num.* 18. Bonacina *num.* 5. *verſ. An autem Epiſcopus* Palao *n.* 7. Trullench *n.* 7. *verſ. Quando vero Reliquiæ.*

QVÆSTIO XVIII.

An, Quando Corpus, vel Caput alicuius Sancti, dicitur eſſe in duabus Ciuitatibus, debeat, tam in vna, quàm in alia, abſolutè adorari; aut appoſita conditione, ſi illud eſt talis Sancti corpus, aut caput?

NEgandum videtur, poſſe, ſcilicet, abſolutè, & ſine vlla conditione, in vtroque loco adorari: Quia ſequeretur, quod in duplici loco idemnet corpus ex approbatione Pontificis, vel Epiſcopi, diceretur eſſe, ac requieſcere, quod eſt falſum; vtpotè impoſſibile: ergo nequit in vtroque loco abſolute venerari, ſed appoſita conditione; *ſi illud Corpus, vel caput ſit talis Sancti.*

Sed, vt certum Reſpondeo: Poſſe abſolute adorari; dummodo à Pontifice, vel Epiſcopo fuerit approbatum ibi exiſtere. Quia nullo morali periculo errandi ſe exponit, qui ſuppoſita dicta approbatione, abſolute adorat, cum ſatis prudenter operetur: ſecus eſſet, ſi nulla exiſteret approbatio.

Nec obſtat, duplici in loco idem corpus venerari ex approbatione Pontificis, vel Epiſcopi; quia non ſequitur in vtroque loco idem corpus integre requieſcere, ſed partem, quod ſufficit, vt poſſit dici ibi corpus talis Sancti requieſcere, vt bene notauit Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *quæſt.* 2. *fine*, his verbis: *Ineptiſſime item arguunt hæretici, obiiciuntque Catholicis, plura eſſe capita eiuſdem Sancti, qui colitur, eo quod diuerſis in locis ſint diuerſæ Martyrum particulæ, multæ Ciuitates, ac populi affirment, atque adeo glorientur apud ſe requieſcere hos, aut illos Martyres. Nam ex quo Reliquiæ cœperunt ex vno loco in alium transferri, introductum eſt, vt plurimæ Ciuitates affirmare non dubitent, ſe certi cuiuſdam Sancti caput habere, vel brachium, vel corpus etiam venerabile; quia ſcilicet, habet certam aliquam particulam capitis, manus, vel brachij, vel corporis eius Sancti.* Sic Azor. ſic etiam optime certè Suarez *in* 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 1. *diſp.* 55. *ſect.* 2. totam his verbis difficultatem explanans: *Quod ſi interdum videtur intercedere aliquis error, non tam eſt in ſubſtantia rei adoratæ, quam in aliqua conditione, vt v. g. Corpus eiuſdem Sancti interdum in diuerſis locis eſſe exiſtimatur, & in eis ſolemniter honoratur: id tamen accidere potuit, vel quia in vtroque loco eſt aliqua pars illius corporis, & à parte totum nominatum eſt.* Ait enim Theodoret. *lib.* 8. *ad Græcos, nullibi ferè reperiri integrum alicuius Sancti corpus, propter fidelium deuotionem. Vel certè cauſam interdum eſſe potuit; quia Sancti fuerunt eiuſdem nominis, & ſucceſſu temporis vtriuſque Reliquiæ eiuſdem perſonæ exiſtimatæ ſunt, & propter nominis ambiguitatem, illi attributæ, qui maioris habetur gloriæ, & Sanctitatis. Quod in Capite B. Ioannis Baptiſtæ ſuſpicor accidiſſe: In diuerſis enim Eccleſiis eſſe dicitur: qui tamen error non tam eſt in ſubſtantia, quàm in conditione rei adoratæ; ſatis eſt enim, vt ſine errore certum ſit, illas eſſe alicuius Sancti Reliquias.* Sic ſapientiſſimus Doctor. Sic item Bonac. *loc. cit. num.* 6. Palao *num.* 8. Nazarius verſ. *ſed quæri poteſt. pag.* 245. Trullench *num.* 9. qui & citat Thomam Sanchez *lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 10. & 19. Sed male; quia nullibi, de hac quæſtione agit.

QVÆSTIO XIX.

An, liceat cuilibet, deferre ad collum Sacras Reliquias appenſas?

NEgant Angelus, *verb. Reliquiæ, num.* 4. & Ciruedo *de ſuperſtit. p.* 3. *cap.* 4. eo quod in *cap. corpora. de Conſecr. diſt.* 1. præcipitur, Reliquias de loco ad locum non transferri, abſque Epiſcopi licentia. Et in Concil. Bracharens. III. *cap.* 5. reprehenduntur Epiſcopi, qui in proceſſionibus Martyrum, Reliquias illorum collo ſuſpenſas geſtabant.

Sed vt quid certum, Reſpondeo licere cuilibet, ſi pie, religiosè, ac decenter eas deferat. Quia huiuſmodi Sanctarum Reliquiarum delatio, nullam continet indecentiam; imo potius cedit in Sanctorum cultum, & à piis, ac religioſis perſonis fit, nec vllibi eſt prohibita. Nam *in d. cap. Corpora, allegato*, ſolùm prohibetur, ne corpora Sanctorum de loco, in quo ſepulta ſunt in alium transferantur, ſine Epiſcopi licentia. Et Concil. Bracharenſ. non reprehendit Epiſcopos, eo quod Reliquias Martyrum collo appenſas geſtabant; ſed quia ob inanem gloriam, & vanam hominum oſtentationem id faciebant, faciendo ſe ob hanc cauſam in ſellulis ſuper humeros Leuitarũ portare. Sic communis. S. Thom. 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. *ad* 3. Nauarr. *cap.* 11. *numer.* 35. Suarez *in* 3. *p. diſp.* 55. *cit. ſect.* 2. *in fine: & de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 15. *num.* 16. Vazquez *de Adorat. lib.* 3. *diſp.* 3. *cap.* 8. *num.* 115. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *qu.* 6. Sayro *in Claui Reg. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 8. Valentia *to.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 11. *punct.* 6. Sanchez *lib.* 2. *ſummæ cap.* 40. *num.* 27. *& cap.* 43. *num.* 20. Bonac. *diſp.* 3. *quæſtion.* 1. *punct.* 4. *num.* 7. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 6. *n.* 9. Trullench *lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 8. *num.* 10. Nazarius *loc. cit.* & alij penes ipſum.

QVÆSTIO XX.

An ſaltem peccaret grauiter, qui ſecum minus decenter, ac religiosè, Sacras Reliquias portaret?

REſpondeo Quod ſic. Quia in re graui, grauiter deficeret. Sic Azor. *lib.* 9. *cit. cap.* 8. *quæſtion.* 12. *in fine, & cap.* 9. *quæſt.* 5. *in fine*, ibi; *Ex quo non mihi quidem grauis videtur criminis condemnandus ille Clericus, qui eas Reliquiarum Sacras minutias, quas tenet apud ſe, piè, & religioſe tangit, aut decenter, aut honeſtè in thecas includit, in quibus ſeruat. Si tamen per contemptum eas contrectet, aut ita parum honeſtè, & religiosè includat, & deferat, vt aliqua fœditate, turpive tactu pollui, & inquinari facile queant, peccare grauiter videtur.* Sic Azor, & ex illo Palao *num.* 9. *fine.*

QVÆSTIO XXI.

An, qui fornicatur, vel furatur, aut aliud peccatum graue committit, dum Reliquias appensas ad collum habet; speciale peccatum committat, necessariò in confessione dicendum?

AFfirmauit Philiarcus, vt vidimus *1.p. disp.* 8. §. 4. *qu.* 15. & probabile existimauit Fagundez, vt *ibidem* notauimus.

Sed longe multò probabilius iterum Respondeo. Negatiue. Quia comitanter tantùm se habent ad actum venereum; sicut etiam ad quoduis aliud peccatum. Sic Sanchez Fagund. Filliue. Diana, Lugo, Trullench, Bonac. & Gesualdus, quos omnes loco *sup.* allegato, citauimus. vbi *q.* 16. addidimus, secus esset dicendum, casu, quo quis dictas Reliquias daret Amasiæ tanquam pretium actus venerei; quia tunc, & peccatum Sacrilegij, & simul simoniæ, committeret. Legantur *ibi* dicta.

QVÆSTIO XXII.

An, Reliquiæ Sanctorum antiquæ, possint extrahi ex capsulis, vbi reconditæ sunt; vt populo ostendantur?

REspondeo vt certum. Non posse absque, (& fortè graui) peccato. Quia sic grauibus verbis præcipitur ab Inno. III. *in c. Cũ ex eo. de Reliq. & venerat Sanctor.* Et redditur ibi ratio; ne populus adorationem detrahat, putans non esse Reliquias illius Sancti; quia cum ossa vetustate consumpta sint, carneque spoliata; si extra capsulam ostenderentur, ansam detrahendi rudiores sumerent, existimandique Sanctorum ossa non esse; etsi illorum essent fore, vt non ita consumerentur. Sic Sanchez *lib.* 2. *sum. c.* 43. *num.* 21. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 8. *q.* 7. Palaus *pun.* 6. *cit. n.* 13. Acacius *verb. Reliquias Resol* 380.

QVÆSTIO XXIII.

An saltem, possint, interueniente aliqua rationabili causa, extrahi dictæ Reliquiæ à locis, vbi reconditæ sunt?

REspondeo, tunc posse licite, & absque peccato; dummodo periculum detractionis vitetur, quod intendit Textus *in c. Cum ex eo. citatus.* Causa autem rationabilis erit, si extrahantur ad ægrotum magnæ authoritatis virum, exportandas: aut ostendendas, &c. Sic Palaus ex Azorio *loc. cit.* Legatur hic Doctissimus Doctor *qu.* 7. *cit.* vbi religiosè præmonet, Reliquias Sanctorum in locis (quam fieri potest) honestissimis, & prænitidis, ac decoris vasculis, capsulis, aut arcis, recondi, & asseruari debere; & cum populo ostenduntur lumina accendi oportere; nec temere omnium oculis exponere &c. Sic ille.

QVÆSTIO XXIV.

An, committat peccatum Sacrilegij, & furti, qui, inuito Domino, aut possessore, surripit, vel extrahit aliquid de Reliquiis illius?

REspondeo vt quid certum; Quod sic. Quia rem Sacram, inuito Domino, accipit. Nec obstat, quod Reliquiæ non sint pretio æstimabiles; *Quia* (vt bene Palaus) *furari rem Sacram, contra Domini voluntatem, quæ tantæ æstimationis est, vt nullo pretio adæquari possit, non minuit furtum, sed auget.* Sic ille, *disp.* 1. *de Adorat. pun.* 6. *n.* 19. Sanchez *lib.* 2. *sum. c.* 43. *n.* 23. (non 13. vt leges apud Trullench) & penes ipsum, Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 8. *qu.* 9. D. Anton. Siluest. Angel. Armilla, Tabiena, & Philiarcus. Sic etiam Bonac. *disp.* 3. *q.* 1. *pun.* 4. *n.* 9. (non 8. vt leges apud Palaum) Trullench *lib.* 1. *c.* 9. *dub.* 8. *n.* 12.

QVÆSTIO XXV.

An saltem, immunis sit à peccato Sacrilegi furti, qui Sacras Reliquias ab infidelibus, illas possidentibus, surripit?

REspondeo vt certum: Quod sit immunis. Quia surripit, & accipit ab illo, qui iniustè eas possidet, & apud quem semper adest periculum irreuerentiæ. Sic Sanchez *n.* 23. *cit.* Bonac. & Philiarcus, & Palaus *n.* 20. Trullench *n.* 12. Diana *par.* 10. *tract.* 14. *Resol.* 18. & apud ipsum, Baucius *in Miscellan. tom.* 2. *opuscul.* 4. *q.* 30.

QVÆSTIO XXVI.

An item, liber maneat à peccato furti, qui facultate Episcopi, vel, eius, cui Ecclesia commissa est, Reliquias aufert?

AFfirmat etiam Azor. *quæst.* 9. *cit.* ibi: *Non mihi videtur Sacrilegij crimen admittere: quod videtur colligi ex cap. Quisquis, §. si quis Domum.* 17. *qu.* 4. *Quod autem statuitur in cap. Corpora, de Consecr. dist.* 1. *locum habet in eo, qui furtim Reliquias effert, & aliò deportat: non autem in eo, qui facultate, siue auctoritate, vel consensu eius Ecclesiastici Præfecti, cui Reliquiarum locus sacer, vna cum ipsis Reliquiis commissus est, id facit.* Ita Azor. & ita etiam Signius *de Reliquiis Sanctor. cap.* 36.

Negant verò, nominatim contra Azorium, Sanchez *n.* 23. *cit. Quia* (inquit) *is, cuius curæ custodia Reliquiarum commissa est, nullam Reliquiarum administrationem habet, sed meram custodiam, ac proinde eius licentia, non excusabit à furto. Sicut nec licentia custodis vineæ excusabit à furto. Nec is textus* (nempe, *quem affert Azor.*) *oppositum probat, sed solum non incurri pœnam in eo textu statutam. Quia illa solos vim loco Sacro inferentes comprehendit, non est autem vis, cum Custodis illius licentia habetur.* Sic Sanchez quem citat, & sequitur Diana *par.* 5. *tra.* 5. *Resol.* 35.

Sed ego clarius, aut distinctius, Respondeo, & Dico: non manere liberum à peccato furti, qui surripit Reliquias cum licentia illius, cui locus sacer, & Reliquiarum custodia, absque vlla illarum dispositione, commissa sunt: secùs vero si ab illo, qui non solùm Reliquiarum custodia, sed illarum dispositio cõmissa est. *Primam* partem apertè probat ratio Patris Tho. Sanchez. *Secundam* vero ratio Azor. quæ vim habet, vt à nobis est explicata. Et certe id, & non aliud voluit Azor, vt se declarauit *qu.* 10. *sequenti*, quatenus docet, *Excommunicationem incurrere illum, qui effert Sacras Reliquias, vt aliò deportet, Romæ ex Cœmeteriis, & aliis locis Sacris, vbi Martyrum ossa, membra, vel corpora requiescunt, occulte absq; facultate generali, vel speciali, expressa, vel tacita Romani Pontificis, vel Vicarij, vel eius, cui est sacer locus commissus, & data facultas, qua possit aliis sacras Reliquias dare.* Hæc Azor. Cuius sententiam sic explicat, ac tuetur Palaus *num.* 20. *cit.*

QVÆSTIO XXVII.

An peccaret mortaliter, qui, valde paruam particulam ligni Crucis, aut vnam ex ſpinis Chriſti Coronæ, furaretur?

NEgandum videtur. Quia etiam in furto Reliquiarum datur paruitas materiæ, vt communiter docent Doctores, præſertim infra citandi: ergo furtum paruæ particulæ ligni Crucis, aut vnius Coronæ ſpinæ, paruum erit: ergo non peccaret niſi venialiter, qui dicta furaretur.

Sed vt mihi certum Reſpondeo, quod peccaret mortaliter. Quia certum mihi eſt, quod tale furtum non eſt rei paruæ, ſed magnæ valde: quoniam paruitas materiæ ad excuſandum Reliquiarum furtum à mortali, non eſt ſpectanda penes ſolam rei ablatæ quantitatem, ſed earum dignitas, ac æſtimatio, & raritas; cum hæc omnia aggrauent, vt bene docent Sanchez *lib. 2. c. 43. n. 23. fine.* Bonac. *diſp. 3. q. 1. pun. 4. n. 9 verſu, Addo primo.* Palaus *loc. cit. n. 19.* Trullench *n. 12.* & alij: atqui etiam particula valde parua ſigni Sanctiſſimæ Crucis, aut ſpinæ Coronæ, eſt valde magna, in qualitate, nempe in dignitate, ac æſtimatione: ergo eius furtum, non paruæ rei, ſed magnæ erit, & conſequenter mortale furtum Sacrilegum.

Addo, quod, quoties quis ſcit, proximum eſſe valde contriſtandum ex ablatione rei leuis, peccat mortaliter, ſi ab eo rem leuem accipit, vt docent communiter DD. præcipue Bannez, Molina, Nauarr. & alij apud Pradum *tom. 2. c. 22. q. 2. §. 1. n. 8.* atqui non eſt dubium, quin contriſtaturus ſit valde ille proximus, à quo quis prædicta acciperet: ergo etiam ex hoc capite, peccaret mortaliter. Et ita in terminis tenet Diana *part. 5. tract. 5. Reſol. 35.* Et loquendo de furto cuiuſcumque rei Sacræ, Rebellus *lib. 3. qu. 15. ſect. 1.* Mallet *tom. 2. in decal. Malleatione 40. Bractea 12. pag. 252.* Acacius *verb. Hurto, Reſol. 73.*

QVÆSTIO XXVIII.

An licitum ſit Principi, in bello iuſto, capere Reliquias, & abſtrahere illas ab Eccleſiis vrbium, quas expugnant; ſine onere reſtitutionis?

AFfirmant P. Ioannes Ferrando, *in diſquiſit. Reliquiar. lib. 1. c. 8. art. 3.* eo quod inter Chriſtianos, omnia bona in bello iuſto capta ad capientes iure pertinent.

Sed omnino Reſpondeo, Non eſſe licitum Principi dictas Reliquias capere ſine onere reſtitutionis. *Primò*, quia ſunt bona Eccleſiæ, quæ, ob delictum vrbis, aut Ciuitatis, occupari non poſſunt: Tum quia ſunt ſpecialiter dedicata, & à iuriſdictione ſæculari exempta, ac proinde non debent, ob delictum aliorum grauari. Tum quia Eccleſiaſtici partem diſtinctam conſtituunt à Republica ciuili: ergo propter eius culpam puniri non debent. Sic Diana *part. 10. tract. 16. Reſol. 74.* vbi id latè contra Ferrandum probat, imponens finem per hæc verba: *Itaque ſententia P. Ferrandi, non eſt admittenda, & praxis omnium Principum eſt in contrarium: quia vt apparet, nullus ex ipſis audet apponere manus in Sacras Relaquias, etiamſi caperent iuſto bello aliquam Ciuitatem: nec aliter fieri poſſe exiſtimo.*

QVÆSTIO XXIX.

An, Sanctorum Reliquias liceat vendere?

REſpondeo vt quid certum: Non licere. Tum quia id eſt prohibitum plane *in c. fin. de Reliquiis & vener. Sanctor.* ibi: *Nec exponantur venales*; & in Trident. *ſeſſ. 25. in princ. in decreto de Inuocatione, venerat. & Reliquiis Sanctor.* vbi ſic dicitur: *In Reliquiarum veneratione omnis turpis quæſtus eliminetur.* Et Ratio eſt: quia ſi Sanctorum Reliquiæ venderentur, apertiſſimè committeretur ſimonia, quia pretio æſtimaretur res Sacra & ſpiritualis, vt ſunt, ſuo modo, Reliquiæ; vt potè partes hominis Sancti, qui fuit templũ viuum Spiritus Sancti: ergo. Sic omnes DD. Iuriſperiti *in c. Quisquis qu.* 4. Legantur Suarez *diſp. 55. cit. ſect. 2. verſ. Et hinc conſequenter.* Sanchez *lib. 2. c. 42. n. 22.* Rocafull. *lib. 2. in prim. Decal. præcep. cap. 9. dub. 6. n. 65.* & Diana *par. 10. tra. 16. Reſol. 73.*

QVÆSTIO XXX.

An ſaltem, liceat Chriſtianis, Reliquias ab infidelibus emere?

REſpondeo vt certum: licere. Quia licet abſolutè loquendo Reliquias emere (vel vendere) ſit aperta ſimonia, vt nuper eſt habitum, eo quod res ſpiritualis pretio æſtimatur, & emitur: tamen quãdo ab Infidelibus emuntur, emptio illa formaliter, non eſt emptio rei ſpiritualis, ſed, pretio dato, redemptio vexationis, quam exercent Infideles iniuſtè retinendo Reliquias illas. Sic Philiarc. *de offic. ſacerd. to. 1. p. 2. lib. 3. c. 9.* & Vgolinus *de ſimonia tab. 1. c. 38. n. 5.* quos citat, & ſequitur Sanchez *n. 22. cit.* Quibus adde Siluestrum *V. Simonia q. 2.* & Torr. *2. 2. to. 2. q. 94. art. 3.* quos ſequitur Diana *par. 10. tra. 14. Reſol. 18. fin.* Rocafull. *n. 65. cit.* Palaus *pun. 6. cit. n. 17.* ibi: *At ſi non pro ipſis Reliquiis, ſed vt impedias irreuerentiam, quæ ipſis fieri poteſt, ſi apud infideles, vel barbaros exiſtant, pretium tribuas, nullum committis peccatum, ſed potius religionem foues.* Sic Palaus.

QVÆSTIO XXXI.

An etiam ſit licitum cuipiam, dare pecuniam, nolenti Reliquias ſibi oſtendere, vt oſtendat?

REſpondeo, Non eſſe licitum, ſi præciſe, & formaliter, ob videndas Reliquias aliquid pecuniæ daret: quia tunc Simoniam committeret, cum rem ſpiritualem pretio æſtimaret. Secus vero ſi nolenti Reliquias oſtendere pecuniam daret, abſque vllo pacto, & ſecluſo ſcandalo, & ſolùm ad eius animum inflectendum: quia tunc pecunia non eſt pretium, ſi quidem ex illa non intendit donans recipientem obligare. Sic Palaus *n. 17. cit.*

QVÆSTIO XXXII.

An ſaltem ſit licitum, nullo pacto inito, exponere Sacras Reliquias videndas, & tangendas; principaliter ad maiorem Gloriam Dei, & Sanctorum Venerationem; & minus principaliter, ob maiores recipiendas Eleemoſynas?

NEgant (apud Sanchez) Abbas *in c. fin. ſtatim in princ. notab. 1.* Angel. *verb. Reliquiæ, initio*, & *ibi* Siluest. *quæſtion. 1.* Vgolinus *de ſimonia, tab. 1. cap. 38.* Graffis *2. p. deciſ. lib. 2. c. 14. n. 7.* & Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 8.*

c.8.q.7.eo quod absolutè, & sine limitatione dicant, esse illicitum id facere;quia vere dicuntur Reliquiæ vendi,quando per quæstum ostenduntur.

Sed longe multò probabilius Respondeo, Esse licitum. Quia longe multò probabilius est;tunc minime dici Reliquias vendi. Sic communiter Doctores præcipue Armilla *verb. Reliquiæ,nu.*1. & *ibi* Tabiena Nauarr.*c.*17.*n.*169. Ioan. Andreas,Anton.Cardinal. Ancharranus,& Philiarcus,quos omnes,citat,& sequitur Sanchez *lib.*2.*c.*43.*n.*22. & alij mox citandi.

Qvæstio XXXIII.

An,adhuc sit licitum,nullo pacto posito,exponere Reliquias Sacras videndas ; principaliter,ob maiores recipiendas Eleemosynas ; & minus principaliter, ad maiorem gloriam Dei &c?

NEgant,& à fortiori,omnes Doctores, nuper pro prima sententia adducti ; necnon & pro secunda , præter Sanchez , Quibus addo Patrem Ferrandum *in Disquisit.Relig.c.*10.*art.*2. vbi ita ait : *Vnum tamen placet hic te monere , videlicet, Reliquias etiam aliquomodo dici vendi , vt ex Abbate iam pridem obseruarunt laudati Scriptores,quando exponuntur publicè adorandæ,propter bonum quæstum , &,vt inde copiosiores Eleemosynæ colligantur,potius quam , vt ad pietatem populus magis magisque accendatur : nam quando expectatur lucrum , tanquam finis principalis , & pretium rei spiritualis , non velut stipendium laboris pro Reliquiarum exhibitione susceptum : vel tanqaam Eleemosynæ gratis à fidelibus oblatæ;tunc in simoniæ crimen incurritur.Secus autem si aliorsum,v g.ad gloriam Dei, Sanctorum venerationem , Christianæ plebis solatium; deinde ad aliquam corporis sustentationem , ea SS.Reliquiarum exhibitio referatur.* Hæc Ferrandus , apud Dianam,*vbi infra.*

Fundamenta huius sententiæ sunt textus in Cap. *fin.de Reliq. & vener.Sanctor.*vbi mandatur , ne Reliquiæ exponantur venales.& Tridentin. *sess.*25.*c.*2. vbi dicitur , quod in Reliquiarum veneratione omnis turpis quæstus eliminetur,vt habes *supra q.*29.

Sed ego clarius sic *Primò* Respondeo.Certum est, quod licite possit quis recipere aliquod stipendium, vel Eleemosynam , ob laborem in Reliquiarum exhibitione susceptum, vel gratis à fidelibus oblatum, ad sui corporis sustentationem. Quia in hoc nullum crimen simoniæ inuenitur , vt bene Ferrandus , & omnes DD. vt constat ex à nobis dictis 2.*p.tract.de stipendio Missæ.*

Respondeo *Secundo :* probabilius est , quod exponere Reliquias Sacras videndas , vel tangendas, principaliter ob maiores Eleemosynas recipiendas, minimè sit peccatum mortale simoniæ,si non interueniat pactum. Ratio est,Quia ostensione Reliquiarum(ait Palaus)solum intendis excitare videntes ad Eleemosynas largiores concedendas , non tamen illos ad eas obligare : ergo Reliquias non venaliter (*sic lege;non venialiter*) ostendis : quia ad venalem ostensionem,intercedere debet mutua ostendentis,& videntiũ obligatio. At in supra dictis textibus,solùm venalis quæst.prohibetur:ergo illa ostensio,quæ venalis non est,non est prohibita.Dices in Triden.non solum venalemquæstum,sed quemlibet turpem prohiberi:at velle ostensione Reliquiarum largiores Eleemosynas recipere , est turpis quæstus : ergo hic prohibetur. Respondeo, in re non esse turpem quæstum;cum nulla elargienti Eleemosynam obligatio imponatur ; sed fieri turpem ex intentione. Concilium autem prohibet quæstum in se turpem , qualis erat venalis , non illum, qui solum ex accidenti , & extrinsice sit turpis : quod inde constat, quia Concilium non intendit nouam prohibitionem inducere, sed antiquam renouare : Inquit enim, *Omnis turpis quæstus eliminetur*,ideſt,omnis, qui in se turpis sit,& prohibitus,eliminetur. Antiquitus autem solum venalis quæstus prohibitus erat ex dicto *c.finali :* ergo à Tridentin. hic est solum prohibitus.Hæc Palao *de Adorat.disp.*1.*pun.*6.*n.*18. Sanchez *c.*43.*cit.num.*22. Baldellus *in Theolog. Morali to.*2. *lib.*3.*disp.*17.*n.*22. quos citat , & sequitur Diana (omnino ex Palao) *parte* 10.*tra.*16.*Resol.*73.

Respondeo , *Tertiò.* Exponere Sacras Reliquias principaliter ob Eleemosynas largiores recipiendas, est peccatum veniale. Quia reuera inuenitur aliqua praua deordinatio ad finem , quæ quando finis non est mortalis,solam culpam venialem constituit. Sic ex Caietani doctrina , Sanchez *nu.*22. *cit.in fine.* & Palaus *loc.cit.*ibi : *Adde solum esse prohibitum turpem quæstum,qui grauiter turpis sit;at acquirere Eleemosynas gratis oblatas,media Reliquiarum ostensione,non est quæstus turpis, saltem grauiter:quia non videtur grauiter offendi Religio , ex eo quod ostensione Reliquiarum temporale lucrum consequi intendas. Sat est , si leuiter offendatur. Imo si talis temporalis acquisitio non esset per ostensionem Reliquiarum principaliter intenta , sed secundario,nulla ibi adesset turpitudo.* Sic Palaus. Cuius hæc vltima verba confirmauit nostra habita *qu. antecedenti* Sic etiam Diana,& Badell.*sup.*citati.

Qvæstio XXXIV.

An , extrahentes Reliquias ex Romanis cœmeteriis,aliisve locis Sacris ; sint ipso iure excommunicati?

AFfirmatiuam sententiam tenere Azor.*to.*1.*instit. moral.li.*9.*c.*8.*q.*10. ait Palaus *disp.*2.*de Adorat. pun.*6.*n.*21.necnon Trullench,*vbi infra,* sed non ita bene ; Nam Azor.solùm ait, vt bene vidit Sanchez, quod extrahentes dictas Reliquias ex Romanis cœmeteriis incurrant excommunicationem minorem, & nisi prius satisfecerint , esse excommunicatione maiori multandos.Quod id probat *ex c.Quisquis,*§.*si quis Domum.*17.*q.*4. Affirmare tamen videtur Trullench *lib.*1.*in Decal.c.*9.*dub.*8.*nu.*12. dicit enim sic : *Adde secundò , latam esse excommunicationem in iure communi,contra afferentes Reliquias ex cœmeteriis Romæ,aliisve locis Sacris,vt aliò transferant,absq; licentia sum.Pontificis,& tenet* Azor.*q.*10.*cit.*Hæc ille.Clarius autẽ id firmat Nazar.*in* 3.*p.D.Thom.q.*25.*art.*6.*cont. vnica.*§.*Notan.ver. Tertia.* ibi : *Excipienda tamen est, vrbs Roma : ex cuius Cœmeteriis , aliisve locis Sacris prohibitum est,sub pœna excommunicationis latæ sententiæ,Reliquias absq; licentia sum.Pontificis auferre.* Sic Naza. Iosephus Rocafull. etiam affirmat *Prædictos Reliquias extrahentes affici quidem excommunicationis pœna;hanc tamen solum esse comminatoriam excommunicationem,solumq; incurri ob furtum cum violentia, nimirum fores,aut parietes Ecclesiæ effringendo.* Ita ille. Idem sentit Bonac. loquendo de vrbe Roma , tantum,*disp.*3.*q.*1.*pun.*4.*n.*9.*vers.Addo secundò.*

Sed probabilius longe Respondeo. Minime esse iure communi latam excommunicationem,nec maiorem,nec minorem,contra extrahentes , aut furantes Reliquias ex locis Sacris,etiam Romanis cœmeteriis. Probatur:nam si alicubi inueniretur lata,maxime *in d.c.Quisquis,cit.* at ibi non inuenitur : nam in eo textu , sola priuatio Communionis habetur, quæ priuatio,ad summum posset esse excommunicatio minor,quæ iam non incurritur,ipso iure,nisi per

participationem cum Excommunicato: ergo. Sic optimè Suarez *tom.5.in 3.p.disp.22.sect.2.n.9.* & ex illo Sanchez *lib.2.sum.c.43.n.14.* Palaus *n.21.cit.*

QVÆSTIO XXXV.

An saltem, si non iure communi, sit tamen Pontificia aliqua excommunicatio, contra extrahentes Reliquias, ex cœmeteriis, cryptis, vel catacumbis Romanis?

AFfirmant Palaus, & Trullench. *locis nuper citatis*, docentes, dari excommunicationem latam à Gregorio XIII. constitutione incipiente, *Pontificiæ sollicitudinis*, Audi Palaum. *Dixi*, Iure cõmuni, *Nam ex constitutione Gregorij XIII. incipiente*, Pontificiæ solicitudinis, *excommunicatione reseruata afficiuntur, qui sine cõcessione summi Pontificis, in Prouinciam Mediolanensem sacras Reliquias asportauerint, qui item ab vna Ecclesia ad aliam transtulerint, qui aliquam earum particulam concesserint, donauerint, qui item acceperint.* Barbosa *3.p.alleg.50.n.158.* Bonacina *disp.3.de Adorat.q.1. pun.4. n.9. sentit esse Pontificiam excommunicationem, contra eos, qui sine licentia summi Pontificis extrahunt Reliquias ex Romanis cœmeteriis, aliisque sacris locis, vt alio transferant, non tamen adducit textum, vbi hæc excõmunicatio lata sit.* Hucvsque Palaus. Quod loquendo de excommunicatione à Gregorio XIII. lata, idem sentit Trullench. Sed ego *in Bullario nouo*, minimè inuenire talem Gregorianam Constitutionem potui: forsitan extabit alibi. Bonacina autem, licet, *loco citato* à Palao, non adducat textum, vbi excommunicatio lata cõtra præfatos sit; adducit tamen eam *3.p.disp.2.q.3.pun.13.n.5.§. Incid. pag. mihi 295.*

Hoc igitur loco, hæc Bonacina scribit: Excommunicationi præcedenti, affinis est alia, contra extrahẽtes Reliquias ex cœmeteriis, cryptis, vel cacacumbis, edita ab Illustr. Cardinali Mellino de mandato Summi Pontificis Pauli V. *die 24. Augusti 1613.* ibi, *Che persona alcuna, di qualsi voglia stato, ò conditione, dell' vno e dell' altro sesso, tanto Ecclesiastica come regolare, ò secolare, nõ ardisca, ne presuma, ne possa estraere in alcuna delle Grutte, Catacombe, ò Cimiterio, dentro o fuori di Roma, ne da quelle estrahere Reliquie, anche in minima particella, ne in cio dare aiutto, e fauore in qualsi voglia modo, sotto pena della galera, & altre pecuniarie à nostro arbitrio, da incorrersi ipso facto, & da applicarsi come nel sequente capitolo, & anco di scomunica latæ sententiæ, della quale y transgressori non possono essere assoluti se nõ da sua Sãtita, eccetto che in articulo di morte, all' esecutioni delle quali pene si procedera irremisibilmẽte. E tutte le pene sopra dette, tãto corporali, come pecuniarie, e di scomunica latæ sentẽtiæ incorrono ipso facto, tutti quelli, ad instanza de quali si cauara, ò si tentara di far cauare Reliquie de detti Cemeterij, ò sarano complici; & tutti quelli che riceuerano Reliquie sapendo esser cauate da detti luoghi di qualsi voglia grado ò conditione, ancor che fossero tali, de quali si douesse far special mentione, delle quale pene, & censure non possino essere assoluti, se non da sua Santità, come di sopra: dichiarando che li Regolari che contraueranno al presente editto, oltre alle pene sopradette, incorrono anco ipso facto la priuatione di voce activa & passiua, & inhabilita alle dignita, & gouerni delle loro religioni, da quali nõ possono essere assoluti, & habilitati, si nõ dalla Santita di Nostro Signore.* Hæc Bonac. Qui addit, hoc edictũ, & censura vigere etiam post mortẽ Pauli V. & Cardinalis Mellini, eo quod non sit lata per modum sententiæ, sed per modum legis, statuti, & constitutionis; & ligare non solum commorantes Romæ, verùm etiam Romam venientes, & breui recessuros. Sic & ego credo.

QVÆSTIO XXXVI.

An semel cõcessa alicui facultas extrahendi aliquas Reliquias ex Romanis cœmeteriis, vel cryptis &c. possit hic, aliis eas donare, & hi acceptas, quò placuerint, transferre?

REspondeo vt certum: Posse. Quia per hoc factũ nullam legem, aut edictũ frangit. Sic Azor *lib.9. cit.c.8.q.10. in fine*, ibi: *Possunt tamen certorũ Ordinum Religiosorũ Patres, aut Fratres, Reliquias extra vrbem mittere, ad eas in Altaribus, quæ consecrantur collocandas. Imò solent Pontifices concedere religiosis Ordinibus vt quas Religiosi eorum Ordinũ ab amicis, & studiosis Ordinum hominibus impetrauerint, acceperint, habuerint, liberè queant extra vrbem deferre vel mittere.* Sic Azor. Et ex illo Palaus, & Trullench *loc.citatis.*

QVÆSTIO XXXVII.

An licitum sit, accendere cereos ad Sanctorum Reliquias, sepulchra, & eorum imagines?

NEgant hæretici, eo quod putent huiusmodi ritũ superstitiosũ esse, & ideò de medio esse tollẽdũ. Sed vt certũ Respondeo, Esse omninò licitũ: quia omninò est pius, ac religiosus cultus. Per illũ námque significamus, Sanctos lumine fidei illustratos decessisse, & modo in superna patria gloriæ lumine splẽdere; & lætitiã, quã nos ex ipsorũ gloria percipimus: ergo. Sic vsus antiquissimus Ecclesiæ Cath. Legãtur Azor *to.1.lib.9.c.8.q.3.* Bonac. *disp.3.de Adorat.q.1.pun.4. n.10.* Trull. *lib.1.in Decal.c.9.dub.vltimo n.13.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An, certis formis, quas Agnos Dei, à figura Agni ipsis impressa, appellamus; aliquis honos, aut veneratio debeatur?

REspondeo vt certũ: Deberi eumdẽ cultũ, & honorẽ, qui debetur aliis rebus sacris Deum repræsentãtibus. Tum, quia sunt Dei imagines. Tum, quia ad cultũ, & venerationẽ Dei sunt à Põtifice destinati, solemnissimo precationũ ritu, mirisque ceremoniis pietatẽ redolentibus: tum quia propter orationes, & precationes Ecclesiæ in eorum efformatione factas, multa & larga beneficia cõceduntur eos habẽtibus; præcipuè tẽpestates sedãtur, mitigãtur incẽdia, fulgura, & flumina pellũtur, & à tẽtationib⁹ & suggestionibus dœmonis defendimur. Sic omninò Pal. *disp.1. de Ador.pun.6.n.22.* Azor *to.1.lib.9.c.9.q.1.* Vazquez *3.p.disp.110.c.1.* Bonac. *disp.3.q.1.pun.4. n.11.* Trullench *lib.1.in Decal.c.9.dub.8.n.14.*

QVÆSTIO XXXIX.

An, sub excommunicationis pœna sit prohibitum, Agnos Dei pingere, illuminare, seu miniare?

REspondeo Esse prohibitũ, sub pœna excõmunicationis latæ sentẽtiæ à Gregorio XIII. per cõstitutionẽ latam ab ipso 8. *Cal. Iunij 1572.* quæ incipit: *Omni certe studio.* Vbi ita dicit Pontifex: *Statuimus, & ordinamus, ac sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, prohibemus, & interdicimus, ne quisquam siue vir, siue mulier, secularis, aut ecclesiastici, etiã regularis Ordinis ille sit, & quocumq; gradu, conditione statu, nomine, dignitate, & honore præcellat, post hac in perpetuũ Agnos Dei per Romanũ Pontificem pro tempore existentem, benedictos, depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem illis imponere, aut quidquam aliud superinducere, neque depingi, aut miniari*

miniari facere, nec illos venales proponere, seu tenere, quouis prætextu, qualibetve de causa audeat. Verum eos albos, & mundos, Agnum illum purum, & innocentem repræsentantes, qui occisus preciosissimo sanguine suo nos redemit, decenter ac reuerentor à cunctis haberi, deferri, & custodiri præcipimus; & ita ab omnibus fieri, & censeri debere decernimus. Hæc Gregorius. De cuius excommunicationis materia agunt Azor. *loc. cit. q.* 2. Palaus, & Trullench *loc. cit.* Bonac. *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 1. *pun.* 4. *n.* 12. & latius *to.* 3. *de Censuris disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 29. Sanchez *lib.* 2. *summæ c.* 43. *à n.* 27. Filliuc. & Diana cum aliis mox citandi.

Qvæstio XL.

An, vt quis hanc excommunicationem incurrat, debeat inficere, aut minio notare, seu illuminare ipsammet ceram benedictã immediate?

Respondeo vt certum: Debere. *Quia* (vt bene Bonac.) *alioquin, iuxta communem loquendi modum, non dicerentur ipsi Agni pingi, infici, aut aurum, vel color superinduci. Quamobrem, si quis theca, Chrystallo, aut Charta, vel re alia simili Agnos includeret, & Chrystallum, thecam, vel chartam inficeret, huius Constitutionis excommunicationem non incurreret.* Sic (& bene) ille *tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 29. *n.* 3. & antea Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 14. *c.* 6. *q.* 8. *n.* 93.

Qvæstio XLI.

An, Agni Dei albi, & nullo minio confecti, possint licite vendi ratione materiæ, & laboris, & impensarum in eis asportandis?

Negatiuam sententiam absolute, & sine distinctione vlla, tenuisse Azorium fatetur Diana *p.* 3. *tract.* 6. *Resol.* 12. his verbis: Negatiue respondet Pater Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *post quæsitum* 5. (lege tu 4.) *vers. Quæres.* Etiamsi vendantur tantum ratione materiæ ex quadam Constitutione Gregorij XIII. Ita Diana. Sed non bene, vt infra. Pro eadem negatiua sententia referũt eumdẽ Azorium, Sanch. Bon. & alij, casu, quo non vendantur ad vsus Sacros. & hi bene.

Vnde ego absolute Respondeo, tanquam quid certum: Posse licitè vendi prædictos Agnos ratione materiæ, & laboris, ac impensarum in eis asportandis. Quia hæc venditio, nec ex se est mala, nec prohibita à Gregorio XIII. in sua Constitutione. Nam Calices, & aliæ res Sacræ vendi possunt, ratione materiæ: vt praxis docet. Sic Suarez *to.* 1. *de Relig. tr.* 3. *lib.* 4. *c.* 14. *n.* 6. Sanchez *in sum. lib.* 2. *c.* 43. *in fine.* Bonac. *to.* 2. *disp.* 3. *q.* 1. *pun.* 6. *n.* 12. vbi benignè lege & errata corrige, & *tom.* 3. *disp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 29. *n.* 2. Naldus, Homobonus, Villalob. Cherubinus; & alij, quos citat, & sequitur Diana *2. p tract. c. Resol.* 12. & Palaus *disp.* 1. *de Adorat. punct.* 6. *num.* 23. his verbis: *Secundo, aduerto, te non posse absque graui peccato simoniæ, & sub pœna excommunicationis, supradictos Agnos vendere, aut ad vendendum retinere, pluris, quam præcisa consecratione, valet eorum materia, & expensæ factæ in illis efformandis, & asportandis, quia venderes consecrationem: neque thecam, & reliquarium, in quo sunt inclusi, potes pluris vendere, quam venderes, si Agnos consecratos non haberet, ob eamdem rationem: vendere tamen illos, quanti eorum materia, & expensæ in illis efformandis, & asportandis æstimatur nulla est simonia, sic nec venditio Calicis, aut Patenæ: neque hanc venditionem Pontifex in supradicta Constitutione prohibuit, sed solum simoniacam venditionem.* Azor. Sanchez, & Bonac. *supra.* Hucvsque Palaus. vbi vt vides pro hac parte Azoriũ citat, sed nec omnino bene. Et vt conspicias, accipe eius verba. Quæres (ait Azor) *An liceat Agnos sacros vendere, aut emere præcise ratione solius materiæ nimirum, ceræ, aut ratione impensarum, quæ fiunt in sacris Agnis apparandis, & poliendis, ita vt tantidem vendantur, quanti valent impensæ & ceræ? Respondeo, per se quidem id non esse prohibitum, nec malum, cum sola materia vendatur, & ematur: at iure tamen scripto interdictum videri constitutione Pontificia, iam ante citata. Ac merito quidem Pontifex id prohiberi potuit, quia simoniæ speciem nonnullam præsefert, occasio paulatim suboritur res Sacras venditandi. At* (attẽde nunc Lector) *non puto vetuisse, ne præcisè ratione materiæ vendantur, & emantur ad vsus Sacros, quibus sunt dedicati: sicut Calices ratione materiæ venduntur, ad Sacros vsus huius, vel illius Ecclesiæ, non ad profanos vsus.* Hucvsque Azor. Ex cuius verbis constat, quid ipse senserit: sensit namque prohiberi indicta Constitutione Gregoriana venditionem Agnorum Dei. Etiam ratione materiæ, nisi ad vsus Sacros vendantur. Sed non video vbi id Pontifex prohibeat: vt benè vidit Sanchez *c.* 43. *cit. in fine illius.* Licèt alias posset esse omnino illicita. Legatur Bonac. *tom.* 3. *loc. cit.* vbi notat, quod aliquando summi Pontifices solent specialem edere Constitutionem, qua prohibent Agnos benedictos vendi.

Qvæstio XLII

An etiam, Agni Dei semel depicti, aut minio deaurati, possint etiam Licite vendi, ratione materiæ, & laboris &c.

Respondeo vt quid certum; vendi licitè posse, si depicti, aut deaurati fuerint ex licentia summi Pontificis, modo solius materiæ, seu ceræ, & picturæ, aut deaurationis ratio habeatur: non verò benedictionis; quia tunc simoniæ crimen incurretur, non excommunicatio à Gregorio lata. Sic cõstat ex habitis *qu. antecedenti*, & tenet expresse Bonac. *tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 29. *num.* 3. *vers. Quarta actio.* & clarius Filliuc. *to.* 1. *tra.* 14. *c.* 6. *n.* 98. Si verò ex licentia summi Pontificis, non fuerint depicti, tunc probabilius Respondeo etiam posse vendi ratione solius materiæ, vt constat ex habitis *qu.* 41. & ex mox dicendis amplius constabit.

Qvæstio XLIII.

An, Qui Agnos Dei, pictos, aut deauratos, sine licentia summi Pontificis, apud se retinent; Gregorianam excommunicationem incurrant?

Affirmat Rainerius (apud Dianam) *in Catal. Cẽsur. c.* 9. *excommunicatio* 64. *in fine*, cum aliis, necnon & Filliuc. *loc. cit.* Cuius sententiam esse probabilem clarè innuit Bonac. *infra*, & Probatur ex verbis illis Cõstitutionis Gregorij, nẽpe, Neq; depingi, aut miniare facere, nec illos venales proponere, seu tenere, quouis prętextu, qualibet de causa audeas, ergo &c.

Sed probabilius Respondeo, Non incurrere dictam excommunicationem, tales Agnos, apud se, retinendo; modo illos non retineant ad simoniacè vendendum. Ratio est Quia cum summ. Pontifex non decernat, quid de huiusmodi Agnis sic benedictis, & depictis fieri debeat; non videtur velle, quamlibet retentionem prohibere; non enim ob id abiiciendi, deiiciendi, contemnendi, aut destruendi sunt.

Nec obstat quod in dicta Constitutione Grego-

rij videatur interdici tales Agnos tenere. Id enim minimè fit. Nam illud verbum infinitiuum, *tenere*, non accipitur præcisè secundum se; sed coniungitur cum dictione illa *venales*, ibi, *nec illos venales proponere, seu tenere*. Idest, proponere, seu tenere venales. Igitur prædicti Agni retineri à quouis possunt, (modo ad simoniacè vendendum non retineantur) etiamsi ab illo qui excommunicationem incurrerit eos depingendo. Sic optime Sanchez *cap.43.cit.n.28.* & ex illo Bonac. (qui hanc sententiam ibi solum vt probabilem defendit) *to.3.disp.2.q.2.pun.29.n.4.* & antea *to.2.disp.3.de primo præcep. Decal.q1.pun.4.n.12. vers. Aduertendum vero est.* vbi nostram sententiam absolutè, & sine formidine alterius partis, secutus fuerat. Sic etiam Diana *par.3.tra.6 Resol.12.* & penes ipsum, Scortia, & Fagundez. Palaus *disp.1. de Adoratione punct.6.n.23.* Trullench *lib.1.in Decal.cap.9. dub.vltimo n.14.*

Qvæstio XLIV.

An, prædicta Constitutio, seu excommunicatio Gregoriana, sit in Vrbe Roma recepta?

REspondeo vt quid certissimum: esse receptam. Quia sic praxis in dicta vrbe indicat, vt docet Bonac. *to.3.loc.cit.n.5.* & Filliucius innuit *to.1.tr.14. c.6.q.8.n.93.* Fagund. & Diana *vbi infra* & cómunis.

Qvæstio XLV.

An etiam, extra vrbem Romanam, sit talis Constitutio, seu Censura Gregoriana recepta?

NEgat Filliucius *nu.93.cit.* his verbis: *Denique à multis hæc excommunicatio omittitur, & nescitur: vt propterea crediderim, extra vrbem non fuisse receptam vel consuetudine contraria fuisse derogatam: passim enim cernuntur Agni Dei depicti, quos non est verisimile fuisse depictos cum licentia Papæ.* Ita Filliucius.

Affirmat vero è contra, apud Dianam, Fagundez *lib.1.c.4.n.25.* docens, talem excommunicationem esse in viridi obseruantia. Cui ex parte saltem, adhæret Bonac. *to.3.loc. cit.n.5.* vbi censet etiam extra vrbem, saltem aliquibus in locis, esse talem censuram vsu receptam.

Ego Respondeo, Quod inspicienda sit cuiusque loci consuetudo, & illi sic standum. Addo, tamen, vt quid certum, quod prædicta excommunicatio incursa, ob picturam Agnorum, & illorum simoniacam venditionem, vel ad illos simoniacè vendendos retentionem, non sit Pontifici reseruata, vt constat ex verbis dictæ Constitutionis. Legantur Barbosa *3.p. de potest.Episcopi allegat.50.num.150.* Palaus, Diana, Trullench *loc.cit.*

Qvæstio XLVI.

An, liceat laicis, huiusmodi Agnos Dei tangere?

NEgant communiter Doctores, existimantes, peccare saltem venialiter, laicos, qui dictos Dei Agnos, etiam absque contemptu, tangunt. Eo quod non solum oratione Pontificia sunt Sacri, ac benedicti; sed etiam oleo Sacro, & chrismate consecrantur. Ita Azor. *to.1.lib.9.c.9.q.3.* Bonac. *to.2.disp.3.q.1. pun.4.n.13.* Palaus *loc.cit.n.24.* Trullench *loc.cit.n.15.* Qui tamen non citat bene Palaum pro parte opposita, & alij.

Sed ego iam probabilius Respondeo licere omnibus laicis, etiam fœminis, Dei Agnos tangere, dummodo id reuerenter faciant. Quia vsus id licitum fecit. Sic tandem Sanchez *lib.2.sum.c.43.n.27.* quem citat, & sequitur Diana *p.3.tra.6. Resol.12.* & Rocafull. *lib.2.de primo præcep. Decal.c.9.n.64.dub.5.* vbi inquirens: An omnibus liceat tangere Reliquias; Sic ait: *Respondeo, modo absit contemptus, vel indecentia in tangendo, omnibus etiam laicis, licitum esse tangere Reliquias, & idem est de Agnis cereis.* Ita Sanchez *nu.26.* & 27. & Castro Palao *n.24. & alij: & rationem assignant: quia nulla reperitur prohibitio, aut certè, si vlla est, vsus in contrarium obtinuit.* Sic ille. Et bene omnino, si malè non citasset Palaum; nam hic oppositum expresse tenet; solum refert opinionem Thomæ Sanchez, & transit.

DISPVTATIO V.

De cultu Sanctis Imaginibus debito.

Qvæstio Prima.

An vsus Sanctarum Imaginum, sit licitus, & honestus?

NEgant hæretici nostri temporis Lutherani, & Caluinistæ, docentes, vsum Imaginum esse è medio tollendum, præsertim è templis, & publicis locis. Quia populus (inquiunt) ignarus, ac rudis imagines pro Deo, & pro Sanctis, quorum sunt imagines colit,

Sed de fide certum Respondeo, quod vsus Sanctarum Imaginum sit licitus, & honestus, & sanctè, ac piè in Ecclesia Catholica receptus. Sic probat praxis totius Ecclesiæ, Quæ sæpesæpius sententiam hæreticorum damnauit. Damnauit namque in primis, Synodus VII. generalis, quæ est Nicæna Secunda, contra Iconomas coacta; Synodus Romana sub Gregorio III. Episcoporum ferè mille Anno Domini 1233. & alię, quas referunt DD. & tandem Synodus Tridentin. *sess.25.* vbi de Inuocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus ita definiuit. *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam. Non quod credatur inesse aliqua in his diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit imaginibus figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis suam spem collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant. Itavt per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: Id quod Conciliorum, præsertim vero, secundæ Nicænæ Synodi decretis, contra Imaginum oppugnatores est sancitum.* Hæc Triden. Synodus. Legantur contra hæreticos, de hac materia tractantes, Azor. *1.par.lib.9.c.6. à q.4.* Suarez *in 3 p. qu.25. disp.54. per septem sect.* Vazquez *lib.2.de Adorat.* Bellarmin. *in Disput. fidei Cathol.contr.7.lib.2.* Nazarius *in 2.p. qu.25.art.3.* vbi de hac re Bonac. *de primo præc.Decal. disp.2. quæst.1. punct.3.* Fagundez *lib.1. in Decal. cap.32.* Trullench *lib.1.c.9.dub.7.* Rocafull. *lib.2.de primo præcep.cap.7.* Palaus *de Adorat.disp.1.punct.4.* & alij.

Qvæstio

Qvæstio II.

An, vsus Sacrarum Imaginum, sit nobis vtilitatis cuiusdam? Negant turpissimè Caluinistæ, docentes, Imagines extra historiam, nullius nobis esse vtilitatis?

SEd de Fide etiam, Respondeo: Esse nobis multiplicis vtilitatis. Nam ex Imaginum Sacrarum vsu, quinque præcipuas percipiuntur. *Prima* est, ineruditæ, ac rudis plebis instructio. *Secunda*, memoria Christi Saluatoris nostri, & Sanctorum, qui per imaginem repræsentantur, ex qua monemur, nos habere Patronum, quorum auxilium in nostris necessitatibus imploremus. *Tertia*, affectus amoris gratitudinis, & imitationis, qui ex visis imaginibus excitantur in nobis. *Quarta* est honor, & gloria Dei, & Sanctorum. *Quinta*. tandem, Fidei Confessio. Sic ex Concil. Trident. *loco citato* & ex Sanctis Patribus docet Nazarius *art 3..cit. controu. 2. per totam.*

Qvæstio III.

An, detur præceptum Ecclesiasticum, quo eius Fideles ligentur, ad vsum Sacrarum Imaginum?

AFfirmat absolutè Nazarius *quæstio. 25. in 3. p. art. 3. controu. 2. in fine.* Vbi apertè docet, quod lege Ecclesiastica habente vim præcepti, & legis, omnes fideles ad vsum Sacrarum Imaginum obligentur. Et quod suppositа tali lege, Christiani Imaginibus non vtentes, aut etiam vti recusantes, aut eis reuerentiam non exhibentes, aut eas fragentes, vel deturpantes, vel iniuriam aliquam eis inferentes, vt hæretici sint habendi, vel vt suspecti de hæresi vehementer, aut etiam violenter, & pro facti, seu delicti qualitate ab Ecclesia sunt puniendi. Ita ille *concl. 4. & 5.*

Sed clarius ego, Respondeo. *Primo.* Certum est, quod absolutè, & simpliciter loquendo, nullum sit præceptum naturale, vel diuinum, vtendi Sacris Imaginibus: Quia neque ex scriptura Sacra, neque ex traditione, neque ex naturali ratione, potest hoc præceptum demonstrari. Sic Suarez *in 3. p. q. 25. art. 3 disp. 54. sect. 7.* & ex illo Trullench. *lib. 1. cap. 9. dub. 7. num. 14.*

Respondeo, *Secundo.* Verè datur præceptum Ecclesiasticum, more, & consuetudine introductum, quo Fideles, in communi saltem, obligentur ad vsum Sacrarum Imaginum: non tamen omnes in particulari. Vtramque partem responsionis probat Suarez ita dicens: Nam in primis Templa, & altaria ornari debent Imaginibus; neque aliter possunt, sine scandalo, & graui irreuerentia, suppositа Fidelium existimatione, & consuetudine in eis munera Sacra peragi. Deinde quilibet Fidelis malè, & superstitiosè ageret, si ex industria ab vsu Imaginum abstineret, quia si hoc faceret iudicans illum esse malum, hæreticus esset: si verò id faceret, iudicans id esse conuenientius, vel ad spiritualem profectum vtilius, certe superstitiosus esset, & vir posset non generare scandalum, & erroris suspicionem; præsertim cum hic vsus, tam frequens sit vniuersæ Ecclesiæ, nec partes debent à corpore dissidere. Deinde, interdum posset obligare hoc præceptum, vbi ad honorem Religionis, seu Fidei confessionem existimaretur necessarium: absolutè tamen, & simpliciter, non inuenio in hac re præceptum affirmatiuum, quod singulos Fideles obliget. Vnde si quis ex negligentia, vel auaritia, nunquam Imaginibus priuatim vteretur, ex hoc capite speciale peccatum non committeret. Hucvsque Suarez. Et ex illo Trullench. *loc. citato.*

Qvæstio IV.

An, etiam detur aliquod præceptum, circa cultum, & adorationem Sacrarum Imaginum?

REspondeo, vt certum: Dari, & duplex. Alterum affirmatiuum, & alterum negatiuum. Affirmatiuum quidem, tribuendi dictis Imaginibus debitum cultum, quod tamen solùm obligat pro temporibus necessariis, iuxta morem affirmatiui præcepti: veluti casu, quo per huiusmodi cultum, Fidem confiteri oporteret vel casu, quo cæteri Fideles publice Imagines adorarent; vel tandem, casu, quo aliqua actio, circa Imagines Sacras exercenda sit, quæ omnino reuerentiam requirat.

Negatiuum verò præceptum est, de non inferendo Sacris Imaginibus iniuriam, aut irreuerenriam, aut de non tribuendo illi aliquem superstitiosum cultum, aut alium modum adorationis, qui non sit illis consentaneus. Et hoc præceptum, & obligat semper, & pro semper, & ex suo genere sub mortali, cum materia eius grauis sit, & ad religionem spectet. Sic Suarez, & Trullench. *loc. citatis.* Rocafull. etiam *lib. 2. cit. cap. 7. num. 41.*

Qvæstio V.

An, Imagines Sanctissimæ Trinitatis, & Angelorum, licitè possint depingi?

NEgarunt ex Hæreticis Vuiclef. (vt refert Vualdens. *tom. 3. cap. 155.*) qui docuit, abominabilem esse depingere Imaginem Sanctissimæ Trinitatis, qua, scilicet, Pater repræsentatur in forma viri senis; Filius iunioris; & Spiritus Sanctus, sub specie columbæ. Negauit etiam Caluinus *lib. 5. Institut. c. 11.* dicens nefas esse Deo inuisibili, & incorporeo, Imaginem Visibilem, & corpoream collocare.

Negarunt etiam, ante hos duos hæreticos, nonnulli Doctores Catholici, nempe, Durand. *in 3. dist. 9. quæst. 2. ad 4.* Abulens. *in capit. 4. Deuteron. quæst. 5.* Martinus de Ayala, *de tradit. 3. p. tractat. de Imaginib. cap. de earum antiquitate.* Fundamentum horum Authorum fuit: Quia spiritus puri corporea & materiali imagine repræsentari nequeunt: ergo horum nulla potest esse Imago.

Sed, vt quid certissimum, Respondeo: Imagines Sanctissimæ Trinitatis, & Angelorum, licitè omnino depingi posse. Quia harum Imaginum vsum permittit omnino, imò & positiuè approbat vniuersalis Ecclesia. Nam in septima Synodo generali, *act. 4. & 5.* decisum fuit, retinendum esse vsum Angelos, & Spiritum Sanctum depingendi, Quod idem est dicendum de reliquis Personis Trinitatis Sanctissimæ. Non enim illas depingimus, vt nobis repræsentent sic esse, sed vt nobis repræsentent sic apparere, & cuius virtutis sint. Quod satis indicauit Tridentin. *sess. 25. capit. 2.* dum dixit: si aliquando historias, & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id

indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Vnde cum Pater æternus depingitur senex, est, quia sic *Daniel.7.* visus est: Filius in eius pectore consistens, quia ab illo est genitus: Spiritus Sanctus, sub specie columbæ; quia sic dignitatus est, se nobis ostendere. Angeli etiam depinguntur tanquam iuuenes, non quia sic existant sed quia sic sæpe apparuerint, & vt indicetur eorum vitam nunquam senescere. Ex quibus iam patet solutio ad rationem aduersariorum: concedendum enim est, imaginem assumi non posse ad repræsentandum spiritum purum in se; teneri tamen, quia sic sæpe ostensus est, & per quandam metaphoram ad eius virtutes, & conditiones iudicandas. Sic Palaus *disputat.1. cit. punct.4. numero 2.* & antea Azor. *lib.9.cap.7.cit.quæst.2.& 3.* Vazquez *3.p. quæst.25. disputat.103.* Suarez *ibidem disput.54. sectio.1. & 2.* Fagundez *libr.1. in Decalog. capit.32. numer.31.* Trullench. *libro primo capite nono dubit.7. numero secundo.* Rocafull. *loco citato capite sexto numero 36.* Bonac. *disputat. 3. quæstio. prima punct.3. numero 2.* Nazarius *in 3.p. quæst.25. art.3. controu.2.* & alij omnes DD.

Qvæstio VI.

An, Imagines, Dei, Christi Domini, & Sanctorum, sint adorandæ?

NEgant hæretici Caluinistæ, & Lutherani sequuti nonnullos hæreticos antiquos, contendentes, Sacras Imagines Dei, Christi, & Sanctorum esse penitus è medio tollendas, easque igne, & ferro destruendas, aut cœno, vel tetris coloribus, vt sæpe faciunt, deturpandas.

Sed de Fide certum, Respondeo. Imagines Dei, Christi Domini, & Sanctorum, esse à fidelibus odorandas; siue absolutè per se ipsas, siue relatiue, seu in ordine ad prototypa per eas repræsentata, de quo *infra.* Quia ita habet vsus antiquissimus Ecclesiæ approbatus à multis Conciliis generalibus, vt habitum est *quæstio.1.* Deinde quia ita docent opere, & sermone omnes Ecclesiæ Patres. Qui & enarrant multa miracula, quibus voluit Deus Sanctorum Imaginum cultum approbare; eo quod multa facta sunt in vltionem, aut eruditionem eorum, qui Christi Domini, aut Sanctorum Imagines destruebant, aut contumeliis afficiebant. Sic omnes Catholici tenent. Legantur de hac materia Authores *quæstio.1.citati.* præcipue Azor. Vazquez, & Suarez, & Nazarius *loc. cit. quæst.25. art.3. controu.4.* vbi late ex Conciliis, Patribus, miraculis, & rationibus id docte probat.

Qvæstio VII.

An, in adoratione Imaginum, solùm adoretur prototypum, seu illud, quod repræsentat Imago; non verò ipsamet Imago?

AFfirmant nonnulli DD. docentes, imagines nullo modo esse colendas, aut adorandas; sed solùm prototypum, seu exemplar coram Imagine. fundamentum eorum possunt esse quædam verba D. Basilij relata in septima Synodo nempe, *Imaginis honor transit ad prototypum:* Igitur honor non ad imaginem, sed ad prototypum terminatur solùm: ergo imago non est, quæ honoratur sed solùm exemplar per illam, & in illa. Pro hac sententia citantur ab aliquibus Durand. *in 3. dist.9.qu.2.nu.8.9. &* 10. Holcoth. *in lib.sup.sect.157.* Mirandulan. *in Apologia q.3.*& Alphonsus à Castro *libro secundo de hæres.verb. Adoratio.* Quorum tamen verba Vazquez, in bono sensu interpretatur.

Sed vt certum, Respondeo dicendum, *Primo.* In adoratione Imaginum, verè adoratur ipsa imago, immediate & per se, per actum adorationis exteriorem; exemplar verò mediatè. Probatur. Quia illud vere, propriè, & immediatè adoratur, quod est terminus adorationis, seu materia, circa quam versatur adoratio: sed terminus adorationis, seu materia, circa quam proprie, & immediate versatur adoratio per actum exteriorem, est ipsamet imago; nam illam salutamus, amplectimur, osculamur, illique caput aperimus, genua flectimus, &c. ergo Imagines propriè, & immediatè per actum exteriorē adorantur: exemplaria verò mediate; quatenus actus exterior per interiorem actum voluntatis, media imagine, dirigitur ad illud. Sic Vazquez *disputat.108.* Bonac. *disputat.3. quæstio.1. punct.3.num.3.*

Respondeo, *Secundo.* Nullo modo possunt adorari Imagines per se, si sumantur sine vllo ordine ad prototypum, seu rem repræsentatam; quia sic nullam præ se ferunt sanctitatem, aut excellentiam; & ideo, sic eas adorare, superstitiosum esset & fatuum, vt bene vidit Vazquez, cum quo veniunt omnes DD. Quia sic colligitur ex Trident. *sess.25.* cuius verba habes supra *quæst.1.*

Respondeo, *Tertio*, si Imagines sumantur formaliter, & cum ordine ad rem repræsentatam, tunc adorandæ sunt per eandem adorationem interiorem, qua adoratur ille, cuius est imago: diuerso licèt modo; nam Deo, vt Sanctis adoratio exhibetur, tanquam personis, quæ per se adoratione dignæ sunt: Imaginibus verò solùm, quia referuntur ad Deum, & Sanctos, illosque repræsentant. Sic, complectendo breuiter totam nostram huius quæstionis doctrinam, docet Tamburinus *lib.2. in Decalog. capit.4. §.1. numer.5.* his verbis: *Sed quid de Imaginibus dictorum? (nempe, Christi Domini, & B. Mariæ eius Matris, & aliorum Sanctorum? Respondeo hos adorari eodem modo, quo adorantur prototypa, seu exemplaria, ideſt, quo adorantur ipsæ res, quæ per imaginem repræsentantur; sed propter significationem; referunt enim, seu significant prototypa. Hinc Imagines Dei, Christi, Eucharistiæ, adorandæ veniunt per latriam: Imagines B. Virginis per Hiperduliam; Sanctorum per Duliam. Omnes non quidem per se, sed per relationem ad ea, quæ repræsentantur. Per se enim spectatæ, & veluti materialiter, & sine ordine ad res repræsentatas, licèt mereantur quamdam venerationem, quia sunt res materiales spectantes ad pietatem, & Religionem, vt sunt materialia signa (v.g.) & lapides Templorum; non tamen merentur propriam adorationem, de qua nos agimus.* Sic Thomas Tamburinus. Qui & citant S. Thomam *3.p. quæst.25. art.4.* & Commentatores *ibidem.* Reliqua quæ desiderari hic possunt, inuenientur tractata *supra disput.3.& 4.*

DISPVTATIO VI.

De Adoratione, qua Summus Pontifex à Catholicis veneratur.

QVÆSTIO PRIMA.

An, licita sit adoratio, quam Catholici Summo Pontifici præbent?

NEGANT omnes nostri æui hæretici. Et probant exemplis Apostolorum Petri, & Pauli, ac Barnabæ, qui, vt constat ex Scriptura Sacra, omnino recusarunt, se adorari. *Actor.* 10. ergo honorem, aut adorationem, quam Apostoli, viribus totis, recusarunt: non licebit Pontifici admittere.

Sed tanquam quid certissimum, respondeo. Esse omnino licitam, piam, & Religiosam, prædictam adorationem. Ad quod probandum sufficiat abundè, vsus, & praxis omnium Catholicorum, qui omnes aliqua submissione corporis Summum Pontificem, propter excellentiam dignitatis eius, adorant. Et merito quidem, cum adoratio, non solùm Deo, sed etiam creaturis viuentibus exhiberi liceat, vt constat ex dictis *sup. disputat.* 1. *quæst.* 34. sic omnes DD. inter quos præcipuus est D. Anton. Diana *par.* 11. *in fine, per totum tractatum*, ex quo quidquid dixerimus, accipiemus. Sed vt plenius, & clarius procedamus, ad singulares actiones, quibus Pontifex summus à fidelibus adoratur, descendamus. Sit ergo,

QVÆSTIO II.

An, licitè adoretur Summus Pontifex, genuflexione, & osculatione pedum?

NEegant dicti hæretici; eo quod, vt diximus, Petrus Apostolus, Primusque Pontifex, sic à Cornelio adorari, minimè permisit: ergo neque successores eius in Pontificatu, id permittere debent.

Sed vt quid certum Respondeo licitè summum Pontificem genuflexione, & osculatione pedum adorari; propter excellentiam eius dignitatis; nam id intendunt fideles, quando genuflexi pedes Romani Pontificis osculantur.

Probatur *Primò*. Quia hic mos adorandi Pontificem genibus flexis, & eius pedes deosculando, semper in Ecclesia apud Fideles extitit: ergo nunc & olim semper fuit, & est licitus. Antecedens plane demonstrant exemplis Surius *tom.* 5. *die* 3. *Maij*. Baronius *sub anno Christi* 294. Cornelius à Lapide *In Isai capite* 49. *vers.* 49. & omissis aliis, Innocent. III. *libro* 2. *Myster. Missæ*. Qui postquam hanc osculandi Pontificum pedes consuetudinem deduxisset: ita ait: *Subdiaconus, vel Diaconus non manus, sed pedes Romani Pontificis osculatur, summo Pontifici summam exhibeat reuerentiam, & eum illius ostendat esse Vicarium, cui ut pedes osculatur mulier illa, quæ erat in Ciuitate peccatrix: adorandum est enim scabellum pedum eius, quoniam Sanctum, est, cuius pedes tenentes mulieres resurgentem à mortuis adorauerunt.* Sic ille.

Secundò probatur, Quia hic modus adorationis debetur omnibus Episcopis ratione suæ dignitatis, cum sint Principes excelsi, habeantque excelsum honoris fastigium ratione ministerij, & gradus, quibus gaudent: vt latè probant Theologi: ergo à fortiori dicendum est. talem adorationem Pontifici Romano, cum sit primus omnium Episcoporum, seu Episcopus Episcoporum, & Ecclesiæ vniuersalis, à fidelibus exhiberi debere. Sic latè Diana *tract.* 1. *cit. à Resolut.* 3. *vsque ad* 7. referens plures Doctores de hac materia tractantes. Qui itidem *Resol.* 17. ad argumentum ab hæreticis factum respondet, quod Petrus Apostolus, ideo respuit adorari à Cornelio, quia hic aliquid diuinum de illo cogitabat, vt obseruat D. Hierony. *lib. contra Vigilant.* & ideo ne erraret, noluit eius adorationem admittere: quod patet ex ipsis verbis textualibus: ait enim Lucas: *Petrus verò, eleuauit eum dicens: surge, & ego ipse homo sum.* vnde ex Sacræ Scripturæ contextu, poterant hæretici obseruare, prius Cornelium occurrisse, deinde stratum ad pedes, tunc ab Apostolo subleuatum, vt illi ex animo errorem eriperet, quo sibi persuaserat Petrum, Deum esse. Ergo ipsi ruenti ad pedes, non obstitit Petrus, sed per errorem, honorem qui Deo debetur, sibi deferenti obstitit, ac erexit humo, dicens: *Surge, ne feceris, & ego ipse homo sum.* Sic Diana. Faciunt satis ad hanc veritatem confirmandam ea quæ *supra disputat.* 1. *quæstio.* 4. de adoratione externa docuimus.

QVÆSTIO III.

An etiam sit licitum, adorare Summum Pontificem, pectoris tunsione?

NEgabant & à fortiori hæretici; Imò & negabit ex Doctoribus Catholicis Corduba. *lib.* 1. *quæst.* 1. *dubit.* 6. *vers.* 6. vbi (vt vidimus, *loco nuper citato*) inter actus ad propriam Dei adorationem designatos, actum percutiendi pectus enumerat: ergo hacmet actione, seu actu, Pontificem adorare, non erit licitum.

Affirmat verò Diana *loc. cit. Resol.* 8. cum timore tamen, ait enim, se in rigore, & speculatiuè loquendo, sententiæ affirmatiue adhærere.

Sed ego absolutè, Respondeo. Etiam practicè loquendo, esse licitum tunsione pectoris Pontificem adorare. Quia, vt *disp.* 1. *qu.* 4. docuimus, etiam hæc tunsionis pectoris actio, est adiaphora, & indifferens ad exhibendam illam, tam creaturis, quàm Deo, cum sola ex adorantis intentione pendeat, quod per talem exteriorem actionem, hæc, vel alia honoris species deferatur: ergo licite potest quis tali actione adorare Pontificem, testando per illam, supremam eius dignitatem, & excellentiam, &c. Legantur dicta à nobis *loc. cit.* & Diana. Qui tandem bene aduertit, quod quia hic modus adorandi, Summum Pontificem, non est in vsu, & forsan admirationem astantibus induceret, ab illa sit abstinendum.

QVÆSTIO IV.

An deinde, licitum sit, adorare Pontificem maximum, inclinatione capitis, quando eius nomen in Missæ Canone, aut in aliis orationibus publicis, auditur?

REspondeo, vt certum: esse licitum; imò & debitum. Quia sic præciptur *in Rubr. Missalis c.* 5. *num.* 1.

*num.*1. *de orat.* his verbis: *Cum nominatur Iesus, caput versus crucem inclinet, quod etiam faciet cum nominatur in Epistola. Et similiter, vbicumque nominatur nomen Beatæ Mariæ, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio. Item in oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat.* Hæc Rubrica. Itaque sicut per adorationem latriæ adoratur, inclinando caput, nomen Iesu; & per Hyperduliæ, nomen Mariæ, & per Duliæ, nomen Sanctorum existentium in cœlo, necnon & nomen Pontificis, ratione excellentis dignitatis nempe Summi Pontificatus. Sic Diana *loc. cit. Resol.*9. Legatur Gauantus *in Rubr. cit.* vbi addit, etiam deberi adorari nomen Pontificis capitis inclinatione, quando in Canone Missæ nominatur.

QVÆSTIO V.

An tandem, licitum sit, adorare Pontificem, osculatione manus?

REspondeo, vt quid certum. Esse omnino licitum. Per hanc enim exteriorem actionem osculandi manus, adorant Eminentissimi Cardinales Summum Pontificem ante Missę Celebrationem in Cappella Papali. Hi namque Amplissimi Patres, post vnam vel alteram pedum Pontificis osculationem, quam in eius electione tantùm deferunt, deinde manus tantùm, vel os inter Missarum solemnia, cum ad ea celebranda conueniunt, osculantur: vt notant Ioseph Stephanus *lib. de osculatione pedum Rom. Pontificis*, & Lorinus *in Acta Apostol. cap.*10. *ver.*25. & ex illis Diana *loc. cit. Resol.*10. vbi late probat ex Scriptura Sacra, osculum manus, effectum, & recognitionem submissionis, & reuerentiæ, aut gratitudinis, significare, quod ad adorationem externam, pertinet. Esther namque Regina osculando summitatem sceptri Regis Assueri, Regem adorauit. Sunamitis osculata est pedes Elisgi in reuerentiæ signum 4. *Reg.*4. *&c.* Legatur Raphael de la Torre 2.2. *tom.*2. *quæst.*84. *disp.*5. *art.*2. *n.*22.

QVÆSTIO VI.

An, Adoratio Pontificis, sub Adoratione Duliæ omnino comprehendatur?

NEgat in primis Caramuel *de Hierarch. Ecclesiast. lib.*1. *disput.*60. *num.*680. vbi docet talem adorationem comprehendi sub adoratione latriæ simul & Duliæ. *Quia vtra adoratio debetur* (inquit) *Pontifici, diuerso modo considerato. Duliæ quidem, considerato, vt quod; nempe, vt est persona, aut homo sacer, homo summus, & cæteris vniuersis Prælatus, latriæ verò, considerato; vt quo, nempe, vt est Prochristus, aut Prodeus, hoc est, Christi Vicarius.* Ita Caramuel, cuius verba ad longum refert Diana *tract. cit. Resol.*11. *per totam:* videatur.

Negat deinde Tannerus *tom.*3. *disputat.*5. *quæst.*2. *dub.*2. *num.*60. quatenus docet Pontificem, seu Vicarium Christi duplici adoratione, seu honore coli posse. *Primo per simplicem mentis apprehensionem, agnoscendo quodammodo in eo Christum, cuius personam, & munus sustinet: & hoc modo, eodem casu, quo Christus, & homo colitur adorari posset: ita quidem, vt talis cultus proprie, ac per se ad Christum; per accidens verò solùm, & relatiuè, ad vicarium tenderet. Secundo, iuxta propriam dignitatem Vicarij, à Christi dignitate, quam, vt homo, & supremus Ecclesiæ moderator habet, deriuatam honore quodam inferiori, quo Christus idem, vt homo colitur.* Ita Tannerus.

Negant tandem Theophilus Raynaudus *in Onomastico Pontificio subsect.*3. *fructu* 1. statuens Pontifici deberi cultum Hyperduliæ: Quia eius coniunctio cum Christo quoad fundamentum reuerentiæ est longe altior cultu, qui Sanctis tribuitur. Nam sicut B. Virgo, quia habet excellentiam specie diuersam ab ea, quæ fundatur in gratia, nempe maternitatem, colitur adoratione superiori, quàm sit ea, quæ fundatur in sola gratia Sanctificante, ita circa cultum impensum Vicario Christi est omnino dicendum.

Sed probabilius, Respondeo: Sub adoratione Duliæ omnino comprehendi, adorationem debitam Pontifici; nam adoratio Latriæ, & Hyperduliæ, solùm ad Deum, & B. Virginem spectat: Duliæ verò ad Sanctos existentes in cœlo, & ad viatores, propter eminentem dignitatem, gradum & ministerium quæ habent; vti habent Pontifices maximi. Sic Lessius *de Iust. lib.*2. *cap.*26. *dub.*3. *à num.*18. Baldellus *tom.*2. *Theolog. moral. lib.*3. *disp.*117. *num.*9. & Anton. Mazaronius *tract. de Adorat. & osculo pedum Pontif.* quos citat, & sequitur Diana *loc. cit. Resol.*14. *&* 16.

QVÆSTIO VIII.

An, si aliquis Pontifex (quod absit) esset impius, aut scandalosus; esset adhuc modo supra dicto adorandus?

REspondeo, vt quid certum: Quod sic. Quia, vt supra est habitum, dicta adoratio præbetur Pontifici ratione ministerij & dignitatis: sed dignitas Pontificia manet adhuc in Pontifice impio, & scandaloso: ergo etiam hic ratione illius ministerij, & dignitatis adorandus est. Sic late Caramuel *disput.*60. *cit. numer.*580. Raynaud. *loc. cit. subsect.*3. *fruct.*6. Diana *loc. cit. Resol.*16.

TRACTA

TRACTATVS VIII.

DE PECVLIARI CVLTV,

QVI DEO OPT. MAX.

per Horas Canonicas exhibetur.

DISPVTATIO PRIMA.

De Nomine, Numero, Institutione, & Origine Horarum Canonicarum.

QVÆSTIO PRIMA.

Cur diuinum Officium, ab Ecclesia ad laudandum Deum institutum, Horæ Canonicæ *appellentur?*

RESPONDENT nonnulli DD. sic appellari; quia, videlicet sint preces, quæ à Clericis Canonicis in templo sunt decantandæ. Ita aliqui, quos, suppressis nominibus, refert Azor, *vbi infra.*

Sed probabilius, Respondeo sic appellari. Quia certis horis recitandum est, iuxta Canonicas sanctiones. *dicuntur namque* Horæ (ait Azor.) *non ab orando, vt putarunt Zenzelinus, Zabarella, Ioannes Lignanus, & alij; sed quia more, & instituto Ecclesiæ, præscriptis, definitisque horis, nocturnis, ac diurnis, recitari, vel decantari debeant.* Canonicæ *verò, quasi regulares, quod iuxta Ecclesiasticorum Canonum traditionem, & regulam, earum Orationum pensum sit à clericis persoluendum.* Sic Azor. *tom.*1. *Institutionum Moralium lib.*10. *cap.*1. *quæst.*1. Palaus *tom.*2. *tract.*7. *disput.*2. *in principio.* Bonacina *de Horis Canon. disp.*1. *punct.*1. *num.*4. Sanchez *lib.*7. *consil. cap.*2. *dub.*1. *n.*1. ita dicens: *Nota, Horam, non dici ab orando, quia Hora scribitur cum aspiratione, non autem verbum* Oro. *Sed quia certis Horis sunt Horæ Canonicæ deputatæ. Dicuntur autem Canonicæ, qua Secundum Canones.* Sic Nauarr. *cap. Quando*, &c. Sic Sanchez.

QVÆSTIO II.

Cur, dictæ Horæ Canonicæ, appellentur etiam, Diuinum Officium; Officium Ecclesiasticum, pensum, imò, & Breuiarium?

RESpondeo breuiter, quod appelletur *Diuinum Officium*; Vel, quia in eo multa extant, quæ ex diuinis literis sumpta sunt: vel, quia nihil eo postulari potest diuinitati congruentius, nihil magis pium, & religiosum, quàm iis precibus Deum laudare, & honorare.

Deinde appellatur *Officium Ecclesiasticum*; vel quia est Officium, seu ministerium Clericorum; quia in eo recitando præcipue exerceri, & detineri debent: vel, quia Ecclesiæ præcepto persoluitur, & ab illa est institutum.

Præterea appellatur *pensum*; Quia ad illud recitandum obligantur clerici, quasi ad pensum, debitum, seu tributum singulis diebus soluendum.

Tandem appellatur *Breuiarium*, quia est summa, & compilatio eorum, quæ ad Laudem Dei, & gratiarum actionem, & nostram institutionem pertinere possunt. Legantur Bellarmin. *tom.*4. *controuers. tit. de bonis operib. lib.*1. *cap.*10. Valentia 2.2. *disp.*6. *quæst.*2. *punct.*10. §.1. Lessius *lib.*2. *c.*37. *dub.*8. Suarez *lib.*4. *de Orat. à cap.*3. Bonac. Azor. Sanchez, Palaus *loc. cit.* Trullench. *lib.*1. *in Decalog. cap.*7. *à dubit.*11. Thom. Tamburin. *in Decalog. lib.*2. *à cap.*5. Filliuc. *tract.*23. *cap.*3. *à quæst.*4.

QVÆSTIO III.

An, Horæ Canonicæ, sint iure Ecclesiastico institutæ?

NEgant aliqui DD. existimantes, Horas Canonicas, non iure Ecclesiastico sed iure diuino esse institutas. Quia illud videtur iure diuino institutum, cuius mentio in Sacra Scriptura fit; atqui harum precum clare fit mentio in Psal.118. ibi; *Septies in die laudem dixi tibi*: ergo. Ita renent Abbas *cap.*1. *de Celebrat. Missar.* D. Anton. *par.*2. *tit.*9. *cap.*12. §.1. Angel. *verb. Horæ. quæst.*6. Tabiena *eod. verb. q.*15. Armilla *ibidem num.*1. Necnon Cardin. *in Clement.*1. *de Celebrat. Missar.* & Turrecrem. *in cap. Presbyter. dist.*91. Quos omnes pro hac sententia refert Azor. mox citandus.

Sed probabilius longè, Respondeo. Esse de iure Ecclesiastico, & Canonico. Quia, neque ex Scriptura Sacra, neque ex Ecclesiæ traditione, neque ex Patrum testimonio colligitur, Horas Canonicas iure diuino institutas esse. Vnde,

Ad Argumentum Contrariorum, dicendum est. quod non quidquid ex Sacra Scriptura est deriuatum, est de iure diuino. Quapropter etiamsi dixerit Regius vates, *Septies in die laudem dixi tibi*, non inde probatur, esse ius conditum, vel solùm exprimitur factum Dauidis,

Dauidis, quod non inducit obligationem; aliàs sequeretur omnes Reges ad Horas recitandas obligari, Dauidis igitur exemplo, Ecclesia diuinitus edocta legem sanxit, qua clerici septies in die recitare, aut preces fundere cogerentur. Sic Laurentius, Rodulphus, Ioannes Lignanus *in cap. Dolentes. De Celebrat. Missar.* & Siluest. *v. Hora. quæst.* 8. *num.* 9. quos citat & sequitur Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 1. *quæst.* 7. *& cap.* 4. *quæst.* 13. Bellarminus *lib.* 1. *de bonis operib. c.* 19. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 23. *cap.* 3. *quæst.* 5. *numero* 90. Bonac. *disputat.* 1. *de Horis Canon. punct.* 2. *numero* 2. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. dub.* 11. *num.* 2. Bassæus *tom.* 2. *florum verb. Horæ Canon.* 1. *num.* 2.

Qvæstio IV.

An, Horarum Canonicarum præceptum, latum fuerit ab Apostolis; seu traxerit originem, ab eorundem tempore?

NEgant aliqui Authores, docentes præceptum Ecclesiasticum de Horarum Canonicarum officio à clericis persoluendo, à Pelagio II. vel Gelasio I. latum fuisse. Mouentur *ex cap. Eleutherius. dist.* 91. quod decretum dicunt esse Pelagij. Ita sentiunt Polidor. Virgilius *lib.* 6. *de Inuent. rerum. c.* 2. Naurolicus *in Martyrologio die* 27. *Augusti*, & Supplementum Chronicorum. Negant & alij, dicentes, hoc præceptum dimanasse à Damaso I. vel à Gregorio etiam I.

Sed in hac re, vt quid certum, Respondeo *Primo.* Officium, diuinum absolutè sumptum, & quoad substantiam, à temporibus Apostolorum originem traxit. Id enim constat ex illo *Actor.* 3. *Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Et ex Clemente Romano, qui *lib.* 8. *constitutionum cap.* 34. ita dixit: *Precationes facite mane, tertia hora, & sexta, & nona, & vespere, vsque ad galli cantum.* Necnon & ex Basilio, Cypriano, Hieronymo, Chrysostomo, & aliis Patribus, quos adducit Azor. *lib.* 10. *cit. cap.* 1. *qu.* 6.

Respondeo, *Secundo.* officium diuinum consideratum, quoad formam, & numerum Horarum, qui modo existit, licèt non habuerit initium ab initio Ecclesiæ, seu à temporibus Apostolorum, habuit tamen à Pelagio I. vel II. Qui dictum vsum precandi Deum, antiqua consuetudine inductum, lege lata ab ipso perpetuò deinde iusserit obseruare. Colligitur hoc dictum, ex eo quod post ea tempora in Conciliis, & in Scriptoribus Ecclesiasticis, frequens mentio septem Horarum Canonicarum habeatur. Nam habetur in Concil. Cabilonensi II. sub Carolo Magno, *Can.* 59. In Concil. Aquisgranensi sub Ludouico Pio *à capit.* 126. & in Concil. Agathensi, vt refertur *in cap. Presbyter. de Celebrat. Missar. & in cap. Presbyter. dist.* 91. Sic sentiunt Azor. *quæst.* 6. *cit.* Bellarmin. Suarez, Filliuc. Bonac. Trullench. *loc. citatis.* Angelus Maria Verricelli *in qq. Moral. tract.* 8. *Miscellan. quæst.* 58. *num.* 7.

Qvæstio V.

An, Horæ Canonicæ sint tantùm septem?

NEgant quamplures DD. existimantes, Horas Canonicas esse octo, Nempe Matutinas vigilias, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completas. Probant. Quia Matutinum, & Laudes duas Horas distinctas constituunt: at reliquæ Horæ sunt sex: ergo. Maior probatur. Tum quia Matutinum, & Laudes, Hymnis per se distinctis gaudent, & inchoantur à versiculis illis, *Domine labia mea aperies*, & *Deus in adiutorium meum intende*, sicuti reliquæ Horæ. Tum, quia olim Laudes separatim à Matutinis dicebantur, imò & nunc in in nocte Natalis Domini diuiduntur, & Missæ Sacrificium interponitur: sed sic est, quod vna Hora non potest diuidi, aut interrumpi: ergo. Ita tenere Antolin. *par.* 2. *tit.* 9. *cap.* 12. §. 1. & antea 1. *p. tit.* 13. *cap.* 4. §. 1. Archidiac. *in cap. Presbyter. dist.* 91. Nauarr. *de Horis Canon. cap.* 3. *num.* 27. & 28. Rationale Diuinor. Officior. *lib.* 5. *cap.* 1. *lit. B.* Francolinus *de Horis Canon. cap.* 12. *num.* 4. Rodriguez *in sum.* 1. *p. cap.* 140. *num.* 1.

Affirmant verò contra communiter alij, docentes, esse tantùm septem Horas Canonicas. Probant *Primo.* Quia in Concil. Cabilonensi, *Canon.* 59. *citato*, septem solùm numerantur Horæ, nempe, Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespertina, & Completorium. *Secundo.* Quia *Laudes* non faciunt Horam distinctam à Nocturnis: at reliquæ Horæ sunt sex: ergo. Antecedens probatur. Quia illa dicitur vna Hora, distincta ab alia, quæ proprium, ac distinctum habet principium, & finem, siue eodem, siue diuerso tempore dicantur: atqui Matutinum, & Laudes habent idem principium, & finem; tum quia sub vna oratione terminantur: Tum etiam quia in initio Matutini solùm, Pater, & Aue, dicitur, non in Laudibus: ergo. Sic Innocent. Hostiens. Ioan. Andreas, Abbas, Anchar. Imola, Anton. Zabarella & alij Canonici Iuris Interpretes *in capite* 1. *de Celebrat. Missar. & in Clement.* 1. *eod. tit.* omnes Suministæ, Angel. Siluest. Rosella, Tabiena, Caiet. Armilla *verb. Horæ.* Sotus *lib.* 10. *de Iust. quæst.* 5. *art.* 4. Garcias *de Benefic.* 3. *p. cap.* 1. *num.* 224. Suarez *lib.* 4. *de Orat. cap.* 6. *num.* 6. *iuncto num.* 11. Bonac. *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 3. Sanchez *lib.* 7. *consil. capit.* 2. *dubit.* 1. *num.* 4. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 24. *diff.* 6. *num.* 2. Angel. Maria Verricelli *in qq. Moral. tract.* 1. *quæst.* 16. *num.* 2. & 3. Ausonius *in Summa Diana verb. Horæ Canonicæ.* Bassæus *eod. verb. cap.* 1. *nu.* 2. Machado *tom.* 1. *sum. lib.* 2. *par.* 3. *tract.* 2. *docum.* 1. *numer.* 3. Barbosa *in cap. Presbyter. de Celebrat. Miss. num.* 17.

Alij Denique, distinctione vtendo, dicunt, olim fuisse octo Horas Canonicas, quia Nocturni propria oratione concludebantur, & Laudes postea diuerso tempore dicebantur, & ideo tunc fuisse septem Horas diurnas & vnam tantum nocturnam: at nunc tantùm esse septem, vnam noctis, & sex diei; vel vnam noctis, & quatuor diei, & duas duorum crepusculorum. Ita Turrecremata *in Reg. S. Benedicti tract.* 73. *& in d. cap. Presbyter* 91. *dist.* Azor. *lib.* 10. *cap.* 1. *quæst.* 2. Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 3. *qu.* 8. Trullench. *lib.* 1. *in Decal, cap.* 7. *dub.* 11. *n.* 5.

Sed ego, Respondeo dicendum, quod olim verè fuerint octo Horæ Canonicæ apud Monachos, & alios antiquos, vt late probat Azor. & frater Suarez *loc. cit. num.* 11. & rationes pro prima sententia adductæ conuincunt. At nunc dicendum est esse septem; quia licèt aliquando, nempe in die Natiuitatis Domini, ex Matutinis, & Laudibus, duæ Horæ distinctæ fiant, eo quod recipiant proprios terminos, vt bene Suarez *n.* 11. *cit.* & antea *num.* 7. Quia tamen moralia hæc semper accipiunt denominationem ex frequentioribus, & magis communibus & publicis, ideo nunc simpliciter dicitur Matutinum simul cum Laudibus esse vnica Hora, ideo consequenter dicendum est absolute omnes Horas esse septem: vt bene resoluit Suarez *loc. cit.* & tenent Doctores omnes

secundæ

secundæ sententiæ, quos etiam nos sumus secuti *in tomo 5. in exposit. Nostræ Regulæ. cap. 11. verb. Horis* ex Glossa *in cap. Presbyter. de Celebratione Missar. verb. septenarius.*

Quæstio VI.

An sit peccatum, saltem veniale, Matutinum, & Laudes separare, & diuerso tempore soluere absque rationabile causa?

Affirmant esse veniale peccatum id facere, Garcia *de Benefic. 3. p cap. 1. num. 224.* Pro cuius sententia, citat Diana *vbi infra* Azorium *lib. 10. cap. 8. quæstio. 4.* Nauarrum *de Orat. cap. 3. num. 28.* & Toletum *lib. 2. cap. 13.* sed ex iis, solus Azor. hanc sententiam tenet, vt ex dicendis constabit.

Sed probabilius longe, Respondeo. Nullum esse peccatum, necdum veniale, diuidere, etiam absque causa, Matutinum à Laudibus, & diuerso tempore illas soluere. Sic Suarez, sequutus Nauarrum, *lib. 4. de Oratione vocali cap. 6. num. 9.* per hæc verba: *Diuidere ergo Matutinum à Laudibus, generatim loquendo, semper licuit, ex vi primæuæ institutionis. Quod autem etiam nunc liceat, constat ex communi consuetudine, præsertim extra Chorum, vt notauit Nauarrus* supra d. cap. 23. num. 64. *Nullus enim doctus, & timoratus de hac diuisione, & separatione Laudum à Nocturnis scrupulum format. Imò addit Nauarrus, si anticipatio, vel diuisio facienda est, melius esse in principio noctis dicere Nocturnos, & relinquere Laudes pro Matutina Hora, quàm Laudes simul cum Nocturnis anteponere. Item cum hæc sit primæua institutio, reductio ad illam per se loquendo bona est, cum nulla sit aperta prohibitio in contrarium.* Hucvsque Suarez. Bonacina etiam *disput. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 6.* Trullench. *lib. 1. cap. 7. dub. 11. num. 6.* Filliucius *tract. 23. capit. 3. quæst. 9. num. 111.* Sanchez *lib. 7. consil. capite 3. dubit. 20.* qui & citat Toletum *in summa*, sed non locum vbi doceat: docet certè *libro 2. capite 13. numero 5.* his verbis: *Possunt autem separari Laudes à Matutino, vt dicatur noctu Matutinum, & iam incipiente die Laudes.* Sic Toletus. Non igitur bene adducitur à Diana pro parte opposita; nec dum Nauarrus, vt constat. Tenent etiam nostram sententiam Bonarcius *de Horis Canonicis libro 2. cap. 17. numero 3.* quem citat & sequitur Diana *p. 5. tract. 14. Resol. 48. fine* Trullench. *lib. 1. cap. 7. dub. 11. numer. 6. in fine.* Pater Hermannus Busembaum *in medulla Theolog. Moral. libro quarto capite 2. dubit. 2. articul. 4. numero 4.*

Quæstio VII.

An, quando separat quis à Laudibus, Matutinum; debeat in fine huius Horæ, recitare Orationem diei?

Negat Thom. Sanchez *lib. 7. cap 3. dub. 20. in fine.* per hæc verba: *Secunda conclusio. Quando diuiditur Matutinum à Laudibus, non est opus dicere Orationem post Matutinum, præterquam in nocte Natalis Domini, vbi id præcipit Rubrica Breuiary: quia nullo iure, nec auctoritate, nec ratione id probatur. Sic ex Recentioribus multi viri docti.* Hæc Sanchez. Et hanc sententiam sequitur Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 8. quæst. 4. in fine.*

Sed vt quid probabilius, Respondeo: Debere. Quia id clare colligitur ex eo quod Ecclesia id faciat in nocte Natiuitatis Dominicæ, in qua sola separat Matutiuum à Laudibus: eundemque vsum seruaret in aliis diebus, si dictas Horas separaret. Sic Baptista de Fabris *de Sacram. Ordin. in communi c. 19. q. 5.* Lezana *in qq. Regular. c. 12. n. 16.* Bonarcius *loc. cit. n. 2.* Gauantus *in Rubric. Missalis sect. 4. c. 2.* Quos omnes citat, & sequitur Diana *Resol. 48. citata.* Quibus addo Ægidium Trullench. *n. 6. cit.* Filliucium *tr. 23. c. 3. n. 111.* & ante illos, Suarium *to. 2. cit. lib. 4. cap. 6. n. 12.* citantem Nauarrum, his verbis: *Hinc consequenter infertur, cum talis diuisio fit, dicendum esse Orationem in fine Nocturnorum, & consequenter* Pater noster, *iuxta Regulas Breuiarij. Ita docent communiter Nauarrus, & alij, & obseruat Ecclesia Romana in nocte Natiuitatis. Ratio verò est, quia tunc finitur Matutinum Nocturnum, vt Hora in se vna, & à sequentibus distincta: ergo debet proprio termino, & fine claudi; proprius autem finis vniuscuiusque Horæ est collecta, cui de more adiungitur Oratio Dominica: ergo.* Hucvsque Suarez. Et bene, vt constat, hanc sententiam fulcitam esse, iure auctoritate, & ratione.

Quæstio VIII.

An deinde, quando quis diuidit Matutinum à Laudibus, debeat in fine Matutinarum, & initio Laudum, dicere, Pater noster?

Negat item Sanchez *lib. 7. cit. c. 2. dub. 1. concl. 2. n. 5.* ita dicens: *Initio Laudum, (siue primam, siue secundam sententiam amplectamur) nec in fine Matutinarum, est dicendum* Pater noster; *quia, vt dixi, Rubricæ Breuiarij id non aduertunt.* Ita Sanchez. Necnon & Azor. vbi supra *q. 4. vers. si roges.*

Sed vt Alij affirmant Debere in fine Matutinarum dicere *Pater noster*, & initio Laudum, *Pater noster, & Aue Maria. Prima* pars probata manet verbis Sapientissimi Suarij, nuper relatis: *Secunda* etiam probatur verbis eiusdem, qui *loc. cit.* hæc dicit: *Vnde recte infert Nauarrus* ibidem, *quando inchoantur Laudes separatim præmittendam esse Orationem Dominicam, & Angelicam more aliarum Horarum, propter eandem rationem, cum proportione applicatam; quia inchoantur, vt Hora distincta, & per se vna.* Sic Suarez. Et sic Filliucius, & Trullench. *loc. citatis.*

Sed ego probabilius cum Sanchez Respondeo negatiuè, vt infra *disp. 4. q. 71.* probabo.

An autem sicut est licitum, diuidere Matutinum à Laudibus, sit etiam diuidere Nocturnos, dicam *infra, loco citato.*

Quæstio IX.

An Horæ Canonicæ rectè definiantur, per hoc quod sint, Quædam laudes, & preces ab Ecclesia institutæ, ad orandum, & ore laudandum Deum, singulis diebus, certis, ac definitis horis?

Negabunt, qui affirmant, posse quem adimplere præceptum recitandi sola mente orando, seu recitando, quos *infra* citabimus. Hi enim sic Horas Canonicas, seu Officium diuinum, definiunt, *Sunt Laudes, & preces, quæ certis, ac determinatis horis, iuxta Canones, & leges Ecclesiasticas recitari debent.*

Sed omnino Respondeo. Rectè definiri, definitione in quæstionis titulo proposita; seu vt alij definiunt, quod *sint certa ratio publicè Laudandi Deum, precandique mente simul ac voce, auctoritate Præsulum Ecclesiæ constituta.* Sic communiter DD. Bellarmin. *lib.de bonis operib.cap.*10. Filliuc. *tract.*23.*cap.*3.*qu.*4. *num.*87.& 88.Trullench.*lib.*1. *in Decalog.c.*7.*dub.*11. *num.*1. Bonac. *disp.*1.*de Horis Canon.quæst.*1.*punct.*1. *num.*1. Qui singillatim omnes particulas explicant.

DISPVTATIO II.

De Personis, quæ ad Diuinum Officium persoluendum extra, & intra Chorum, tenentur.

QVÆSTIO PRIMA.

Quot sunt personarum genera, quæ ad Officium Diuinum persoluendum, tenentur?

RESPONDEO, dicendum quod tria, nempe Religiosi: Clerici in Sacris constituti, & Beneficiarij. De quibus generibus personarum, sigillatim, gratia Charitatis, per §§. distinctos agemus.

§. I.

De obligatione, quam habent Religiosi ad soluendum Officium Diuinum extra Chorum.

QVÆSTIO II.

An, Nouitij Choro dicati, teneantur ad persoluendum Diuinum Officium?

AFfirmant aliqui; eo quod gaudeant priuilegio clericali, & aliquibus Religiosorum,& sustententur ex eorum redditibus, & Eleemosynis Ciuium.Ita Paludan.*in* 4.*dist.*15.*qu.*5.& apud Sanchez Turrecrem.*dist.*91.*c.Qui autem.n.*13.necnon & Margarita Confessor.*fol.*162. qui dicit sub peccato veniali obligari.

Sed vt certum, Respondeo. Nec sub peccato veniali teneri Nouitios ad persoluendum Diuinum Officium.Probatur.Tum,quia nec ius,nec consuetudo ad illos obligant, cum netrum detur. Tum etiam, quia Nouitij re vera nõ sunt Religiosi,nec in onerosis sub hac voce comprehenduntur. Nec obstat, quod aliquibus eorum priuilegiis gaudeant:quia ad hos effectus habendos,sufficit, quod sint in via ad professionem,& quod voluntariè Religioni,& actionibus religiosis,sub disciplina religiosa subiiciantur.Sic Suarez *lib.*4.*de Horis Canon.c.*17.*n.*2.Nauarr.*c Quando. c.*7.*n.*23.*& in sum.c.*25.*n.*96. Sotus *lib.*10. *de Iustitia q.*5.*art.*3.Armilla *verb Hora.n.*4.Tabiena *n.*5.Siluest. Sandoual,& Palacios,quos citat,& sequitur Sanchez *lib.*7.*consil.c.*2. *dub.*6. Vazquez *de Benefic.cap.*4.§.1. *art.*1.*dub.*11.*n.*46.Valentia,Molfes.Reginald.Rodrig. Filliuc. Lessius, & Azor.quos affert, & sequitur Bonac.*de Horis disp.*1.*q.*2.*pun.*2.*n.*1.*vers.Dixi Religiosi Choro deputati.*Trullench. *lib.*1.*in Decal.c.*7. *dub.*12. §.1.*n.*2.Carolus Mallett.*to.*1.*summæ. Malleatione* 30. *Bractea* 24. *respons.*2. *vers. sciendum dubium esse.* & omnes communiter.

QVÆSTIO III.

An, etsi non ad Officium Diuinum, saltem teneantur Nouitij ad fundandas aliquas preces indeterminatè?

AFfirmant Siluester. *verb.Hora q.*2.*vers.Sextum:* ibi:*Si verò sint Nouitij,simliter tenentur*(ad Horas) *secundum Petrum* (de Palude) *etiamsi non sint in Sacris: quia sustentantur Eleemosynis, & gaudent priuilegio clericali. Sed quia ista sunt contra communem doctrinam, nec aliquo iure cauentur ideo dico, quod tenentur quidem ad aliquid indeterminatum, sed non ad Horas.* Hæc Siluest. Quod idem docet in Rosa aurea *tract.*3.*de qq.impertinentibus casu* 10.per hæc verba: *De Nouitiis fortè posset dici teneri iure ad orationes, Psalmos,vel aliquid huiusmodi, sed non Horas.* Hæc idem Siluester.

Sed vt certum, Respondeo. Nec ad effundendas aliquas alias orationes, aut preces teneri. Quia, nec dum lex,aut consuetudo est,quæ ad alios obliget.Sic Vincentius,& Tabiena,quos citat,& sequitur Sanch. *dub.*6.*citato,concl.*2.Et ex illo Trullench.*n.citato.*

QVÆSTIO IV.

An, Religiosi Conuersi professi, teneantur ad Horas Canonicas recitandas?

AFfirmarunt aliqui DD.Eo quod isti veram professionem emittant, & alantur Eleemosynis laicorum, quibus per Horarum harum recitationem compensare tenentur.Ita,apud Sanchez,Augustin.de Ancona D.Anton.*3.p.tit.*2.*c.*4.§.1. & Viguerius *lib. institut.cap.*5.§.5.*vers.Quarto.*

Sed,vt quid certum,Respondeo. Nequaquam teneri ad recitandas Horas Canonicas.Quia ad id,nec lege,nec consuetudine arctantur.Et merito, quia licèt sint professi, non sunt diuino cultui dicati. Sic communis.Sotus *lib.*10.*de Iust.q.*5.*art.*3.Nauarr.*cap. Quando.c.*7.*n.*22.*&* 23. Caiet. *verb.Horæ, & ibi* Armilla *numer.*4. Tabiena *num.*6. Siluest. *quæstio.*2. *cit. dicto.*7. Sandoual. Palac. Palud. & Nieua, quos refert,& sequitur Sanchez *lib.*7. *consil.c.*2.*dub.*3.*n.*13. Quibus adde Suarium,Bonacinam,Trullench.Filliuc. *sup.cit.* & omnes communiter, quos etiam sequitur Tamburin.*lib.*2.*in Decalog.cap.*5.§.1.*n.*6.

QVÆSTIO V.

An, saltem teneantur ad recitandum aliquid, loco Horarum Canonicarum?

AFfirmatiuam sententiam tenere Silueſtrum *q.*2. *cit.*sequutum Paludanum, Antonium, & alios, ait Suarez *c.*17.*cit. n.*2. sed certe non ita bene; cum ex parte saltem oppositum sentiat haud obscurè Silueſter, vt denotant hæc eius verba: *Septimum Quantum ad Conuersos dicunt Pet. Arch. & Augustt. de Ancho,quod tenentur ad modum sibi taxatum, licèt non ad Horas Canonicas, sic quod omittendo peccarent mortaliter.*

mortaliter. Sed hoc nullo iure cauetur, nec hoc præceptum alicubi reperitur, loquendo in Ordine Prædicatorum: quæcumque autem allegantur ab eis non probant, nisi quod tenentur benefactoribus recompensare; quod per alias orationes fieri potest, & per seruitium exhibitum clericis recompensantibus, &c. Hæc Siluest. vnde quidquid ipse senserit.

Ego, etiam vt certum, Respondeo. Non teneri ex iure communi, vel ex consuetudine, ad recitandum aliquid loco Horarum Canonicarum; cum nullum ius inueniatur, nec de consuetudine constet; sed potius contrarium. Solùm igitur tenebuntur ad id, quod sua Regula eis præscribit: ita tamen, quod si Regula aliàs non obligat ad culpam, nec in hoc eos obligabit, nisi specialiter id exprimat. Sic Sanchez, & alij *supra* citati.

Qvæstio VI

An, Religiosi professi ad Chorum duputati, obligentur sub mortali, ex vi iuris naturalis, diuini, aut suæ professionis; ad recitandas priuatim Horas Canonicas?

Affirmant aliqui, quos, suppressis nominibus, refert Suarius; eo quod per professionem sint peculiariter dicati ad diuinum cultum.

Sed vt certum, Respondeo: Minime obligari ad recitandas Horas, ex vi iuris naturalis, diuini, aut suæ professionis. Quia per professionem solùm obligantur Religiosi ad id, quod per illam vouent: atqui minimè vouent Horas Canonicas recitandas, sed solùm tria essentialia vota: ergo. Sic Suarez *lib. 4. cit. cap. 17. num. 3.* & omnes communiter, vt *infra.*

Qvæstio VII.

An saltem, obligentur sub mortali dicti professi, ad recitandas Horas, ex naturali lege iustitiæ, respectu Christiani populi?

Affirmant multi. Eo quod hi Religiosi, qui in ordine ad Chorum professionem emittunt, ad hoc instituuntur ab Ecclesia, & ab ea approbantur, vt sint ministri eius ad orandum suo nomine pro ipsa, & propter hanc causam aluntur à Christiano populo: atqui orationes institutæ ad orandum suo nomine pro tota Ecclesia, sunt septem Horæ Canonicæ: ergo, &c. Ita sentiunt Nauarr. *in cap. Quando. c. 7. §. 4.* ex D. Anton. *3. p. tit. 13. cap. 4. §. 1.* Paludan. *in 4. dist. 15. quæst. 5.* Sotus *lib. 10. de Iust. quæst. 5. art. 3. vers. Arguitur.* (sic lege non *Agitur*, vt legi apud Sanchez) Turrecrem. *dist. 91. cap. Qui autem. num. 13.* Siluest. *verb. Hora quæst. 2.* & Tabiena *numer. 4.* Quos omnes pro hac parte refert Sanchez *vbi infra.*

Sed, longè multo probabilius, Respondeo. Nec ex hoc iure obligari. Quia Ecclesia approbans instituta Religionum, non propterea imponit eis specialem obligationem ad recitandas Canonicas Horas. Nec rursus, cum onere illas recitandi, aluntur suis Eleemosynis à populo; quia non elargiuntur illis, nisi, vt viuant, secundum eorum statum. Sic communiter DD. Suarez, *loc. cit.* Sanchez *lib. 7 consil. cap. 2. dub. 3.* Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 37. dub. 9. numer. 49.* Azor. *lib. 10. cit. cap. 6. quæst. 2.* Filliucius, Bonac. Palaus, Mallett. & alij communiter.

Qvæstio VIII.

An ad minus, dicti professi (vulgo Choristas*) obligarentur ex iustitia, ad dicendas priuatim Horas, casu, quo in fundatione conuentus, in pactum induceretur recitatio Horarum?*

Affirmabunt à fortiori Authores primæ sententiæ nuper positæ; nam videntur tunc teneri, ratione conditionis appositæ in fundatione.

Sed adhuc probabilius Respondeo. Adhuc, nec in hoc casu, teneri, ex vi talis conditionis, ad recitandas Horas priuatim, aut extra Chorum. Quia (admisso tali pacto) tunc solùm obligaret conuentum, non singulos. Sic Lessius *loc. cit.* & latius Suarez *loc. cit.* vbi duo dicit: Primum, *Quod nunquam soleat recitatio Horarum Canonicarum, dicto modo, in pactum deduci.* Secundùm, *Quod, admisso illo, ad summum concluderetur esse in corpore Religionis, seu in Conuentibus singulis obligationem ad dicendas Horas in Choro: non verò, quod hæc obligatio descendat ad singulos, qui Choro non adsunt.* Sic ille. *numer. 4. & 5.*

Qvæstio IX.

An, saltem obligentur sub mortali, dicti Choristæ, ad recitandas Horas priuatim ex vi Iuris Canonici?

Affirmatiuam sententiam tenere Aragonium 2. 2. *quæst. 82. art. 12.* ait Mallett. *Malleat. 30. Bract. 24 respons. 2.* Sed certè Aragonius, minime id affirmat. *Nam solùm* ait, *teneri præcepto Ecclesiæ; hoc est, ex vi constitutionum Religionum, quæ obligare ad culpam possunt, & etiam solum ad pœnam. Vnde loquendo de suis Religiosis ait, non esse dubium, quod nisi in Sacris Ordinibus sint constituti, ex vi suarum legum, quæ suos transgressores, non ad culpam, sed ad pœnam obligare velle dicunt, non tenentur sub mortali Choristæ Horas Canonicas dicere.* Ita ille *loco cit. dubit. 4. vers. explicatis iam. pag. mihi* 852. Quod re vera id non assereret, si sciret, aut assentiret ex vi iuris Canonici ad recitandas Horas obligari. Igitur,

Vt certum, Respondeo dicendum, minime obligari ex vi Iuris Canonici ad Horas priuatim dicendas. Quia certum est, tale ius non extare. Sic Communiter DD. præcipue mox adducendi; inter quos Sotus, Caietan. & Toletus.

Qvæstio X.

An ad minus, ex vi consuetudinis præscriptæ obligentur sub mortali præfati Religiosi Choristæ, ad dicendas priuatim Horas Canonicas?

Negant adhuc, hoc obligari titulo, multi Doctores. Eo quod putent, aut non dari talem consuetudinem, aut, si datur, non obligare ad mortale. Caietanus namque, *in summa verb. Horæ*, quem citat, & sequitur Armilla *ibi. numer. 4.* existimant, non dari talem consuetudinem, aut (vt melius loquar) dubitant, aut ignorant dari. Quod idem fatentur Medina *C. de oratione quæstio. 6.* Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 24. difficul. 9. dub. 8.* Nieua, Palacios,

& Ledesma, apud Sanchez. & nouissimè Brunus *in priuileg. Regul. par.2. tract.8. propositione 4. vers. Dixi in propositione pag.336.*

Alij verò, licèt fateantur dari talem consuetudinem, negant tamen obligare ad mortale. Quia consuetudo vim legis, aut præcepti habens, non inducitur ex actibus priuatis, sed ex publicis, & manifestis; vt docent communiter DD. cum Bonac. *de Consuetud. n.26.* sed recitare officium diuinum priuatim, & extra Chorum, est actio occulta, non manifesta, vt patet: ergo ex illa non potest induci consuetudo, quæ vim legis habeat: igitur consuetudo, quæ obligat Religiosum Choristam ad recitandum, est illa, quæ inducta est ex actione publica, & manifesta, nempe ex recitatione, quæ fit in Choro, non ex illa, quæ extra illum fit: obligabit igitur illum sub mort. vt in Choro cum aliis recitet, non priuatim extra Chorum. Ita tenent Franciscus Bordonus *in Consiliis Regular. Resol.30. num.2.* Caramuel *in Theolog. Regulari disp.102. art.2. n.1343.* Petr. Marchant. *in Tribun. Sacrament. to.2. tr.2. par.2. tit.3. sect.1. q.2.* & Lessius *in Resolut. casuum conscientiæ post. 1.2. D. Thomç. verb. Horç Canonicæ, casu 14.* quos omnes pro hac parte, sic citat Diana, *vbi infra.* Martinus de S. Ioseph, *tom.1. summæ lib.1. de Ordine. tract.10. n.3.* vbi citat pro se, Alphonsum de Castro *lib.4. de lege pœnali c.8.* Medinam Complutensem *c. de Oratione tr.6.* & Armillam *v. Horæ Canonicæ.* Sed ex his Medina id non asserit, solùm nam dubitat, an sit talis consuetudo. Ait enim, non teneri ad Horas ex vi professionis; sed vel ratione Regulæ, si hoc præcipiat; vel ratione consuetudinis, *si in Religione talis sit:* In quo verbo vltimo, solùm videtur de consuetudine dubitare, vt bene vidit Suarez. Deinde Armilla non discedit à iudicio, & sententia Caietani, de qua diximus. Sentiunt tamen hanc sententiam probabilem, Machado *to.2. lib.5. par.2. docum.1. n.1.* & Sà in antiquis, *verb. Horæ Canonicæ n.1.* vbi ita scripsit: *Quidam tamen, & Moniales, & eos omnes, qui non sunt in Sacris, obligatione liberant: quod, & si probabile, non est in vsu.* Ita Sà. His omnibus addo Ludouicum à S. Ioanne *in Sum. q. vnica de Oratione art.10. dub.2. concl.3.* vbi ita ait: *los Otros Religiosos professos, y professas, no estan obligados à rezar el officio diuino por si, en razon de su profession, ò de algun precepto hasta que se ordenan de Orden Sacro, saluo quando estan en el Choro, segun la costumbre de las Religiones.* Sic ille.

Sed contra alij communiter docent; Teneri sub peccato mortali, ac obligari Choristas ad recitandas priuatim, quando Choro non adsunt, Horas Canonicas, ratione consuetudinis receptæ, quę habet vim legis obligantis ad mortale. Ratio sit. Quia omnes communiter Doctores testantur de consuetudine introducta in omnibus fere Religionibus: atqui ex alia parte, est materia grauis, & acceptata, vt necessaria ad implendum debitum in illo Religioso statu: ergo obligabit ad mortale. Sic Sotus *lib.5. de Iust. q.5. art.3.* Nauarr. *c.25. n.97.* Suarez *de Relig. to.2. lib.4. c.17. n.6.* & apud illum, Siluest. Durantus, Panormitan. Palud. & Antonius. Azorius *par.1. lib.10. cap.6. qu.1.* Toletus *lib.2. c.12. n.8.* Filliuc. *tom.2. tract.23. cap.5. n.150.* Lessius *lib.2. c.37. dub.9. n.47.* Macignus *tract. de Horis Can. cap.13. n.28.* Malderus *2.2. tract.10. cap. . dub.3.* Gauant. Bellochius, Aragon. Conradus, Graffius, Portel. Ioanne de Cruce, & alij plurimi, quos citat, & sequitur Diana *par.2. tract.12. Resol.17. & par.3. tract.2. Resol.96. & par.6. tract.8. Resol.12. & par.7. tract.11. Resol.4. & p.9. tractat.6. Resol.7. & par.10. tract 11. Resol.45. & par.11. tract.1. Resol.25. quæsito 3. & tract.2. Resol.10. & tract.3. Resol.17.* Nouem enim vicibus, hanc quæstionem exagitat. Sic etiam Sanchez *lib.7. consil. cap.2. dub.3.* Trullench. *in Decal. lib.1. cap.7. dub.12. §.1. n.1.* Vazquez *de Benefic. cap.4. §.1. dub.11.* Bonacina *disp.1. de Horis Canonicis qu.2. punct.2. à n.1.* Palaus *disp.2. de Orat. pun.1. §.3. num.1.* Bardus *in selectis lib.8. qu.1.* Ferdinandus de la Naue *tract.1. cap.9. de obligat. Monial. recitandi offic. diuinum.* Tamburinus *in Decal. par.2. lib.2. cap.5. §.1. num.13.* Bertrandus Loth. *in Resol. Theolog. tract.23. quæst.1. art.8.* Ioan. Martinez de Prado *tom.1. Theolog. Moral. cap.3. quæst.14. num.45. & tom.2. cap.30. quæst.6. §.3. numer.25.* Eusebius Herrera *in Decision. Moralib. de statu Religion. decis.8. numer.2.* Hinojosa *in Director. decis. Regul. verb. Horæ Canonicæ.*

Sed ego clarius, ac distinctius Respondeo, *Primo,* tanquam certum, sic: Monachi Choristæ, professi in aliqua Religione, in qua nullo modo est consuetudo, vt obligentur Choristę ad recitãdas priuatim Horas, dum absunt à Choro; non tenentur sub aliqua culpa ad illas recitandas. Ratio est. Quia hæc obligatio, est orta ex consuetudine, vt constat ex hucvsque habitis: ergo, vbi ea non est recepta, non obligabuntur. Confirmatur: quia certum est, quod non detur vniuersalis consuetudo obligans omnes Religiosos ad recitationem diuini officij; patet, quia plures sunt, qui hanc obligationem non assumunt; vel quia tantùm sunt deputati ad opera misericordiæ corporalia; vel ad bonum litterarũstudium, vt sunt Doctissimi, & deuotiss. Patres Societ. Iesu, qui istud particulare onus recitãdi non assumunt, quovsque Sacro Ordine initientur. Sic communis. Sanchez præcipuè, *lib.7. Consil. c.2. dub.3. n.7. &* 8. & penes ipsum, Caiet. Armilla, Nieua, Ledesma, Angles, & alij. Medina *in sum. lib.1. c.14. §.11.* ibi: *Acerca de aquello, que todos los Professos de todas las Ordenes diputados al coro, estan obligados à rezar las siete Horas Canonicas, ha se de aduertir, que esta obligacion non consta por ley, ni precepto, ni se collige suficientemente, porque son professos, ò professas dedicadas al Coro: porque ni la Religion de S. Iuan, ni de la Compañia, ni sus Reglas ponen tal obligacion a los Professes, aunque sean del Coro, antes les auisan, que no estan obligados à rezar el officio diuino, hasta que sean de Orden Sacro.* Sic ille. Et Mallett. *loc. cit. Bractea 24.*

Respondeo *Secundo*, etiam vt certum, quod nec Religiosi Choristæ Religionum habentium priuilegium Pontificium, ad hoc vt non teneantur ad Horas, quovsque Sacro Ordine initientur, obligentur ad illas recitandas dum in statu Choristarum manent Ideoque, vt certum est dicendum, quod professi Choristæ Ordinis S. Benedicti nondum in Sacris constituti, non teneantur ex debito ad horas recitandas, quia ad id habent priuilegium concessum ab Eugenio IV. refert Antonius Hinojosa *in Directorio. verb. Horæ Canonicæ pag.283.* sicuti etiam idem priuilegium ad maiorem abundantiam habent Patres Societatis Iesu, concessum à Gregorio XIII. vt ait. Hyacinthus Donatus *in praxi Regular. tom.1. tract.7. quæst.14. num.10.* & ex illis, Diana *par.11. tract.3. Resol.17.*

Respondeo *Tertio.* Religiosi Choristæ professi in Religione, in qua ex consuetudine recepta, & inueterata, recitant omnes Horas Canonicas, verè obligantur sub mortali ad illas priuatim persoluendas, quando non adsunt Choro. Quia talis consuetudo illos instar legis, ac præcepti obligat. Sic omnes DD. citati pro secunda sententia.

QVÆSTIO XI.

An, Priuilegium concessum Patribus Benedictinis, & Societati, vt eorum Choristæ, non teneantur persoluere Horas Canonicas, donec initientur Sacris; sit communicabile aliis Religionibus?

AFfirmant aliqui, quos, suppressis nominibus, refert Diana *par. 11. tractat. 3. Resol. 17.* eo quod existiment, priuilegia alienæ Religioni concessa, per generalem communicationem factam à Pontifice, communicari alteri.

Sed omnino Respondeo dicendum, tale priuilegium non esse communicabile aliis Religionibus. Quia re vera contrauenit, aut Regulæ, aut obseruantiæ perpetuæ aliarum Religionum. Sic optime Hinojosa *loc. cit.* Ita dicens: *Eugenius IV. concessit Monachis S. Benedicti, quod Clerici professi in Sacris non constituti, ad Horas Canonicas recitandas ex debito, minime teneantur: quia vero communicatio priuilegiorum semper censetur valida, nisi contraueniat, vel professioni, vel obseruantiæ Religionis, alias multa concessa laxioribus nullo modo communicantur strictioribus, quia ad ædificationem, non ad destructionem dantur. Ideo huius priuilegij communicatione non gaudent cæteri Mendicantes, vtpote repugnantis eorum obseruantiæ, & salubri consuetudini.* Sic ille. Necnon Hyacinthus Donatus, & Diana, *locis nuper citatis.* Qui id confirmant ex vsu omnium Religionum, quæ nunquam aussæ sunt dictis priuilegiis vti.

QVÆSTIO XII.

An saltem, excusaretur à mortali, Religiosus Choristæ, Sacris non initiatus, qui semel, aut iterum, omitteret officium diuinum?

AFfirmat Aragonius *2. 2. qu. 83. art. 12. dub. 4. concl. 3.* Quia ex consuetudine orta ex præcepto Regulæ tenentur dicti Choristæ ad diuinum officium: atqui talis consuetudo non videtur ita grauem obligationem inducere: ergo. Aragonium sequitur nouissimè Oliuerius Bornatius *de Horis Canon. lib. 1. cap. 3. n. 12.* Quorum sententiæ fauere Sotum *de Iust. lib. 10. quæstio. 5. artic. 3.* & Thomam à Iesu, ait Diana *p. 5. tractat. 5. Resol. 26. in fine.* Tenet etiam à fortiori Bruno *de priuileg. par. 2. tract. 8. c. 4. propos. 4. versu Quæ autem.*

Sed vt quid certum, Respondeo. Non excusari à mortali. Quia consuetudo dicendi Religiosos dictos, diuinũ officium, est instar præcepti, quod habent clerici constituti in Sacris: at hi omnino peccant mortaliter omittentes semel adhuc diuinum officium, vt cum communi diximus *par. 2. tract. 6. disp. 13. q. 29.* ergo & Choristæ. sic tenent Suarez *lib. 4. c. 17. nu. 6.* vbi id late & optime, vt semper, probat. Diana *par. 5. tract. 5. Resol. 26. in fine*, (vbi non bene ait Aragonum docere absolute, quod non peccet mortaliter ratione paruitatis materiæ, quisquis semel, aut iterum omittat officium. Nam Aragonius solùm loquitur de Choristis, vt videri est) *& par. 7. tractat. 11. Resol. 4.* Martinez de Prado *tom. 2. cap. 30. quæst. 6. §. 3. num. 28.* (vbi ait non videre, quo fundamento Diana dicat, Sotum fauere Aragonio.) Mag. Ioann. à S. Thoma *disputat. 28. art. 5. fol. 380. col. 1.* vbi ait sententiam Aragonij esse intolerabilem, & communiter reiectam. Palaus *disputat. 2. de oratione punct. 1. §. 3. num. 3.* & alij.

An autem Religiosus Choristæ excusaretur à mortali, casu, quo ex causa rationali recitaret loco Horarum Canonicarum officium diuinum laicorum, seu Conuersorum Religiosorum: dicam *infra q. 33.*

QVÆSTIO XIII.

An, Religiosus Choristæ qui in priori Religione tenebatur ratione consuetudinis, recitare Horas Canonicas; teneatur etiam, si transeat ad aliã Religionẽ, in qua non est talis consuetudo?

REspondeo, Tunc non teneri, donec Sacris initietur. Quia debet sequi institutum illius Ordinis ad quem se transtulit. Sic communis. Bonac. *disp. 1. de Horis Canonic. q. 2. pun. 2. n. 2.* Qui citat Suar. Aragon. Trullench. *lib. 1. in Decal. c. 7. dub. 12. §. 1. n. 3.* Layman. *lib. 4. tr. 1. c. 4. n. 3.* Escobar *tract. de Horis Canon. q. 3. §. 4. n. 17.* Diana *par. 10. tr. 11. Resol. 45. in fine* Pater Hermannus, *in Medulla Theolog. Moralis libro 4. cap. 2. dub. 2. art. 1. Respons. 2.*

QVÆSTIO XIV.

An, etiam excusetur à recitatione Horarum Religiosus Choristæ, casu, quo à Prælato reducatur ad statum Religiosorum laicorum?

NEgatiuam sententiam esse probabilem clare innuit Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 6. quæst. 7.* cum oppositam probabiliem solùm dicat, & vt talem teneat. Sequenturque illam à fortiori, qui negant posse Superiores Religionum aliquem Religiosum Choro deputatum ad statum laicorum, vel Conuersorum transferre. Hi sunt Doctissim. Nauarrus *in c. Quando. quæst. 22. num. 20. de Consecratione* Raphael de la Torre *controu. 6. de Horis disp. 2. num. 10.* & Ioannes à Sancto Thoma *disp. 28. art. 5. quæst. 3.* Portel *verb. Horæ Canonicæ, num. 13.*

Sed vt clarius procedam, Respondeo, *Primò* longè probabilius est, quod possint Prelati Superiores Religionum transferre aliquem Religiosum professum Choristam ad statum laicorum, seu Cõuersorum. *Primo.* Quia id docet praxis. *Secundo.* Quia in dicto casu, non variatur Religionis substantialis status; cum idem illæsus maneat; nec talis Choristæ ad aliam Religionẽ transfertur, sed eum eisdem illiusmet numero Religionis votis, verus illius Religionis alumnus manet: ergo. Sic communis Sanchez *lib. 6. sum. c. 7. n. 80.* Bordonus *in Consil. Regular. to. 2. Resol. 54. n. 229.* quos citat, & sequitur Diana *p. 9. tract. 7. Resol. 74.* Martinez de Prado *tom. 2. cap. 30. quæst. 6. §. 4. à num. 39.* qui contra suos alumnos sapientissimos ex praxi suarum legum clare id probat his adde Tamburinum *libro 2. in Decalog. capite 5. §. 1. numer. 15. &* Hac ergo responsione supposita, vt directè quæstioni fiat satis.

Respondeo *Secundo*, Religiosus professus Choristæ, verè excusatur à recitatione, & penso Horarum Canonicarum, in casu, quo auctoritate, & iussu superiorum, reducatur ad laicorum, seu Conuersorum statum. Probatur. Quia obligatio recitandi Horas, non oritur ex vi, & natura Religionis, sed ex consuetudine, & ex eo quod Religiosus deputatur ad Chorum; vt *supra* est habitum: ergo, qui legitima Superiorum auctoritate, liberatur penitus, à Choro,

eo ipso à lege Horarum Canonicarum solutus censetur. Deinde Beneficiarius, si Beneficium deponat, ac Sacris Ordinibus non sit initiatus, ab eodem onere excipitur: ergo similiter Religiosus, qui à Choro diuellitur, ab eodem onere liberatur. Sic Sotus *de Iust. libro* 10. *quæstio.* 5. *art.* 3. §. *Quod autem* & §. *Ad aliud.* & ex illo Azor. *quæst.* 7. *citata.* Suarez. *libro* 4. *de Horis Canon. cap.* 17. *num.* 7. Aragon. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. *dub.* 4. *in* 4. *argum.* ibi: *Nam si frater aliquis ex Chorista fieret laicus, ad quod sola Prælati voluntas est sufficiens, non teneretur diuinum officium persoluere ad modum aliorum Fratrum, qui Choro inseruiunt, vt omnes Doctores fatentur.* Sic ille. Quia vt vides, vtramque nostram responsionem docet. Petrus Ledesma *in sum. tom.* 2. *tractat.* 9. *capit.* 4. *vers. Acerca deestas conclusiones, pag. mihi* 591. Pellizzarius *tom.* 1. *Man. Regul. tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 69. Thom. Sanchez, Tamburin. Bordonus, Prado, & Diana *loc. citatis.* Villalob. *tom.* 1. *tract.* 24. *diff.* 9. *num.* 11. Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 7. *dubit.* 12. §. 1. *num.* 2. *in fine.* Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 5. *quæst.* 2. *num.* 153. & alij. Quia secus dicunt de Religioso laico, qui authoritate legitima reducitur ad statum Choristarum: nam tunc tenebitur ad Horas, sicuti alij deputati ad Chorum. Legatur Ledesma *loc. cit. vers. De la resolucion. desta duda.*

Quæstio XV.

An, Religiosus deputatus ad Chorum, & nondum Sacris initiatus, eximatur ab onere recitandi Horas, casu, quo à Pontifice sit dispensatus, vt extra claustrum, ad tempus duntaxat viuat?

Respondeo, Tanquam certum: Quod non. Probant aliqui, ex eo quod non sit à Choro & à cantu in perpetuum liber. Sed hæc ratio non est mihi sufficiens, erit illa quam quæstione sequenti ex aliis dabo. Sic omnes DD. præcipue Azor. *lib.* 10. *cap.* 6. *quæst.* 8. Suarez *cap.* 17. *cit. num.* 8. Bonacina *punct.* 2. *cit. numero* 4. Sotus, Sanchez, Palaus, & alij mox citandi.

Quæstio XVI.

An saltem eximatur dictus Religiosus, si dispensatus sit, vt perpetuo extra claustra viuat?

Affirmant tunc, iam eximi ab onere recitandi Horas: eo quod tunc vere liberatur à Choro, ratione cuius, consuetudine, & vsu eiusmodi onus exiſtit: ita Azor. & Bonacina *loc. cit.* Necnon, Sotus *lib.* 10. *de Iust. quæstio.* 5. *art.* 3. & Sanchez *libro* 8. *de Matrim. disput.* 8. *n.* 11. apud ipsum; Et Trullench. *vbi infra*; sed Sanchez, non loquitur ibi de proposito casu, sed de proponendo quæst. sequenti, & constabit ex ore eiusdem statim. Hanc sententiam vt probabilem satis defendit Tamburin. *libro* 2. *in Decalog. cap.* 5. §. 1. *num.* 9. *in fine.* licet dicat probabiliorem contrariam; quod miror.

Sed Probabilius, Respondeo. Quod nec in eo casu, eximatur ab onere recitandi dictus Religiosus dispensatus, vt retento habitu, viuat perpetuo, extra claustra. Quia nec tunc mutat statum Religiosi professi Choro deputati, ex quo & non aliunde oritur in Religioso obligatio recitandi officium diuinum: ergo. Sic in primis Sanchez *lib.* 7. *consil. c.* 2. *dub.* 4. *num.* 7. his verbis: *Professus ad Chorum, qui iusta dispensatione, viuit extra Monasterium, & si semper sic viuat, tenetur ad Horas, modo cum ipso dispensatum non sit in aliquo trium votorum Substantialium Religionis. Ratio, quia adhuc manet Religiosus, & Choro deputatus, sicut, si esset intra Monasterium, & ex licentia non iret ad Chorum.* Sic Nauarr. *vbi supra* (*nempe, c. Quando. c.* 21. & *c.* 7. *n.* 20.) & nonnulli Recentiores Docti. Hæc Sanchez. Suarez etiam *lib.* 4. *de Horis Can. c.* 17. *n.* 8. Palaus *disp.* 2. *de Oratione punct.* 1. §. 3. *num.* 3. *vers. Dubium tamen est.* Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 7. *dub.* 12. §. 1. *num.* 4.

Quæstio XVII.

An ad minus, eximatur ab onere dicendi Horas Religiosus Choristа, non initiatus Sacris; qui dispensationem obtinuit ducendi vxorem, & iam è Monasterio exiit, vt illam ducat?

Negat ex eo tempore à tali onere eximi; sed ab eo solùm quo iam de facto vxorem duxit, Rodriguez *tom.* 1. *sum. in* 2. *edit. cap.* 141. *nu.* 14. Ratio eius est. Quia antequam ad nuptias transeat, non desinit esse Religiosus, cum nondum statum incompatibilem assumpserit: ergo non est exemptus ab eius status oneribus.

Sed probabilius Respondeo: Verè eximi ab onere dicendi Horas, & ab eo tempore, quo talem Choristam habitum Monachalem exuit, induens vestes sæculares, vt dispensatione vtens, matrimonium ineat. Quia ab eo tempore liberatur à cæteris monasticæ vitæ oneribus: ergo eodem modo liberatur ex tunc ab onere Horas dicendi. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 8. *n.* 11. & *lib.* 7. *consil. c.* 2. *dub.* 4. *n.* 8. per hæc verba: *Si cum Monacho degente extra Monasterium, esset iustè dispensatum in voto Castitatis, vt posset vxorem ducere, non teneretur, recitare, quia iam mutat statum, & desinit esse Choro deputatus.* Sic Nauarr. *c. Quando.* Hispane *c.* 7. *n.* 20. & alij. Sed ipsemet Nauarr. *cap. Quando.* Latinè, *eod. c.* 7. *n.* 20. *hoc limitat si dispensatio in voto esset talis, vt desineret esse Religiosus: quia per solam facultatem ducendi vxorem, non desinit esse Religiosus, vt ipsemet docet in Apolog. ad lib. de reddit. q.* 1. *Monit.* 56. *&c. sed mihi non placet hæc limitatio.* Hæc Sanchez. Legatur ipse *de Matrim. loc. cit.* Sic etiam tenent Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 4. & Trullench. *n.* 4. qui citant pro hac parte Azorium *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 5. *q.* 5. & Rodriguez *loc. cit.* sed male. Quia inprimis Azorius, ibi solùm loquitur de Subdiacono vxorem ducente cum facultate Pontificis; & de hoc clare dicit oppositum; nempe, *Non ideo esse solutum ab onere recitandi Horas subesse tamen causam, qua Romanus Pontifex huiusmodi Subdiaconum soluat lege preces Canonicas recitandi, eo quod difficile, & graue sit onus clerico rei familiari, & vxoriæ vacanti.* Sic ille. Rodriguez autem, non absolute nostram sententiam docet, sed limitate, vt vidisti. Tenent tamen nostram sententiam Mallett. *Malleatione* 40. *bractea* 25. & alij.

Quæstio XVIII.

An, Monachus Choristа fugitiuus, teneatur sub mortali Officium diuinum dicere?

Negat Bonacina *disput.* 1. *de Horis Canon. quæst.* 2. *punct.* 2. *numer.* 6. Quia constituitur, inquit, in

statu,

statu, in quo non est consuetudo recitandi diuinum officium. Citat pro se Sotum, & Angelum. Sed vtrumque malè, quantum ad hoc, sententiam tamen Bonacinæ refert, & in secundo loco, Diana *part. 2. tract. 12. Resol. 18.* & transiit, illa relata, sed eam vt probabilem amplectitur Tamburin. *loc. cit.*

Sed ego, pedem figendo, longè multo probabilius Respondeo teneri sub mortali dicere diuinum officium. Quia Religiosus fugitiuus non amittit statum religiosum, ob fugam: ergo non exoneratur ab oneribus, quæ professionis annexa, etiam ex consuetudine, sunt, possuntque in illo statu adimpleri, quale est onus Horas recitandi: ergo. Sic Nauarr. *de Oratione cap. 7. num. 19. & 20.* Quem citat, & sequitur Suarez *lib. 4. de Horis Canon. capit. 17. numer. 9.* Azor. *lib. 10. cap. 6. quæst. 5.* Filliuc. *tract. 23. cap. 5. quæst. 2. dicto 4. num. 153. in fine* Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 37. dub. 9. num. 50.* Palaus *punct. 1. cit. §. 3. num. 5.* Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 4. num. 2.* Villalob. *tom. 1. sum. tra. 24. diff. 9.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 7. dub. 12. §. 1. n. 4.* qui pro contraria sententia citat Dianam, *vbi supra.* Mallet. *tom. 1. de Malleatione 30. Bractea 24. vers. secundum dubium.*

QVÆSTIO XIX.

An item, Monachus Choristа, qui ob delictum aliquod, per sententiam è Monasterio est eiectus; teneatur etiam officium recitare diuinum?

NEgat Bonacina *loc. cit.* Quem citat, & videtur sequi Diana, *vbi suprà.* Quibus addo Lessium *num. 50. cit.* vbi inquirens, vtrùm Monachus fugitiuus, vel eiectus, teneatur ad dicendas Horas? Respondet, *Teneri fugitiuum, quia potest redire, & par non est, vt ex sua malitia, qua abest, commodum referat. Eiectum tamen non teneri; quia suo arbitrio se non separauit, & non est in ipsius potestate redire. Deinde videtur, non esse consuetudo, vt tales recitent Horas, nisi sint in Sacris.* Ita Sotus. Hucvsque Lessius, & Sanchez *lib. 8. de Matrin. disput. 8. num. 11.* licet maiori cum distinctione oquatur *lib. 7. consil. cap. 2. dub. 4. num. 3. & 4.* Ait enim, *Teneri eiectum ad recitandas Horas, si per ipsum stat, quominus ad Religionem admittatur; minime vero, si per ipsum non stet, nisi habeat Ordinem Sacrum.* Sic ille. Qui pro hac suæ sententiæ secunda parte citat Sotum, Aragon. Lessium, Philiarcum, Sa, Sayrum, & alios. Quibus adde Mallet. *loc. cit.* Trullench, & Villalobos *supra* citatos.

Sed ego absolute, & sine distinctione vlla probabilius Respondeo dicendo; quod verè teneatur ad recitandum officium diuinum, etiam casu, quo per talem eiectum non stet, quo minus ad Religionem admittatur; nec habeat Ordinem Sacrum. Ratio est: Quia Religiosus è religione eiectus, semper manet Religiosus talis status: ergo cum obligatione exequendi quidquid ad illum pertinet, aut est annexum; atqui illi vere est annexum onus officij diuini recitandi: ergo ad illud absolute tenebitur, si alias commode potest. Sic Nauarr. *cap. 7. de Horis Canon. num. 20.* quem sequuntur Suarez *num. 9. cit.* & Azor. *cap. 6. cit. qu. 6.* Palaus *n. 5.* Filliuc. *n. 153. in fine.* & alij. Addo tamen per accidens sæpe sæpius excusari possit, vt statim dicam.

QVÆSTIO XX.

An deinde, Monachus Choristа, per sententiam ad triremes damnatus; sit ad Horas recitandas obligatus?

NEgant consequenterque omnes Authores primæ sententiæ nuper adducti, præcipue Sanchez *lib. 7. consil. cap. 2. dub. 4. num. 6.* Sotus, & Henriquez, apud ipsum. Bonac. Mallet. & alij. Qui omnes loquuntur de Monacho professo, non habente Ordinem Sacrum.

Sed adhuc ego probabilius Respondeo dicendum, quod sit per se ad Horas recitandas obligatus: quamuis per accidens excusari possit, imo, & de facto excusetur communiter. *Prima pars* huius responsionis est Authorum, quos pro nostra citauimus sententia, antecedenti quæstione. Est enim par ratio de eiectis, ac de ad triremes damnatis. Et ad hominem probatur rursus, contra Sanchez, & alios. Nam ipsimet docent, quod si Religiosus damnatus ad triremes est initiatus Sacris teneatur per se ad recitandas Horas: atqui obligatio Choristarum ad easdem Horas dicendas est adinstar obligationis, quam Sacris initiati habent, vt *supra qu. 10.* est habitum: ergo. Sic Authores mox citandi.

Secunda pars constat etiam, quia communiter ad triremes damnati (& idem est dicendum de eiectis) excusantur ab onere recitandi; tum ob impotentiam moralem; tum ob defectum Breuiarij; tum ob dedecus, quod Religioni, & sibi afferret, si se esse Religiosum manifestaret: tum denique, quia videtur Papa dispensare, eo ipso quod authoritate eius triremibus damnatur. Sic Nauarr. *cap. 7. de Orat. nu. 20.* Azor. *lib. 10. quæstion. 6. in fine.* Suarez *lib. 4. cap. 17. num. 9. in fine.* Palaus *num. 5. cit.* Petr. Ledesma *in sum. p. 2. tract. 9. cap. 4. col. mihi 21. vers. Toda via.* vbi per hæc verba nostræ difficultati respondet. *A esta dificultad se ha de responder, que ami parecer, el tal no auiendo comodicad para rezar el officio diuino, esta escusado de receale. y lo comun y Ordinario es, que no tienen comodidad de rezar el officio diuino, Porque suelen ser tantas y tan grandes las ocupaciones, que moralmente no pueden rezar. Particularmente que el echar los tales a Galeras o asemejantes lugares (como son minas de azogue o de plata) se haze con authoridad del sumo Pontifice, el qual consiguiente mente parece que dispensa en el rezo.* Sic Ledesma, & sic etiam Tamburinus *lib. 2. in Decal. c. 5. §. 1. n. 9. in fine.*

QVÆSTIO XXI.

An, Religiosus ad Chorum deputatus, teneatur ad totum officium diuinum illius diei, in qua professionem emisit?

REspondeo vt certum: Non teneri. Quia ad summum, iuxta communem opinionem, solum tenebitur ad Horas, quæ post professionem recitandæ supersunt. Difficultas ergo de iis solùm remanet. Cui satisfaciam abundè infra §. 3. *q. 50.* vbi illam de subdiaconis loquendo, disertè exagitabimus.

QVÆSTIO XXII.

An, Religiosi militares S. Ioannis, teneantur Horas Canonicas recitare?

REspondeo vt certum : Non teneri. *Primò* quia non ad Chorum, sed ad militiam sunt destinati. *Secundò* Quia sic inter eos obtinuit consuetudo. Sic communis Metina *in sum.cap.*14.§.11. cuius verba habes, *supra quæst.*10. Palacios *in* 4.*dist.*14.*disp.*9. Nauarrus *cap.*7.*num.*22. Sanchez *lib.*7.*consil. cap.*2. *dub.*3.*num.*9. Lessius *lib.*2. *capite* 37.*dub.*9. *num.*49. Suarez *lib.*4.*de Horis cap.*17.*num.*1. Trullench *lib.*1. *in Decal.cap.*7. *dub.*12.§.1. *in fine.* & alij. Notat tamen Nauarrus, quod in ordine isto S. Ioannis, inueniuntur aliqui Religiosi, qui profitentur ad Chorum, & hi obligantur ad Horas : non vero illi qui profitentur ad bellum, de quibus diximus esse certum, non obligari.

QVÆSTIO XXIII.

An saltem dicti Equites S. Ioannis, teneantur, sub mortali, recitare eas preces, quas loco Horarum præscribit, vt recitent, eorum Regulæ?

AFfirmat Isla *in Commento super Regulam Commendatorum Diui Iacobi capit.*6. *initio.* vt refert Sanchez *vbi infra.*

Sed vt ferè certum Respondeo, Non teneri tales preces sub mortali recitare. Quia eorum Regula, vi cuius ad illas recitandas obligantur, non ponit verba ad mortale obligantia. Nam *capit.*6. sic dicitur : *Quando no pudieren oir las Horas deldia, digan los Martyres* &c. & Confirmatur quia *capit.*7. eodem tenore sic dicitur: *Oygan cada dia Missa.*& tamen ad id non obligantur, sub mortali, vt ipsemet Isla fatetur *ibi :* ergo. Sic meus Nauarrus *capit.*7.*de Horis, numer.*23. *iuncto* 22. Sanchez *lib.*7. *consil. capit.*2. *dubitat.*5. Trullench *lib.*1.*in Decalog. capit.*7.*dub.*12. §.1.*fine.*

QVÆSTIO XXIV.

An, Fratres professi tertiæ Regulæ S. Francisci, nec Sacrum Ordinem, nec beneficium habentes; teneantur ad Horas Canonicas?

REspondeo vt certum : Quod non. Quia non sunt propriè Religiosi : cum eorum Regula non sit tam Religio, quàm modus viuendi, vt dixit Glossa singul. *in Clemen. Cum ex eo. de Sent. excomm. lib.*3. *recepta* per omnes. Sic Nauarr. *capit.*7. *cit. numer.*24. vbi (*in noua impressione*) bene notat, hoc non esse intelligendum de viuentibus in Congregatione, & emittentibus tria vota substantialia; quia hi verè sunt Religiosi, vt colligitur ex duobus Constitutionibus Pij. V. quarum quælibet incipit, *Ea est.* Sanchez *cap.*2. *cit. dubit.*3. *numer.*10. Caiet. *verb.Horæ,*& Nieua apud ipsum. Trullench *dub.*12. *cit.*§.1.*num.*2.*fine.*

QVÆSTIO XXV.

An, Iosuati, Eremitæ, & huiusmodi, teneantur ad Horas Canonicas dicendas?

AFfirmat Tabiena *verb.Horæ* §.8.casu, quo habeant votum, nec possint ad sæculum redire, habeantque suum viuendi modum cum Ecclesiæ approbatione.

Sed, vt mihi certum, Respondeo, Non teneri; nisi aliàs esset inter eos consuetudo, ex qua crederent se esse obligatos. Sic Armilla *verbo Horæ nu.*5. ibi : *De aliis autem vt sunt Iosuati, Eremitæ, & huiusmodi, licèt habeant votum, & non possint redire ad sæculum, non credo eos magis teneri, quàm Clerici Religiosi non existentes in Sacris, vel Conuersi. Possent tamen ex consuetudine, quæ esset inter eos de officio dicendo, ex qua crederent se ex præcepto obligatos teneri.* Sic Armilla, quem citat & sequitur Sanchez *dub.*3. *cit.num.*11.

§. II.

De Monialibus.

QVÆSTIO XXVI.

An, Moniales professæ, & destinatæ ad Chorum, teneantur ad horas Canonicas priuatim dicendas, ex vi Iuris naturalis; seu, suæ professionis; aut ex vi legis iustitiæ; aut denique, ex vi præcepti Ecclesiastici?

REspondeo contra Nonnullos, quos *sup.quæst.*6.7. 8.& 9. retulimus. Non teneri, vllo, ex iis assignatis, titulo. Quod (à fortiori) probant, argumenta, quibus, *locis citatis*, probauimus, non teneri Religiosos Choristas aliquo titulo ex recensitis, ad recitandas Canonicas Horas. Sic communiter DD. præcipuè *ibi* citati.

QVÆSTIO XXVII.

An saltem, teneantur ex vi consuetudinis ad mortale obligantis, dicere priuatim Horas, dum à Choro absunt?

NEgant, & à fortiori, Bordonus, Caramuel, Brunus, Marchantius, Lessius, Martinus de S. Iosepho, Castro, Armilla, Ludouicus à S. Ioanne, citati pro defensione Religiosorum Choristarum supra *quæst.*10. Quorum doctrinam, esse à fortiori admittendam, loquendo de Monialibus professis, probari potest sic. Nam Moniales non possunt introducere consuetudinem, quæ habeat vim legis obligantis ad mortale : ergo consuetudo, quam habent recitandi priuatim extra Chorum Horas Canonicas, dum ab illo absunt, non obligabit illas sub mortali : atqui nullo ex alio capite ad recitandum illas tenentur : ergo non delinquent lethaliter eas priuatim non recitando. Maior, in qua est difficultas probatur à Pasqualiguo *decisione* 415. Quia, qui non habent iurisdictionem, & potestatem condendi leles, non possunt inducere consuetudinem, quæ obliget

liget per modum legis, vt docent Bart. *consil. 136.* Alexand. *consil. 173. num. 12.* Roland. qui testatur de communi *consil. 5. numer. 74. & 76. lib. 1.* Tiraquel. *tract. de Primogenit. quæst. 16. num. 2.* Greg. XV. *decis. 162. num. 2.* & alij. Et ratio est manifesta: quia consuetudo ex se, non habet vim obligandi, sed debet ab eo accipere, qui potest obligare, solùm autem qui habet iurisdictionem, & potestatem condendi leges potest obligare imponendo nouas obligationes. Tunc sic: sed sic est, quod Communitas mulierum, non habet iurisdictionem, & facultatem condendi leges; quia secundum suam naturam subiecta est, & exigit extrinsecùs à quo regatur, & iuxta Dei institutionem subiecta est viris: ergo nec habebit potestatem inducendi consuetudinem obligantem ad instar legis, vt inter alios, expresse docent Bartol. *in leg. 1. ff. de legibus.* Abbas *consil. 53. num. 1. part. 2. & in cap. Cum tanto num. 8. de Consuetud.* Baldus *in l. fin. de legib.* Socinus *consil. 7. vers. circa secundum. part. 1.* quos ipsemet Pasqualigus sequitur, *loco cit.*

Sed ego, longe multò probabilius, longeque verius Respondeo: teneri dictas Moniales ad recitandas priuatim Horas Canonicas sub mortali, ex vi consuetudinis.

Primo. Quia longe multo probabilius est, quod communitas fœminarum possit, sua consuetudine, ius inducere obligans ad mortale, vt docet Bonacina *tom. 3. disp. 1. quæst. 2. punct. vltimo, §. 3. num. 15.* ex Suario, & Salas, quos refert, & sequitur diana *part. 6. tract. 8. Resol. 12.* ergo vbi talis consuetudo ab illis fuerit inducta, vt priuatim Horas recitent, obligabit ad mortale.

Secundò. Quia certum est, (saltem) quod consuetudo Monialium acceptata à Prælato potest inducere legem Moniales obligantem ad mortale: atqui longè multo probabilius est, ac verius, quod consuetudo, quam Moniales habent recitandi priuatim Horas, inducta sit approbatione, saltem tacita, Prælati: ergo talis consuetudo vim legis habebit. Ex quibus iam patet ad argumentum Pasqualigui. Et ideo hanc nostram sententiam tenent omnes fere Authores citati pro nostra sententia sup. *quæst. 10.* inter quos præcipue videndus est Diana *part. 2. tract. 12. Resol. 17. & part. 3. tract. 2. Resol. 96. part. 6. tract. 8. Resol. 12. & p. 7. tract. 11. Resol. 4. & p. 9. tra. 6. Resol. 7. & p. 10. tract. 11. Resol. 45. & part. 11. tract. 1. Resol. 25. quæsito. 3. & tract. 2. Resol. 10. & tract. 3. Resol. 17.* Bard. *in selectis lib. 8. quæst. 1.* vbi contrariam sententiam improbabilem appellat. Bertrandus Loth *in Resol. Theolog. tract. 23. quæstion. 1. art. 8.* appellans opinionem oppositam, temerariam, quia militat contra torrentem Theologorum. Pellizarius *tom. 2. tract. 10. de Monial. cap. 6. quæst. 7. num. 14.* Qui etiam cum Reginaldo, oppositam sententiam temeritatis, & improbabilitatis nota afficiunt. Sed certè immerito omnes. Cum opposita pars tot doctos, & Classicos habeat patronos; nec careat fundamento saltem probabili. Vnde melius Tamburinus *part. 2. in Decalog. lib. 2. cap. 5. §. 1. num. 13.* qui nostram tenet sententiam, consultò ab his censuris abstinet: solumque dicit, quod sibi, illos sequi placeat magis, & doctos, & plures, & antiquiores; quam paucos hos Recentiores.

Nota tamen, quod licet ego non audeam improbabilitatis damnare, ob rationem dictam, oppositam sententiam, non tamen eam auderem consulere, ob grauia inconuenientia, quæ inde euenire possent.

QVÆSTIO XXVIII.

An, Moniales deputatæ ad Chorum, teneantur singulæ sub mortali, vigore consuetudinis receptæ, ad recitandum in Choro?

AFfirmandum videtur; eo quod ex obligatione Chori in toto corpore Monasterij existente, sufficienter nasci videtur obligatio in singulis Monialibus.

Sed vt certum Respondeo: Non teneri sub mortali ad recitandum in Choro; nisi speciali constitutione id ipsis sub mortali præcipiatur. Quia nulla est consuetudo, quæ obliget sub mortali Moniales singulas, ad recitandas in Choro Horas: ergo. Antecedens constat: quia consuetudo chori solum introducta est, vt Horæ omnino in Choro dicantur, & omnes adesse debeant, iuxta Regulam, seu Constitutiones, & quod in hoc deficientes pœnæ subiaceant, non vero quod in hoc grauiter peccent, dummodo alias Horas priuatim recitent. Sic Suarez *li. 4. de Horis Canon. cap. 10. num. 15.* qui ad rationem dubitandi bene respondet, negando antecedens: nam satis est, quod cura prouidendi, vt Chorus non deficiat sit apud Prælatum, & quod ipse possit cogere subditos; vt in Choro non desint, nec Horas omittant. Cajet. *in sum. verb. Horæ Canonicæ. vers. vbi contemptus deest.* Tamburinus *disp. 15. quæst. 1. numer. 3.* Lezana, & Miranda, quos citat & sequitur Pellizarius *tom. 3. tract. 10. cap. 6. num. 12.*

QVÆSTIO XXIX.

An, Moniales Conuersæ, quæ non profitentur ad Chorum; teneantur ad Horas Canonicas?

REspondeo vt certum: Non teneri: sed solum ad certas preces in Regula, aut Constitutionibus præscriptas, aut legitima consuetudine inductas, quas appellant, *Officium laicorum.* Sic communis Doctorum, præcipuè citati à nobis *supra q. 4.* vbi egimus de Religiosis Conuersis, seu laicis.

QVÆSTIO XXX.

An saltem, teneantur dictæ Moniales Conuersæ ad recitandum sub mortali, preces in Regula, aut Constitutionibus, sibi præscriptas?

AFfirmabunt Authores, quos in simili pro parte affirmatiua adduximus *q. 5.*

Sed vt certum Respondeo Non teneri sub mortali ad tales preces recitandas; nisi aliàs expresse id sub mortali in Regulas ipsis præcipiatur, quod non solet. Sic Suarez, Sanchez, & alij citati *vbi supra quæstion. 4. & 5.* & expresse Pellizarius *tract. 10. cit. cap. 6. num. 15.* his verbis: *Puto tamen, & mecum idem senserunt viri docti à me consulti, huiusmodi obligationem non esse sub peccato mortali, quomodo est obligatio recitandi Horas Canonicas respectu Monialium Choro addictarum. Et ratio est, quod ista obligatio oritur ex consuetudine inducta tanquam obligatoria; illa vero prouenit ex Regula Religionis, quæ communiter quoad hoc non obligat ad culpam, sed solum ad pœnam. Quæ ratio confirmari potest ex communi sensu ipsarummet Monialium, qui est optimus legum interpres.* Sic ille.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXI.

An, casu, quo Moniales Choristæ, ex rationabili causa, recitare nequeant Horas Canonicas; satisfaciant recitando officium Sororum Conuersarum?

RESpondeo: satisfacere, non ex se, aut ex natura (vt sic dicam) rei: sed ex priuilegio. Quia id concessit Innocent. IV. per Bullam 10. quæ incipit: *Solet annuere datam anno 1253.* Monialibus degentibus sub cura Fratrum Minorum: his verbis: *Et quæ* (hoc est Moniales Choristæ) *occasione rationabili non possunt aliquando legendo dicere Horas suas, liceat eis, sicut aliæ sorores dicere Pater noster.* Sic Pontifex. Ex quibus Pontificiis verbis, colligit Pellizarius, quod cum omnes Moniales Choristæ, (iuxta dicta *superius* ex consuetudine teneantur recitare Horas Canonicas: hoc ipso quod Papa declarat Moniales S. Claræ, satisfacere recitando officium Sororum laicarum (etsi eæ sint Choristæ) si ex rationabili occasione non possint recitare Horas Canonicas; censetur dispensasse super præfata consuetudine, concesso ipsis id, speciali priuilegio relato in earum Regula; quæ tota inseritur in dicta Bulla. Quod priuilegium, vt hic, & nunc suffragetur Monialibus, non petit licentiam, ac consensum superioris (vt constat ex illis verbis: *liceat eis sicut aliæ sorores dicere Pater noster*) nulla limitatione opposita. Et suffragatur etiam, in casu, quo Horarum Canonicarum recitatio fieri possit, sine graui difficultate, vt colligitur, ex illis verbis: *Occasione rationabili,* & suadetur, ex eo quod dictum priuilegium esset illusorium, si solum suffragaretur in euentu, quo illa rationabilis occasio est talis, & adeo grauis, vt ex se sufficiat ad excusandum ab onere recitandi Horas Canonicas: Tunc enim, absque vllo priuilegio, non est opus supplere aliis precibus. Sic Pellizarius *tract. 10. cap. 6. num. 16.* vbi bene etiam aduertit, quod per illa Priuilegij verba: *rationabili occasione*, possint intelligi respectu Monialium, hi casus: nempe, si Monialis sit scrupulosa, circa diuini Officij recitationem: si minus expedite sciat legere in Breuiario: si sit defatigata ex aliquo labore extraordinario, si præ manibus habeat extraordinariam aliquam occupationem, quæ illam angat, & similes.

QVÆSTIO XXXII.

An, prædicto Monialium S. Claræ priuilegio, possint vti, per viam generalis Communicationis, Moniales aliorum Ordinum?

NEgandum videtur. Quia cæteræ Moniales, nequaquam tali priuilegio vtuntur.

Respondeo, Posse. Quia non apparet ratio, qua suaderi possit, hoc priuilegium non comprehendi in generali communicatione, quam habent Moniales aliæ; cum non constet de exceptione, nec probetur illud indigere speciali nota, vt communicatum censeatur. Quod si non est in vsu, id forte prouenit; vel quia Moniales illud ignorant; vel quia nesciunt, an habeant communicationem priuilegiorum. Sic omninò Pellizarius *n. 16. cit. vers. videtur autem, & om. 1. tra. 5. c. 8. sect. 2. n. 129.*

QVÆSTIO XXXIII.

An, etiam Religiosi Choristæ quarumcunque Religionum, possint vti præfato priuilegio Monialium S. Claræ; & ex causa rationabili recitare, loco Horarum Canonicarum, officium diuinum laicorum, seu conuersorum?

RESpondeo, Posse Religiosos quarumcunque Religionum, tali priuilegio vti, sine licentia suorum Prælatorũ, & etiam in casu, quo alias recitatio Officij diuini, fieri posset absque graui damno, vt colligitur ex dictis *quæst. 31.* Sic Pellizarius *tom. 1. Manual. Regul. tract. 5. cap. 8. sect. 2. numer. 129. & tom. 2. tract. 10. cap. 6. num. 16.* Qui & probat. *Quia per viam Communicationis priuilegiorum, etiam in specie concessorum Monialibus, frui possunt quicumque viri Religiosi, illam habentium; dicto Indulto Innocentij IV. concesso Monialibus S. Claræ: ergo vi illius licitum erit eis, occurrente quauis rationabili occasione, satisfacere penso Horarum Canonicarum, recitando officium diuinum laicorum Religiosorum, seu, (quod idem est) preces in Regula, aut Constitutionibus eis prescriptas.* Sic ille. Qui & addit, quod per illa verba; *Rationabili occasione,* quæ habentur in dicto priuilegio, possit intelligi respectu Religiosorum casus sequentes: nimirum; si actum litterarium extraordinarium habituri sunt: si concionentur in Quadragesima cum labore non ordinario, idque, etsi non concionentur quotidie: si confluat magna frequentia pœnitentium ad confitendum; si sint lassati ex itinere, aut concione, aut alia de causa consimili: si sint conualescentes, etiamsi sine magno dispendio possent recitare; & alij similes casus.

QVÆSTIO XXXIV.

An, si Religiosus Choristæ Ordinis; in quo non est præscriptum officium diuinum pro Religiosis laicis velit, occasione data, vti prædicto indulto; satisfaciat, dicendo preces assignatas Monialibus Conuersis Sanctæ Claræ?

RESpondeo. Satisfacere suæ obligationi, dicendo tunc dictas preces. Quia cum dictis Monialibus primariò sit facta concessio talis indulti, & aliunde non possit statui in proposito casu, quæ preces recitari debeant, loco Horarum Canonicarum, necessarium est tenendum, dicendas esse preces talibus Monialibus præscriptas, sunt autem 24. *Pater noster*, pro Matutino. Pro Laudibus, 5. Pro Prima vero, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet istarum 7. Pro Vesperis 12. & pro Completorio 7. Sic omnino Pellizarius *n. 129. cit. vers. Addo hic.*

QVÆSTIO XXXV.

An, si Religiosæ Moniales professæ ad Chorum, subitò appareant impotentes ad recitandas Horas Canonicas; possint, de licentia sui Prælati, satisfacere suæ obligationi, recitando officium Sororum laicarum?

NEgat Didacus Antonius Frances, *in foro conscient. part. 3. voto. 1. à num. 32.* docens, in hoc solum

solum Pontificem posse dispensare, & commutare in alias preces. Probat id, ex eo quod, vt refert Pirthus Corradus, *in praxi Dispensationum lib. 4. cap. 2. nu. 48. Clemens VIII. die 22. Aprilis anni 1593.* commisit summo Pœnitentiario, vt dispensaret cum quadam Moniali septuagenaria, quæ nesciebat legere, & recitare officium, vt per alias preces satisfaceret, vt loco Matutini diceret Coronam Beatæ Mariæ Virginis, &c.

Sed vt mihi certum Respondeo, Posse. *Primò.* Quia Prælati possunt dispensare cum iam Professis ignaris, vel commutare officium diuinum in alias preces: ergo & à fortiori cum Monialibus sibi subditas. Antecedens constat, quia id eis indulsit Eugenius IV. per Bullam incipientem, *Regularem vitam*, datam Bononiæ *anno* 1436. vt refert Rodriguez in suo Bullario, *fol.* 189.

Secundo. Quia expresse Clemens VII. teste Casarubio *in Compend. V. Moniales, num.* 30. concessit Monialibus degentibus sub cura Fratrum Minorum deputatis ad Chorum, vt si quæ illarum ob imperitiam nesciant perfecte recitare officium diuinum, iudicio Prælati, Confessarij, aut Abbatissæ, satisfacere possint obligationi Horas Canonicas, dicendo officium sororum laicarum: ergo. Verum est, quod hoc indultum fuit concessum viuæ vocis oraculo, & ideo secundum aliquos DD. iam non subsistat, post generalem reuocationem viuæ vocis oraculorum, contrà verò secundum alios, vt videre est apud Pellizarum *part. 3. tract. 10. cap. 6. num. 16. & cap. 10. numer. 76.* & apud Peyrinum *tom. 2. priuileg. Constitut. 1. Gregorij XIII.*

Nec obstat factum Clementis VIII. Nam multa conceduntur de nouo à Pontificibus, non quia necessaria sunt, cum aliàs iam ab aliis suis Antecessoribus sint concessa; sed quia petuntur. Vnde hanc nostram sententiam tenent Pellizarius *loco cit.* & Matinez de Prædo *tom. 2. cap. 30. quæst. 6. §. 4. num. 41. & 42.*

QVÆSTIO XXXVI.

An, Monialis nouitia, quæ sub finem Nouitiatus reperitur minus sufficienter instructa, & apta ad recitationem Horarum Canonicarum; possit admitti ad Professionem, dispensando vsque dum sciat bene illas recitare, vt recitet Officium Sororum laicarum?

NEgabit forsitan Antonius Frances, consequenter ad ea quæ *loco citato* late tractat.

Sed vt mihi certum Respondeo, Posse admitti ad Professionem, dispensando cum illa, vt vsque dum sciat bene recitare, recitet officium sororum laicarum. Quia, si Prælati Monialium, siue sæcularis, siue Regularis, vi præfati priuilegij Eugenij IV. potest modo dicto dispensare in perpetuum cum Monialibus iam professis, à fortiori poterit dispensare ad tempus cum Religiosa Nouitia, iusta occurrente causa, qualis est, ne vlterius differatur eius Professio. Sic Pellizarius *numer. 16. vers. Indultum autem.* & Martinez *loc. cit. numer. 42.* à fortiori, cum doceat, quod licitè possit admitti ad professionem nobilis aliqua fœmina ignara recitandi, quam non deceat cum Conuersis deputari, commutando obligationem officij diuini, in alias preces, nempe in officium sororum laicarum.

QVÆSTIO XXXVII.

An, casu, quo dicta Monialis, admissa ad professionem, vi præfati priuilegij, omitteret recitare officium sororum laicarum, sibi à Prælato assignatum, peccaret mortaliter?

AFfirmandum videtur. Quia monialis addicta Choro tenetur sub mortali recitare Horas Canonicas, vt supra est habitum: ergo etiam tenebitur prædicta Monialis recitare sub mortali officium sororum laicarum, vtpote subrogatum in locum Horarum Canonicarum vi præfati Indulti: patet consequentia; quia subrogatum sapit naturam illius in cuius locum subrogatur.

Negat nihilominus Pellizarius *loc. cit. num. 16. in principio.* Quia tunc dicta Monialis Choristа, se haberet ac Monialis conuersa: atqui hæc non tenetur sub mortali recitare preces sibi à Regula, seu Prælato præscriptas: ergo nec dicta Monialis Choristа in assignato euentu.

Sed ego clarius Respondeo, *Primò.* Certum est, quod si prædicta Monialis admitteretur ad professionem, vt frequentaret Chorum inter alias Monialis Choristas, & postea ob eius ineptitudinem ad officium diuinum recitandum reduceretur ad statum sororum laicarum, quod tunc non peccaret mortaliter omittendo recitare preces sibi assignatas, sicuti non peccarent aliæ sorores laicæ. Constat clare ex *suprà* dictis *qu. 30.*

Respondeo, *Secundo.* si Monialis Choristа permaneat in statu, & ordine Monialium Choristarum, fruaturque omnibus prærogatiuis, & exemptionibus illis concessis, & quia vrget aliqua rationabilis causa, dispensat Prælatus, vt loco Horarum Canonicarum recitet officium sororum laicarum, tunc si omitteret illius recitationem, verè peccaret mortaliter; ob rationem in principio factam.

§. III.

De obligatione, quam habent Clerici recitandi officium diuinum, extra Chorum.

QVÆSTIO XXXVIII.

An Clerici minoribus Ordinibus initiati; teneantur recitare officium diuinum?

AFfirmarunt olim aliqui Canonistæ, quos refert Suarez *infrà*; ducti ex capite *siquis Presbyter dist. 92.* vbi dicitur *Quemlibet Clericum teneri ad hoc.*

Sed, vt quid certissimum, Respondeo, Non teneri ad diuinum Officium recitandum. Quia dicti non tenentur iure diuino, neque Ecclesiastico scripto, nec consuetudine; quin potius hæc planè est in contrarium: ergo nullo titulo tenentur. Sic Sotus, Medina, Ledesma, Nauarr. & alij, quos citat, & sequitur (dicens contrarium improbabile) Suarez *lib. 4. de Horis Canon. cap. 16. num. 10. & sequent.* Nauarrus *vbi infrà*, Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 46.* Palaus *tom. 2. disp. 2. punct. 1. §. 1. numer. 2.* Trullench *lib. 1. in Decalog. cap. 7. dub. 12. §. 2. numer. 2.* Thom. Tamburinus

Tamburinus *lib.2. in Decalog.cap.5.§ 1. num.2.* Sanchez *lib.7. consil.cap.2. dub.2.* Prado *tom.2. capit.30. quæst.6.num.2. Qui ad cap.Presbyter.cit.* bene dicunt, intelligendum esse de Clerico deputato seruitio alicuius Ecclesiæ, & ratione beneficij; non autem ex vi Ordinis.

QVÆSTIO XXXIX.

An dicti Clerici, esto non teneantur ad recitandas Horas Canonicas; teneantur tamen ad aliquid aliud, ex præcepto recitandum?

AFfirmant aliqui teneri ad recitandum aliquid determinate, hoc est, ad orandum pro populo, plusquam meri laici; licèt quid orandum sit, prudenti eorum arbitrio relinquant. Ratio eorum est: Quia per minores Ordines diuino cultui adscribuntur: ergo ad orandum aliquid amplius quam merè laici tenentur: ita Paludan. *in 4.dist.15.quæst.5.* Turrecrem.*cap. Qui autem.dist.91.numer.4.* & 5.Siluester. *verb. Hora quæst.2.* Nauarr. *cap.7. de Horis num.13. ibi:* licet saltem quandiù priuilegio Clericali gaudebunt, erunt obligati ad aliquot preculas in genere, non tamen ad determinatas, nisi fortè Episcopus, qui eos Ordinauit, eas determinasset, & eiusmodi determinationi consensissent, vti communiter fieri solere, & debere, tradunt Palud. & Cardin.S.Sixti.

Alij dicunt, dictos Clericos teneri ex consuetudine ad dicendum paruum officium Virginis, aut septem Psalmos pœnitentiales, vel quindecim Graduales, si tantum sit Clericus primæ Tonsuræ.

Sed vt certum Respondeo, Non solùm non teneri ad recitandas Horas Canonicas; verum nec aliquid aliud, nisi aliàs fuerit consuetudine introductum. Ratio est: quia non constat dari tale præceptum. Nec obstat, quod per minores Ordines sint iam diuino cultui adscripti; quia non sunt illi ita determinati, & affixi, quin possint ducere vxorem. Sic Suarez *num.14. & 15.* Sanchez, Trullench, & alij supra relati.

QVÆSTIO XL.

An possit Episcopus imponere Clericis prædictis, vt singulis diebus aliquas preces dicant?

AFfirmat Bonacina *disp.1. de Horis Canon.qu.2. punct.3.* (non 4.vt leges apud Dianam) *nu.2.* vbi pro se citat Nauarrum *capit.7. de Orat.* Quibus adde Palaum *disp.2.cit. punct.1.§.1. num.3.* Quorum ratio, inter alias, est; quia Clerici sunt subditi, Episcopo, & materia est honesta: ergo.

Sed probabilius longe Respondeo, Non posse. Quia id esset eis grauissimum onus, quod imponere omnino pertinet ad Pontificem. Sic Suarez *cap.17. num.15.* Sotus *lib.10. de Iust. quæst.5. art.3.* Sa verb. *Hora num.5.* Azor *lib.10.cap.5. quæst.4.* Lessius *lib.2. de Iust.cap.37.dub.8. num.46.* Filliuc *tract.23. cap.5. num.148.* Molfes. *cap.3. num.8.* Vazquez *de Benefic. cap.4.§.1.dub.2. num.6.* Layman *lib.4. tract.1. cap.4. num.5.* Villalob.*tom.1.sum.tract.24. difficul.7. num.4.* Diana *part.2.tract.12. de Horis Canonicis Resol.20.* Trullench *loc.cit. num.2.* Sanchez *lib.7. consil. cap.2. dub.2.num.6.* Qui bene explicat Nauarrum, dicendo, id solum affirmasse, casu quo Clerici in Ordinatione promitterent, se tales preces ab Episcopo præceptas, recitare: quia tunc, licet non virtute mandati Episcopi, virtute promissionis tenerentur, verba Nauarri habes *supra quæst.antecedenti.*

QVÆSTIO XLI.

An saltem, teneantur dicti Clerici, recitare Psalmos pœnitentiales, aut alias preces, quas semel, aut bis, recitare, Episcopus in Ordinatione eis iniungit?

AFfirmant teneri sub mortali, Suarez, Azor, Lessius, Layman, & Villalob. *locis nuper citatis.*

Negant vero contrà Sotus, Sa, & Diana *loco cit.* necnon *p.4. tract.4. Resol.* 218. & Valentia *tom.3. disp.6.quæst.2.punct.10* existimantes, teneri tantum ex honestate, & ideo illos omittentes non peccare mortaliter. His addo Palaum *loc. cit. num.5.* Sic dicentem: *Probabile existimo, cum Episcopus Ordinandis iniungit aliquos Psalmos, & Litanias recitare, nolle sub graui culpa obligare, sed ex quadam honestate, & decentia.* Sic ille ex Soto, & Valentia citatis. Quos sequitur Prado *quæst.6. cit.numer.5.* & apud ipsum, Ioann.à S.Thoma.

Alij tandem, media via incedendo, dicunt, teneri quidem casu, quo Ordinati promittant se tales Psalmos, aut preces præscriptas, recitare: secus si non promittant. Ita Trullench *n.2.cit.*

Sed ego absolute probabilius Respondeo, Non teneri sub mortali tales Psalmos; aut preces recitare, etiamsi id promittant. Quia probabilius existimo, nolle (quamuis aliàs posset) sub graui culpa Episcopum Clericos ad id obligare: ergo etiamsi hi promittant Psalmos sibi iniunctos recitare, non tenebuntur id facere sub mortali; patet quia eorum promissio non excedit grauitatem mandati Episcopi; cum tantum sit quasi acceptatio illius: ergo si mandatum Episcopi non est sub mortali, nec acceptatio erit sub illo, igitur solum, ad summum peccabunt venialiter, qui tales Psalmos omitterent, etiam casu, quo acceptauerit mandatum. Sic à fortiori omnes DD. secundæ sententiæ.

QVÆSTIO XLII.

An, Omnes Clerici Sacris initiati, teneantur ad recitandum officium diuinum?

NEgarunt olim aliquid, vt refert Glossa 1. *in cap. vltimo dist.92.* asserentes, Clericum in Sacris constitutum, non deputatum alicui certæ Ecclesiæ, sed solum Ordinatum ad titulum patrimonij, non teneri vllo iure ad recitandum officium diuinum.

Sed vt quid certissimum Respondeo, Teneri ad recitandum diuinum officium, etiamsi ad solum titulum patrimonij sint Ordinati. Quia sic habet vsus, & communis sensus totius Ecclesiæ. Sic Suarez *lib.4. de Horis Canon. cap.16. num.2.* Pradus *tom.2. cap 30. quæst.6. num.2.* & nos *2.p. tract.6 de Ordine disp.13.q.8.* & omnes. Inter quos solum est dubium, quo iure ad id teneantur. Pro quo sit,

QVÆSTIO XLIII.

An, Clerici omnes Sacris initiati, teneantur recitare diuinum officium, ex iure diuino?

AFfirmant plures D D. Qui mouentur ex illo Psalmi 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* & ex illo Isai ę43. *Omnem illũ qui inuocat nomen meũ, in laudem meam creaui illum.* Sic apud Suarium. Abbas *in c.1. de celebrat. Miss. n.3.* Turrecre. *in cap. Eleutherius dist.91. ad 5. qu.* vbi refert Guillelmum Laudunensem, & Zabarellam. Angelus *V. Horæ. n.6.* Rosella *n.13.* Nauarr. *de Orat. c.7. n.2.* Sotus *lib.10. de Iust. q.5. art.3.* & D. Thom. *Quodlibeto 6. art.8.* vbi ita ait: *Clericus, ex hoc ipso quod est Clericus, & præcipue in Sacris Ordinibus constitutus tenetur dicere Horas Canonicas. Videntur enim tales specialiter esse assumpti ad laudem diuinam, secundum illud Isaiæ 42. Omnem, qui inuocat nomen meum, in laudem meam creaui illum.* Sic S. Doctor. Quos omnes nouissime sequitur Raphael de la Torre *de Horis contr.6. disp.1. n.1.* & Ludouic. de S. Ioan. *de Orat. art.11. difficultate 3. (non dub.3.* vt citat Prado) *concl.1.* vbi ita ait: *la obligation de decir el officio diuino es estrechissima, i de Iure diuino, &c. & difficul.4. concl.1.* idem repetit.

Sed probabilius Respondeo Minime teneri ad recitandum officium diuinum ex iure diuino. Quia probabilius est, nullum dari tale ius diuinum quoad officium diuinum recitandum, astringantur Sacris initiati. Tum, quia nullibi reperitur. Tum quia officium diuinum institutum est iure Ecclesiastico, vt sup. *disp.1. q.3.* diximus: ergo præceptum de eo recitando, nequit esse diuinum positiuum; nec naturale. Sic Ioann. de Lignano, Siluester, Tabiena, Armilla, D. Anton. Palud. & Maior, quos refert, & sequitur Suarez *lib.4. de Horis c.16. à n.4.* Hieronym. Garcia *tra.2. sum. diff.1. dub.4. n.1.* Prado *loc. cit. n.11.* Raphael de la Torre sibi iam contrarius *contr.6. disput.4. na.3.* & alij quos citauimus *par.2. tra.6. disp.13. q.8.*

QVÆSTIO XLIV.

An saltem, omnes Clerici in Sacris; nempe, subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, habeant dictam obligationem recitandi Horas Canonicas, ex iure Canonico?

AFfirmant communiter Canonistæ, & alij Theologi. Qui dicunt hoc præceptum, & obligationem haberi expressè in Iure Canonico, nempe, in *cap. Presbyter dist.91.* quod etiam habetur *in c.1. de Celebr. Missarum.* & in cap. *Si quis Presbyter. dist.92.* Ideoque hanc partem tuentur Canonistæ, quos sequuntur Sotus *loc. cit. art.3.* Aragon. *2.2. q.83. art.12. dub.3.* Bonac. *de Horis disp.1. q.2. punct.3. n.1.* Petr. Ledesma *to.2. sum. tra.9. c.4. concl.4.* Rodriguez *in sum. c.224. n.2.* Palaus *disp.2. pun.1. n.1.*

Sed ego probabilius Respondeo, *Primò.* Non omnes Clerici Sacris initiati habent obligationem recitandi Horas Canonicas, ex vi iuris Canonici; sed solum Presbyteri; Ratio est. Quia in iuribus adductis à contrariis, solum est sermo de Presbyteris: ergo solum hi habent obligationem recitandi ex vi iuris. Antecedens latè probant Nauar. Suarez, & alij *infra* citandi.

Respondeo *Secundò.* Diaconi, & Subdiaconi licèt non habeant obligationem recitandi Horas Canonicas ex vi iuris, quia respectu illorum non extat; habent illam ex vi generalis consuetudinis legitimè receptæ, quæ habet vim legis. Sic Caiet. *verb. Horæ.* Vgolinus, Philibertus, Nauarr. Azor, & Trullench, quos citauimus *2.p.tra.6. disp.13. qu.8.* Suarez *lib.4. c.16. num.8. & 9.* Villalob. *tom.2. tra.26. diff.7. num.1.* Bauny *de Beneficiis disp.13. quæst.1. concl.1.* Ioan. à S. Thoma *disp.28. artic.4. in fine.* & me citato, Pradus *tom.2. c.30. qu.6. n.10.* Verricelli *in qq. moral. tract.8. quæst.49. n.17.* Leffius *dub.2. c.37. dub.9.* Reginald. *lib.14. n.135. & 136.*

QVÆSTIO XLV.

An, puer initiatus Sacris, ante vsum rationis astringatur præcepto recitandi Horas Canonicas?

AFfirmabunt consequenter, qui affirmant astringi dictum puerum voto continentiæ, & Castitatis: quia non est maior ratio vnius, quàm alterius vinculi. Sunt autem Palud. Basilius, &, ex parte saltem, Hurtad. relati à nobis *2.p.disp.13. cit. q.6.*

Sed probabilius Respondeo: Non astringi præcepto recitandi dictas Horas Canonicas. Quia probabilius est, quod non adstringatur voto Castitatis, puer ille, qui ante vsum rationis in Sacris fuit constitutus, vt cum Thoma Sanchez, Bonacina, Granado, Philiberto, Candido, Trullench, & Dicastillo diximus *vbi supra.* Quia, vt bene Sanchez *lib.7. de Matrim. disp.29. n.7.* onus recitandi est adiunctum Ordini sponte assumpto, sicut & onus continentiæ seruandæ. Sic consequenter ille, ex Nauarro, Viualdo, & Sà. Et expressè loquendo de nostro casu. Trullench *lib.1. in Decal. c.7. dub.12. §.2. in fine.*

QVÆSTIO XLVI.

An saltem, teneatur onere recitandi puer ille, qui habens, plenum vsum rationis; ante pubertatem tamen, voluntarie Sacros Ordines suscepit?

NEgabunt, qui adhuc in isto casu negant teneri dictum puerum lege continentiæ & castitatis, vt sunt Innocen. Calderin. Ioan. Andreas, Sanchez cum aliis pluribus, quos retulimus *par.2. tra.6. disp.13. q.7.*

Sed probabilius Respondeo, Teneri onere recitandi. Quia probabilius est, in dicto casu teneri lege continentiæ, vt cum Caiet. Vega, Soto, Sayro, Ægidio, Bonac. Basilio, & aliis diximus, *q.7. cit:* ergo & tenebitur præcepto, & onere recitandi. Sic expressè Trullench *vbi supra*, & Palaus *vbi infra.*

QVÆSTIO XLVII.

An item, teneatur ad Horas recitandas, qui per vim, vel metum, iniuste incussum, cum voluntate tamen, Ordines Sacros recepit?

AFfirmabunt, qui tenent in dicto casu teneri sic Ordinatum lege Continentiæ & Castitatis: sunt autem Petr. Ledesma, Rebellius Comitolus, Basilius, Gaspar Hurtado, & Diana, quos retuli *part.2. tract.6. disput.13. quæstion.5. & tract.9. disp.17. quæstion.5.*

Sed probabilius Respondeo tunc non teneri ad Horas recitandas;quia probabilius puto, nedum teneri lege continentiæ,& castitatis,vt cum Sanchez, Nauarro,Azor.Bonac.Candido,Viualdo,& aliis pluribus,2.*p.loc.cit.* docuimus:ergo nec tenebitur onere recitandi Horas.Sic expresè Sanchez *lib.7. de Matr.m.disp.29.n.7.*ibi: *Secundo deducitur; nec hunc nolentem vti Ordine teneri ad Officium Canonicum recitandum. Quod id sit onus adiunctum Ordini sponte assumpto, sicut & onus Continentiæ seruandæ*, & ita docent Nauarr.*in sum.Latina c.22.n.51.ad finem.*Viualdus,& Man.Sà allegati *n.5.ad finem.*Sic ille.Necnon Palaus *disp.2.cit. punct.1.§.1.n.1. ad finem.* Qui bene etiam aduertit, id esse intelligendum casu, quo sic Ordinatus nollet vti Ordine Sacro accepto, nam si libere vellet vti illo,tunc ad omnia illi annexa,veluti ad castitatem,& Horarum recitationem &c.obligatur;eo quod per illum vsum liberum ratificat Ordinem.Quod nos prius notauimus *2.par.tract.6.disp. 13.q.6.*Legantur *ibi* dicta.

Qvæstio XLVIII.

An saltem, teneatur ad Horas recitandas, qui per metum iustè incussum, Ordinem Sacrum accepit?

Respondeo tunc teneri. Quia tunc sic Ordinatus nullam iniuriam patitur: ergo cum aliis adsit voluntas recipiendi Ordinem, vt supponimus,sicut obligatur ad continentiam, ita & ad recitationem Horarum Sic(vt retulimus *loc.cit.q.5.*) Sanchez vbi supra *n.10.*per hæc verba:*Tandem prædicta de iniusta compulsione accipienda sunt:si enim,vrgente necessitate, compellat Prælatus,iusto præcepto,ad Ordines assumendos,sic compulsus tenetur ad continentiam, & ad cætera Ordinis onera.*Sic ille ex Henriquez *lib.10.de Sacram. Ordin.n.3.Commen.lit.T.*

Qvæstio XLIX.

An,Subdiaconus teneatur, die suæ Ordinationis, totum Officium diuinum recitare?

Respondeo vt quid certissimum:Non teneri. Sic cum communi omnium Doctorum docui *par.2. tra.6.disp.13.q.9.* Legan. Diana *p.4.tra.4.Resol.238.* Azor.*1.p.lib.10.c.13.qu.17.*Castro Palao, Narbona, Machado, Philibertus, & alij quamplures mox citandi.Quia solum dubitant ad quas ex septem Horis teneatur.

Qvæstio L.

An saltem, teneatur Subdiaconus, in dicta die Ordinationis suæ, ad aliquam partem Officij recitandam?

Affirmant communiter Doctores,licèt non conueniant in assignandis Horis, ad quas recitandas tali die teneatur Subdiaconus. Nam Oliuerius Bornatius *de Horis Canon.lib.2.c.39.n.21.*docet teneri Subdiaconus eo die recitare solùm Vesperas, & Completorium. *Quia Ecclesiæ mens*(inquit) *non censetur velle Tyronem ad paruas alias Horas diei currentis astringere.*

Alij pressiùs communiter dicunt, teneri ad recitandum,non tantum Vesperas,&Completorium;verum etiam alias paruas Horas, quæ in Choro bene gubernato restant dicendæ, ab hora suæ Ordinationis.Et ideo,qui hora nona v. g. ideſt, *alas nueue de la mañana*,Subdiaconatu est initiatus,tenebitur ad recitandas etiam Tertiam, Sextam, & Nonam,&c.Sic Azor. *to.1.lib.10.c.13.q.17.* Suarez *to.1.de Relig.li.4. de Horis c.28.*(per errorem impressionis 27)*.n.8.*Filliuc.*c.9.n.285.* Bonac.*disp.1.de Horis Canon.q.2.pun. 5.n.9.* Sanchez *in Consil.lib.7.c.2.dub.7.*Diana *par.4. tract.4.Resol,238.*Becanus, Layman,Palaus, & alii, quos citat & sequitur,nominatim contra me,Doctus Magister Pater Ioannes Martinez de Prado Ordinis Prædicatorum *to.2.Theologiæ Moral.q.c.30.q.6.§.2.à n.13.vsque ad* 21.Nihilominus tamen,iterum atque iterum,quod docui *2.p.tra.6.de Ordine, disp.13.q.10.* nunc dico,doceo, & teneo: quia eius argumenta non me terrent, nec retrorsum abire facient,cum sint pusilla satis, imo tanto viro indigna, vt demonstrabo facile.

Igitur quæst. vt satisfaciam, Respondeo *Primò.* Certum est(vt dixi *loc.cit.*quod subdiaconus teneatur ad onus diuini Officij, statim ac suscepit Subdiaconatum.Ratio est.Quia Subdiaconus obligatur ad officium diuinum recitandum, ratione Ordinis Sacri: ergo,eo suscepto, statim obligatur. Hanc responsionem eisdemmet fere verbis scripsi *2.parte tra.6.disp. 13.q.10.*Et tamen noluit eam videre Prado,quandoquidem,vt meam sententiam (statim explicandam) impugnet,eodem argumento, quo ego ad hanc primam responsionem demonstrandam veram, vtor, vtitur ille, *numer.23.* Igitur in hoc omnes conuenimus.

Respondeo *Secundò*, probabiliter certè. Minime tenetur Subdiaconus ad recitandam aliquam partem officij diuini ipsa die,qua Subdiaconatu initiatur.Sic docui *q.10.cit.*& probaui contra Oliuerium,

*Primò.*Quia si non est credibile (vt ipsemet concedit)piam matremEcclesiam velleTyronem restringere ad recitandam Sextam, & Nonam,etiam casu, quo,ante dictas in Choro præfatasHoras,Subdiaconatu ordinatus fuerit; cur erit credibile,velle Ecclesiam dictum Subdiaconum ad duas Horas paruas restantes obligare? Cur enim ad has, & non ad illas. Ecclesiam obligare dicemus.

Huic argumento, quod ego,ex concessis ab Oliuerio,contra ipsum solùm formaui,non contra alios, quod potuit videre, & noluit Prado, respondet ipse *n.16.*dicendo,*Se nullum videre illius fictæ pietatis fundamentum. Imo illa die, qua ad tantam est euectus dignitatem,& recepit Sacramentum Ordinis, & Eucharistiæ,sicut regulariter recipiunt, qui ordinantur, facile paruas Horas recitabunt: & qui de hoc illa die non curant,minus deinceps curabunt:& melius erat eis, quod in sæculari vita manerent,quam quod in hac obligatione leuissima implenda,ipsa die suscepti gradus negligentes, & ingrati essent.*Sic Prado.

Sed huius Patris responsionem facillimè euertam. Concedo namque illi, quod non videat fundamenta meæ sententiæ fundatæ in vera pietate Matris Ecclesiæ; & ideò, vt non videns, illam vocet fictæ pietatis. videat obsecro, quod, fundamento veræ pietatis Matris Ecclesiæ, nitantur sæpissime Doctores, ad plures opiniones amplectendas; & ideo ipsos sequutos, Oliuerius suam, & nos hanc tuemur sententiam. Per reliqua, quæ addit nuda verba, solum probat debere Subdiaconum illa die ex gratitudine recitare Horas, quæ supersunt,non vero ex obligatione, & præcepto, vt qui non est cæcus, videbit clarè.

Secundò sic meam sententiam probo. Quia probabile

babile est, quod qui ex quauis causa non potest recitare maiorem partem officij, in qua saluatur forma Officij Ecclesiastici, non tenetur recitare minorem; vt qui non potest recitare Horas ante meridianas, non tenetur recitare vesperas, nec Completas, etiāsi possit, vt docent Raphael de la Torre *cont. 7. de Horis Canon.* & Ioan. de Cruce *in sum. p. præcep. 3. art. 3. dub. 5.* & hoc, non ob aliam rationem; nisi, quia omnes Horę vnicum diuinum officium reputantur, in quo Ecclesia repręsentat, quæ Christo Domino in sua Passione acciderunt: & cum ista repræsentatio, saltem in minore parte non saluetur, ad eam non tenebitur. Sic illi. Nunc ego: sed sic est, quod secundum communē opinionem, qui initiatur Subdiaconatu, non tenetur eo die recitare Matutinum, nec Primam, nec Sextam, imò; nec (secundum aliquos) Nonam; quod est maior, imo & maxima pars officij: ergo probabile erit, quod nec ad recitandam minorem partem, hoc est, Vesperas, & Completas, eo die tenebitur.

Huic argumento dupliciter respondet Prado. Primo retorquendo contra me argumentum; nam Suarez *lib. 4. cit. c. 28. n. 27.* Valen. *pun. 10. §. 7.* Bonac *pun. 2. n. 7.* Garcia *de Benefi. 3. p. c. 1. nu. 226.* & Lezana *to. 1. c. 12. n. 27.* & alij docent, debere Ægrotum recitare partem integram, si moraliter potest; quia vnaquæq; Hora est per se quoddam totum, quod per modum Canonici officij conuenienter dicitur in partes diuisum, & cuiuslibet omissio est mortale peccatum; vnde licèt præceptum sit vnicum, est tamen de materia diuidua; vnde qui potest ad vnam Horam, ad eam tenetur. Ita Prado.

Sed certè hęc solutio nihil me torquet; imo potius veluti solutio amici, iuuat valde ad meam sententiā confirmandam. Nam illam non defendo ego aut teneo, vt certam, sed vt probabilem: atqui probabile est, vt ipsemet cum suis, & aliis pluribus Doctoribus fatetur, quod ille qui non potest recitare maiorem partem officij, ad nihil teneatur: ergo probabili erit nostra sententia, quod solum intendimus. Fortè præuidit hanc meam responsionem, Prado, & ideo,

Secundò respondet ad meum argumentum, admittendo antecedentis doctrinam, & negando consequentiam. Quia nulla est (inquit) paritas, si quidem rationes, quæ ibi vrgent; in nostro casu non militant: siquidem hîc consuetudo est in oppositum. Deinde, quia ex praxi suæ sententiæ ait, non ponitur obligatio incerta: nec datur causa scrupulis: nec eadem est ratio infirmitatis, ac carentiæ Ordinum.

Sed facillimè his omnibus instantiis Respondeo ad primam, negando quod rationes, quæ militant in aliis casibus, non militent in nostro: siquidem eadem est in omnibus ratio, qua deobligatur quis à recitatione Horarum, vt constat ex doctrina data in argumento nostro, quæ quidem est Raphaelis de la Torre, & Ioan. de Cruce ex sua Illustrissima Dominicacorum familia. Ad secundam, nego etiam quod consuetudo sit in oppositū, vt inam esset; sed contrarium omnino practicatur, cum vix inueniatur vnus (nisi aliàs ex obligatione altera, vti habent Religiosi, ad id teneantur) qui die suæ Ordinationis quidquam officij diuini recitet. Ad 3. fatemur quod ex praxi suæ sententiæ non ponatur obligatio incerta: Sed minus incerta ponitur ex praxi nostræ, cum nulla detur ea die recitandi officij obligatio. Et eadem ratione negandum est, quod tandem dicit, nempe quod ex praxi suæ sententiæ non detur causa scrupulis: Datur namque omnino, vt constat; sicuti è contrà constat, ex praxi nostræ omnino tolli. &c.

Tertio sic meam sententiam probo. Quia probabile est, quod, qui adimplet annum vigesimum primum mane hora nona alicuius vigiliæ, non tenetur, etiamsi possit, ad ieiunandum illa die; non alia ratione, nisi quia præceptum ieiunij respicit totū diem, vt indiuiduum obiectum; & ita, qui exemptus est à ieiunio per aliquam diei partem, totaliter liberatur toto illo die: ergo similiter in nostro casu est dicendum; siquidem, vt nuper diximus, & infra dicemus, omnes septem Horæ Canonicæ sunt vnica oratio, & habent vnicam rationem obiecti totalis: ergo Subdiaconus, qui dicta die liber est à maiori parte Horarum, liber erit ab omnibus. Consequentia mihi est patens; antecedens vero docent Ioan. Sancius *in selectis disp. 54. n. 4.* & Trullench *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 6. n. 1.* Diana *1. p. tra. 9. de ieiunio Resol. 49.* Pasqualigus *de ieiun. Decis. 252. n. 2.* Narbona *in suis Annal. anno 21. qu. 2. n. 14.* & alij, quos retulimus *2. p. loc. cit. & 3. p. tract. 4. de Ieiunio disp. 8. q. 12.*

Huic argumento triplici solutione occurrit Prado. *Primò* namque dicit, quod potest negari maior argumenti. Sed certè male: nam quis poterit negare esse probabile id, quod tantorum Doctorum authoritas probat? Nullus benè. *Secundò*, concessa maiori, negat minorem, seu primam consequentiam nostri argumenti, dicendo, esse falsum, quod septem Horæ sint vnica oratio, & habeant vnicam rationem obiecti totalis. Sed etiam id male dicit; nam quod non sit falsum, sed valdè probabile, probat, vltra rationem, authoritas sapientissimorum Magistrorum Raphaelis de la Torre, & Ioan. de Cruce sui Ordinis Fratrum, id affirmantium. *Tertiò*, concessa maiori, & minori, negat consequentiam. Quia communiter (inquit) Doctores docēt, quod vnius Horæ omissio est peccatum mortale, & ita non est indiuisibile, sicut præceptum ieiunij. Hæc etiam solutio facile reiicitur. Concedimus enim, quod omissio cuiuscumq; Horæ Canonicæ sit peccatum mortale, casu tamen, quo fiat ab habente obligationem illam non omittendi, alias non vt constat. In nostro autem casu suponimus, vt quid probabile, quod subdiaconus minimè teneatur in die suæ Ordinationis ad recitandam, nec vnicam diuini officij Horam; & ideo etiamsi illam omittat, nō peccabit mortaliter. Maneat igitur firmum, nostram sententiam esse probabilem, & ideo vt talem eam nouissime sequitur Martinus à Sancto Iosepho *lib. 2. tra. 6. de Orat. n. 6.* & noster sapientiss. Luysius à Conceptione *to. 1. Moral. Theol. tra. 2. de Restit. casu 5. per tot.* & à fortiori debent tenere hanc partem qui putant non esse mortale per aliquos paucos dies omittere officium diuinum in anno sicut autem Henricus Anglus, Henriquez, & alij quos *infrà* citabimus. Quorum doctrinam esse probabilem affirmat noster Luysius *loc. cit.*

Abiguntur aliqua argumenta, quæ contra meam opinionem obiicit Magister Ioannes Martines de Prado.

Arguit *Primò*, *loc. cit. n. 14.* probans, meam sententiam esse falsam, & impracticabilē; eo quod sic contra communē Doctorum, qui casum in terminis disputantes, omnes conueniunt, quod ad aliquam partem Officij obligantur subdiaconi illa die, quamuis discriminentur in assignanda parte.

Respondeo *Primò* retorquendo in arguentem argumentum, non si aliquid valeret, probaret euidenter esse falsam omnino, & insequibilem opinionem, quā quidam (ne dicā ipsemet cum aliis pauciss imis) totis viribus (voce tamen duntaxat) contra opinionem piam defendit, quippe est contra omnes Doctores, ac Magistros omnium Vniuersitatum totius Christiani

Orbis,in terminis de illa disputantes,&c.omissa tamen hac solutione, *Secundò* Respondeo, quod non dicitur,nec est aliqua opinio falsa,ex eo solũ precisè, quod sit cõtra omnes Doctores de illius materia tractantes,nam clare videmus,multas esse nunc magnæ probabilitatis opiniones, quæ ab initio ortæ erant contra commune Doctorum. Falsa igitur erit, si, non inuento nouo fundamento, nec noua ratione, nec solutione argumentorum in contrarium, defendatur de nouo contra torrentem Doctorum: quod non euenit in nostro casu, vt ex dictis constat. Legatur pro hac responsione noster Luysius à Conceptione *loc.cit.n.5.*

Arguit *Secundò* ad hominem contra me:Nam ego *par.2.tra.6.disp.13.q.8.*(& nunc iterum *sup.qu.44.*) docui,Obligationem recitandi in Subdiaconis oriri ex inuiolabili consuetudine, tunc ille: sed sic est, quod in nostro casu,consuetudo est,quod omnes statim,ac Ordinantur,obligantur; de qua consuetudine certos non reddunt Doctores omnes obligationem agnoscentes: ergo.

Respondeo,concessa maiori, ad minorem dicendum, minime esse talem consuetudinem pro illa die qua subdiaconi initiantur; nam ex praxi constat oppositum, vt supra est ostensum. Et ideo, de contraria praxi non possunt certificare Doctores,cum non sit:Imo ex hac suamet ratione formo denuo aliam, ad confirmandam meam sententiam.Nam obligatio recitandi in subdiaconis ortum habet ex consuetudine:atqui introducta est cũ hac limitatione nempe, vt non sit inducta pro die Ordinationis suæ:ergo &c.

Arguit *Tertiò* & à priori.Quia subdiaconus obligatur ad recitandum Officium, ratione Ordinis Sacri: ergo quàm primũ est Ordinatus recitare tenetur.

Respondeo concedendo libenter antecedens(cum sit illud edoctum à nobis supra responsione prima) & negando consequentiam intellectam illam pro die Ordinationis suæ. Quia tunc eximitur à tali obligatione ex accidenti, nempe quia non tenetur ad partem,eo quod tali die ratione temporis, non tenetur ad totum.Probatur manifeste: nam id ipsum potest illi accidere post multos dies ab Ordinatione sua: si enim ratione præcisæ occupationis, aut infirmitatis, non posset recitare maiorem partem officij,minime teneretur ad minorem, vt cum multis docet ipsemet Prado *nn.*18. *&* 19. & tamen ratione Ordinis Sacri tenetur absolute ad recitandum; similiter igitur est dicendum in nostro casu;nempe, quod licèt ex se,& absolutè, teneatur statim ac Ordinatur Subdiaconus ad recitandum;excusatur tamen ex accidenti, in die suæ Ordinationis.

Arguit *Quartò*. Qui scit se impediendum vesperè vt non possit recitare (non loquor de impedimento infirmitatis vel violentiæ)tenetur præuenire, & anticipate dicere, & qui est manè impeditus, tenetur vespere ante mediam noctem dicere totum officium illius diei,vt docent Silvest.*verb.Hora.q.vlti.* Bonac. *disp.1.de Horis q.6.pun.2.n.28.& 36.* Valentia,Suarez,Azor, & alij communiter, vt refert,& sequitur Palaus *to.2.tra.7.disp.2.pun.6.num.16.Et n.*15. notat quod cum Sà,in prioribus editionibus *verbo Hora n.*1. dixisset, quod *Horas Canonicas non tenetur; Qui vrgente negotio est impeditus: huic enim sufficit recitare Horas temporis non impediti.* In editione Romana ex correctione Magistri Sacri Palatij, hoc expunctum est. Sed eadem prorsus militat ratio in casu nostro: ergo sicut nullus admittit esse probabile,quod qui ab Hora duodecima noctis vsque ad horam duodecimã diei est legitime occupatus & impeditus, vt nil officij potuerit recitare, non teneatur aliis duodecim horis,quæ restant,vsque ad mediam noctem,recitare totũ officium à Matutinis,vsque ad Completoriũ; & multo minus admitti potest, quod non teneatur recitare vesperas,& Completorium:ita pariter non est probabile.quod subdiaconus non teneatur ad minus, recitare vesperas,& Completoriũ.Ecce argumentum Patris Pradi,ad vnguẽ relatũ;sicut & alia ad vnguem retuli;non mutilando illorum vires,aut verba;vt ipse referendo mea ad impugnanda,fecit,& confecit.

Respondeo igitur, concessa maiori (de cuius doctrina infra) negando minorem. Quia re vera non militat eadem ratio in casu nostro Patet manifestè. Nam in casu,de quo fit sermo in maiori argumenti, manè extat iam præceptum recitandi, quo astringitur, qui scit, se impediendum vesperè, & ideo tenetur præuenire, & anticipatè dicere:& similiter, qui mane est impeditus, tenetur, ob eamdem rationem,vesperè ante mediam noctem (moraliter saltẽ, iuxta à nobis *infra* dicenda) dicere totum officium illius diei.At in nostro casu non sic.Quia in illo,non extat præceptum de recitando toto officio, vt omnes supponunt;nec adhuc,de maiori parte;vt etiam communiter docent Doctores: ergo nec de minori extabit:quia qui non tenetur ad dicendam maiorem partem officij, siue ex impotentia ad illam dicendi,siue ex deficientia, vel absentia præcepti astringentis ad illam recitandi,non tenebitur ad minorem. Legatur pro confirmanda hac doctrina, illa, quam in simili tradidimus *2.p.tra.7.disp.3. à qu.30. vsque ad 33.*& hæc sufficiant pro hac quæst. in qua, extra morem demoratus sum; vt satisfacerem illi,qui etiam extra morem,vt mihi contradiceret, valde demoratus fuit.

§. IV.

De obligatione, quam habent beneficiarij ad recitandas Horas,extra Chorum.

QVÆSTIO LI.

An,habens beneficium Ecclesiasticum, siue sit simplex,siue Curatum, teneatur recitare Horas Canonicas?

REspondeo tanquam quid certum:Teneri,etiamsi beneficium habens,non sit Ordine Sacro initiatus.Quia sicut Sacer Ordo,sine beneficio,obligat ad Horas, ita beneficium, absque Sacro Ordine ad eas obligat. Sic habetur *in capite finali,dist.92. & in cap fin.de Rescrip.in 6.*& clarius in Concil. Lateran, sub Leone X. *sess.9.§. statuimus.* Et in Motu proprio Pij V.Quorum decreta refert Nauarr. *cap.25.n.122.* Suarez *lib.4.de Horis Canonicis c.29.* Bonac.*de Horis,disp.1.q.2.pun.4.n.1.& q.5.pun.1.n.4.* Palaus *disp.2.punct.1.§.2.n.1.* Sanchez *lib.2.consil.cap.2.dub.58.* Trullench *lib.1.in Decal.c.7.dub.12. §.3.n.1.* Thom. Tamburinus *lib.2. in Decal.c.5.§.1. à num.19.* Ioan. Martinez de Prado *to.2.c.30. q.6.§.5. à nn.44.* Azor. *tom.1.lib.10.à cap.3.* Lessius *lib.2. de Iust. capit.34. à dubit.30.*

QVÆSTIO LII.

An, qui per metum grauem, incußum sibi à Parente, acceptauit beneficium;teneatur ad Horas Canonicas?

REspondeo, Non teneri; nisi aliàs, tanquam Beneficiarius velit percipere commodum fructuum: quia tunc ratione illius voluntatis remittit coactionem

coactionem, & consentit in acceptationem, & retentionem beneficij. *Prima pars* constat ex supra dictis loquendo de Ordinato per vim. *Secunda*, constat; Quia qui sentit commodum, par est, vt sentiat onus. Sic Lessius *dub.30.cit. num.174.* Bonac. *disp.1. de Horis quæst.2.punct.4.num.4.* Palaus *disp.2. pun.1. §.2.num.1.* Trullench *lib.1. in Decal. cap.7 .dubit.12. §.3.num.4.* his verbis: *Hoc tamen pro certo habes, recipientem beneficium per metum grauem sibi à parente incussum, teneri ad diuinum officium, etiamsi illud accipiat, absque animo Clericandi; illinsque recipiat fructus, Bonac. & Lessius* (vbi supra) *quia verè est beneficiarius, & illius percipit vtilitates. Quod si nullos fructus recipiat, aut si illos recipit animo illos restituendi, non tenetur recitare: tenetur tamen Beneficium, vbi primum poterit, resignare, & restituere siquid acceperit. At si Pater fructus receperit (vt communiter contingit) non tenetur filius restituere, magis quã alij filij: nam primo loco tenetur pater, & omnes hæredes illius pro rata.* Villalob. *1.p.tra.24.diff.8.n.14.* Hucvsque Trullench.

Qvæstio LIII.

An habens Beneficium integrè in commendam, interim, quod alicui datur; persoluere Horas cogatur?

Respondeo vt certum: Cogi. Quia, quamuis dictus non habeat titulum Beneficij; nihilominus habet veram illius administrationem, & ius ad percipiendos fructus Beneficij, & etiam titulum beneficiarium, cum Commenda sit titulus Canonicus, vt docet Glos. *cap. Nemo. de elect. in 6.* ergo & debet onus beneficiarij habere. Sic Azor. *lib.10. cap.3.q.6.* citans Medinam *de Orat.q.7.* Glos. *in cap. Nemo. cit.* Nauarrum *de Orat.c.20.n.16.* & Ledesmium *part.2. qu.16. art.4. & 5.* Sic etiam Suarez *lib.4. de Horis, cap.22. nu.14. & 16.* Graffius, & Garcia, *de benefic.* quos citat & sequitur Bonac. *disp.1.q.2.pun.4. num.2.* Sanchez *lib.2.consil.c.2. dub.65.* Palac. *in 4.dist.25. disp.9.fol.* 144. Corduba *in sum.q.186.* vbi idem docet de iis, qui beneficia aliorum habent in confidentia, & proprio nomine, & percipiunt fructus aliquos. Trullench *loc. cit.n.3.* Villalob. *n.10.* Filliuc. *tract.23.c.5.n.175.* Palaus *disp.2.pun.1.§.2.n.4.* Qui secus dicit de habente commendam, per quam non datur potestas disponendi de fructibus.

Qvæstio LIV.

An, habens beneficium manuale, seu regulare, debeat Horas Canonicas recitare?

Negandum videtur, Quia beneficiũ manuale, ad nutum conferentis est reuocabile, ergo habens tale beneficium non debet cogi ad Horas recitandas.

Sed vt quid certum, Respondeo, Debere Horas recitare. Quia habens manuale beneficium, verè suscipit in se totam beneficij administrationem, ad quã pertinet etiam onus diuini officij recitandi. Nec obstat, quod sit ad nutũ conferentis reuocabile, ad hoc, vt idẽ prorsus iuris, & oneris habeat, sicut cætera beneficia; Constat, quia qui est miles ad tempus etiam cogitur militiæ onera sustinere, dum militat. Sic cõmunis Doctorum. Azor. *loc.cit.c.4.q.2.* Suarez *nu.16.* Molfes. Nauar. Medina, Lessius, Malderus, & alij, quos citat & sequitur Bonac. *n.2.cit.* Trullench, *n.3.* Palaus *disp.2.pun.1.§.2.n.3.*

Qvæstio LV.

An ille, cui datur beneficium aliquod, propter aliquod ministerium temporale; v.g. vt doceat Grammaticam, vel Theologiam, vel pulset Organa &c: teneatur ad recitandas Horas?

Non teneri absolutè, eo quod tales tituli sint merè sæculares, docent aliqui DD. inter quos, præcipui sunt Emman. Sà *verb. Horæ n.4.* ita dicens: *Nec beneficium datum ad officium non Ecclesiasticum, vt ad pulsandum Organa, aut ad docendum etiam Theologiam, obligat ad officium.* Et Armilla *cod. verb. nu.2.* apud Bonac. *vbi infra* Nauarr. Turrecrem. Palat. & alij apud Sanchez, quos ex parte sequitur, *lib.2.consil. cap.2.dub.58.n.2.*

Sed Clarius ego Respondeo *Primò.* Certum est, quod ille, cui tantum dantur fructus (etiam omnes) alicuius beneficij, per modum stipendij, propter actionem aliquam externam temporalem, v.g. vt doceat Grammaticam, pulset Organa, aut sit Sacrista &c. tunc non teneatur ad recitandas Horas: quia non datur illi beneficium, sed fructus illius: cum igitur non sit Beneficiarius, non tenetur ad Horas. In hac responsione conueniunt omnes.

Respondeo, *Secundò.* Ille Clericus, cui proprie confertur beneficium cum onere legendi, aut pulsandi Organa &c. tenetur non solum ad legendum &c. verum etiam ad recitandum diuinum officium. Quia iste, verè habet beneficium, vereque est Beneficiarius, & ideo vere tenetur ad Horas recitandas. Sic etiam tenent communiter DD. & ita sunt intelligendi citati pro prima sententia. Legantur Suarez *lib.4.c.22.n.2.* Palud. Turrecr. & Silues. apud ipsum. Bonac. *n.5.* Trullen. *nu.2.* Lessius *li.2.cap.34. dub.31. num.174.*

Qvæstio LVI.

An, habens præstimonia teneatur ad Horas Canonicas?

Negarunt aliqui Doctores: eo quod Præstimonia non sint propriè beneficia, sed portiones quædam deductæ ex beneficiorum redditibus, & adolescentibus assignatæ, vt sustentẽtur in studiis, vt sic eruditi postea possint Ecclesiæ deseruire: ergo non obligant eos, qui illa habent, ad recitandas Horas. Ideo sic sensere Medina *C. de Orat. qu.de necessitate vocaliter orandi oratione publica* Palacios *in 4. dist.15. disp.9.* Gigas *de Pensionib.q.28.n.5.* Sylua *tra.de Benefic.par.1.q.3.n.10.* & alij, quos citat Suarez, *vbi infra.* Corduba etiam apud Sanchez, *in sum.q.186.*

Sed iam, vt certum, Respondeo, Teneri. *Primò* Quia præstimonia verè, & proprie sunt beneficia, cum dentur propria collatione Prælati, & spirituali titulo, nempe propter officium. *Secundò*, Quia dato quod sit probabile, quod non sint proprie beneficia; iam tamen non est probabile, ad officium diuinum non obligare; quia ad hunc effectum sub beneficiis ea comprehendit Pius V. *in Motu proprio*, quam refert Nauarr. *in sum.c.25. num.122.* vt constat ex illis verbis: *Declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nulla omnino seruitia habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendit.* Et ideo hanc partem, iam vt certam, docent omnes, Suarez *lib.4. cap.22. num.8. & 10.* Nauarrus *loc. cit. & capit.21. de Orat. numer.9.* Sotus *lib.10. de Iust. quæstion.5. art.3.* Medina *lib.1. instruct.*

*cap.*14.§.1.Oldradus, Sandoual, & etiam Corduba, quos refert, & sequitur Sanchez, *lib.2.consil. cap.2. dub.69.* Vazquez *opusc. de Benefic. cap.4. §.1. dub.3.* Palaus *disp.2.punct.1.§.2.num.2.* Trullench *cap.7.cit. dub.12.§.3.num.5.in fine* Prado *tom.2.c.30. qu.6.§.5. num.44.& 45.*

QVÆSTIO LVII.

An, Qui habet Capellaniam collatiuam (ideſt) quæ authoritate Epiſcopi erecta eſt, & ab ipſo confertur, obligetur ad recitandas Canonicas Horas?

REſpondeo vt certum: Obligari. Quia certum eſt, quod huiuſmodi Capellania habet omnes qualitates ad proprium beneficium requiſitas: ergo certum eſt, quod illam habens teneatur ad Horas. Antecedens patet: quia talis Capellania confertur à Prælato, & perſonæ Eccleſiaſticæ, & ad officium Eccleſiaſticum: ergo. Sic omnes. Nauarr. *de Orat. cap.20.num.17.* Metina, Corduba, Ledeſma, Rodriguez, Lopez, Silueſtr. Tabiena, & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *loc.cit.dub.60.num.2.* Suarez *lib.4. cap.22.num.11.* Vazquez *vbi ſupra dub.3.nu.9.* Azor. *lib.10.cap.3.quæſt.5.* Bonacina *diſp.1. de Horis qu.2. punct.4.num.6.* Garcia *de benef.1.p. cap.2. numer.81.* Palaus *punct.1.cit.§.2. num.3.* Prado *loc. cit. num.47.* Trullench *loc.cit.num.5.* & alij, Quod verum habet, licèt dicta Capellania ſit ad nutum amouibilis, iuxta dicta ſupra, *qu.54.*

QVÆSTIO LVIII.

An etiam habens Capellaniam non collatiuam, (ideſt) quæ à Patronis, etiam laicis, erigitur, & confertur, ſine collatione Eccleſiaſtici Prælati; obligetur ad officium Canonicum?

REſpondeo vt certum: Non obligari. Quia certum eſt, quod huiuſmodi Capellania non collatiua, non ſit beneficium; cum non detur per prouiſionem, & auctoritatem Prælati Eccleſiaſtici. Repugnat namque beneficium Eccleſiaſticum inſtitui, vel conferri à laico, ſine interuentu ſpiritualis poteſtatis. Sic omnes. Medina *C.de Orat.quæſt.7.* Nauarr. *cap.20.de Oratione num.17.* Ledeſma *in 2.p.4.qu.16. art.4.dub.5.* quos citat, & ſequitur Suarez *vbi ſupra, num.12.* Sanchez *dub.60.cit. concl.2.* his verbis: *Capellaniæ non collatæ non obligant ad recitandum. Ratio. Quia non ſunt beneficia, nec dantur alicui Clericali titulo, nec Prælati authoritate; ſed ſunt quædam reditus merè ſæculares alicui, ſiue Clerico, ſiue laico relicti, cum onere, vt tot Sacra fiant quotannis.* Azor, Filliuc. Villalob. quos affert, & ſequitur Trullench *loco cit. num.5.*

QVÆSTIO LIX.

An, habens capellaniam, quæ, ex teſtatoris voluntate, non eſt collatiua; ſi poſtea fuerit collata per Pontificem, aut per Epiſcopum; teneatur ad Officium Canonicum?

REſpondeo, Non teneri. *Quia* (inquit Sanchez) *illa collationes non mutant horum bonorum naturam: & potuerunt id facere ex falſa relatione, vel de facto, & ad maiorem ſecuritatem; non quia hoc eſſet neceſſarium. Sic aliqui Doctores Neoterici, qui hoc limitant, niſi iam Prælati Eccleſiaſtici præſcripſerint ius conferendi hanc Capellaniam: quia iam propter præſcriptionem cenſenda eſſet Capellania collatiua, & ſic beneficium Eccleſiaſticum, & per conſequens obligaret ad Horas.* Sic ille *dub.60. cit. num.4.* & antea Azor. *1.p.lib.10. cap.3. quæſt.5.* (non 4. vt quidam citant) his verbis: *Si certo annorum tempore, videlicet, quadraginta annorum ſpatio quater, terue, aut etiam bis, Capellaniam Epiſcopus contulerit, aut in ea inſtituerit Clericum nominatum, & oblatum à laico, haberi debet pro Eccleſiaſtico beneficio, quoniam conſuetudine poteſt Eccleſia contra laicum præſcribere. Vnde etiamſi Capellania prima ſua inſtitutione, & origine, beneficium non fuerit, progreſſu tamen temporis in beneficium Eccleſiaſticum tranſire poteſt.* Sic Azor.

QVÆSTIO LX.

An, Quando is, qui habet Capellaniam collatiuam, & quia eſt puer, vel impeditus, ſatisfacit illi in Miſſis dicendis per alium; teneatur dicere per ſe Horas Canonicas?

REſpondeo vt certum teneri. Tum, quia onus recitandi eſt perſonale. Tum etiam, quia ille alius per quem dicuntur Miſſæ, non-tenetur ex vi ſtipendij, quod recipit, dicere officium Canonicum: quia reſpectu illius, illud non eſt beneficium: ergo onus dicendi officium Canonicum manet apud Capellanum. Sic Suarez *lib.4. capit.22. numer.12. in fine* ex Silueſtro, Tabiena & Armilla, *verb. Horæ.*

QVÆSTIO LXI.

An, qui obtinet Capellaniam collatiuam, vel aliud beneficium, ſi ſtudio litterarum vacet; ſatisfaciat ſuæ obligationi, recitando per alium?

AFfirmarunt aliqui: eo quod ſufficienter videtur ſatiſfieri Capellaniæ, vel beneficio, dum per alium ſeruitur ipſis, & recitatur officium. Ita tenuere Landulphus, Petrus, & Abbas antiquus, & Lucas de Penna, quos refert Sanchez *vbi infra:* addens huic ſententiæ fauere Greg. Lopez, Silueſtrum, Angel. & Roſellam, eo quod referentes hanc ſententiam non damnent eam, ſed tantum dicant oppoſitam eſſe tutiorem.

Sed vt certum Reſpondeo, Non ſatisfacere per alium recitando; ſed teneri per ſe ipſum recitare. Quia, vt nuper eſt habitum, obligatio recitandi eſt perſonalis, ſicuti obligatio audiendi Sacrum & ieiunandi: ergo per ſe ipſum, & non per alium debet ſatisfieri. Sic Silueſtr. *verb. Horæ, quæſtion.2. dicto 3.* Angel. *ibi, num.4.* Roſella *num.2.* Tabiena, *num.3.* Armilla *num.3.* Nauarr. *de Orat. cap.11.nu.32. & 33.* D. Anton. Metina, Palac. Sotus, Greg. Lopez & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.2.conſil. cap.2.dub.62.* vbi *num.3.* ait oppoſitam ſententiam, non eſſe probabilem, quia caret omni fundamento.

QVÆSTIO LXII.

An, Quando, ex dispensatione Pontificis, confertur puero aliqua capellania collatiua, vel beneficium, ante decimum quartum annum; teneatur ad recitandas Horas Canonicas, antequam adimpleat dictam ætatem?

NEgarunt aliqui teneri ad recitandas Horas, vsque ad decimum quartum annum. Quia eo ipso quod Papa dispenset cum puero in ætate, vt sit beneficij capax, censetur dispensare vt non teneatur ad Horas, Hucvsque adimpleat ætatem. Ita apud Sanchez docti Moderni.

Sed, vt mihi certum, Respondeo: Teneri ad recitandum, antequam adimpleat decimum quartum annum; dummodo antea habeat ad id capacitatem. Ratio est. Quia, absolutè loquendo, certum videtur, quod non ex eo, quod Pontifex suppleat ætatem pueri, vt beneficij sit capax, censetur dispensare, vt non teneatur ad recitandas Horas. Quia diuersæ sunt dispensationes, & cum dispensatio sit odiosa, & exorbitans à iure communi, non est extendenda. Sic Sanchez *capite 2. cit. dub. 61. concl. 1.* dicens, sic sentire valde doctos Recentiores Magistros.

QVÆSTIO LXIII.

An saltem, dictus puer, qui ex dispensatione accepit Capellaniam, seu beneficium, ante 14. annum; excusetur ab onere recitandi, vsque ad decimum tertium annum?

AFfirmarunt aliqui, docentes, non teneri ad recitandum vsque ad duodecimum saltem, vel decimum tertium annum, etiam casu, quo id commode posset. Eorum fundamentum potuit esse doctrina Soti *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 11.* sub finem, & aliorum, existimantium, præcepta Ecclesiæ non ligare pueros vsque ad duodecimum annum.

Sed vt certum, Respondeo. Teneri ad recitandum, ante annum duodecimum, si commodè possit. Quia certum est, quod ante dictam ætatem ligentur pueri præceptis Ecclesiæ, vt diximus *1. p. tract. 5. disput. 3. quæst. 28. & 2. p. tract. 7. disput. 3. quæst. 5. & alibi.* ergo, Sic Sanchez *loc. cit. dubit. 61. num. 3.* his verbis: *Non est tempus ætatis determinatum, quo recipiens beneficium teneatur recitare; sed statim ac recipit beneficium, si est rationis compos, & commodè potest; quia legere latinè nouit, tenetur ad Horas. Probatur. Quia ius obligat omnes beneficiarios, & certissima sententia est, præcepta Ecclesiæ obligare omnes doli capaces, dempto præcepto ieiunij*, vt docet Sotus, sibi contrarius, & plures alij, vt latè dixi *lib. 1. sum. cap. 12. num. 6.* Sic tenent Nauarr. *cap. Quando. cap. 11. num. 16.* & prædicti Recentiores: atque ita prima sententia non est probabilis. Hæc Sanchez Qui *num. 4.* addit, prædictos pueros excusari à recitatione Horarum, toto tempore quo ignorent latinè legere, (quia pro tunc sunt ad recitandum impotentes) modo dent operam, vt id discant.

QVÆSTIO LXIV.

An, Clericus habens pensionem, pinguem saltem, teneatur ad Horas Canonicas?

AFfirmant Maior *in 4. dist. 25. ad 4.* & alij quidam Recentiores, apud Sanchez *infra.* Quia existimant pensionem esse beneficium.

Sed vt certum, Respondeo. Non teneri. Quia contra, certum est, pensionem non esse beneficium, cum non sit ius percipiendi fructus, ob aliquod Ecclesiasticum officium, sed potius sit ius percipiendi fructus beneficij ab eo, qui titulum beneficij habet. Sic Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 63. num. 3.* qui id probat *ex cap. Quoniam. de Præbend. in 6.* Azor. *1. p. lib. 10. cap. 4. quæst. 3.* dicens, esse communem opinionem omnium. Nauarr. *de Orat. cap. 7. num. 25.* Medina *de Orat. quæst. 7.* Suarez *lib. 4. cap. 22. numer. 4.* qui ait, hanc fuisse semper constantem sententiam, quam planè confirmauit Pius V. mox citandus, nam imponendo his pensionariis nouum quoddam onus distinctum ab Horis Canonicis, clarè significauit, eos non obligari ad pensum Horarum. Legantur etiam pro hac parte Sotus *lib. 10. de Iust. quæst. 5. art. 3.* Filliuc. *tom. 2. tract. 23. cap. 5. quæst. 9. num. 173.* Vazquez. *de Benefic. cap. 4. §. 1. dub. 4. num. 17.* Azor. *1. p. libro 10. cap. 4. quæst. 3.* Palaus *disput. 2. punct. 1. §. 2. numero 6.* Bonac. *disput. 1. quæst. 2. punct. 4. numer. 7.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 7. dub. 12. §. 3. num. 5.* Thom. Tamburin. *lib. 2. in Decalog, cap. 5. §. 1. nu. 22.* Prado *tom. 3. cap. 30. quæst. 6. §. 5. num. 45.* & omnes.

QVÆSTIO LXV.

An saltem, Pensionarius, qui titulo Clericali (siue, vt Clericus) pensionem percipit; teneatur recitare Officium paruum Beatæ Mariæ Virginis?

REspondeo, vt certum: Teneri, non est vi iuris communis, sed ex vi particularis constitutionis Pij V. vbi præcipit, vt Pensionarij, qui non titulo sæculari, sed vt Clerici pensiones percipiunt, teneantur ad officium paruum B. Mariæ, & id non recitent, teneantur ad restitutionem fructuum. Verba Constitutionis (quam refert Nauarrus, *vbi infra*) sunt hæc: *At quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, cum modo prædicto, ad dicendum officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.* Sic Pontifex. Et sic tenent Nauarrus *in sum. cap. 25. numero 108. & 122. & capite septimo de Oratione numero 25.* Suarez *capite 22. citat. numero quarto. & quinto*, vbi probat hunc Pij. V. Motum, esse vsu receptum, & saltem in Hispania sibi constare. Sic etiam Sanchez, & alij omnes DD. *quæstio. antecedenti* adducti, præcipuè Palaus *numero sexto*, qui bene notat, quod tunc dicatur quis habere pensionem, tanquam Clericus, quando necessario debet esse initiatus prima Tonsura, vt illam recipiat: secus quando hanc qualitatem non requirit, vt iam dicam.

QVÆSTIO LXVI.

An, etiam Pensionarius, qui titulo sæculari, nempe, ob pulsanda cymbala, seu organa, &c. pensionem recipit; teneatur ad officium paruum B. Virginis Mariæ?

REspondeo, vt certum: Non teneri. Quia iste non percipit pensionem, vt Clericus (quod requirit Pontifex) cum ad exercenda hæc munia non requiratur status Clericalis. Colligitur clarè ex illis verbis Constitutionis Pontificiæ, *vt Clericus percipit.* Sic omnes DD. Legantur citati præcipue Suarez, Azor. Trullench. Palaus, & dicta in simili à nobis supra *quæst.* 55.

QVÆSTIO LXVII.

An, etiam eximatur à recitando officio paruo Virginis, illa persona in cuius capite, ad alterius commodum, est pensio reseruata?

NEgatiuam sententiam esse probabilem, apertè fatetur Bonacina *disput. 1. de Horis quæstio. 2. punct. 4. num. 7.* his verbis: *Imò, quando pensio reseruata fuit in capite, seu persona vnius in commodum, & vtilitatem alterius, vtrumque ad paruum Beatissimæ Virginis Officium teneri, aliquis fortè non improbabiliter existimabit: quia vterque dici potest pensionarius, & pensio, tam morte illius, quàm huius extinguitur, vt ex multis Rotæ decisionibus probaui in tractatu de Pensionib. punct. 8. num. 2.* Ita Bonacina.

Sed, vt mihi certum, Respondeo. Verè eximi à recitando dicto paruo Officio Virginis: quia certum mihi est, solùm teneri ad illud recitandum illum alium, in cuius commodum pensio reseruata est. Ratio est, quia iste solus percipit pensionem, vt Clericus, & illius emolumento finitur, non verò ille in cuius capite fuit posita pensio: ergo, &c. Sic Bonac. *loc. citat.* quem citat & sequitur Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 7. dub. 12. §. 3. num. 6. in fine.* Et constat ex dictis in simili, *supra quæst. 53.*

QVÆSTIO LXVIII.

An, si quis, habens (titulo clericali) pensionem, fiat miles Lauretanus, hoc est, obtineat, vulgò, Cauallerato, *& nubat; teneatur, retenta pensione, ad Officium paruum?*

REspondeo, Teneri. Ratio est. Quia talis miles, virtute militiæ, verè retinet pensionem: ergo verè obligatur ad Officium paruum. Patet, quia non ex eo, quod mutet statum, mutatur natura pensionis, sed solùm est priuilegium retinendi illam cum matrimonio. Sic Sanchez *libro 2. consil. capite 2. dubitat. 63. numero quinto*, & ex illo Trullench. *loco citat. numero septimo, in fine.* Qui, & consequenter, idem dicunt de illo, qui matrimonio initio, obtinet pensionem titulo clericali, virtute illius officij militaris.

QVÆSTIO LXIX.

An, Qui in totum cessit liberaliter pensioni; teneatur adhuc ad Officium paruum?

REspondeo, vt certum: Non teneri. Quia iste talis, verè non habet pensionem, ratione cuius tenebatur ad officium. Secus est dicendum de illo, qui solùm in partem cessit pensioni; quia è contra, iste verè dicitur adhuc titulo clericali pensionem possidere: ergo cum adhuc si pensionarius ad Officium paruum obligabitur. Sic Bonacina *loco citat. num. 11.* Trullench. *numero* 8. & Basseus *tom. 2. Horæ Canon. 1. numero* 7.

QVÆSTIO LXX.

An item, non teneatur ad Officium paruum pensionarius ille, qui consentit, pensionem redimi, accepta, v.g. trium, aut quinque annorum, anticipata solutione?

NEgat, apud Bonacinam, Azor. 2 *p. lib.* 8. quem sequitur Pater Bellius *in manuscriptis de Benefic. lib. 4. de Pension. vers. 6.* Ratio eorum est: Quia accipiens anticipatas solutiones, videtur recipere stipendium, quod Clerico fuit institutum pro onere Diuini Officij: ergo tenetur adhuc ad diuinum illud paruum officium, ratione cuius datur pensio. In hanc partem videtur inclinare Bassæus *loc. cit.* dum dicit, oppositum forte esse probabile.

Sed probabilius, Respondeo. Adhuc istum non teneri ad Officium paruum: ob rationem, *quæstione antecedenti*, adductam. Nam hic non habet amplius pensionis titulum, nec verè dicitur pensionarius: ergo consequenter, non tenebitur ad onus officij parui, quod pensionem consequitur ex quo patet ad argumentum contrariorum. Sic Bonac. & Trullench. *loco citato.*

QVÆSTIO LXXI.

An, Clericus pensionarius, si efficiatur miles Diui Iacobi, aut Sancti Ioannis, aut alterius Ordinis militaris, cum indulto retinendi pensionem; satisfaciat obligationi recitandi officij parui, recitando Orationes Dominicas, & Angelicas à Religione sua præscriptas?

NEgandum videtur. Quia Pontifex clare præcipit, quod Pensionarius quilibet recitet Officium paruum: atqui legis verba debent accipi secundum propriam significationem: ergo talis lex Pontificia verè comprehendit dictum Clericum.

Sed fere certum, Respondeo. Satisfacere suæ obligationi. Quia mens Pontificis, & eiusdem legis ratio, videtur fuisse, ne fruentes fructibus beneficiorum Ecclesiasticorum, omnino essent immunes ob onere dicendarum precum, ad quas beneficiarij tenentur; quæ non habet locum in nostro casu, qui tenetur ad multas preces, imò ad maiorem quantitatem, quæ sunt preces Officij B. Virginis, cum centum viginti Pater noster, cum totidē Aue Maria ex Ordinis institutione à militibus quotidie persoluendas teneantur. Sic meus doctissimus Nauarr. *consil. 22.*

de

de celebrat. Missar. per totum. Qui ad argumentum in contrarium optime respondet dicendo, quod lex extenditur, & restringitur secundum mentem Legislatoris, & rationem legis iuxta *l. cum pater. §. dulcissimis. ff. de legat. 2. & cap. Suggestum. & cap. Meminimus. de Appell.* Sic etiam ex illo, Garcias *3. p. de Benefic. c. 1. nnm. 117.* Rodriguez *1. p. sum. cap. 140. n. 5.* Bonac. *disp. 1. de Horis. quæst. 2. punct. 4. num. 10.* (non 2. vt apud Palauum) Trullench. *lib. 1. in Decalog. capite 7. dubit. 12. §. 3. num. 7.* Palaus *disp. 2. punct. 1. §. 2. num. 6.* & Tamburin. *loc. cit. cap. 5. §. 1. num. 22.* ita dicens: *Si quis pensionarius fiat Religiosus laicus, vnde ex peculiari præcepto obligetur ad quasdam alias Orationes, non obligabuntur ad dictum paruum officium: quia non præsumitur Pontifex alio super addito onere, eos aggrauare voluisse. Adderem libens pro hoc laico; modo prædictæ Orationes non sint multo minores, quàm sit Officium Beatissimæ Virginis.* Sic ille.

Qvæstio LXXII.

An, si quis Pensionarius vellet, loco Officij parui, Officium magnum recitare; satisfaceret sic, suæ obligationi?

Respondeo, vt quid certum. Satisfaceret abundantius, & melius. Quia Papæ intentio fuit releuare pensionarios ab onere recitandi officium magnum, imponendo illis minorem obligationem, recitandi, videlicet, Officium paruum, casu, quo nollent Officium magnum recitare. Sic Suarez *lib. 4. de Horis Canon. cap. 22. num. 6.* Bonacina *loc. cit. num. 9.* Vazquez, Molfesius Reginald. Azorius, & Carolus Macignus apud ipsum. Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dubit. 63. numer. 6.* Trullench. & Palaus *loc. citatis.* Bassæus etiam *numer. 7. citato.*

Qvæstio LXXIII.

An, Clericus beneficiarius, vel ordine sacro initiatus, si simul etiam pensionem habeat; teneatur præter septem Horas Canonicas, recitare Officium B. Virginis paruum?

Affirmandum videtur. Quia Pius V. *in sua Constitut.* vniuersè præcipit, vt omnis Pensionarius paruum Officium Virginis soluat: ergo dictus Clericus ratione beneficij vel Sacri Ordinis cogitur septem Horas Canonicas recitare, & quatenus Pensionarius paruum B. Virginis Officium.

Sed tanquam certum, Respondeo. Non teneri, nisi ad recitandas septem Horas Canonicas. Quia mens Pij V. ea videtur fuisse, vt Pensionarius alioqui non adstrictus ad Horas, aut ad alias preces recitandas, paruum Deiparæ officium soluere coge retur. Sic Suarez, Sanchez, Trullench. Tamburinus, & Bassæus, *loc. cit.* Azor. *lib. 10. cap. 4. quæst. 3.* Vazquez. Reginald. Filliuc. Garcia, & Philiarcus, apud Bonacinam, quos ipse sequitur *num. 10.*

Qvæstio LXXIV.

An, Episcopus teneatur ad Officium Diuinum recitandum?

Respondeo, Tanquam quid certissimum: Teneri. Quia possidet Episcopatum, qui inter præcipuè Ecclesiæ Beneficia connumeratur. Sic omnes DD. Qui idem dicunt de Abbate, Parocho, & Canonico: quia hi omnes verum Beneficium possident. Legantur Authores citati, & præcipuè Palaus *pun. 1. §. 2. num. 1.* vbi quærens, quid nomine Beneficij intelligatur? Respondet *Clarum esse intelligi Episcopatum, Rectoriam, Canonicatum, Dignitatem, Præposituram, & similia. Quia hæc nullus dubitat, verè, & propriè beneficia esse.* Sic ille. Bonacina. *numer. 12.* Trullench. *num. 9.*

Qvæstio LXXV.

An etiam, Eminentissimi Cardinales teneantur recitare Officium Diuinum, ex vi solius Cardinalis?

Negant aliqui viri docti, quos, suppressis nominibus, refert Diana *p. 8. tr. 7. Resol. 1.* docentes Cardinalatum, vt Cardinalatum, non inducere obligationem persoluendi Horas Canonicas. Quia Cardinalatus, etiam si sit beneficium, nullos tamen habet fructus, & redditus: atqui beneficium non habens fructus, aut redditus nullam inducit obligationem recitandi officium: ergo.

Sed, vt fere certum, Respondeo. Teneri Dominos Cardinales, ex vi solius Cardinalatus, ad recitandum Officium Diuinum. Quia fere certum est, quod Cardinalatus, verè, & propriè est beneficium: ergo inducit obligationem recitandi Officium Diuinum. Consequentia ex dictis constat. Antecedens vero probatur ex *cap. 2. de Cleric. non residentib.* ibi: *Canonicè est depositus:* ergo Cardinalatus beneficium est. Quod confirmatur ex communi Doctorum placito, præcipuè Sapientissimorum Patrum, Lessij *de Iust. & iure lib. 2. cap. 34. dub. 12. num. 64.* Dicastillo *libro 2. tractat. 2. disput. 8. dub. 5. num. 88.* & Cardin. de Lugo *tom. 2. disput. 35. sectio. 2. numer. 10.* asserentium Dignitatem Cardinalium non esse constituendam inter beneficia simplicia, sed inter beneficia maiora. Enrici de Villalob. *in sum. tom. 2. tractat. 9. diffic. 2. num. 2.* Machado *tom. 1. lib. 3. par. 3. tract. 1. docum. 1. num. 4.* & alij, quos nouissimè sequitur Martinez de Prado *tom. 2. cap. 30. quæst. 6. §. 5. numer. 48.* dicens, & sibi hoc esse indubitatum: & se latere rationes, propter quas Diana nolit in hoc puncto suam proferre sententiam. Sed certè Diana licèt ex dignis rationibus (vt ipse ait) nolit quid sentiat proferre: tamen non dubito, quin in nostram inclinet; respondet enim ad argumenta, quæ contra illam fiunt. Et ita ad illud, quod initio quæstionis est positum, optime negat maiorem: nam Cardinalatus habet fructus, & redditus, nempe, summam quandam distributionem pro rata Dominis Cardinalibus distribuendam.

Qvæstio LXXVI.

An, obligatio, quam habet Cardinalis ad dicendas Horas, incipiat à die, quo ipse sumit Biretum, & acceptat nominationem; & ante susceptionem Pilei rubei?

Negandum videtur: Quia Beneficiarius non tenetur ad Horas à die collati beneficij, sed à die possessionis adeptæ, vt cum communi infra *quæst. 97.* dicimus: at sic est, quod Cardinalis non accipit possessionem Cardinalatus in die quo sumit Biretum, sed in die, quo sumit Pileum: ergo.

Sed

Sed ego vt certum; Respondeo. Teneri à die, quo sumit Biretum: quia ab illo die acquirit Cardinalis ius ad omnia Cardinalium munia, & acquirit possessionem Cardinalatus, ac per consequens tenetur ex tunc Horas Canonicas soluere.

Vnde ad Argumentum in contrarium, neganda est minor: cum ei obstet decretum Pij V. datum sub *die 26. Ianuarij* 1571. in quo statuit, sumptionem Capelli esse ceremoniam accidentariam, & à die, qua Cardinalis nominatur, & honorem accipit, & consentit, esse verum Cardinalem. Sic Diana *loc.cit.* Et ex illo Martinez *loco etiam citato.*

QVÆSTIO LXXVII.

An, Coadiutor Beneficiarij, teneatur persoluere Canonicas Horas?

AFfirmant nonnulli Recentiores, apud Sanchez *infra*, asserentes, coadiutorem teneri ad Horas, sicut tenetur principalis beneficiarius. Quia (aiunt) mittitur in possessionem, sicut ipse, & deseruit Ecclesiæ, & hic titulus est Ecclesiasticus: ergo.

Sed, vt mihi certum, Respondeo dicendum, quod Coadiutor Beneficiarij, non tenetur ad Horas, ratione Coadiutoriæ præcisè. *Primo*: quia Coadiutoria non est beneficium Ecclesiasticum, vt omnes, nemine contradicente, docent, vt ait Nauarr. *in cap. Si quando. de Rescript. Prælud. 5. num. 10.* & cum ipso, & aliis, Suarez *cap. 22. cit. num. 19.* ergo non obligat ad recitandum. *Secundo.* Quia obligatio recitandi, semper remanet apud Beneficiarium proprietarium: ergo non astringit Coadiutorem; patet, quia ex vno beneficio non obligantur duo ad recitandum. Sic Medina *de Orat. cap. 7.* Nauar. *cap. 2. de Orat. nu. 18.* Suarez *loc. cit.* Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 64. n. 3.* Bonac. *disput. 1. quæstio. 2. punct. 4. numer. 13.* Palaus *disput. 2. punct. 1. §. 2. numer. 7.* Garcia *de Benef. 3. p. cap. 1. num. 109.* Barbosa *de Iure vniuerso lib. 3. cap. 10. numer. 59.* Trullench. *lib. 1. in Decal. cap. 7. dubit. 12. §. 3. numero 10.*

QVÆSTIO LXXVIII.

An saltem, teneatur ad Horas, qui priuilegium Canonicatus obtinuit; assignata aliqua portione pro congruæ, & cum futura successione Canonicatus?

AFfirmant prædicti Recentiores, apud Sanchez. Quia præfatus Coadiutor habeat aliquos redditus, nempe aliquam congruam assignatam, habet etiam sedem in Choro, vocem in Capitulo, vocatur Canonicus: ergo verè tenebatur ad Horas.

Sed adhuc, Respondeo dicendum: quod non teneatur. Probatur *Primo* rationibus supra allatis. *Secundo*, & specialiter. Quia Coadiutor Canonici, non est verè Canonicus: nec est pro tali habendus, viuente Coadiuto: ergo iste talis ex vi Coadiutoriæ præcisè, non tenetur ad Horas. Antecedens, in quo est difficultas, constat ex quadam declaratione Pauli V. ad petitionem Ecclesiæ Cathedralis Conimbricensis, data in quodam breui *anno* 1606. in quo (vt refert Suarez) declarat Coadiutores Canonicorum, non esse verè Canonicos, nec pro talibus habendos, viuentibus Coadiutis.

Nec obstat, quod Coadiutor habeat aliquos redditus; sedem in Choro; vocem in Capitulo, & vocetur Canonicus. Quia redditus percipit in stipendium laboris, quem subit, ob proprietarium. Sedem in Choro, non loco proprietarij, sed vltimo loco post proprios Canonicos. Vocem in Capitulo, non ex vi tituli, sed ex concessione, vt etiam in hoc iuuet proprietarium: vocatur tandem Canonicus, non quia sit, sed quia habet ius succedendi, & (vt diximus) sedem in Choro, vocem in Capitulo. Ideóque hanc sententiam tenent communiter omnes. Suarez, Garcia, Sanchez, Palaus, Trullench. Nauarr. Medina *loc. cit.* Bonac. *numer. 15.* & alij.

QVÆSTIO LXXIX.

An ad minus, teneatur ad Horas Coadiutor Beneficiarij, aut Canonicatus; si expressè ad hanc obligationem subeundam coarctetur ex indulto Pontificis, aut ex pacto cum Proprietario?

REspondeo, Tanquam certum: Tunc teneri, non vi Coadiutoriæ præcisè, sed ex vi pacti, aut præcepti Pontificis. In quo casu, nec proprietarius, ob id, à recitando excusaretur. Sic Suarez *loc. cit. num. 22.* Sanchez *num. 4.* Nauarr. *num. 18.* Bonac. *num. 13.* Palaus *num. 7.* Trullench. *num. 10.* Et alij, qui bene notant, idem esse dicendum casu, quo Coadiutor alio titulo adstringeretur ad Horas, veluti si esset Beneficiarius aliàs, aut initiatus Sacris: quia tunc, certum est his titulis teneri.

QVÆSTIO LXXX.

An dictis Beneficiarij, vel Canonici Coadiutor, teneatur ad minus, dicere Officium paruum B. Mariæ Virginis, tanquam Pensionarius?

REspondeo, ex dictis cum distinctione, sic. Si Coadiutor habet propriam pensionem, super beneficium, sine dubio tenetur ad Officium paruum Virginis, (nisi aliàs Officium magnum recitet) quia recipit talem pensionem, vt clericus. Si verò solùm recipiat ex fructibus beneficij aliquam sustentationem per modum stipendij, tunc non tenebitur; quia non comprehenditur sub Motu Pij V. & aliàs satisfacit suæ obligationi suum ministerium implendo. Sic omnino Suarez *cap. 22. cit. in fine.*

QVÆSTIO LXXXI.

An Beneficiarius, qui solùm titulum beneficij habet, sine fructibus omnino; teneatur ad Horas Canonicas?

AFfirmant aliqui. Quia talis spontè (vt supponitur) acceptauit beneficium, cum onere non percipiendi fructus: ergo cum onere etiam recitandi Horas. Ita Metina *C. de Orat. quæstio. 7.* Maior *in 4. dist. 12. quæstio. 3.* Palud. & Turrecremenata, apud Sancium *infra.*

Sed probabilius longè, Respondeo. Non teneri, si saltem non stet per illum, quo minus fructus habeat, Ratio est. Quia obligatio recitandi, solùm ex Sacro Ordine, vel perceptione mercedis consurgit: obligatio recitandi, solùm ex Sacro Ordine, vel perceptione mercedis consurgit ex beneficio: ergo.

Sic

Sic Nauarr. *in sum. cap. 25. num. 103. & de Orat. cap. 7. num. 28. & 29.* Sotus *lib. 10. de Iustitia quæst. 5. art. 3. vers. Pari modo* Caiet. & Palac. *in sum. verb. Horæ.* Corduba, Sandoual. Silueſt. Armilla, Nieua, & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib. 2. conſil. capit. 2. dubit. 71. num. 4.* Leſſius, & Villalob. quos citat, & ſequitur Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 7. dubit. 12. §. 3. num. 17.* Thom. Tamburin. *lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 1. num. 23.* probans id: *quia licet Beneficium habeat, tamen non habet vt relatum ad fructus: vnde cum de Altari non viuat, non eſt æquum tantum onere prægrauari.* Sic ille.

QVÆSTIO LXXXII.

An etiam, eximatur ab obligatione recitandi Horas, ſi Beneficiarius, ſua voluntate, aut culpa, nullos fructus percipiat beneficij?

REſpondeo, vt certum: Tunc non eximi, ſed teneri ad recitandas Horas. Ratio eſt. Quia huiuſmodi, verè retinet beneficium cum iure ad fructus percipiendos ex illo: ſi ergo per illum ſtat, vt illos non recipiat, non ob ſuam culpam debet exonerari ab obligatione recitandi Horas. Sic Authores citati, & Bonac. *diſput. 1. de Horis. quæſt. 2. punct. 4. numer. 19.* Leſſius, Suarez Azor. Vazquez, Molfeſio, & Filliuc. apud ipſum, Palaus *loc. cit. num. 11.*

QVÆSTIO LXXXIII.

An, Beneficiarius, qui fructus nullos recepit, quia, ex cauſa iuſta, non reſidet, & ſolùm fructus dantur reſidentibus; teneatur ad Horas?

AFfirmant teneri tunc recitare, etiamſi ex legitima cauſa, ſtudij, & cum licentia, non reſideat. Quia per eum ſtat, quominus fructus percipiat; cum verè poſſit reſidere, Sotus *lib. 10. de Iuſt. quæſt. 5. art. 3. verſ. Pari modo.* Palud. *in 4. diſt. 15. q. 15. n. 15.* Turrecrem. *cap. 1. diſt. 91. n. 9.* Corduba *in ſum. q. 186. verſ. lo tercero.* Ledeſma *2. p. 4. quæſt. 16. art. 4. dub. 5.* & Nauarr. *in ſum. cap. 25. numer. 103. & de Oratione capite 7. numero 28.* quos omnes pro hac parte citat Sanchez, *infra.*

Sed ego cum diſtinctione, Reſpondeo *Primo.* certum eſt, apud omnes, quod ſi Beneficiarius, contra ordinem iuris non reſideat in ſua Eccleſia, teneatur ad Horas. Quia ſua culpa non reſidet, & ideo per ipſum culpabiliter ſtat, quominus fructus percipiat. Sic omnes DD.

Reſpondeo, *Secundo.* Probabilius eſt, quod ſi beneficiarius ex legitima cauſa, & ſecundum ordinem iuris, & cum licentia, non reſideat, & ideo non percipiat fructus illos, tunc non teneatur recitare Horas (niſi alias teneatur alio titulo) Ratio eſt. Quia recitandi obligatio in Beneficiario, oritur ex mercede, quæ illi datur ad ſuſtentationem: atqui Eccleſia in hoc caſu, priuat Beneficiarium mercede ad ſuam ſuſtentationem, & hoc abſque ſua culpa, & cum legitima licentia, & cauſa iure expreſſa: ergo iſte talis non tenebitur ad Horas. Sic Angelus *verb. Horæ Canonicæ, num. 4.* (alias. 3.) vbi quærens; An Beneficiarius cum eſt abſens ex cauſa legitima, & deſeruit Eccleſiæ per vicarium, teneatur ad Horas? & reſpondet *quod ſic, ſecundum mentem Panor. Innocentij, & Ioan. Andr. & eſt tutius: licet Abbas, & quidam alij dicant, quod non tenetur: quos credo dicere verum, ſi nullam vtilitatem in abſentia reciperet ab Eccleſia;* Sic Angel. Cui adde Gregor. Lopez. *l. 34. verſ. Han de decir tit. 6. p. 1.* Silueſtrum *verb. Hora. quæſt. 2. dicto 3. in fine,* Tabiena *ibi num. 3.* Henriquez, quos omnes citat, & ſequitur Sanchez *lib. 2. conſil. cap. 2. dub. 72.* Et hunc, Trullench. *dub. 12. cit. §. 3. num. 20. in fine.* Et ſecundum hanc reſponſionem explicari poſſunt aliqui DD. primæ ſententiæ, præcipuè Nauarr. & Sotus, cum iſti Doctores non loquantur, quando ex cauſa legitima non reſidet: quod eſt præcipuum dubium.

QVÆSTIO LXXXIV.

An, Beneficiarius, qui ſponte omnes Beneficij fructus cedit Patri, aut Patruo, aut ſuo creditori, &c. teneatur recitare?

REſpondeo, tanquam certum: Teneri. Quia in iſto caſu Beneficiarius verè cenſetur recipere dictos fructus, cum eius nomine, & voluntate alter capiat iuxta Regul. *Qui per alium. in 6.* Sic Nauarr. *in Sum. cap. 25. numer. 103. ibi:* Addo, *Nec per alium,* propter multos pueros, & alios familiares, vel amicos, quorum patres, heri, vel amici pro illis capiunt: quia iſti non minus, quàm ſi ipſi caperent, tenentur. Regu. *Qui per alium, &c.* Sic ille. Sot. Ledeſma, Palatios, quos ſequitur Sanchez *cap. 2. cit. dubit. 71. in fine* Trullench. *num. 20. cit.* Suarez *lib. 4. capit. 20. num. 12.* Baſſæus *tom. 2. verb. Horæ Can. 1. num. 5.* Rodriguez *1. p. ſum. cap. 140. num. 4.*

QVÆSTIO LXXXV.

An, Beneficiarius, qui nullos fructus beneficij percipit, eo quod ſit excommunicatus, teneatur ad Horas recitandas?

NEgat, apud Sanchez. Briareth. *quodlib. 4. propoſit. 5.* eo quod dictus, non percipiat fructus Beneficij: ergo nec eius onus debet percipere.

Sed, vt certum, Reſpondeo: Teneri. Ratio eſt. Quia excommunicatus, ſi velit, poteſt conſequi fructus beneficij, cum per ipſum ſtet, quominus ab excommunicatione abſoluatur. Et ſi facta diligentia, per ipſum non ſtet, quominus abſoluatur, non perdit beneficij fructus: ergo non debet eximi ab onere quod illi, ob fructus imponitur. Sic Sotus *libro 10. de Iuſtit. quæſtio. 5. articul. 3. verſ. At de aliis impedimentis.* Angles *in florib. 2. p. in mater. de Reſtitut.* vbi; de Clericis reſtitutioni obnoxiis. *fol. 208.* Couartu. *3. variar. capite 13. numero 8. verſ. Duodecimo.* & penes ipſum, Cardin. Decius, Gigas, & alij plures. Sanchez *libro ſecundo conſil. capite ſecundo, dubitat. 73.* Suarez *libro quarto, de Horis capite 20. numero 12.* Vazquez *de Benefic. capite quarto. §. primo, dubitat. 6. numero 25.* Azor. *1. p. libro 10. capite quarto, quæſtio. ſexta* Palaus *diſputatio. 2. puncto 1. §. 2. numero 11.* Trullench. *loco citat. num. 22.* & alij. Qui idem, & meritò, affirmant, etiam caſu, quo quis iniuſtè eſſet excommunicatus. Legantur dicta à *nobis par. 4.*

QVÆSTIO LXXXVI.

An, item, teneatur ad Horas Beneficiarius, qui non percipit Beneficij fructus, eo quod sit irregularis, aut suspensus?

NEgat & consequenter Briareth. *loco citato.* Sed, vt certum etiam, Respondeo: Teneri. Quia sua culpa non recipit fructus beneficij. Sic omnes DD. præcipuè citati, inter quos Sotus *loc.citat.* Qui id probat ex eo, quod, vt ait Glossa *in cap. leg.16. qu.1.* nemo ex suo delicto facit conditionem suam meliorem. Et ideo, isti tenentur ad ea, quæ sunt oneris; licèt illis priuentur, quæ sunt honoris.

QVÆSTIO LXXXVII.

An, si quis per irregularitatem, aut depositionem, vel alio quouis modo, amitteret ex toto Beneficium; teneretur adhuc ad recitandum?

REspondeo, vt certum: Non teneri tunc. Quia desineret esse beneficiatus: ergo iam non teneneretur ad onera beneficij. Sic Nauarr. *c.7. de Oratione num.19.* mihi, aliis 20. per hæc verba. Decimo tertio sequitur, quod Clericus Sacris nondum initiatus, beneficij sui præsentatione, vel renunciatione, liberatur ab onere recitandi Horas: cessat enim causa illius oneris, & cessante causa, cessare quoque debet effectus. *capit. cum cessante de Appellat. & cap. Magnæ de voto. & l. Adigere. §. Quamuis ff. de Iurepatronat.* Et ita determinat Cardin. Sancti Xisti §.1. *numer.91. dist. art.8.* Hæc Nauarr. Paludanus quoque, Turrecrem. Couarru. & Cordoua, quos sequitur Sanchez *vbi supra dub.73. numero* 4. Trullench. *numero* 22.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An, si quis recipiat beneficium iniustè, vel nulliter; vt (v.g.) per violentiam, per simoniam, vel existens excommunicatus, vel irregularis, vel non habens legitimam ætatem, &c. teneatur Horas recitare?

AFfirmant plures Doctores: teneri, non ex præcepto Ecclesiæ, sed ex iure naturæ, quia contra voluntatem Ecclesiæ, defraudat Deum debito obsequio, & seruitio, & priuat Ecclesiam officio, & ministerio. Ita Philiarcus *libro 1. capit.8. concl.2.* Azor. *1. p. lib.10. cap.4. quæst.10.* Bonacina *disput.1. de Horis quæstio.2. punct.4. numero* 28. Qui & citat Suarium *libro 4. capite 19. numero* 10. & alios. Ita etiam Trullench. *libro 1. in Decalog. capite 7. dubitat.12. §. 3. numero 22. vers. sequitur quinto. in fine.* & latiùs *num.25. per totum.*

Sed probabilius, Respondeo. Non teneri ad recitandas Horas. Quia prædictus, nec habet titulum verum beneficij, nec facit fructus suos; sed obligatur beneficium relinquere, & fructus perceptos reddere: ergo non est vnde oriatur ei obligatio recitandi: cum tota oriatur ex præcepto Ecclesiæ, vt *supra* est habitum: & hic cessat: cum non detur materia supra quam est positum. Sic Sanchez *loc. cit. num.5.* dicens, sic resolutum fuisse Salmanticæ à Patribus Societatis. Palaus *disputat.2. de Orat. punct. 1. §. 2. num.30.* Thom. Tamburin. *lib.2. in Decalog. capit.5. §.1. num.21.* vbi ex Sanchez, addit, *Quod si prædictus intrusus petat à Pontifice renaliditatem beneficij; teneatur tunc exponere, se Officium non recitasse; vt scilicet, fructuum perceptorum compositionem, quæ est quid diuersum à renaliditate beneficij, obtineat. Imò, etiam si recitasset, debet hanc fructuum compensationem petere; quia adhuc ea illegitima* (vt ita loquar) *recitatione posita, nulliter recepit fructus.* Sic etiam Diana *p.4. tract.4. Resolut.146.* Bassæus *tom.2. V. Horæ 1. numero 5.*

QVÆSTIO LXXXIX.

An, Beneficiarius, qui ob delictum aliquod, aut aliam iustam causam, damnatur à Iudice, vt non acquirat fructus beneficij ad tempus v.g. per vnum annum; teneatur illo anno, ad recitandas Horas?

NEgant teneri aliqui. *Primo.* Quia licèt Beneficiarius culpa sua fuerit damnatus; at vbi damnatus est, iam non stat per ipsum, quominus fructus recipiat. *Secundo.* Quia si in perpetuum priuaretur fructibus, durum esset, illum obligare ad Horas: ergo nec si priuaretur ad tempus, est obligandus eo tempore. Ita tenent Briareth. & Henriquez, quos citat & sequitur Sanchez *lib.2. consil. c.2. dub.74.*

Sed probabilius, Respondeo: Teneri toto illo tempore ad recitandas Horas. *Primo.* Quia nemo debet ex sua culpa commodum reportare. *Secundo.* Quia per ipsum stetit (imò & aliquo modo stat, non facere fructus suos, siquidem ob culpam suam damnatus est, imò & actualiter censetur damnari, cum Iudex per suam condemnatoriam sententiam semper loquitur: & ideo semper supponat mortaliter perseuerare, quoad effectum sententiæ, culpam, aut delictum.

Ex quo patet ad *Primum* argumentum Sanchij. Dicendum enim, quod per ipsum mortaliter adhuc stet, vt non recipiat fructus. Ad *Secundum*, dicendum, quod esset durum Beneficiario, sed tolerandum, quia iustum. Et ideo hanc nostram sententiam tenet Azor. *1. p. lib.10. cap.4. quæst.6.* dicens, id certi iuris esse. Trullench. *lib.1. in Decal. capite 7. dubit.12. §.3. numer.22.* Palud. & Turrecrem. apud Sanchez.

QVÆSTIO XC.

An, Beneficiarius, qui, capta possessione fructus beneficij pro aliquo tempore non percipit, sperat tamen postea percepturus; teneatur recitare Officium?

REspondeo, vt certum: Teneri. *Primo.* Quia vt Beneficiarius hac obligatione adstringatur, non necessaria anticipatur perceptio fructuum, alias nisi quis cum possessione beneficij inueniat fructus, quos statim, accipiat, non obligabitur statim ad recitandum, quod est ridiculum: sufficit ergo expectatio fructuum moraliter certa, siue sit longa, siue non, vt obliget ad recitandum. *Secundo*, & sit confirmatio argumenti facti; quia spes moraliter certa, orta ex iure, quod Beneficiarius habet ad percipiendos fructus, æquiualet fructibus perceptis: aliàs ferè nullus

Beneficia

Beneficiarius in primo anno suæ præsentationis obligatus esset recitare; cum regulariter perceptio fructuum soleat differri: ac hoc est falsum: ergo. Sic Nauarr. Turrecrem. Palud. Cordoua, Silvest. Medina, & Toletus, quos citat, & sequitur Suarez *libro quarto, capite* 20. *numero primo & 15.* Palaus *disputat. 2. punct. 1. §. 2. numero 13.* Vasquez *de Benefic. §. 1. dubitat. 6. numero 26.* Trullench. *loco citat. n. 22. in principio.*

QVÆSTIO XCI.

An, Beneficiarius, qui primo anno, & statuto, vel consuetudine, non percipit grossam Beneficij; sed solùm, si assistat in Choro, distributiones quotidianas; teneatur recitare?

REspondeo, vt quid certum, Teneri. Quia iam ratione beneficij suppeditatur Beneficiario stipendium pro officio impenso. Sic vt certum, docent communiter Doctores Nauarr. *capite 7. de Orat. numero 30.* Suarez *libro 4. de Horis capite 20. num. 3. 4. 7. 9. & 11.* Lessius *libro 2. de Iustit. capite 34. numero 173.* Vazquez, *de Benefic. capit. 4. §. 1. dubit. 6. numero 27.* Garcia, *de Benefic. 3. p. capit. 1. numer. 61.* Palaus *loco citat. numero 12.*

QVÆSTIO XCII.

An, casu, quo ex statuto, aut consuetudine, nihil Beneficiario concedatur, ob seruitium primo anno impensum, sed omnes fructus illius anni reseruantur ei post mortem, expendendi in eius fauorem; teneatur recitare?

REspondeo, etiam vt quid certum; Teneri. Quia lucratur fructus beneficij in illo primo; ergo tenetur recitare. Nec obstat illa dilatio, cum non sit ablatio fructuum, sed potius cedat sæpe in manus commodum temporale, & spirituale ipsius Beneficiarij. Sic Suarez *num. 9.* Azor. *par. 1. lib. 10. capit. 4. quæst. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 34. num. 170.* Garcia *3. p. de benef. cap. 1. num. 62.* vbi vltra Azorium, citat Paludanum *in 4. dist. 15. quæstio. 5. art. 1. concl. 5.* Bonac. *disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 2.* Palaus *num. 13.*

QVÆSTIO XCIII.

An item, teneatur recitare Beneficiarius, casu, quo in Eius Ecclesia vigeat consuetudo, qua caueatur, vt primo anno nullos fructus, nec distributiones accipiat, neque post mortem illi reseruentur, sed distribuantur inter antiquos Beneficiarios?

NEgant aliqui Doctores. *Primò.* quia hæc videtur irrationabilis consuetudo, contraria Extrauagenti Ioan. XXII. *Suscepti. De elect. & sub tit. Ne sede vacan.* necnon Concil. Trident. *sess. 24. de Reformat. c. 14.* & tandem Constitutioni Pij V. *anno 1570. Dudum.* quæ est in Bullario 106. In quibus reprobantur consuetudines applicandi fructus antiquis Beneficiatis à nouo Beneficiato acquisitos, tanquam speciem Simoniæ, vel auaritiæ redolentes: ergo.

Secundò. quia dato; quod aliquæ sint Ecclesiæ, quæ non receperant decretum Concilij Trident. & Constitutiones Ioannis XXII. & Pij V. & ideo in illis seruetur praua illa consuetudo, quod noui Beneficiarij nihil penitus recipiant, sed fructus primi anni diuidantur inter antiquos; adhuc non teneri recitare: quia ne fructus aliquos recipiunt, etiamsi de iure illi debeantur, nec possunt eos sine magna impensa, & lite molestissima, contra suam Ecclesiam exigere. Et ideo hanc sententiam tenent Nauarr. *cap. 7. de Orat. numero 30.* Rodriguez *in Addit. ad Bull. compositi. numero 9.* quos & citat, & sequitur Garcia *3. p. de Benefic. numero 70. & 75. & sequen.* (vnde malè citatur hic author ab Ægidio Trullench. pro opposito.) Sanchez *libro secundo, consil. capite secundo, dubit. 75.* & reputant probabile communiter DD.

Sed nihilominus probabilius, Respondeo. Teneri recitare. *Primò.* Quia sic recipiens beneficium, voluntariæ se subiecit illius oneri, quod est choro assistere, & si beneficium est curatum, Sacramenta ministrare, &c. ergo & debet recitare; quia hoc onus est beneficij præcipuum.

Secundò. Quia quamuis nouus Beneficiarius in primo anno non recipiat vllos fructus, eo quod sui distribuantur antiquis Beneficiariis: tamen ex tunc habet ius, & spem certam, vt fructus Beneficiatorum post illum ingredientium applicentur etiam illi: sed illud ius, & spes certa, est pretio æstimabilis, & reputari potest, vt stipendium illi concessum: ergo, ob illud, tenebitur ad recitandum. Sic Azor. *lib. 10. cap. 4. quæst. 4.* Suarez *libr. 4. capit. 20. numero 8. & 14.* Lessius *libro 2. capit. 34. numero 170.* Bonac. *disput. 1. de Horis quæst. 2. pun. 4. numero 22.* & Palaus *disput. 2. punct. 1. §. 2. num. 19.* Qui duo male citant Garciam, & Nauarrum pro hac parte: cum oppositam expressè doceant *loco citat.* Trullench. *libro 1. in Decalog. capite 7. dubitat. 12. §. 3. numero 21.*

QVÆSTIO XCIV.

An deinde, teneatur recitare Beneficiarius in primo anno, quando, ex recepta consuetudine, fructus illius applicantur alicui operi pio; vt fabricæ Ecclesiæ, vel Hospitali, aut pauperibus, &c?

NEgant, à fortiori, Doctores, nuper pro prima sententia, adducti. Quia in eo anno nouus Beneficiarius nullos fructus acquirit sibi: nec vnquam eos est percepturus: ergo perinde est ac si Beneficiarius non esset: non ergo ob hunc titulum recitare tenebitur.

Sed adhuc probabilius, Respondeo. Etiam in hoc casu ad recitandum teneri. Quia id etiam probant rationes adductæ ad probandum teneri ad recitandum, in casu quæstionis antecedentis. Quas adhuc confirmo. Quia non est verisimile consuetudinem illam applicandi fructus primi anni alicui operi pio, introductam esse cum aliqua diminutione diuini cultus; sic enim, neque pia, neque rationabilis æstimanda esset: ergo potius introducta est cum diminutione stipendij, & cum aliquo onere ipsius beneficij, cuius præcipuum est, onus officij. Sic optimè, & latè Suarez, *loco citat. à numero 10.* Azor. Lessius, Bonac. & alij citati, quamuis onus fateantur, oppositum esse probabile.

QVÆSTIO XCV.

An, si per vim, fraudem, aut aliam iniustam viam, impediatur Beneficiarius à consecutione fructuum; teneatur, recitare?

REspondeo, Non teneri; dummodo non habeat spem certam moraliter, illi aliquando fructus esse restituendos quod accidere potest inter hæreticos occupantes bona Ecclesiæ, vel fructus Beneficiorum. Probatur; Quia obligari non potest Beneficiarius ad officium recitandum, nisi ob stipendium acceptum, vel recipiendum. Sic Nauarr. *cap.7. de Orat. numero* 28. *& in Sum. cap.*25. *numer.*103. Valentia *disputat.*6 *quæstio.*2. *punct.*10. §. 7. Azor. 1.*p. libro* 10. *capite* 4. *quæstio.*6. Lessius *libr.*2. *capite* 34. *numer.*168. Sà *verb. Horæ. numer.*1. Toletus *lib.*2. *cap.*14. *vers. sexta causa.* Petr. Ledesma *tract.*9.*cap.*4. *concl.*13. Caiet. Armilla, Angles, Lopez, Graffis, Rodriguez, Vega, & alij, quos citat, & sequitur Nicolaus Garçia *de Benef.* 3. *p. capit.*1. *numero* 45. Palaus *disputat.*2. *de Oratione punct.*1.§.2.*numer.*16. *& sequent.* Bonacin. *disputat.* 1. *quæstio.*2. *punct.* 4. *numero* 25. Filliuc. *tractat.* 23. *capite* 5. *quæstio.* 7. Trullench. *libro* 1. *in Decalog. capite* 7. *dubit.*12.§.3. *num.*22. *vers. sequitur sexto.*

QVÆSTIO XCVI.

An saltem, teneatur recitare dictus Beneficiarius, si ablatio fructuum non si perpetua, sed pro aliquo tempore, v. g. pro vno, aut duobus annis, sine spe tamen fructuum recuperationis?

AFfirmant aliqui Doctores, teneri in hoc euentu recitare dictum Beneficiarium. Probant. *Primò*: quia si per rapinam, vel furtum priuetur Beneficiarius omnibus fructibus; non propterea excusaretur ab onere recitandi. *Secundò*? quia si aliquo, vel aliquibus annis, ob sterilitatem temporum, nullos redderet Beneficium fructus, adhuc teneretur recitare: ergo pari ratione tenebitur, quando ad tempus tantùm non recepit fructus, nec habet spem illos recuperandi. Ita tenent Suarez *loco citat. nu.*15. *&* 16. Filliuc. *loc. cit. n.*167.

Sed probabilius etiam, Respondeo: Nec in hoc casu teneri recitare. Quia, etiam in hoc casu, habet vim ratio adducta, *quæst. antecedenti.* Sic Palaus *loco citat.* per hæc verba: *Cæterum, & si hæc limitatio (Suarij videlicet, & aliorum) sit probabilis, probabilius tamen est, admittendam non esse: quia apponitur communi sententiæ expresè asserenti, te deobligatum esse à recitatione Horarum, pro eo tempore, quo in tua potestate situm non est fructus vllos habere ex beneficio, neque speras te habiturum, vt bene docet Vazquez* (vltra superius allegatos) *opusc. de benef. cap.*4. §.1. *dubit.*6. *num.*31. *&* 32. & docuerat Suarez *illomet cap.*20. *numer.*7. *fine.* & tradit Bonac. *disput.*1. *de Horis quæst.*2. *punct.*4. *num,*25. *vers. Mihi tamen valde. Neque rationes Suarez vrgent. Ad primam respondetur, dupliciter posse Beneficiatum priuari fructibus per rapinam, scilicet, postquam illos obtinuit, vel ante illorum obtentum: si priuetur postquam illos obtinuit, clarum est, esse obligatum recitare; quia iam beneficium Beneficiato concessit stipendium pro munere exhibendo: at si ante illorum obtentum priuetur Beneficiatus à fructibus percipiendis, pro toto illo tempore, quo impeditur, sine spe recuperationis, censeo deobligari* (*sic lege, non*, obligari.) *tam à recitatione Horarum, quàm ab alio quouis ministerio, nisi fideles, vel Episcopus prædictos fructus alia via suppleat, necessaria pro illo tempore suppeditando. Ad secundam, credo si ob sterilitatem annorum nullos fructus redderet beneficium, & Episcopus, vel fideles defectum non supplerent, Beneficiatum obligatum non esse. Quia pro illo tempore dici non potest in re habere beneficium, sed solùm titulum, qui insufficiens est ad obligationem inducendam. Neque obstat, successu temporis abundantes fructus esse colligendos, aut annis superioribus esse collectos: quia illi fructus suo tempori correspondent, dantúrque pro officio exercendo illo tempore non pro alio.* Hucvsque Palaus.

QVÆSTIO XCVII.

An Beneficiarius teneatur recitare, statim ac beneficij collationem acceptauit, & ante captam illius possessionem?

AFfirmant aliqui. Quia is, cui beneficium est collatum, & ab ipso acceptatum, verè est Beneficiatus, & verè dicitur habere beneficium, ex *cap. si tibi absenti de Præbend. in* 6. atqui omnis qui beneficium habet, tenetur recitare, vt supra est habitum: ergo. Ita Nauarr. *cap.7. de Orat. num.*28. *&* 29. Carolus Macigni *tract. de Horis Canon. cap.*10. *numer.*25. Philiarcus, Graffius, Zerola, & Zechus, quos citat, & sequitur Garçia *de Benef.* 1.*p. capit.*1. *numer.*92. citat etiam Palaus pro hac parte, Lessium, vbi infra; sed non ita bene, cum solùm dicat, sententiam Nauarri esse rationi, & iuri valde conformem: & oppositam, vt probabilem sequatur.

Sed probabilius, Respondeo. Non teneri recitare ante acceptam possessionem. Quia probabilius est, quod solus titulus beneficij, etiam cum spe habendi possessionem, & fructus non inducat in Beneficiato obligationem recitandi. Ratio est. Quia fructus ante possessionem beneficij, non debentur certò Beneficiato; ob contingentiam possessionis: atqui non videtur iustum, subire onus certum, pro stipendio incerto: ergo. Sic Palud. *in* 4. *dist.*15. *quæst.*5. *art.*1. *concl.*5. Turrecrem. *in* 1.§. *dist.*91. *art.*14. Flam. Parisius *lib.*1. *de Resignat. benef. quæst.*9. *n.*15. Nauar. *consil.*14. *aliàs* 17. *de Celebrat. Missar.* Henriquez *in Sum. lib.*13. *c.*13. *n.*2. ibi: *die possessionis beneficij.* Rodrig. *in Sum.*1. *p. c.*145. *n.*1. Vega *in Sum. tom.*1. *c.*128. *casu* 18. Azor. 1. *p. lib.*10. *c.*4. *q.*7. Suarez *lib.*4. *de Horis. c.*19. (non 18. vt leges apud Palaum) *à num.*17. Malderus, Gauantus, Lessius, & Molfesius, quos citat & sequitur Diana 2. *p. tr.*12. *Resol.*21. Sic etiam Bonac. *disp.*1. *q.*2. *punct.*5. *n.*2. Trullench. *lib.*1. *in Decal. c.*7. *dub.*13. *n.*1. qui & citant pro hac parte Lessium *lib.*2. *cap.*34. *dub.*30. *num.*167. Palaus *disp.*2. *pun.*1.§.2. *à num.*23. Tamburinus *lib.*2. *in Decalog. cap.*5.§.1. *num.*31.

QVÆSTIO XCVIII.

An saltem teneatur recitare Beneficiarius, ante adeptam pacificam possessionem; si per ipsum stet, quominus possessionem beneficij obtineat?

REspondeo, vt certum. Tunc teneri. Quia non est æquum, ob Beneficiati culpam, debito obsequio

quio Ecclesiam defraudari. Sic omnes. Nauarr. *de Orat. cap. 7. numero* 28. Suarez *à num. 7. cit.* Palaus *numero* 23. Garcia *loc. cit. num.* 85. Quia paria (inquit) sunt, habere possessionem, & per eum stare quominus habeat. Palud. Turrecrem. Cordoua, Toledo, Azor. Ledesma, & alij apud ipsum; & omnes.

QVÆSTIO XCIX.

An item, teneatur recitare Beneficiarius, qui habens solùm titulum, impeditur à possessione capienda, lite, vel alia causa sibi inuoluntaria?

AFfirmabunt Authores primæ sententiæ *qu.* 97. adducti, casu, quo habens titulum, habeat & spem possessionis, & fructuum.

Sed probabilius, Respondeo. Non teneri. Quia cum beneficium sit in litigio, fructus eius sunt contingentes, ob contingentiam possessionis: ergo non debent inducere obligationem certam recitandi Beneficiario. Sic Henriquez, Rodriguez, Vega, & alij, quos sequuntur Bonac. *punct. 5. cit. numero 5.* Palaus *num.* 25. Trullench. *numer.* 2.

QVÆSTIO C.

An, omnes litigantes, circa idem beneficium, teneantur ad onus officij, casu, quo nullus possideat?

AFfirmant teneri omnes: eo quod fructus percepti, saltem post contestationem, actori debeantur, si vincat, Nauarr. *de Orat. cap. 7. numer. 28. & in Man. cap. 25. num.* 103. & 104. Philiarcus, Ludou. Lopez. Cuchus, Rodriguez & Vega, apud Garciam, *loc. cit. nu.* 112. Quibus ferè consentit Sanchez. *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 76. cum aliis.*

Sed probabilius, Respondeo. Nullum ex litigantibus teneri. Quia nullus habet proprie, & in rigore beneficium, & omnibus est dubium de victoria litis. Vnde dictum beneficium in tali euentu, habendum est quasi vacans. Sic Palud. *in 4. dist. 15.* & Cardin. S. Sixti apud Nauarrum *loco citat.* Soto, *de Iustit. libro* 10. *quæstio. 5. articul. 3.* Ludou. de Beja *casu* 45. Suarez *libro 4. capite 19. numero 9. & 10.* Bonacin. *disputat. 1. quæstio. 2. punct. 4. numero* 26. Trullench. *libro 1. in Decalog. capite septimo dubitat. 12. §. 3. numero* 23. Azor. *1. p. libro* 10. *capite 4. quæstio. 9.* Petr. Ledesma *tractat. 9. capite 4. difficult. 9. dict. 2. pag. mihi* 585.

QVÆSTIO CI.

An, si duo litigarent, super vno beneficio, & neuter esset in possessione; vnus tamen illorum haberet titulum, & speraret se victorem futurum, & consequenter fructus habiturum, teneretur saltem hic ad onus officij?

AFfirmant teneri hunc, qui haberet titulum, casu, quo sit certus, vel habeat verisimilitudinem, quod pro ipso sit proferenda sententia, Sanchez *lib. 2. consil. capite 2. dubitat. 76. num. 6. concl. 2.* & casu, quo sit certus, Garcia *loc. citato, numer.* 103. & penes ipsum, Tolet. & Petr. Ledesma, & à fortiori, authores nuper pro prima sententia adducti.

Sed probabilius, Respondeo: adhuc non teneri ad onus officij, seu ad recitandas Horas. Quia adhuc iste habens titulum, non habet ius certum in beneficio, cum id acquiratur per possessionem pacificam, & sola spes non tribuat ius: & multis modis fieri potest, vt habens titulum non vincat litem, &c. ergo. Sic Trullench. *n. 23. cit.* Suarez, Azor. Filliuc. Bonac. Palaus, & alij apud ipsum. Azor. *loc. cit.* Quia (inquit) nec ius in beneficio non habet, nec opinio, quam animo conceptam habet de victoria ius illi dat in beneficio, aut cogit preces Horarias recitare.

QVÆSTIO CII.

An, habens possessionem beneficij, non pacificam, sed cum litigio; teneatur recitare?

AFfirmant, eo quod ratione possessionis, licèt non pacifice, ius habeat in beneficio, Azor. *q. 4. cit.* quem citat, & sequitur Garcia *numer.* 86. Sanchez *dub. 76. cit. nu.* 8. *concl. 4.* & penes ipsum, Palacius *in 4. dist. 15. disp. 9. fol.* 144.

Sed probabilius, Respondeo. Non teneri ad recitandum. Quia probabilius est, quod ad inducendam obligationem recitandi in Beneficiario, non solùm requiratur possessio beneficij, sed quod sit pacifica. Quia non est æquum obligare Beneficiatum ad certum onus, sine certo stipendio, quod non habet dum pacificam beneficij possessionem non obtinet. Sic apud Palaum, Henriquez *lib. 13. Sum. c. 13. §. 2.* Rodriguez *in Sum. to. 1. c. 145. n. 1.* Vega *1. p. c. 128. casu* 18. *ad finem.* & Ceuallos *practicar qq. 643. num. vltimo.* Sic etiam Suarez *lib. 4. c. 19. n. 7. & n. 10. in fine* Palaus *disput. 2. pun. 1. §. 2. n. 25.* Trullench. *lib. 1. in Decal. c. 7. dub. 12. §. 3. n. 23. & dub. 13. n. 1.* Diana *par. 2. tract. 12. Resol. 21.* cum aliis pluribus.

QVÆSTIO CIII.

An, qui incepit pacificè possidere beneficium, teneatur recitare, casu, quo lis illi post possessionem aduenial, & fructus beneficij, authoritate Iudicis reseruentur, vsque ad litis finitionem?

NEgat adhuc Petrus Ledesma *tractat. 9. capite 4 diff. 9. concl. 3.* his verbis: *Digo lo tercero: que si vno posee vn beneficio Ecclesiastico y ay pleito sobre la propriedad, de suerte, que el que posee el beneficio Ecclesiastico no recibe los fructos del beneficio, porque estan depositados, y sequestrados por el tiempo que dura el pleito, y ay duda en el negocio: en tal caso es bien aparente, que ninguno està obligado à rezar las Horas Canonicas. De lo que toca al que no posee, parece cosa notoria, pues en ninguna manera tiene beneficio Eccleſiastico. y de lo que toca al que posee, tambien es muy aparente, porque este ahora no recibe los fructos del beneficio, y por otra parte ay gran duda si los recibira: luego no tiene obligacion de rezar el officio diuino.* Hæc P. Ledesma.

Sed probabilius, Respondeo. In hoc euentu teneri. Quia præfatus verè habet titulum, possessionem, & administrationem beneficij. Sic communiter DD. Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. num.* 173. Suarez *cap. 19. cit. num.* 10. Garcias *num.* 86. & 104. Azor. *capite 4. cit. quæst. 9.* Filliuc. *num.* 160. Bonac. *pun. 4. num. 26.* vers. *Dixi, dum nullus possidet.* Trullench. *num. 23. cit. in fine.* Sanchez *lib. 2. cap. 2. dub. 76. num. 9. concl. 5.* & alij. Nec obstat quod fructus beneficij

reseruentur, seu sequestrẽtur, vsque ad finitam litem. Quia tunc ad minus obuentiones, & manualia erunt beneficium possidenti, si beneficio inseruiat.

QVÆSTIO CIV.

An, Beneficiarius, cuius Beneficium nullos fructus habet, teneatur ad Horas?

AFfirmant Zerola, *in praxi Episcop. 1. p. v. beneficium. §. 4. dicto 6.* & Zech. apud Garçiam *infra.* Sed, vt ferè certum, Respondeo, breuiter ex sæpe dictis: Non teneri. Quia in rei veritate, beneficium, quod nullos fructus affert, non est beneficium: cum non sit ius percipiendi fructus, ob aliquod Ecclesiasticum Officium (quæ est beneficij definitio) ergo illud habens non teneretur ad Horas. Sic Nicol. Garçia *de benefic. 1. p. cap. 1. numer. 41. 42. 43. & 44.* vbi docet, id non solùm esse verum loquendo de beneficio, quod nunquam habuit redditus, quod (vt diximus) re vera beneficium dici non potest; sed de beneficio, quod in initio, & tempore fundationis habuit redditus, sed temporum calamitate perierunt: nam quamuis istud sit beneficium, in potentia, & habitu, & sic posset permutari, & resignari; tamen non est beneficium actu. Sic ille, ex Nauarro *consil. 8. numero 14. & 18. de Iurepatron.* Valentia *disputat. 6. quæstio. 16. punct. 3. vers. Postremo.* & aliis. Sic etiam Caiet. *verb. Horæ Canon. capite primo* Suarez *libro 4. capit. 19. numero 6.* Palaus *disput. 2. pun. 1. §. 2. num. 8.* Et constat ex habitis *supra.*

QVÆSTIO CV.

An, saltem teneatur recitare Horas ille, cuius beneficium valde tenues habet fructus?

AFfirmant communiter Doctores. Eo quod beneficium habens tenues fructus, verè est beneficium, vt constat; Tum ex *cap. si propter. de Rescript. & cap. Si motu proprio. de Prabend. in 6. & cap. Clericus. 1. dist. 91.* Tum etiam, quia beneficium, etiam tenuissimum, est ius percipiendi fructus ex speciali titulo: sed sic est, quod iura indistincte obligant omnes habentes beneficia Ecclesiastica ad Horas Canonicas: vt patet ex *c. vltim. de Rescript. in 6.* Consil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. & clarius Constitut. Pij V. vers. *Declarantes.* ibi: *Et qualiacumque alia beneficia.* ergo. Ita Glossa *in c. Clericus. 91. dist. 5.* Anton. *3. p. tit. 13. cap. 4. §. 1.* Rosella, *verb. Horæ Canonicæ. num. 1.* & ibi Tabiena *n. 2.* Siluest. *nu. 3.* Armilla *n. 1.* Nauarr. *de Orat. cap. 7. num. 27. & c. 21. n. 11. & in Man. c. 25. n. 102. & Consil. 3. n. 1. Ne Clerici vel Monachi.* Couarru. *lib. 3. variar. cap. 13. num. 8. vers. Duodecimo.* Toletus *lib. 2. sum. cap. 14. causa 5.* Victorell. *in annot. d. lib. 2. cap. 14.* Valentia *tomo 3. disp. 6. qu. 2. punct. 10.* Durand. Ioan. de Medina, Graffius, Sandoual, Beja. Summa Corona, Philiarc. & alij, quos citat, & sequitur Nicol. Garçia *de Benefic. 1. p. cap. 1. n. 39.* dicens, hanc sententiam esse veterem, communem, & veram. His addi possunt, Suarez *lib. 4. de Horis. cap. 21. num. 4.* Reginald. *lib. 30. tract. 3. sect. 1. num. 33.* Comitolus *lib. 1. Respons. quæstio. 68.* Gauant. *in Rubr. Missal. tom. 2. sect. 1. cap. 4. num. 3.* Bonac. *disp. 1. de Horis quæst. 2. pun. 4. num. 17.* Azor. *1. p. lib. 10. cap. 3. qu. 3.* Palaus *disp. 2. punct. 1. §. 2. nu. 9.* Villalob. *1. p. tract. 24. diff. 8. num. 4.* Trullench. *lib. 1. in Decal. cap. 7. dub. 12. §. 3. num. 15.* vbi dicit, hanc sententiam esse probabiliorem, & practice securiorem. Hieronym. Garçia *in sum. tract. 2. diff. 2. dub. 2. num. 11.* Ioan. à S. Thoma, *in explicat. Doctrinæ Christianæ 2. p. tit. de Orat. pag. 353.* Pater Hermanus *in Medulla Theolog. Moral. lib. 4. cap. 2. dub. 2. art. 1. Respons. 3. num. 3.* Mallet. *tom. 1. Malleatione 30. Bractea 18.* Vgolinus, Naldus, & Pesantius, apud ipsum.

Sed ego, æque probabiliter, Respondeo. Non teneri ad recitandas Horas, qui beneficium habet valde tenue. *Primo*: Quia beneficium valdè tenue, aut quod tenues valde habet fructus, non reputatur in iure beneficium cum parum pro nihilo reputetur. *Confirmatur*: quia beneficium, quod nullos fructus affert, non obligat ad Horarum recitationem, vt *supra* est habitum: ergo nec illud, quod tenues, aut nullos; cum isti pro nullis reputentur.

Secundo. Quia non est credibile benignam Matrem Ecclesiam, tantum onus apponere voluisse, tam paruo prouentui. Et ideo hanc partem tuentur grauissimi Doctores, Sotus *lib. 10. de Iust. qu. 5. art. 3. versu dubium autem.* Palacios *in Sum. verb. Horæ* Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 6. n. 3.* vbi ait, hanc sententiam esse probabiliorem in praxi. Lessius *lib. 2. de Iustit. cap. 34. dub. 31. nu. 169.* Vazquez *de Benef. cap. 4. §. 1. dub. 5.* Aragon. *2. 2. q. 83. art. 12.* Rodriguez *to. 1. Sum. c. 140. n. 1.* Vega *1. p. c. 128. casu 13.* Petr. de Ledesma *tract. 9. cit. cap. 4. concl. 6. diff. 4.* Malderus *de virtutib. tract. 10. cap. 2. dub. 3. vers. Nihilominus.* Raphael de la Torre *2. 2. q. 83. de Horis. controuer. 6. disp. 5. num. 5. 6. & 7.* Thom. Tamburin. *lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 2. n. 24.* Ioan. de Cruce, *in Sum. præcep. 3. art. 3. dub. 4. vers. An vero.* vbi ait, hanc sententiam docere communiter Theologos, & maximè Thomistas. Diana *2. p. tr. 12. Resol. 9. & p. 4. tract. 3. Resol. 24.* vbi citat Salas *1. 2. tractat. 8. disput. vnica sect. 17. num. 154.* & ibi, *tract. 4. Miscell. Resol. 146. & par. 5. tractat. 5. Resol. 25. & par. 9. tract. 7. Resol. 8.* vbi affert. Quintanaduennàs, & Escobar à Corro. *& par. 10. tractat. 16. Resolut. 47.* (non 4. vt inuenies apud Pradum) vers. *Et tandem nota*, vbi citat Franciscum de Lugo, *de conscientia par. 1. cap. 2. quæstio. 32. numero 183.* & Patrem Antonium Escobar. & Mendoza *in Theolog. Morali. tractat. 5. Exam. 6. capit. 3. numero 56.* Martinum à S. Ioseph *tom. 1. sum. lib. 2. tract. 7. de Orat. numero 13.* His adhuc addi possunt Stephanus Bauny *de Benefic. disput. 13. quæst. 22.* Pellizarius *tom. 1. Man. Regul. tractat. 5. cap. 8. sectio. 4. quæst. 3. numero 187.* (quamuis aliqualiter hanc sententiam limitet vt *infra*) & Pradus *tom. 2. cap. 30. quæst. 6. §. 5. num. 55.* vbi dicit, quod prior sententia videatur vera, attento rigore legis: at attenta multitudine Doctorum hanc secundam docentium, hæc sit in praxi valde probabilis, & forsan, rebus vt nunc, probabilior. Sic etiam Vericelli *in qq. moral. tract. 8. quæst. 47. num. 7.*

QVÆSTIO CVI.

An ad minus, Beneficiarius, qui tenue habet beneficium; teneatur, si non singulis diebus, festis saltem, recitare?

AFfirmant aliqui ex Doctoribus nuper pro nostra sententia citatis. Et in primis Lessius & ex illo Pellizarius *n. 187. cit.* vbi sic ait: *Probabiliorem puto esse sententiam Lessij* lib. 2. c. 34. n. 169. *docentis, habentem tenue beneficium non teneri quidem ad quotidie recitandum, si beneficium sit adeo tenue, vt non suppeditet bonam partem tenuis sustentationis (v. g. 15. vel 16. aureos) teneri tamen recitare aliquoties per annum: v. g. Festis,*

Festis, & Dominicis, provt ratio dictauerit: non enim par est, vt fructus aliquos percipiat, & nunquam Officium recitet: sicut nec æquum est, vt ob tam tenues fructus obligetur ad quotidie recitandum. Ita Pellizarius, ex Lessio. Quibus adde Pradum *loc. cit. num. 56. in fine.* Molfesium *in Sum. tom. 1. tract. 5. cap. 3. n. 29.*

Sed, æque probabiliter, Respondeo: Adhuc non teneri recitare Dominicis diebus, & Festis. Quia nec præceptum Ecclesiæ ad id obligat in casu, quo Beneficiarius modicos, aut tenues fructus habeat. Satisfaciet enim tunc orare alio modo pro Benefactore. Sic Tamburinus *loc. cit. n. 24. fine.* Malderus *in 2. 2. D. Thom. tract. 10. cap. 2. dub. 3.* & ex illo Diana *par. 2. tract. 12. Resol. 9. in fine*, vbi ita ait: *Aduerte tamen, quod licet Lessius, & Molfesius obligent tales Beneficiarios, qui tenue beneficium habent, aliquoties per annum dicere Horas Canonicas, v. g. Festis, & Dominicis diebus, provt ratio dictauerit: tamen puto cum Maldero loc. cit. si Officium etiam in his diebus non recitauerint, non teneri ad restitutionem; quia non faciunt contra præceptum Ecclesiasticum; sed contra legem naturalem, quam legem etiam adimplerent, non dicendo Officium Diuinum, si suppleant hoc aliis orationibus, vel alio Dei cultu. Quod est maximè notandum, ad tollendos scrupulos.* Hæc Doctus Diana. Quintanaduennas *in instruct. Ordinand. p. 3. §. 6. numero 4.* ibi: *Si es muy tenue, ningun dia, ni los de fiesta, ni Domingos deue rezar, ni restituir nada.* Sic Malder. & Diana. *suplan. esto con otras oraciones, ò Sacro culto.* Hæc Quintanaduennas.

Qvæstio CVII.

An, qui est dubius, de tenuitate beneficij, teneatur recitare Officium?

Affirmat Vazquez *1. 2. disputat. 65. cap. 3. num 11. vers. Primum de eo.* Cuius fundamentum est. Quia in hoc casu possidet certitudo beneficij, quod Beneficiarius obtinet: ergo & recitandi obligatio, quæ non potest euinci ab incertitudine Beneficij tenuitatis. Hanc sententiam nouissimè sequitur Thom. del Benè *tract. 3. Moral. dub. 28. numero primo, licet numero 43.* probet oppositum, non esse improbabile.

Sed æque probabiliter, Respondeo. Non teneri. Quia æque probabile est, quod in euentu possideat libertas certa; nam cum præcedat omne Beneficium Beneficiario collatum, præcedit soluta ab onere recitandi: ergo non potest ligari à superueniente incerta obligatione, qualis inuenitur in dicto beneficio incertè sufficienti ad prædictum onus recitandi inducendum. Sic Salas *1. 2. tractat. 8. disputat. vnica sectio. 17. numero 154.* Caramuel. *libro 3. Theol. Moral. numero 1364.* & vtramque sententiam esse probabilem, ait Thom. Tamburin. *libro 1. in Decalog. capite 3. §. 7. verb. Beneficiarius.* Vbi ita dicit: *Dicimus infra, Beneficiarium tenue beneficium possidentem, non obligari ex probabili sententia ad Horas Canonicas persoluendas. Quid ergo erit si quando, omnibus expensis, ambigatur vtrum beneficium sit tenue, necne? Respondeo, puto probabile obligari; & item probabile non obligari. Quare alteram ex his sententiis, quam tibi libet amplecti licet.* Sic ille. Idem ait Diana *par. 2. tractat. 3. Resol. 24.* (vnde immerito, illum absolute pro hac parte citat Pradus, vbi supra *num. 53.* & Bassæus *tom. 2. verb. Hora Canon. 1. in fine.*

Qvæstio CVIII.

An, Habens beneficium ita tenue, quod eius fructus non excedunt octo aureos; teneatur ad Horas, saltem aliquibus diebus?

Affirmabunt teneri ad Horas quotidie recitandas omnes Authores citati pro prima sententia *quæst. 105.* Et saltem diebus Dominicis, & Festis, citati *quæst. 106.* Et certe consequenter omnes.

Sed, non minus ego cum aliis probabiliter æque, Respondeo. Non teneri vllis diebus ad Canonicas Horas. Quia beneficium dictam quantitatem non excedens, valde tenue censendum est: ergo non obligat quem ad recitandum. Sic in primis Sotus *lib. 10. de Iust. quæstio. 5. art. 3. vers. Dubium autem.* his verbis: *Dixerim tamen tenuissimum, vt ferè pro nihilo reputetur, nempe, si his temporibus summam saltem octo ducatorum non attingeret: non si ditius est, quamuis non sufficiat ad victum, si tamen pauperi Clerico bona esset pars sustentationis, non omnino possidens excusatur.* Sic Sotus. Et à fortiori, quæstionibus sequentibus, citandi.

Qvæstio CIX.

An saltem teneatur ad Horas, qui habet beneficium, cuius fructus sexdecim sunt aureis valoris?

Affirmabit etiam Sotus *loco cit.* quem ex parte sequuntur aliqui Thomistæ apud Sanchez, asserentes, quod si beneficium sit tantum quinque ducatorum, ad nihil teneatur Beneficiarius, sed si valet duodecim, vel decem & quinque numos aureos, teneatur Beneficiarius, non ad omnes Horas, sed ad partem Horarum arbitrio boni viri. Ita etiam Lessius *loco sup. cit.* docens, teneri, si attingat quindecim aureos, ad recitandum diebus festis, & Dominicis, quem sequitur Pellizarius, *supra.*

Sed adhuc æque probabiliter, Respondeo. Necdum in hoc casu teneri ad recitandum officium. Quia etiam dictum beneficium censendum est tenue. Sic Sanchez *lib. 2. consil. capite 2. dubitat. 67. numero 3. 4. & 5.* vbi sic loquitur: *Communiter loquendo potest dici, quod his temporibus, quando fructus beneficij sunt decem & sex aurei, non censetur bona pars sustentationis, nec tenentur Beneficiary ad recitandum: at quando excedunt decem & sex aureos tenentur recitare, quia censentur bona pars. Sic dixerunt quamplurimi Recentiores, maximè docti Magistri à me consulti, & alij viri ex Neotericis Magistri in suis scriptis. Fauet Dominicus de Soto de hac re consultus: quia quamuis ponat pro bona parte sustentationis, quando fructus sunt octo aurei numi; at his temporibus, minus sunt decem & sex aurei, quàm abhinc triginta annis, quando scripsit Soto, octo aurei; cum res modo multo cariori pretio venundentur. Imò P. D. Henriquez, retulit mihi, quod consulius Soto de beneficio, cuius redditus erant decem & sex numi aurei, respondit, non obligare ad recitandum. Et quidem maxime doctus Recentior dixit, non minus quam viginti aureos obligare.* Hucvsque Sanchez. Quem refert, & sequitur Diana *par. 4. tract. 4. Resol. 146.*

QVÆSTIO CX.

An ad minus, teneatur ad Horas habens beneficium, cuius fructus attingunt viginti ducatos?

AFfirmabunt Sanchez, imò & Diana cum aliis supra citatis. Quia existimant, non esse beneficium tenue, illud quod excedit decem & sex numos aureos.

Sed adhuc æque probabiliter, Respondeo. Nec dum istum Beneficiarium ad recitandas Horas teneri. Quia æquè probabile est, quod his temporibus, tale beneficium sit tenue, cum non sufficiat ab bonam sustentationis partem. Sic expressè Petr. Ledesma (quem, vt vidimus, tacito nomine, retulit Sanchez) *in Sum. tract. 9. de Religione, cap. 4. concl. 6.* (non 5. vt citat Tamburinus) *diff. 4. vers. Aduiertase.* vbi ita ait: *Soto dise que si el beneficio no vale sino ocho ducados, o vna cosa simejante, no tiene obligacion de rezar el Officio Diuino. A mi parecer aunque el beneficio valiesse diez y seis ducados, y aun veinte no le obligaria agora à rezar. Porque el tal beneficio es tenue, y no tiene razon de beneficio en orden a la sustentacion.* Sic Ledesma, & alij (à fortiori) mox citandi, inter quos, lege Pellizarium 1. *p. tractat. 5. capite 8. sectio. 4. numero* 188. & Dianam 2. *p. tractat.* 12. *Resolut. 9. in fine.*

QVÆSTIO CXI.

An saltem, teneatur ad recitationem Horarum Beneficiarius, qui ex fructibus beneficij, solùm perciperet vigintiquinque ducatos?

AFfirmant DD. supra citati, ex quibus, alij dicunt teneri ad quotidie recitandum; eo quod censeant tale beneficium non esse existimandum tenue.

Alij dicunt teneri quidem ad recitandum, sed non quotidiè, sed solùm Dominicis diebus, & festis; eo quod è contra putent tale beneficium, adhuc esse tenue. Ita Lessius, Pellizarius, & alij *quæst.* 106. *adducti.* Quibus addo à Filliuc. *tractat.* 23. *numero* 182. vbi ait, habentem 20. *vel* 25. *ex beneficio*, tantum esse obligandum ad Horas non autem infra

Sed ego æque probabiliter, Respondeo. Non teneri vllo modo ad recitationem Horarum. Ratio sit. Quia (vt supra *quæst.* 105. & 106. est habitum) æque probabile est, quod Beneficiarius, qui tenue habet Beneficium non teneatur (adhuc diebus festis, & Dominicis) ad recitationem Horarum: atqui probabile est, & satis quidem, quod beneficium, quod non excedit vigintiquinque ducatos, est tenue: ergo. Sic expressè tenet Diana *par.* 10. *tract.* 16. *Resolut.* 47. *vers. Et tandem nota.* & à fortiori alij mox citandi.

QVÆSTIO CXII.

An etiam eximeretur ab onere recitandi Horas Beneficiarius, cuius beneficium non attingit valorem quadraginta ducatorum?

NEgant communiter Doctores, adhuc ex citatis pro nostra sententia, *quæstio.* 105. & citati pro contraria *quæstio.* 106. inter quos præcipuus est Pradus *tom.* 2. *cap.* 30. *quæstio.* 6. §. 5. *numero* 53. vbi ait, oppositam sententiam, quam sustinet Martinus à S. Iosepho, esse nimis laxam, & à nullo alio, quem ipse viderit, edoctam.

Sed certe probabiliter, Respondeo dicendum; quod etiam eximeretur à recitatione Horarum. Quia probabile est (vt ipse Prado cum aliis citatis *qu.* 105. fatetur) quod Beneficiarius habens tenue beneficium, eximatur ab onere recitandi Horas: atqui probabile est, quod, attentis temporibus præsentibus, beneficium cuius fructus non attingunt valorem quadraginta ducatorum, sit censendum tenue: ergo probabile erit, quod Beneficiarius tale beneficium possidens, non teneatur titulo illius, ad Horas Canonicas: cætera patent. Minor probatur auctoritate grauium Doctorum illam docentium. Nam in primis Suarez *lib.* 4. *de Horis capit.* 21. *num.* 2. haud obscure illam admittit, dum hæc verba profert: *Si autem in hac opinione quæratur, quod dicendum sit beneficium tenue, quoad hunc effectum non obligandi ad recitandum: quidam extendunt ad omne beneficium insufficiens ad vitam Clerici sustentandam. Sed hoc non dixit Sotus, nec est practicè probabile, alias redditus triginta, vel quadraginta aureorum non sufficerent ad hanc obligationem, quod admittere valde perniciosum esset.* Sic Suarez. Et Palaus *disput.* 2. *cit. punct.* 1. §. 2. *numer.* 8. *vers. secunda difficultas, in fine*, ita ait: *Quapropter si hæc sententia vera esset, beneficium, cuius redditus, hoc tempore, non attingunt triginta, vel quadraginta aureos, nequaquam dici potest attingere bonam partem sustentationis moderatæ, vt bene notat Suarez* (loco cit.) *Quibus enim decem tempore Soti sufficiebant modo triginta non sufficiunt.* Sic ille. Quem videtur sequi Pellizarius *loc. cit. num.* 188.

Vnde hanc nostram sententiam tenet Martin. à S. Iosepho *lib.* 2. *tract.* 7. *de Orat. numer.* 13. Vbi sic ait: *A mi me parece que en estos tiempos calamitosos, donde todas las cosas necessarias a la vida humana valen tan caras, es necessario que valga el beneficio por lo menos quarenta ducados para obligar al rezo. Fundo lo en que los frutos del beneficio son para alimentos del Clerigo, y de baxo del nombre de alimento, se entiende comida, y bebida, casa en que viuir, vestidos, cama, medicinas, y todo lo necessario para la vida. Coligese con claridad de la ley*, legatis, cum l. fin. de aliment. & cibar. legat. & tenet Iason. post alios *in l. cum hi. §. Qui transigit. ff. de Transactionib.* Bolognetus *in addit. ad Consil. Ioan. de Armania* 37. *num.* 7. *y es comun. y que particularmente se entiende caualllo en que andar, si lo pide de la dignitad, el qual ha de ser alimentado* Bertran. *consil.* 25. *in fine.* Corduba de Lara citati, & secuti à Barbosa *tract. variar. verb. Alimenta num.* 10. *y tambien, Criados, si los pide la dignitad, y calidad. y tambien, los salarios, que se les dan, ex l. cum plures, §. si tutor. ff. de administr. tutor. l. Habitatio. ff. de ventre in possess. mitten. l. vxori. ff. de auro, & argent. legato. Pues vease si conforme a esto me alargo mucho en señalar quarenta ducados, para buena parte de sustento.* Hucvsque ille.

QVÆSTIO CXIII.

An saltem, teneatur ad Horas Beneficiarius, qui habet beneficium, cuius fructus iam attingunt valorem quadraginta ducatorum?

REspondeo, vt certum: Teneri. *Primo.* Quia certum videtur, quod (communiter loquendo) tale beneficium reputatur pingue, non tenue, vel modicum. *Secundo* probatur hæc respõsio ex doctrina Suarij,

Suarij, Pellizarij, Tamburini, Sanchez & aliorum, docentium, quod quotiescumque fructus, aut redditus beneficij sufficiunt ad bonam partem sustentationis Beneficiarij, qualis est tertia pars, aut certe, quæ magis inclinat in tertiam, tunc tale beneficium non dicatur tenue, sed pingue, quoad recitandi effectum: atqui redditus beneficij valoris quadraginta ducatorum verè sufficiunt ad suppeditandam tertiam partem sustentationis Beneficiarij, vt constat, tum ex Suario *loco cit. numero secundo in fine.* tum ex Corro *tract. de Horis quæstion. 3. §. 5. numer. 23.* dicentibus tertiam partem centum ducatorum esse bonam partem mediocris sustentationis: ergo. Sic fere omnes DD. præcipue citati.

Qvæstio CXIV.

An, tenuitas beneficij debeat regulari ex omnibus fructibus beneficij in se; an solum ex eo, quod remanet, deductis expensis in fructuum collectione, aut Eleemosyna Missarum, &c?

Affirmant quidam Doctores, regulari debere ex omnibus fructibus in se: & ideo etiam ex omnibus illis, qui dantur pro Missis, aut expenduntur in collectione fructuum. Quia omnes hi vere sunt fructus beneficij. Ita Persicus *de Horis Canon. cap. 5. dub. 7. num. 6.* & alij Neoterici viri docti, apud Sanchez *infra.*

Sed probabilius Respondeo, Non debere regulari, nisi ex solis fructibus, aut redditibus, qui supersunt, deductis expensis in collectione illorum, & dempta Eleemosyna, quæ pro Missis datur, ad quas obligat Capellania. Ratio est. Quia obligatio dicendi Horas Canonicas consurgit ex mercede accepta: atqui merces, quæ datur pro Missa, non est merces, quæ datur pro beneficio, nec pro recitatione Horarum: quia Clerico non beneficiato, si celebraret illas Missas, daretur illa merces, eamque lucraretur, licèt non recitaret ergo. Sic Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 68. num. 2.* Quintanaduenas *tom. 1. tract. 8. singul. 19. num. 12. & instructione Ordinand. par. 3. §. 6. num. 4.* ibi; *y esta sustentacion, no solo se entiende para la comiola, sino para la casa, gastos forcosos, vestidos y lo demas segun la calidad, y porte de los Clerigos honestos de aquella tierra: y esto que ha de tener, ha de ser de* superauit, *que es loque pagadas las Missas, y demas costas queda libre, o sobra de la Capellania.* Sic ille Diana *part. 9. tract. 7. Resol. 8. & part. 10. tract. 16. Resol. 47.* vers. *Et tandem nota* & Martinus à Sancto Iosepho *tom. 1. libro 2. tract. 7. numer. 13.* ibi: *y aduierto que para computar la cantidad conque sequeda el Capellan, no se ha de atender a todo loque vale la Capellania, sino aloque resta pagados las Missas, y otras cargas.* Hæc ille. Trullench *libro 1. in Decal. capit. 7. dubit. 12. §. 3. numer. 13. fine.* vbi non bene citat Dianam *part. 4. tract. 4. Resol. 146.* quia ibi non agit de hac re.

Qvæstio CXV.

An, Beneficiarius habens plura tenuia beneficia, quorum quodlibet, propter tenuitatem, non obligaret ad Horas; at omnia simul accedunt ad quantitatem, quæ sufficit ad obligandum; teneatur ad illas recitandas?

Respondeo tanquam quid, certum, Teneri Quia, tunc iam Beneficiarius habet ab Ecclesia stipendium sufficiens ad bonam partem quæ sustentationis, & hoc titulo beneficij, seu beneficiorum, hæc enim differentia impertinens est, nec minuit, sed potius quodammodo auget obligationem. Sic omnino Suarez *lib. 4. cap. 21. num. 12.* dicens, hoc esse indubitatum. Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 70.* Bonacina *disp. 1. de Horis quæst. 2. punct. 4. numer. 18.* & apud illum, Paulus Squillas, & Malderus. Palaus *disp. 2. punct. 1. §. 2. num. 10. vers. Quarto infero.* vbi citat Garciam *de benef. 3. p. cap. 1. num. 39. in fine.* Sed male: quia *ibi* de hac in specie quæstione nil agit. Thom. Tamburin. *lib. 2. in Decal. c. 5. §. 1. n. 27.* Pellizarius *loc. cit. num. 189.*

Qvæstio CXVI.

An, Beneficiarius teneatur ad dicenda tot diuina officia; quot Beneficia pinguia iustè possidet?

Affirmant aliqui DD. eo quod cuilibet beneficio est per se annexa obligatio recitandi officium: ergo quot beneficia distincta sunt, tot distinctæ obligationes recitandi annectentur; patet consequentia; quia per coniunctionem beneficiorum in vna persona, non fiunt vnum beneficium. Ita sentire Guillelm. Parisiens. *tract. de collat. beneficior.* Dionys. Carthusian. *Opusculo contra pluralit. beneficior. art. 1.* apud Suarium, & 8. apud Garciam, necnon Nauarr. *de Orat. Miscell. 15. aliàs 60.*

Sed iam vt certum, Respondeo, Non teneri, nisi ad vnicum officium dicendum: quo omnibus obligationibus ortis ex Beneficiis possessis satisfaciet. Quia hæc videtur benignæ Ecclesiæ intentio, vt solum multiplicentur tituli, ob quos debetur recitatio; sicuti Ordinatus omnibus Sacris Ordinibus vnum debet recitare Officium; & in die festiuo, occurrentibus pluribus Festis, vni Missæ debent fideles assistere. Sic Tamburinus *loc. cit.* Suarez *cap. 18. n. 7.* & penes ipsum, D. Thom. *quodlib. 1. art. 13.* Palud. Maior, Turrecrem. Albert. de Ferrariis & alij. Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 79.* Garcia *de Benef. 3. p. cap. 1. num. 110.* Azor. *1. p. lib. 10. cap. 4. quæst. 10.* Bonacina *disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 27.* Palaus *disp. 2. punct. 1. §. 2. num. 27.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 7. dub. 12. §. 3. num. 24.*

Qvæstio CXVII.

An saltem, qui plura beneficia pinguia iniustè possidet; teneatur tot officia, quot beneficia possidet, recitare?

Affirmant tunc teneri, non solum Authores nuper pro prima sententia adducti, verùm etiam pro

noſtra, D. Thom. Riccard. & Driedo apud Sanchez. Bonacina etiam, Trullench, & nonnulli alij, vt ſunt Palud. & Philiarcus apud Garciam. Binſfeldius etiam *in Enchirid. p. 4. c. 3. concl. 10.*

Sed probabilius Reſpondeo. Adhuc nec iſtum teneri. Quia ratio à nobis nuper adducta, ad hunc etiam beneficiarium ſe extendit. Et ideo ita ſentiunt Sanchez *loc. cit. num. 2.* Suarez *loc. cit.* Palac. *in 4. diſt. 15. diſp. 9. fol. 147.* Garcia *loc. cit. num. 120.* Diana cum Franciſo Siluio, mox citandus.

QVÆSTIO CXVIII.

An ad minus, qui plura beneficia habet; teneatur tot commemorationes facere, quot ſunt beneficia?

AFfirmant quidam teneri, & ſub onere peccati mortalis, ac reſtitutionis, ſi tot ſunt beneficia, Commemorationes grauem quantitatem conſtituant; ſecus vero omnino, ſi leuem; quia tunc ſolum dicunr, teneri ſub veniali, & ſine onere reſtituendi. Ita Bonacina *diſp. 1. de Horis quæſt. 2. pun. 4. num. 28. verſu, ſed modo dubium eſt.* & Trullench ex illo, *lib. 1. in Decal. c. 7. dub. 12. §. 3. n. 27.*

Alij vero, contrà ferè reſpondent, non teneri ſaltem ſub mortali. Sic Diana *part. 9. tra. 9. Reſol. 10.* vbi relata opinione Bonacinæ, & Trullench, ſic dicit: *Ego tamen probabiliter puto cum Eſcobar à Cerro* in tract. de Hor. Canon. quæ. 3. §. 5. num. 34. *quod in tali caſu Beneficiarius non tenetur, ſaltem ſub mortali, & ſub obligatione reſtitutionis, tot commemorationes in Officio facere, quot beneficia poſſidet, & ſunt Sancti Patroni ipſorum beneficiorum, niſi quatenus ex Rubricis Breuiarij ad id tenetur: imo, & tunc poterit excuſari, propter materiæ paruitatem, niſi ex numero beneficiorum, & Patronorum, grauis oriatur materia.* Ita Diana.

Sed ego abſolute Reſpondeo; Nec ſub peccato veniali ad id teneri. ſufficiet enim illi, ſi, iuxta Rubricas Breuiarij, vnicum dicat officium cum commemorationibus conſuetis. Quia Eccleſia nil aliud Beneficiariis præcipit; ſicut nec aliis, quibus titulis diuerſis ineſt obligatio recitandi.

QVÆSTIO CXIX.

An etiam, qui ſimul beneficium pingue, & penſionem habet, ſatisfaciet obligationi, recitando ſemel ſingulis diebus, officium Canonicum?

REſpondeo vt certum. Satisfacere. Conſtat ex dictis *ſupra qu. 73.* & præter Suarium, Sancium, Trullench, Tamburinum, Azorium, Vazquium, Reginaldum, Filliuc. Garciam, Philiarcum, & Bonacinam *ibi* adductos, ſic tenent nouiſſimè Palaus *loc. cit. numer. 28.* Pellizarius *tom. 1. Man. Regul. tract. 5. cap. 8. de recitat. Horar. ſect. 4. quæſt. 8. n. 201. verſ. Addo cum Suario.*

QVÆSTIO CXX.

An, Omittens diuinum Officium, obligatus illud dicere, ob plura, quæ obtinet, beneficia; duplex diſtinctum peccatum committat?

AFfirmabunt conſequenter, qui ſuſtinent, duplex peccatum committere, in confeſſione aperiendum, illum, qui duo numero præcepta, vno actu violat, vt puta, ſi quis frangeret ieiunium in vigilia S. Matthæi occurrens cum ieiunio quatuor tempore; aut non audiret Miſſam in die Dominica in qua occurrit aliud feſtum de præcepto; vt docent Nauarr. Reginald. Ægidius, Lopez, Rodriguez, Tanner. Homobonus, quos citauimus *1. p. tract. 5. de Pœnitentia diſp. 8. §. 8. quæſt. 5. & 3. p. tract. 5. diſp. 9. quæſt. 4.* Quia vt bene notant Azor, & Garcia *infrà*, eadem eſt ratio de omittente officio diuino, habendo plura beneficia; nam cum quodlibet beneficium de per ſe ad Officium obliget, plures huiuſmodi concurrunt tituli, & rationes obligationum, & plura ſpecialia præcepta, & ideo plura peccata &c.

Sed probabilius Reſpondeo, Non committere niſi vnicum peccatum. Quia probabilius eſt, quod quando vnico actu violantur diuerſa præcepta eiuſdem ſpeciei, & circa eamdem numero materiam, tunc non multiplicentur malitiæ, vt patet in exemplis ab aduerſariis adductis, vt cum pluribus diximus, *vbi ſupra, locis citatis:* atqui inpræſentiarum eadem eſt res præcepta omnibus illis titulis, & ſub eadem ratione, nempe, recitatio in laudem Dei, ergo. Sic expreſsè tenent Azor. *1. p. lib. 4. cap. 2. quæſt. 6.* Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp. 15. num. 6.* Henriquez *lib. 5. cap. 5. §. 6.* Garcia *de Benefic. 3. p. cap. 1. num. 124.* Salas *1. 2. tract. 13. diſp. 3. ſect. 2. num. 17.* Bonacina *diſp. 1. quæſt. 2. punct. 4. num. 27.* Palaus *diſp. 2. punct. 1. §. 2. num. 29.*

QVÆSTIO CXXI.

An ſaltem, duplex peccatum committat in confeſſione aperiendum, Beneficiarius, qui eſt Sacerdos, ſi officium diuinum omittat?

AFfirmant, & à fortiori, omnes Doctores pro prima ſententia adducti: necnon Sanchez, Suarez, Bonartius, Fagundez, Carol. Macignus, Paulus Squillas, Philibert. Candidus, & etiam Bonac. *diſp. 1. cit. quæſt. 4. punct. 1. num. 4.* vbi (vnde non ita bene citatur à Palao pro oppoſito) quos omnes pro hac affirmatiua ſententia adduximus *1. p. tract. 5. diſp. 8. §. 8. quæſt. 20.* Quibus nunc addo Thomam Tamburinum *lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. num. 33.* Fundamentum eorum eſt, quod tunc Beneficiarius peccat contra duplicem virtutem in ſpecie diſtinctam, nempe, contra Iuſtitiam ratione beneficij, & contra Religionem; ratione Sacri Ordinis: ergo duplex peccatum committit.

Sed adhuc probabilius Reſpondeo, Non committere duplex peccatum, ſed vnum ſolum. Et ideo ſufficiet, ſi in confeſſione dicat: Omiſi ſemel Officium diuinum. Ratio eſt: quia probabilius eſt, quod non duplicem virtutem violet, ſed vnam tantum, nempe Orationis, aut Religionis. Nam obligatio Beneficiarij, & Sacerdotis, & cuiuſcumque aliûs deputati ad diuinum officium, ad Religionem tandem, ſeu ad colendum Deum reſoluitur. Sic Henriquez, Azor, Garcias, Salas, Caſtro Palao, & Diana *2. p. tract. 12. de Horis Canon. & p. 4. tract. 4. Reſol. 219.* quos omnes citauimus *2. p. loc. cit. q. 20.* Et nunc addo Trullench *lib. 1. in Decal. c. 7. dub. 23. n. 3.*

DISPVTATIO III.

De Officio illo diuino, quod debent supradicti Religiosi, Clerici, & Beneficiarij recitare.

QVÆSTIO PRIMA.

An, Omnes teneantur recitare Officium diuinum, iuxta formulam Breuiarij Romani?

RESPONDEO tanquam certum: Omnes teneri: exceptis his, in quorum Ecclesiis, vel Conuentibus, ducentis annis ante Pium V. aliud Breuiarium fuerit institutum, vel consuetudine approbatum: quales sunt Monachi Sancti Benedicti, Dominicani; Commorantes in Ecclesiis, Mediolanensi, Samburgensi, Leodicensi, & aliis huiusmodi, si quæ sunt. Quia sic habetur in Bulla Pij. V. in principio Breuiarij Romani præfixa: in qua Bulla omnes aliæ formulæ recitandi abrogantur, cassantur, & irritantur. Legantur Palaus *disp. 2. punct. 2. num. 1.* Tamburinus *lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 2. numer. 1.* Sanchez *tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 22.* Grauantus *in Rubr. Breuiarij Romani sect. 2. cap. 2. à num. 3.*

QVÆSTIO II.

An, Ecclesiæ, & Religiones, quæ ante ducentos annos à Breuiarij Romani editione, habent consuetudinem recitandi aliud Breuiarium; teneantur acceptare Breuiarium nouum Pij. V. Clementis VIII. & Vrbani VIII.

RESpondeo vt certum: Non teneri: nisi aliàs ex speciali voto, aut instituto, teneantur se conformare Breuiario Ecclesiæ Romanæ, vt tenentur Religiones D. Augustini, & D. Francisci, necnon & nostræ Sanctissimæ Trinitatis, vt constat ex illis verbis nostræ propriæ Regulæ, nempe: *In regularibus Horis, morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obseruent.* Ratio est: quia id illis permisit Pontifex Pius V. vt constat ex ipsius *Motu proprio.* Sic Sanchez *dub. 22. cit. num. 2. & 5.* Et constat ex praxi Religionum Sanctorum Benedicti, & Dominici; & Ecclesiarum Mediolanensis, Samburgen. &c. Legatur Grauan. *loc. cit.*

QVÆSTIO III.

An, præfatæ Ecclesiæ, & Religiones, quæ proprium Breuiarium habent; possint, hoc excluso, Breuiarium Romanum admittere?

RESpondeo vt certum: Posse Ecclesias, consentiente Capitulo vniuerso, hoc est, saltem maiori eius parte, & suo Episcopo. Et etiam Religiones, consentiente suo Capitulo, & Prælato. Quia id illis concedit Pontifex in Bulla dicta. Sic omnes DD. Qui rectè notant, quod, si semel dictæ Ecclesiæ, & Religiones, id faciant, non liceat eis deinde ad antiquum Breuiarium regredi, Legantur Lessius *lib. 2. de Inst. cap. 37. dub. 12. num. 74.* Tamburin. *lib. 2. in Decalog. capit. 5. §. 2. numer. 1.* Palao, *loco citato* Suarez *lib. 4. capi. 11. numero quarto & 5.* Grauantus *loco citato numor. 13.*

QVÆSTIO IV.

An Religiosi Benedictini, Dominicani vel Carmelitani, quorum Religiones vtuntur Breuiario proprio antiquo; possint, dum priuatim recitant, recitare per illud, aut iuxta eius formulam?

RESpondeo vt certum: Posse. Quia Religiosi tenentur recitare iuxta Breuiarium suæ Religionis, nisi ad aliud habeant indultum, aut facultatem: ergo. Sic communiter Doctores apud Sanchez *to. 2. consil. lib. 7. cap. 2. dub. 23.* Inter quos, iam solum est dissensio, an dum priuatim recitant, licite, & liberè, possint vti Breuiario Romano, relicto suo antiquo, de quo *infra q. 6.*

QVÆSTIO V.

An etiam Clerici subditi Ecclesiæ Mediolan. aut aliarum Ecclesiarum, quæ ex priuilegio vtuntur Breuiario proprio; possint iuxta illud recitare, dum priuatim recitant?

NEgant aliqui Iuniores apud Sanchez *loco cit. numer. 1.* dicentes, non posse, sed debere dum priuatim recitant, hoc facere iuxta formulam noui Breuiarij Romani. Quia (inquiunt) si attendantur verba Bullæ Pij. V. quibus prædictis Ecclesiis datur facultas recitandi antiquum Breuiarium, loquuntur quoad Chorum: ergo quando Clerici earundem Ecclesiarum priuatim recitant extra Chorum, tenebuntur sequi Breuiariũ nouum Romanum.

Bed vt ferè certum Respondeo etiam posse recitare, iuxta suum proprium, & antiquum Breuiarium. Quia si Religiosi, vt vidimus, libere, & licitè possunt vti suo Breuiario, dum priuatim recitant; vtique poterunt & Clerici, patet, quia quantum ad hoc nulla est differentia inter illos: tum quia sicut Religiosi tenentur in recitando sequi statutum suæ Religionis; ita & Clerici sæculares ritum suæ Ecclesiæ matricis, vt docet Nauarr. *de Orat. c. 19. n. 220.* tum etiam quia Pontifex ex æquo, & eodem modo loquitur de Monasteriis, & de aliis Ecclesiis habentibus Breuiarium ante ducentos annos: ergo. Sic Sanchez *loc. cit.* & communiter Doctores præcipuè mox adducendi.

QVÆSTIO VI.

An saltem dicti Clerici, & Religiosi, qui possunt ex priuilegio vti Breuiario proprio, possint libere, & licite, dum priuatim recitant, Breuiario Romano vti, & iuxta eius formulam recitare?

NEgant quàm plures Doctores, docentes huiusmodi priuilegiatos in Bulla Pij V. non posse propria authoritate, omisso proprio Breuiario, suæ Ecclesiæ, aut Religionis, vti nouo Romano, & recitare per illud, etiam priuatim. Ratio eorum est.

Quia

Quia de his exemptis nihil determinat Bulla Pij V. Sed illos disposition Iuris communis relinquit: sed ius commune quemlibet arctat ad recitandum officium suæ Ecclesiæ; cap. *De his.* Cap. *Placuit. dist.* 12. ergo. Ita Suarez *lib.* 4. *de Horis, cap.* 23. *num.* 2. & 9. & apud Palaum Lessius *lib* 2. *cap.* 37. *dub.* 12. *n.* 74. Sic etiam Bonac. *disp.* 1. *de Horis q.* 3. *pun.* 1. *n.* 3. & penes ipsum, Vazquez *de Benefic. cap.* 4. *dub.* 2. *art.* 1. Bellarmin. *lib.* 1. *de bonis operib. cap.* 18. Nauarr. *de Orat. cap.* 19. *num.* 211. Garcias *de Benefic.* 3. *p. cap.* 1. *n.* 155. vbi refert ex aliis, declarationem Sac. Congreg. Concilij, quæ censuit habentes Breuiarium, ante ducentos annos institutum, non satisfacere recitando, etiam extra Chorum, iuxta formam Breuiarij noui Pij. V. quod in sua Ecclesia non fuit receptum, de consensu Episcopi, & Capituli. Valentia etiam *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 11. *quæst.* 1. Reginald. Macignus, Filliuc. & alij. Quibus adhuc addo Palaum *disp.* 2. *de Orat. punct.* 2. *num.* 4. Ægidium Trullench *lib.* 1. *in Decalog. capit.* 7. *dub.* 14. *num.* 3. Pellizarium *in Man. Regul. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *quæst.* 9. *num.* 66. Barbosam *in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 41. *cap.* 1. *num.* 10. Gauantum *in Rubr. Breuiarij Romani sect.* 2. *cap.* 2. *nu.* 14. Quamuis addat, oppositum sustineri posse, & præsertim si rarò fiat.

Sed certè, æque probabiliter, Respondeo: Posse, dum priuatim recitant, id facere, secundum Breuiarium Romanum. Hanc responsionem probat Lessius *loc. cit. Primò.* Quia nulla est necessitas, nec vllum ius expressum, cur priuatim teneantur se magis conformare Ecclesiæ particulari, quam Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum, & cui omnes conformari expedit. *Secundò.* Quia Pius V. etsi insinuet in Bulla, non esse mutandum Officium publicum ducentorum annorum, absque consensu Episcopi, & Capituli; nihil tamen dicit de priuato: tacitè ergo permittit illud mutari. *Tertiò.* Quia iam passim dicitur esse talis consuetudo; idemque licitum esse docent multi Recentiores. Nec obstant in contrarium adducta. Nam *cap. De iis, & Cap. Placuit.* Loquuntur aperte de officio publico, non de eo, qui priuatim dicitur. Hæc Lessius. Quapropter Bonacina, Diana, & nonnulli alij pro hac parte illum citant. Et fortè melius quam alij citant pro alia. Sic etiam Sà, *verb. Horæ num.* 6. Ita dicens: *Extra Chorum potest quisque dicere Officium Romanum.* Caiet. *verb. Horæ*, §. 2. Rodriguez *in sum. capit.* 195. *num.* 2. Portel *in dubiis Regul. V. Horæ Canonicæ nu.* 6. Quos omnes citat, & sequitur Diana *par.* 2. *tract.* 12. *de Horis Canon. Resol.* 10. Quibus, addo Thomam Sanchez *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 23. Et hanc sententiam esse probabilem expresse affirmant, imo, & probant Suarez, & Palaus *loco citato* Pellizarius *loco citato sect.* 1. *quæstion.* 8. *num.* 18. Trullench *loc. cit. num.* 3. & alij communiter.

Qvæstio VII.

An etiam prædictis Clericis, & Religiosis sit licitum, iuxta Breuiarium Romanum priuatim recitare; adhuc in casu, quo illis præceptum sit, ne alio, quàm proprio suo, Breuiario, vtantur?

Respondeo vt certum: Tunc non esse eis licitum, si præceptum sit eis à Pontifice, vel ab alio Superiori, ne alio quam suo Breuiario vtantur. Quia cum tale præceptum sit de re licita, & honesta, & indicto à suo superiori, vere obligat. Vnde minime erit licitum Breuiario Romano vti, Fratribus S. Dominici; cum id sit illis prohibitum, præcepto Clementis VIII. in Bulla quæ Incipit: *Cum sicut accepimus, data* 2. *Aprilis* 1602. Nec rursus Fratribus Carmelitanis; cum id ipsum sit eis præceptum sub excommunicatione lata à Gregorio XIII. vt referunt Pradus *tom.* 2. *Theolog. moral. cap.* 30. *quæst.* 7. §. 1. *num.* 15. Lezana *tom.* 3. *verb. Breuiarium num.* 3. Nec tandem erit licitum Clericis Mediolanensis Ecclesiæ recitare, adhuc priuatim, iuxta Breuiarum Romanum, quia id eis prohibuit Diuus Carolus Archiepiscopus, mandans illis in virtute Sanctæ obedientiæ, vt non vterentur alio Breuiario quam Ambrosiano. Sic docent communiter omnes. Bonac. *loc. cit. n.* 6. Palaus, & Trullench *loc. cit.* Pellizarius *n.* 19. & Gauantus *c.* 2. *cit. n.* 14.

Qvæstio VIII.

An saltem, Clericus; v. g. Mediolanensis, possit, (non obstante dicto S. Caroli decreto) dum Romæ, causa negotiorum existit, iuxta Breuiarium Romanum recitare?

Negant posse, adhuc in isto casu, recitare talem Clericum, iuxta Breuiarium Romanum, quidam Doctores. Quia adhuc dum Romæ existit, est subiectus decretis Archiepiscoporum Mediolanensium: ergo. Ita apud Bonacinam, & Trullench, Lessius *num.* 74. *cit.* Suarez *lib.* 4. *cap.* 23. *nu.* 6. Reginald. *lib.* 18. *num.* 169. Molfes. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 46. & Vazquez *de Benefic. cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 57. Sed certe ex his authoribus, Lessius *loco cit.* nec verbum de hac quæstione dicit. Et Suarez *num.* 6. *cit. & etiam* 7. oppositum clarè sentit.

Probabilius igitur Respondeo, Posse, iuxta Breuiarium Romanum recitare tunc: iuxta illud commune axioma: *Si fueris Romæ, Romano viuito more.* Ratio sit. Quia præceptum, seu statutum, aut lex Diœcesani non extenditur, extra Diœcesim: Ergo Clericum Mediolanensem existentem Romæ ligare minime potest. Rursus. Quia quilibet potest se conformare moribus illorum quibuscum viuit, etiam transeunter, vt aliàs sæpe diximus, si alias impeditus non sit: atqui dictus Mediolanensis Clericus non est impeditus, vt est habitum: ergo. Sic Bonacina *disp.* 1. *de Horis Canon. quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 7. Trullench *lib.* 1. *in Decal. cap.* 7. *dub.* 14. *num.* 3. Castro Palao *tom.* 2. *disp.* 2. *de Orat. punct.* 2. *num.* 6. *vers. in hac re* imo *versu sequenti*, probabilius existimat, non solum posse, verum etiam teneri talem Clericum ad vtendum Breuiario Romano. Cuius additum approbant Trullench, *loco citato* Gauantus *loco citato num.* 15.

Qvæstio IX.

An etiam è contra, Clericus Romanus existens, negotiorum causa, Mediolani; teneatur, aut saltim possit, vti Breuiario Ambrosiano?

Respondeo vt certum: Nec teneri, nec posse. Quia dictus Clericus tenetur vti Breuiario Romano ex lege Pontificis, quæ vbicunque obligat, cum totus Orbis terrarum sit eius territorium: ergo nec tenetur, imo nec potest, alio Breuiario, præter Romanum,

Romanum,vti.Sic Trullench *loc.cit.num.3. fine.* Castro Palaus *punct.2.cit.n.5.*Bonac.*loc. cit. num.7. vers. Ad quartum.*

Qvæstio X.

An ad minus, si talis Clericus Romanus haberet beneficium in Ecclesia Romana; & residerет, & haberet firmum domicilium in Diœcesi Mediolanensi; posset tunc,aut teneretur vti Breuiario Ambrosiano?

Affirmant posse, imo & teneri, multi Doctores, eo quod existiment talem Beneficiarium se debere accommodare ritui recitandi Officium, iuxta formam Breuiarij Ecclesiæ, aut Diœcesis, in qua habitat,& residet.Sic Suarez *loc.cit.n.6.* Filliuc. *tra.23.cap.7.quæst.1.num.222.* Bonac.*loc.cit. num.10.* Trullench *dub.14.n.6.*

Sed alij contrà docent, teneri ratione beneficij quod possidet Roma, recitare officium suæ Romanæ Ecclesiæ. Ita D.Thom. *quodlib.1. art.13. & quod lib.6.art.8.*

Sed æque probabiliter Respondeo, Posse, sed non teneri. Quia potest vtroque Breuiario, Romano nempe, & Ambrosiano, vti, Romano quidem, quia vere est Beneficiatus Romanus; cum non desinat esse talis ex habitatione Mediolani. Ambrosiano verò; quia per habitationem diuturnam censetur esse Clericus illius Mediolanensis Diœcesis. Sic Castro Palaus *loc.cit.num.5.* Et huic sententiæ quoad primam partem fauet D. Thom. *loc.cit.* & quoad secundam,authores primæ sententiæ.

Qvæstio XI.

An, Religiosi Cistercienses, Dominicani, & alij, qui vtuntur Breuiario proprio; possint, dum Romæ existunt, Breuiario Romano vti?

Affirmandum videtur ex habitis *quæst.6. &* 8. Nam Clericus Mediolanens. existens Romæ, potest licite recitare, omisso proprio, iuxta Breuiarium Romanum: ergo & Religiosus.

Sed Clarius, iuxta supradicta Respondeo, Posse quidem, si non sit illis prohibitum: vt *quæst.6.* est habitum: secus aliàs, vt habitum est *quæst.7.* quia tunc cum obligatio vtendi proprio Breuiario insit illis ex vi legis Pontificiæ, seu ex vi voti,aut professionis,seu instituti quod vbique se extenditur, afficit personam vbicumque sit. Sic communis. Palaus *loc. cit. num.7. vers. Neque obstat.* Trullench *num.3. cit.* Gauantus *num.15.* ibi: *Qui Romæ degit potest vti Romano Monachus autem non potest vti Romano quippe quis promisit obseruantiam suæ Regulæ.*

Qvæstio XII.

An, casu, quo in Monasteriis Cistercienſis, aut Dominicani Ordinis, essent diuersa Breuiaria, & religiosus illius transiret illac; posset dum ibi commoraretur, vti Breuiario dicti Monasterij?

Respondeo quod posset vti & Breuiario dicti Monasterij per quod transiit, cum pro tunc sit illi subiectus, & efficiatur illius pars; & etiam Breuiario sui proprij Monasterij; quia etiam retinet subiectionem ad illud: potest igitur, talis Religiosus vti Breuiario quo voluerit, dum *ibi* existit. Sic omnino Palao,*loc.cit.*

Qvæstio XIII.

An, Religiosus promotus ad Dignitates, extra Religionem, v. g. ad Episcopatum; teneatur vti Breuiario vsitato in proprio Ordine; vel Breuiario propriæ Ecclesiæ, cuius est Episcopus?

Respondeo teneri vti Breuiario propriæ Ecclesiæ. Quia eo ipso quod Religiosus fiat Episcopus absoluitur à penso diuini Officij persoluendi secundum formulam Regulæ Monasticæ præscriptam. Nam regere Ecclesiam debet, iuxta morem, & vsum Clericorum, quibus præest. Sic Abbas *in cap. Clerici officia, de vita, & honest. Cleric. num.18.* quem citat, & sequitur Azor. *1. part. lib.12. cap.7. quæst.4. vers. verum de habitu. in fine.* Sanchez *lib.6. sum.cap.6.num.25.* Lezana, quem citat, & sequitur Pellizarius *tom.1. Man. Regul. tract.5. cap.8. sect.1. quæst.8. num.21. Qui ait,Id esse verum, cum Religiosi efficiuntur Episcopi proprij, Abbates, aut Parochi: si verò fiant Cardinales, aut Episcopi Titulares,* tunc ait, *posse vti Breuiario, quo maluerint; quamuis consultum esset, vt vterentur Breuiario Romano, se in hoc conformante communi Matri Ecclesiæ Romanæ.* Sic ibi: & postea *sect.2.q.9.n.66.*

Qvæstio XIV.

An, cui duo beneficia possidet in duabus Ecclesiis, quæ diuersis vtuntur Breuiariis; debeat recitare, iuxta Breuiarium, quo Ecclesia, in qua residet, vtitur?

Negant quidam dicentes, vti debere tunc, extra Chorum breuiario Ecclesiæ in qua habet beneficium dignius, etiamsi alibi habeat pinguius. Si vero beneficia, quæ habet, sint æqualis dignitatis, tunc liberum esse illi vti extra Chorum Breuiario vtriusque, quod maluerit, Ecclesiæ; cum non sit maior ratio, cur ad vnum potius ritum, quàm ad alterum obligetur, cum Diœcesim in vtraque Ecclesia contraxerit. Ita S. Thom. *quodlib.1. art.13.* Siluest.*verb.Horæ quæst.1.* Reginald.*lib.18.num.169.* Molfes. & alij apud Bonacinam, quorum sententiam, ipse, Trullench & Basseus existimant probabilem.

Sed probabilius Respondeo, Debere dictum Beneficiarium recitare tam intra, quam extra Chorum,iuxta Breuiarium Ecclesiæ in qua residet. Quia ad id duplici vinculo ligatur, nempe, & domicilij, vel residentiæ, necnon & beneficij. Sic Suarez *capit.23. numer.8.* qui bene citant pro hac parte D. Thomam eodem loco, quo pro contraria citatur à Bonacina.Filliucius *tract.23.cap.7. quæst.1. num.221.* Bonacina *disp.1.de Horis, quæst.3.punct.1. numer.9.* Trullench *lib.1.in Decal. cap.7. dub.14. num.5.* Gauantus *cap.2.citato,nu.18.* Bassæus *tom.2. verb. Horæ Canonicæ 11.num.1.*

QVÆSTIO XV.

An, Scholares, qui in aliqua Ciuitate commorantur, ſtudiorum cauſa; debeant recitare officium, iuxta morem illius Ciuitatis; an vero, iuxta morem ſuæ Diœceſis, in qua habent firmum domicilium?

AFfirmant poſſe recitare officium, iuxta ritum, & morem Ciuitatis in qua ratione ſtudiorum commorantur. Suarez *loc.cit.num.7.* Filliuc *num.221.* Bonac. *numer.11.* Trullench *numer.7.* Layman *lib.4. tract.1.cap.5.num.3.*

Alij contra dicunt debere recitare iuxta morem ſuæ Diœceſis, in qua firmum, & ſtabile habet domicilium. Ita quidam apud Suarium *loc.cit.*

Sed clarius Reſpondeo, Poſſe recitare, iuxta ritum Ciuitatis, in qua commoratur; & etiam Diœceſis, in qua firmum habet Domicilium: Quia in vtraque reputatur illud habere. Legantur dicta à nobis *ſupra qu.10.*

QVÆSTIO XVI.

An, ſi quis habeat priuilegium recitandi Breuiarium breue; vel dicendi Horas ante tempus; poſsit Socius eodem modo recitare cum illo, abſque vlla culpa?

REſpondeo, Poſſe abſque vlla culpa. Sic ſentit, & probat Henriquez his verbis: *Id quod ius, aut priuilegium diſponit in vno ex correlatiuis, extenditur ad aliud correlatiuum: vt quod concedit viro coniugato extenditur ad vxorem. Quare ſi vir tempore prohibito, poteſt ex priuilegiis recipere benedictiones nuptiales, extenditur ad vxorem; aliàs priuilegium eſſet inutile. Priuilegium eius, qui olim poterat Breuiario breui vti, aut nunc poteſt ante tempus recitare Horas, extenditur ad ſocium.* Sic ille *in ſum. lib.7. cap.30. num.4.* Quem ſequuntur Portel, *in dubiis regul. verb. Horæ Canon. numer.8.* Diana *p.2. tract.12. de Horis. Reſol.55.* Trullench *lib.1. in Decal. cap.7. dubit.14. num.7.* Rodriguez *in ſum. tom.4. cap.68. num.10.* Qui addunt, poſſe Epiſcopum Religioſum recitare cum Socio ſecum recitante per Breuiarium ſuæ Eccleſiæ. Sic etiam Pellizarius *tom.1. tract.5. capit.8. ſect.2. numer.66.*

QVÆSTIO XVII.

An, Clericus, qui, non ratione beneficij, ſed patrimonij, fuit promotus, ad Ordines; teneatur vti Breuiario Romano?

NEgant quidam Doctores, dicentes poſſe hunc recitare Officium ſecundum formulam Breuiarij, quæ illi magis placuerit. Quia nulli Eccleſiæ addictus eſt. Ita Directorium *lib.1. tit.8.* Angel. *verb. Horæ num.12. & 14. & ibi*, Silueſt. *quæſt.1. dicto 4.* & Tabiena *quæſt.10. & 16.*

Sed iam vt certum, Reſpondeo teneri vti Breuiario Romano, aut alio propriæ Eccleſiæ, ſi proprio ex priuilegio gaudeat. Quia ita decreuit Pius V. vt conſtat ex eius Bulla in principio Breuiarij Romani poſita. Et ideo ſic docent omnes. Azor. *1. p. lib.10. cap.11. quæſt.1.* Suarez *lib.4. cap.23. num.4.* Leſſius *lib.2. cap.37. num.75.* Palaus *diſp.2. punct.2. num.1.* Bonac. *diſp.1. q.3. punct.2. num.4.*

QVÆSTIO XVIII.

An, iam mortaliter peccet, qui recitat, iuxta aliud Breuiarium, quàm Romanum, quando iuxta hoc, recitare tenetur?

NEgat Medina *in ſumma lib.1. capit.14. §.11.* ita dicens: *De eſta miſma doctrina ſe coliie, que ſi el Religioſo de S. Domingo, rezaſſe por el Breuiario Romano, o por el de S. Franciſco, o al reues, ſolo es peccato venial.* Ita ille quem nouiſſime in caſu ſimili, ſequitur Caramuel *diſp.109. num.1394.* aſſerens, *Religioſos vtentes peculiari Breuiario, ſi recitent ex Breuiario alterius Ordinis peccare ſolum venialiter, quippe, qui implent præceptum recitandi, quoad ſubſtantiam, non item quoad modum, quatenus dictum præceptum reſpicit officium diuinum, tanquam obiectum eſſentiale; circunſtantiam verò Officij talis, aut talis Ordinis, tanquam modum accidentale.* Ita ille. Quem referunt Diana *p.7. tract.11. Reſol.8.* & Pellizarius *tom.1. tract.5. cap.8. ſect.2. quæſt.9. num.66. in fine*, nec omnino *ibi* reprobant. Sed de hac opinione Caramuelis dicam *quæſt. ſequenti*, nunc ad quæſitum redeamus.

Sed iam vt certum Reſpondeo, Peccare mortaliter. Quia expreſſe facit contra prohibitionem Pij V. Qui in Motu proprio habito initio Breuiarij Romani, ſic ait: *Statuimus, quoſcumque, qui tenentur ad Horas Canonicas, teneri ad dicendum ex præcepto huius Breuiarij, & neminem ex his niſi hac ſola formula, ſatisfacere poſſe.* Sic Pontifex, ergo ſi quis recitet, iuxta aliam formulam, non ſatisfacit præcepto recitandi: ergo tenetur reiterare Horas, alias peccatum mortale contrahet contra præceptum recitandi. Sic Sanchez *libro 7. conſil. capit.2. dub.24.* Qui citat valde doctum Recentiorem dicentem ſibi ſententiam Medinæ eſſe valde ſuſpectam. Tenent etiã hanc partem authores mox adducendi.

QVÆSTIO XIX.

An, Regulares etiam peccent mortaliter, ſi recitent Officium, iuxta Breuiarium alterius Religionis, omiſſio Breuiario proprio, ad quod tenentur?

NEgant, vt vidimus, Medina *loc. cit.* & Caramuel (vltra locum citatum) *in Theol. fundament. fundam.53. nu.1112.* Quia talis tranſgreſſio non eſt (inquit) in ſubſtantia, ſed in modo, & ideo ſolum venialis. Fauet huic ſententiæ Mallet. *tom.1. Malleatio.30. Bractea 50. Reſp.2.* quatenus docent, nõ eſſe mortale interdum ex alieno Breuiario recitare.

Sed vt mihi certum Reſpondeo abſolutè, & per ſe loquendo; peccare mortaliter. Quia mutatio eſt valde grauis; & prohibita ſub grauibus pœnis, vt probat latè Diana, *infrà*: ergo erit mortalis. Sic apud Dianam *loco ſupra cit.* & præcipue *par.11. tr.1. Reſol.8.* tenent communiter Theologi Sotus. Nauarr. Angel. Tabiena, Armilla. Toletus, Suarez, Sanchez, Perſicus, & Baldellus *to.2. Theol. Moral. lib.3. diſp.29. num.14.* vbi ſic ait: *Qui mutat formam, & Breuiarium ad quod tenetur, & cum ſit Monachus v. g. Sancti Benedicti, aut Religioſus profeſſus S. Franciſci, recitat ex Breuiario S. Dominici grauiter peccat; quia mutatio in tota forma Officij, eſt valde grauis, & proximè attingit*

ipſam

ipsam substantiam diuini Officij. Sic ille. Cui adde apud ipsum Dianam, Valentiam, Azorium, Reginaldum & Filliucium.

Qvæstio XX.

An, saltem, sit licitum Regularibus, ex priuilegio illis concesso, omisso proprio, recitare Officium, iuxta Breuiarium alterius Religionis?

Affirmat Martinus à S. Ioseph *in sum. to. 1. lib. 2. tra. 4. de Oratione n. 19.* per hæc verba: *Aunque los Frailes Menores estan obligados à rezar el officio diuino por el Breuiario Romano, pero como pareçe por el Compendio de nuestros priuilegios,* verb. *Officium diuinum, §. 4. les concedio Innocentio IV. que por razon del camino, o de otra Iusta causa puedan rezar con otros, o por si solos, por el Breuiario de otro rezo; y que con esto, cumplan con su obligacion. y este priuilegio no esta reuocado por Pio V.* Ita ille. Cui videtur consentire Diana *par. 11. tra. 1. Resol. 8. in fine.*

Sed ego clariùs Respondeo dicendo, quod adhuc dato, quod tale priuilegium non sit reuocatum per Bullam Pij V. minimè possint illo vti Religiones, quibus per Sedem Apostolicam est prohibitum alio, quàm proprio Breuiario, posse vti; vt sunt Religiones, S. Dominici, & B. Mariæ de Monte Carmelo, vt habitum est *supra qu. 7.* Imo idem dicendum est de aliis, quibus per suum statutum est idem cautum. Quia nulli ex omnibus istis prodesse potest dictum priuilegium, aut de se patet.

Qvæstio XXI.

An ad minus, casu, quo quis careat Breuiario Romano, aut alio, ad quod adstringitur; possit licite recitare per aliud quodcumque approbatum, quod præ manibus habet?

Respondeo vt mihi certum; Non solum posse licite, verum etiam ad id teneri. Quia in hoc euentu ex præsumpta voluntate Pontificis, licite potest vti tali Breuiario: ergo ad id vt adimpleat præceptum recitandi tenebitur. Sic cum aliis videtur sentire Diana *part. 9. tract. 9. Resol. 25. in fine.* quatenus hæc ait: Notandum est hic obiter, id quod asserit Crousers *in Reg. Diui Francisci c. 3. sect. 1.* vbi sic ait: *Etiam circa Horas Canonicas, putarem peccatum committi ab eo, qui illas negligeret obtentu defectus Breuiarij Romani, si aliud ad manum habeat, vel habere possit. Obligantur enim Fratres primo ad Officium diuinum, deinde ad modum eius, quod posterius, si non possint implere, prius autem sic, peccant si non implent. Et ideo docuit Escobar,* vbi supra n. 3. *quod si deficiat Breuiarium Romanum, poterit, imo & debet recitare per aliud approbatum, quod præ manibus est; & qui potens non est totum Officium recitare per Romanum, & potest recitare per aliud Breuiarium approbatum; quia est breuius, satius erit per hoc recitare, quam alterum omittere.* Sic ille. Et postea Pellizarius sic: *Addo ex Lezana* v. Breuiarium n. 6. *quod si Religiosus obligatus ad proprium Breuiarium illo careat, teneretur vti alio Breuiario approbato. Et ratio est, quòd præceptum iuris communis de recitando diuino Officio obligans Regulares ad dictos Choro, præualet cuicumque præcepto recitandi ex hoc, aut illo Breuiario, sicque præceptum posterius cedit priori.* Sic ille *tom. 1. tract. 5. cap. 8. sect. 2. quæst. 9. fine, num. 70.*

Qvæstio XXII.

A quonam Pontifice fuerit primò Romanum Breuiarium editum?

Respondeo *Primò* fuisse editum à Pio V. vt constat ex eius Bulla incipiente: *Quod à nobis*, posita initio Breuiarij. Deinde à Clemente VIII. recognitum vt patet ex eiusdem Bulla, quæ incipit: *Cum in Ecclesia.* Et tandem cum Hymnis nouis ab Vrbano VIII. reuisum, iniunctumque omnibus, vt ita hoc nouo vterentur, vt qui haberent illud Pij, vel Clementis, eo possent vti, illudque vendere: at inposterum imprimerentur semper noua; cum facultate, & licentia Inquisitoris, vel (vbi is non fuerit) Ordinarij, sub pœna excommunicationis latæ; quæ omnia constant ex ipsiusmet Bulla incipienti: *Diuinam Psalmodiam.*

Qvæstio XXIII.

An, qui Breuiarium nouum Vrbani potest emere, ad id teneatur?

Respondeo vt certum: Non teneri. Quin etiam, si domi Breuiarium nouum quis habeat, poterit is soluere pensum Officij ex Breuiario Pij V. vel Clementis VIII. Quia dum hæc extant, permittuntur. Sic Tamburinus *lib. 2. in Decal. c. 5. §. 2. n. 3.* vbi addit, *Quod nec scrupulum iniecit cuidam qui Matutinum cum Breuiario Pij V. vel Clementis, & Horas cum Breuiario Vrbani, vel contrà, recitabat. Et multò minus ei, qui pœnitentiam de recitando aliquoties Officio iniunctam à Confessario, semel ex vno, semel ex alio persoluebat; iam enim semper legitimis Breuiariis vtebatur.* Sic Tamburinus. Et bene.

Qvæstio XXIV.

An, licitè possit quis vti nouis Breuiariis, impressis, v. g. Parisiis, cum sola approbatione supremi Consilij Regij, non vero Inquisitoris, vel Ordinarij?

Respondeo Posse. Quia publicè Romæ venduntur dicta Breuiaria, illisque vtuntur passim. Sic Tamburinus *loc. cit. n. 4. Quia iam* (inquit) *vsu receptum est alicubi, facultatem imprimendi haberi à dicto supremo Consilio, quod idoneum solet virum deputare ad libros approbandos: Quare tunc, vel non sunt receptæ leges, quibus iuuetur esse libros approbandos à persona Ecclesiastica; vel non deest eiusmodi approbatio, quia ex ipsa introducta consuetudine, censetur Ordinarius deputare eos ipsos, quos Regium Consilium deputat: quam praxim Roma ipsa comprobat, cum passim eiusmodi libri Romæ palam vendantur.* Sic ille.

Qvæstio XXV.

An, Episcopus possit dispensare cum suo subdito, vt omisso proprio Breuiario, ad quod tenetur, iuxta aliud, priuatim recitet?

Negat absolute Thom. Sanchez *lib. 7. cons. c. 2. dub. 26. Quia quàuis ante publicationem Breuiarij Pij V. poterat Episcopus dispensare, vt tenent aliqui, quos*

refert Nauarr. ac post publicationẽ talis Breuiarij nequit. Ratio, quia antea tenebantur Clerici recitare, iuxta formam à suis Episcopis præfixam, & ideo poterant Episcopi, & suas mutare leges, & circa eas dispensare: at modo tenentur omnes lege Papæ, sic lege quam Episcopus, nec mutare, nec dispensare potest. Ita Nauarr. *cap. Quando lat. c. 11. n. 27. 28. & 29.* Hucvsque Sanchez

Alij contrà dicunt, non posse per se, absolutè loquẽdo: bene tamen in aliquo casu occurrenti & cõcurrẽte iusta causa. Quia cõmuniter solet hæc potestas esse concessa Episcopis in his Ecclesiasticis legibus. Ita Suarez *lib. 4. de Horis c. 11. n. 6. & c. 23. n. 17.* & apud ipsum, Nauarr. *cap. 11. de orat. n. 24.* sic etiam Bonac. *disp. 1. de Horis q. 3. pun. 1. n. 19.* & penes ipsum, Filliuc. *tract. 23. cap. 6. n. 186.* Reginald. Armilla, Tabiena, & alij. Trullench. etiam *lib. 1. in Decal. cap. 7. dub. 14. n. 4.* Pellizarius *to. 1. tract. 5. cap. 8. sect. 2. n. 69.*

Sed ego clarius, Respondeo. Posse quidem dispensare Episcopum cum suo subdito, vt relicto proprio Breuiario, recitet officium, iuxta formam alterius Breuiarij in vno vel alio occurrente casu, iusta causa concurrente, quam concurrere posse valde dubito: non tamen posse dispensare permanenter aut absolutè, itaut quis possit semper, & pro suo arbitrio id facere. quia ad primum concessa est facultas Episcopis; non vero ad hoc secundum; cum ad id minimè possit moralis necessitas occurrere. Sic credo tenere omnes DD. pro sententia secunda adducti. Imo & Sanchez id, & non aliud velle, dicit Pellizarius, *lo. cit.* vbi idem docet esse tenendum loquendo de Prælato Regulari, respectu suorum subditorum.

Qvæstio XXVI.

An sit licitum aliquid addere Breuiario Romano, tanquam partem diuini officij.

Respondeo vt certum: Quod non sit licitum, sed ad minus peccatum veniale. Quia contrarium statuitur in Bulla Pij V. initio Breuiarij apposita, his verbis: *statuentes Breuiarium ipsum, nullo tempore mutandum, vel ei aliquid addendum, vel detrahendum esse* sic omnes DD. præcipuè statim citandi.

Qvæstio XXVII.

An etiam sit peccatum mortale, quidquam etiam paruum, tanquam partem diuini officij, Breuiario prædicto addere?

Negat Bonacina *disp. 1. q. 3. pun. 1. n. 21.* docens, non esse mortale, nisi addatur pars aliqua notabilis: *Quia paruitas* (inquit) *materiæ præcisis aliis circunstantiis, semper à mortali excusat.* Sic ille & sic etiam Trullench. *lib. 1. cap. 7. dub. 14. n. 15.* necnon, apud Ausonium, in summ. Dianæ, *verb. Horæ Canonicæ qualiter recitandæ. n. 41.* Diana *p. 5. tract. 5. Resol. 64.* Qui vterque citat pro hac parte Palaum *tom. 2. disp. 2. pun. 2. n. 15.* sed vterque malè, vt *infrà*.

Sed probabilius Respondeo. Esse mortale, aliquid Breuiario Romano addere, tanquam perpetuo duraturum, quamuis sit minimum. Sic Suarez *lib. 4. cap. 13.* (non 15. vt citant Diana, Ausonius, Trullench. Palaus) *num. 15.* & Filliuc. *tract. 23. cap. 6. q. 11. n. 214.* quos citat, & sequitur Palaus *loc. cit. n. 15.* his verbis: *Imo crederem esse peccatum mortale, si vel minimum adderes, vel detraheres, animo, vt in perpetuum sic duraret. Quia, licet respectu diuini officij, illa sit minima pars, & leuis additio, vel diminutio: non est tamen leue, sed graue, illam minimam partem ritui Ecclesiæ, quasi perpetuo addere, vel diminuere. Tum, ob vsurpatam Iurisdictionem, tum ob introductionem noui ritus, & cultus.* Sic Suarez, &c. sic Palaus. Male ergo illum citant Ausonius, & Diana pro contraria parte. Sic etiam Tamburin. *lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 2. n. 7.* Basseus tom. 2. *verb. Horæ Can. 2. n. 16.* Qui etiam citat Palaum pro parte opposita: sed etiam malè.

Qvæstio XXVIII.

An, satisfaceret præcepto recitandi, qui officium diuinum, in notabili quantitate (modo explicato), additum recitaret?

Negandum videtur. Quia prædicta mixtio facit, vt non sit eadem formula officij, sed alia: atqui obligatus, tenetur recitare, iuxta formulam in Breuiario præscriptam: ergo non satisfacit præcepto recitandi. Et ideo sic sentit Tamburin. *n. 7.* ibi *Qui addit aliquid diuino Officio, nisi animo mutandi ritum addat, satisfacit: quia additio sine huiusmodi animo, non mutat substantiam Officij quod iam totum recitari supponitur.* Ita ille.

Sed probabilius Respondeo dicendum, quod quamuis sic recitans peccaret, propter additionem; satisfaceret tamen præcepto recitandi: quia verè recitat totum quod præcipitur, & si aliis precibus mixtum.

Ad argumentum autem neganda est maior: quia moraliter loquendo, non est alia forma; quia non debet censeri illa addere, vt partem diuini officij, sed quasi per accidens. Sic Palaus *lo. cit.* & ex illo Diana, Trullench. *lib. 1. c. 7. dub. 14. n. 15. fine.*

Qvæstio XXIX.

An etiam peccaret mortaliter, qui, non modo permanente, sed in tali casu, ex deuotione indiscreta, adderet aliquid officio diuino, v. g. commemorationem alicuius Sancti, vel aliquam Antiphonam, & similia?

Respondeo dicendum, quod tunc, secluso scandalo, vel contemptu, solum esset veniale: ob paruitatem materiæ, in re non graui. Sic Suarez *cap. 13. citato num. 15.* Filliuc. *lo. cit.* & Trullench. *n. 15.* Bonac. *n. 21.* vbi sic ait: *Addo etiam illum à mortali excusari posse, qui aliqua occasione, non ad mutandum ritum, sed ex deuotione indiscreta aliquid addit ex. g. curando, vt in choro aliqua commemoratio fiat, vbi non est facienda, aut si curet decantari Hymnos, vel Antiphonas licuius Sancti, quæ in Breuiario non continentur, vel quando recitandæ non sunt, & hoc multo magis excusabitur in priuata recitatione.* Sic ille.

Qvæstio XXX.

An, peccaret mortaliter, qui, ex proprio capite omissis lectionibus, quas Breuiarium dicere præcipit; alias, loco illarum, ex eodem Breuiario, substitueret?

Respondeo dicendũ, quod si peccaret mortaliter, & iuxta Suarium, ex duplici capite, nempe, &

ex

ex mutilatione,& ex monstrosa additione.Quia (ait Suarez, *loc.cit.*) id , quod loco alterius additur,non potest esse pars Officij,cum ex auctoritate non fiat : nam illa compositio pendet ex institutione, & institutio ex potestate , & consequenter non potest supplere partem omissam,cum non sit pars, nec ad Officium Ecclesiasticum,quod nomine Ecclesiæ dicendum est,pertineat.Sic Suarez *lib.4.c.13.n.15.* Ex cuius doctrina constat , quid sit respondendum casui proposito Angelo Mariæ Verricelli,tenore præsenti; An,videlicet,possint in Choro cuiusdam Monasterij legi lectiones secundi Nocturni manuscriptæ , à Sede Apostolica non approbatæ,dum per multum temporis fuerunt lectæ,& postea per aliquod tempus intermissæ;an possint resumi , non obstante Bulla Pij V.Et respondet,quod non. Et bene. Tum Quia Pius V. reseruauit approbationem diuini officij Sedi Apostolicæ : ergo & dictas lectiones.Tum quia Sac. Congregatio , approbante Vrbano VIII.8. *Aprilis* 1628. damnauit tanquam abusum recitationem Officij non approbati à Sede Apostolica : sed quando consuetudo tanquam corruptela & irrationabilis damnatur , tunc neque tempore immemoriali præscribi potest : ergo.Sic ille , qui latè id probat *to.1.q. moral.tra.8.q.31.*per totam.Igitur ex doctrina Suarij, peccaret qui in Choro dictas lectiones legeret ex duplici capite nempe & ex omissione aut mutilatione Officij , & additione monstrosa , sed Ego clarius dico quod ex monstrosa additione & ex omissione , etiam esset mortale , si omnes mutaret lectiones ; secus si duas , aut tres , quia tunc solum esset veniale ob paruitatem materiæ. Legantur dicenda à nobis *disp.4.q.55.*

Qvæstio XXXI.

An sit peccatum, inter vnum , & alterum Psalmum aliquod Mottetum , vel ex scriptura sumptum ; vel aliquo erudite , (etiam lingua vulgari) compositum,decantare ?

AFfirmat Palud.*in 4.dist.15.qu.2. art.2.* vbi specialiter loquitur contra eos,qui cantant Motteta in festis. *Quia Cantus* (ait) *non debet esse tragedicus,* Cap. *Cantantes , dist.92. ne audientes ad lasciuiam potius,quàm ad deuotionem excitentur, quod est contra finem Orationis.*Sic ille.

Sed ego clarius Sic Respondeo, *Primò.* Si Mottetum,& cantus,sit indecens,vel ratione materiæ;quia est res profana;vel ratione soni, quia est laicus , vel valde sæcularis , vt solent esse *Theatrales moduli , & Cantica,* tunc Mottetum sic cantare,semper erit peccatum mortale (nisi aliàs materia sit leuissima,quia tunc veniale erit) quia est magna irreuerentia , & ideo prohibitus talis cantus *in dicto cap.Cantantes.*

Respondeo *Secundò.* Si Mottetum , aut alia , quæ cantantur,sint pia , & deuota , & Cantus grauis , & prouocans ad deuotionem , nullum est peccatum illa intermiscere partibus Officij diuini. Patet. Quia id nullibi est ptohibitum ; nec est per se malum , nec alienum à consuetudine Ecclesiæ , etiam primitiuæ : ergo.Sic Suarez *lib.4.c.13.n.16.*Filliuc. *tra.23.cap.6. qu.11.n.214.*Bonac.*disp.1.qu.3.pun.1.n.21.vers. Dixi in responsione.* Trullench *loc.cit.n.15.*

Qvæstio XXXII.

An, qui vtuntur Breuiario Romano , teneantur recitare,extra Chorum, Psalmos pœnitentiales, Officium Defunctorum, Litanias , Canticũ Graduum,& Officiũ paruum B. Mariæ ?

AFfirmandum videtur;eo quod in Rubricis dicti Breuiarij cauetur in aliquibus diebus esse dicendum Canticum Graduum;in aliis , Officium Defunctorum ; in aliis,paruum B. Mariæ &c.ergo ad id tenentur qui Romano Breuiario vtuntur. Ita tenet Sublinus Dominicanæ familiæ *in sum. verb. Horæ Canon.nu.11.*per hæc verba : *Quando igitur Officium B.Virginis dicitur secundum Ecclesiæ consuetudinem,ad illud tenentur , qui etiam ad Horas Canonicas tenentur* Tabiena *v.Horæ Can.num.11.*Hæc ille.

Sed vt certum Respondeo,Non teneri ad hæc recitanda,extra Chorum ; sed adimplere suam obligationem recitando solum Officium maius illius diei. Quia Pius V. Sic expressit in Bulla,quæ habetur initio Breuiarij.Sic ferè omnes. Legantur Suarez *lib.4. de Horis Can.c.13.n.13.& eodem lib.4.(non 6.*vt leges apud Trullench)*c.25.n.7.* Sanchez *lib.7.consil.cap.2. dub.27.n.1.&* 4. Bonac.*disp.1.q.3.pun.1.n.12.* (non 22.vt leges apud Palaum)Nauarr.*de Orat.c.10.à n.3.* Filliuc.*tra.23.c.6.q.10.& c.7.q.8.* Tamburin. *lib.2.in Decal.c.5.§.2.n.13.*Palaus *disp.2.pun.1.n.13.*Trullen. *lib.1.in Decal. c.7.dub.14.n.8.* Pellizar. *to.1.Man.Regul.tra.5.c.8.q.21.n.46.* Leander de Marcia *q.2.in 3. cap.Regul.*& alij.

Qvæstio XXXIII.

An saltem, recitantes,in Choro Breuiarium Romanum ; teneantur ad recitanda prædicta Officia in Ecclesiis , vbi nulla vnquam fuit consuetudo illa recitandi?

REspondeo adhuc vt certum : Non teneri. Quia obligatio dicendi dicta Officia etiam in Choro dictarum Ecclesiarum , simpliciter fuit ablata à Pio V.& sub consilio relicta:ergo.Sic omnes DD.præcipue nuper adducti. Legatur præcipuè Leander *qu.2. cit.concl.3.* ex cuius doctrina colliges , quod nos Religiosi SS. Trinitatis , qui , ex vi Regulæ , tenemur recitare,iuxta morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ,minime obligamur,adhuc in choro , ad Officium paruum recitandum. Imo nec potest introduci consuetudo, quæ ad id sub mortali obliget.

Qvæstio XXXIV.

An ad minus , teneantur dicere Officia prædicta in Choro illarum Ecclesiarum, in quibus ante Pium V. iam erat consuetudo illa dicendi?

REspondeo etiam vt certum:Teneri ad dicendum solum Officium paruum B. Virginis , eo modo, quo erat consuetudo;& secundum quod talis consuetudo obligabat. At vero nullo modo tenebuntur ad Psalmos Pœnitentiales,vel Graduales , vel officium Defunctorum ; licèt antea fuerat consuetudo hæc omnia Officia dicendi.Quia ita voluit Pius V.vt cõstat ex eius Bulla Sic etiã omnes DD.Legantur citati, *quæst.32.*præcipuè Suar.*c.25.n.8.* Qui bene aduertit, quod hæc immunitas à dicta obligatione,extenditur ad omnes,qui vti debent , vel de facto licitè conformãtur,Breuiario Pij V.in ritu recitandi:nã sicut suscipiunt onus ab ipso impositũ;ita etiã gaudẽt leuamine ab eodẽ concesso.Lege etiã Pellizarium, *vbi sup.* Qui

etiam notat, quod illi Religiosi qui, eo quod non vtuntur Romano Breuiario, ex consuetudine tenentur recitare prædicta officia in Choro, minime teneantur ad illa extra Chorum, si ei non assistant.

Qvæstio XXXV.

An omittens recitare Litanias in die S. Marci, & tribus diebus ante Ascensionem Domini, peccet mortaliter?

NEgat Diana 2.*p.tra.*12. *Resol.*42.referens pro se Carolum Macig. Vazquium, Molfesiumque. Quibus(*vbi infrà*)addimus Homobonum, Philibertum,& Machado:necnon ex parte Sancium.Et nunc rursus addo,Pellizarium *to.*2.*Man.Regul.tra.de Monial.c.*6.*n.*19.§.*Addo,& to.*1.*tra.*5.*c.*8.*sect.*1 *qu.*21.§. *Dixi,n.*47.& Verricellum *tract.*5.*qu.*6.*n.*135.Fundamentum eorum est,quiaobligatio recitandi Litanias, diebus prædictis,inducta videatur sub consilio, & ex deuotione,non autem sub præcepto.

Sed probabilius iterum Respondeo,Peccare mortaliter. Quia hæc specialiter præcipiuntur in eodem Breuiario Pij V. & ideo nullo modo intelliguntur comprehensa in eiusdem Bulla, quoad illam indulgentiam.Sic iam Diana *p.*4.*tra.*4.*Resol.*226.Lezana, Palaus Tannerus,Gauantus,Suarez, Bonac.Siluius, & Trullench, quos omnes citauimus pro hac parte, *par.*2.*tract.*6. *disp.*13.*q.*32. Quibus nunc addo Thomam Tamburin.*lib.*2.*in Decal.c.*5.§.2.*n.*13.quamuis dicat oppositum esse probabile. Filliucium *tom.*2.*tra.* 23.*cap.*7.*n.*243.Legatur Bonac. *disp.*1.*qu.*3. *punct.*1. (non 3.vt leges apud me in impressione Lugdunensi) *num.*13.

Qvæstio XXXVI.

An item peccet mortaliter, qui secunda die Nouembris,officium Defunctorum omitteret?

NEgarunt quidam, quos, tacite refert Molfesius *in sum. to.*1. *tra.*5.*c.*1.*n.*57. Quorum sententiam esse probabilem (licèt probabiliorem oppositam, aperte fateaturTamburin.*loc.cit.n.*14.vbi ait sic:*Probabilius est obligationem vrgere: quia tunc sunt pars Officij illius diei. Non vrgere tamen plures autumant, negantes illa ad Officij illius diei partem pertinere. Confirmant,quia Pius V. absolutè liberat Sacerdotes à priuata recitatione Officij Defunctorum. Quare si Rubrica illorum dierum nihilominus illud officium, & litanias imponat,quis vetat asserere, eam esse merè directiuam, non verò præceptiuam? Non possum à probabilitatis meta hanc sententiam excludere.*Ita ille.Iuuat etiam hanc partem Raphael de la Torre,quatenus dubiam illam iis verbis relinquit: *Aliqui dicunt, vtentes Breuiario Romano,teneri priuatè recitare, præter Horas Canonicas,officium Defunctorum,secunda die Nouembris. Item litanias cum precibus annexis, in die S. Marci, & tribus diebus ante Ascensionẽ, quia sic notatum est in Breuiario Roman. Sed an hæc additio, vt obligatoria in priuata recitatione admissa sit, dignum est examine, & quid consuetudo in hac re obtinuerit.*Hæc Raphael.

Sed,iterum,vt certissimum ferè Respondeo, Peccare etiam mortaliter. Quia certissimum fere est, quod officium Defunctorum sit pars Officij illius diei,vt bene Suarez *c.*25.*cit.n.*8. & 9.Bonac. *loc.cit. n.*12.*vers.Dixi in responsione.* Diana 4.*p.qu. vltima in calce operis,& p.*9.*tra.*7.*Resol.*29. & alij supra cit. de quo dubio egimus 2.*p.tra.*6. *disp.*13. *qu.*33. Nec distinctio Raphaelis, aliquid valet,cum Rubrica Breuiarij absolutè tam de bona, quàm deprauata recitatione agat.

Qvæstio XXXVII.

An, sit mortale, recitare Officium publicè in Choro Ecclesiæ latinæ;lingua Græca, vel Hebræa, aut vulgari veluti, Hispanica, aut Italica?

REspondeo vt quid certum: Esse mortale. Quia certè magna præberetur populo scandali occasio, si publicè in templo latino, Psalmi in lingua Græca,Hebræa, aut vulgari decantari deprehenderentur.Ita tenẽt Suarez *lib.*4.*c.*7.*n.*8.Qui bene id probat, loquendo de recitatione in lingua vulgari, Palaus *disp.*2.*pun.*2. *n.*14. Tamburinus *lib.*2. *in Decal. cap.*5.§.2.*num.*15. & 16.& omnes communiter. Qui idem dicunt, si priuatim, quacumque ex dictis linguis, Officium à latino recitaretur, intentione mutandi ritum, nam id & per se est graue, & grauiter prohibetur à Pio V.in sua Bulla.

Qvæstio XXXVIII.

An, etiam esset mortale, Officium diuinum.lingua vulgari,(v.g. Hispanica,aut Italica)priuatim,sine aliqua causa,recitare?

NEgant aliqui DD.sentientes,solum peccare venialiter,recitantes officium vulgari lingua,casu quo id fiat sine causa:secus alias. Quia officiũ diuinũ recitare,hac, vel illa lingua;nempe,Latina,vel Græca,vel Hebraica,vel quacumque alia vulgari, nihil interest quoad præcepti substantiam, quæ in significatione verborum consistit, & eadem est quacumque lingua: ergo quoad satisfactionem substantiæ præcepti, & restitutionis distributionem sufficienter satisfaciet, qui quacumque lingua recitaret. Solum igitur peccaret venialiter sic recitando,eo quod contra vsitatum Ecclesiæ morem id faceret. Sic Bonac. *disp.*1.*q.*3.*punct.*1.*n.*15. & Escouar à Corro *tract. de Horis q.*4.§.2.*n.*5.quos citat, & sequitur Diana *p.*9. *tract.*7.*Resol.*67. *vers. Limitanda*, licet postea, vers. *Quid ego sentiam*, se corrigat.

Sed longe probabilius Respondeo: Esse peccatum mortale etiam priuatim,& extra Chorum, Horas Canonicas lingua vulgari recitare; si id saltem sine causa fiat.*Quia*(inquit Diana *loc. cit.*) *qui lingua Italica, vel vulgari, diuinum Officium recitaret, licet satisfaceret præcepto recitandi, quia quoad substantiam omnia verba recitaret: peccaret tamen grauiter; quia sine dispensatione mutaret antiquissimum, & communissimum Ecclesiæ vsum: & ob hanc causam* Concl. Trident.*sess.*22.*c.*8. *& Canone* 9.decreuit, *vt Missa non vulgari lingua celebretur: & Iure optimo, Iudice librorum prohibitorum vsus Bibliorum vulgari lingua conscriptorum, interdictus est.* Sic Diana: & bene. Et etiam Baldellus *in Theolog. Morali tom.*2. *libro* 3. *disp.*21. *num.*23. Tamburinus *lib.*2. *in Decal. cap.*5. §.2.*num.*16.& apud illum,Suarez (*sic lege, non Sances*) *lib.*4. *capit.*7. *num.*8. & Bellarm. *lib.*2. *de verbo Dei capit.* 15. *&* 16. quos authores, non ita bene citat Palaus, qui magna ex parte hanc nostram tenet. Tenet etiam Sà *verb. Hora Canonica numer.*10.

mer. 10. his verbis: *Potest qui priuatim officium dicere lingua, qua velit vt Græca, aut Hebræa: Et si ego, vt vulgari dicat, non facile admiserim.* Sic ille Trullench. etiam *lib. 1. in Decal. cap. 7. dub. 14. n. 10.* Qui tamen male citat Bonacinam pro hac parte.

QVÆSTIO XXXIX.

An item sit mortale, officium diuinum, sine iusta interueniente causa, lingua Græca, vel Hebræa, priuatim à Latino, qui tenetur ad Breuiarium Romanum, recitari?

NEgat absolutè Diana, dicens, nec venialiter in hoc peccare his verbis: *Dico secundo. Recitando diuinum Officium, vel Psalmos, Hebraica, vel Græca lingua, etiam sine vlla causa, non solum satisfieri præcepto, sed etiam nullum committi peccatum. Ratio est: quia Sacræ Scripturæ semper habitæ sunt his linguis, non vulgaribus, nempe Hebræa, Græca, & Latina Sancti Apostoli, qui per totum terrarum Orbem, Sanctum Euangelium prædicarunt, his tantum tribus linguis scripserunt, cum tamen haberent donum linguarum. Recte itaque dixit Emman. Sà* verbo Horæ Canon. n. 10. *quod potest quis priuatim Officium dicere lingua, qua velit, vt Græca, aut Hebræa: etsi ego vt vulgari dicat, non facile admiserim.* Ita ille. Et ego. Hucvsque Diana *par. 9. tract. 7. Resol. 67.* Cui addo Lublinum *to. 1. sum. v. Horæ Canon. num. 18.*

Alij docent, non esse quidem mortale recitari à latino officium, etiam sine vlla causa, lingua Græca, aut Hebraica; esse tamen veniale: quia sine causa faceret contra consuetudinem Ecclesiæ latinæ. Ita Bonacina *disp. 1. q. 3. pun. 1. n. 15. vers.* Dixi. *Non peccare grauiter*, quem citat, & sequitur Tamburin. *lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 2. n. 17.* ita dicens: *Dixi*, ad aliquem bonum finem, *nam hoc non intercedente, merito docet Bonac. non vitari veniale: quia vtcumque, fit contra consuetudinem Ecclesiæ latinæ: quamuis quia est in re accidentaria, & de qua non valde laborare Ecclesia creditur, quando priuatim fit, leuiter solum erretur.* Ita ille. Necnon, & Mallet. *to. 1. Malleatione 30. Bractea 55.*

Sed ego probabilius Resp. Esse mortale, à latino, qui tenetur ad Breuiarium Pij V. seu Romanum, officium diuinum, lingua Græca, aut Hebraica, nulla interueniente iusta causa recitari. *Primo.* Quia, qui id sine causa faceret, verè censeretur (vt ait Palaus) Ecclesiæ Romanæ ritum, & morem paruipendere, cum illum suæ particulari deuotioni postponeret. *Secundo.* Nam (vt bene Baldellus) qui tenentur ad Breuiarium Romanum, & ritum Romanæ Ecclesiæ, omnino tenentur seruare formulam, & præscriptum illius: ergo negari non potest, quin sit magna audacia, & grauis culpa, si quis relicto idiomate Breuiarij Romani, recitet ex quouis alio Idiomate, sibi tantum bene viso. *Tertio.* Quia sicut non vacaret culpa graui, si quis ex proprio ingenio, & solum pro suo arbitratu, notabiliter in sacrificio Missæ, mutaret vestes sacras, quoad solum colorem, & formam: ita similiter, non vacaret, qui mutaret in Horis Canonicis solum idioma, & omnes terminationes, & sonos verborum, sic Baldellus *disp. 21. cit. n. 23.* Palaus *disp. 2. punct. 2. n. 14.* Trullench. *lib. 1. cap. 7. dub. 14. n. 10.* Qui tamen male citat pro hac parte, Bonacinam, vt vidimus.

QVÆSTIO XL.

An saltem vacaret culpa, etiam leui, si quis, interueniente iusta causa, recitaret priuatim, lingua Græca, aut Hebraica, Horas Canonicas.

REspondeo tanquam certum. Quod tunc vacaret omni culpa etiam leui: dummodo intercederet vrgens, & iusta causa. Quia id solùm, conuincunt rationes adductæ ab Authoribus primæ, & secundæ sententiæ, quæst. antecedentis. Sic ipsi à fortiori.

QVÆSTIO LXI.

An sit peccatum, longius in breuius officium permutare; vnumque pro alio, aduertenter recitare; occurrente iusta, & honesta causa?

AFfirmant nonnulli ex Doctoribus, quos lato calamo dedimus *2. p. tract. 6. disp. 13. q. 27.*

Sed ego vt probabilius iterum Respondeo, Non esse peccatum, adhuc veniale. Ratio est, Quia præceptum de recitando Officio, iam seruatur quoad substantiam, ergo si modus, hoc est, recitatio, iuxta formam præscriptam pro hodie, cum causa vrgente, & iusta, non seruetur, nullum admittetur peccatum. Sic tenent communiter Authores. Et in primis Sanchez *tom. 2. consil. lib. 7. cap. 2. dub. 25. n. 2.* his verbis: *Recitare semel, aut iterum, & raro mutando qualitatem Officij, absque causa, est tantum peccatum veniale, & ex iusta causa nullum est peccatum; vt si currat necessitas repentina studendi, vel prædicandi, vel legendi, vel recitandi cum ægroto, vel defesso, &c.* sic ille. Tamburinus *lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 2. num. 20. dicto 1.* Verricellus (licet cum formidine scrupulosa,) *in quæstionib. Moralib. tract. 5. q. 6. n. 134. p ag. mihi 315.*

QVÆSTIO XLII.

An ad minus, sit peccatum, & mortale, sponte, & absque vrgente causa, longius in breuius officium permutare; recitando v. g. de Sanctissima Trinitate, eo die, quo recitandum erat de Dominica, aut de Feria?

AFfirmant quamplurimi Doctores relati à nobis vbi supra *2. p. tract. 6. disp. 13. q. 27.* docentes absolutè esse peccatum mortale, sic officium sponte, & sine causa permutare, & ideo nec satisfacere præcepto.

Limitant tamen nonnulli hanc doctrinam, dicentes, omnino esse veram; nisi alias permutatio non fiat ex contemptu, aut officium permutatum sit æquiualens inquantitate, vel fere illius diei, aut si semel aut iterum id fiat; quia tunc, inquiunt, non esset mortale, sed veniale tantum. Ita Suar. Nauar. Rodriguez Sanchez & alij *ibi* citati. Quibus addo Tamburinum *loc. cit. n. 20.*

Sed probabilius iterum absolutè Respondeo. Esse peccatum sed non mortale, sed veniale tantum, sic absque vrgente causa, officium permutare. Quia, qui sic recitat, verè adimplet præceptum, quoad substantiam, licèt deficiat in modo, cuius defectus solum est venialis. Sic Siluester, Caiet. Armilla, Pedraza, Victoria, Metina, Sotus, & alij plures citati à nobis *loco citato*, Legantur *ibi* pro hac opinione adducta, & nouissimè Verricellus, qui *loco citato, numero 133.* Hanc tenet sententiam, & me

citato, noster Ludouicus 1.*p.examin. Theolog. Moral. tract.2.de Restitut.casu 6.n.13.& 14.p.136.*

QVÆSTIO XLIII.

An etiam liberaretur à mortali, qui, occurrente aliqua vrgentissima causa, recitaret priuatim de Resurrectione, ea die, qua, iuxta Rubricas Breuiarij, recitare debebat de Sancto aliquo aut de feria occurrenti?

NEgant communiter Doctores, docendo, minime posse liberari à mortali illum qui, adhuc vrgente qualibet causa, sic Officium recitaret. Quia omnino (inquiunt) deficeret in notabili Officij quantitate, imo & qualitate, & consequenter non satisfaceret plenè præcepto recitandi, & ideo peccaret mortaliter. Ita tenent authores *quæst. sequenti* referendi.

Sed certè probabiliter Respondeo dicendum, quod rectè possit quis in aliquo occurrenti casu, recitare Officium de Resurrectione, ea die, qua de aliquo Sancto, aut de feria recitare, iuxta Rubricas, debebat; absque incursu alicuius culpæ mortalis, imo nec venialis, sed potiùs cum magno merito.

Probo patenter exemplis. Nan in primis, si quis casu fortuito careret Breuiario Romano, & aliàs memoriter sciret officium de Resurrectione, non dubito quin satisfaceret præcepto recitandi, recitando de Resurrectionis officio. Imo potius credo ad id teneri sub culpæ grauis reatu. Probo hoc ex *supra dictis, quæst.21.* Nam casu, quo quis careat Romano Breuiario ad quod adstringitur, potest licitè, imo & tenetur recitare per aliud quodcumque approbatum, quod præ manibus habet, vt pro certo docuimus *loc. cit.* ergo similiter qui careret dicto Breuiario, & memoria haberet (quasi in alieno Breuiario) officium de Resurrectione, de illo recitare teneretur. Quia (vt bene *loco cit.*) præceptum iuris communis, quod de recitando officio datur, præualet præcepto cuicumque recitandi de hoc, aut de illo in particulari officio; ergo qui hoc, nequit adimplere, ad illud prius tenebitur.

Sit secundum exemplum. Si quis tota die equitaret, (quo tempore nequit vti Breuiario) & serò accederet tarde ad hospitium, nimis defatigatus, quapropter nequiret sine graui incommodo, recitare officium nouem lectionum, bene tamen trium, tunc, absque dubio, posset, imo & teneretur, ad illud officium, cum esset ex approbatis vnum. Patet, tum ex ratione nuper allata. Tum etiam: quia quis primo obligatur ad officium diuinum, & postea ad modum eius: ergo si modum non possit implere; bene tamen substantiam, ad id tenebitur: igitur demus, quod præfatus itinerans non posset sine graui incommodo recitare aliud longum officium, nisi id Resurrectionis breue, illud certè posset, & teneretur. Tum denique, quia satius est, quod quis recitet aliquod officium approbatum, & ad quod aliquo tempore, (nempe tempore Paschæ) tenetur, quàm nullum; quis hoc non videat: ergo satius erit in dictis casibus Officium de Resurrectione, quam nullum, recitare. Præterea, fatigatus nimis ab itinere excusatur, apud omnes, à præcepto Ecclesiastici ieiunij: ergo à fortiori excusabitur à minori obligatione recitandi determinatum Officium nouem lectionum, si nequeat sine graui incommodo illud recitare: ergo eius loco poterit recitare officium trium lectionum; ergo si potest, & hic nunc, tenebitur.

Rursus. Si quis infirmus sacerdos, non valeret Missam dicere de Dominica Palmarum, in ipsa die; valeret tamen dicere Missam breuiorem, nempe votiuam de Passione, aut de Cruce, absque dubio non solùm posset, sed teneretur, si aliàs non esset alius sacerdos à quo Missam audire posset: ergo similiter in casu, quo quis ob infirmitatem grauem non posset, sine nimio dolore, aut difficultate recitare officium longum nouem lectionum, aut de feria, posset tamen officium huiusmodi trium lectionum, posset, certè, imo, & teneretur, cum illo quoad substantiam satisfaceret præcepto. Sic à fortiori tenebunt DD. mox citandi.

QVÆSTIO XLIV.

An, Qui non frequenter, sed, rarò, recitaret absque vrgenti causa, Officium de Resurrectione, etiam esset immunis à peccato mortali?

AFfirmat noster Ludouicus à Conceptione in sua 1.*p.examinis Theolog. Moralis tract.2. de Restitut.casu 6.* vbi, postquàm *n.15.* cum Guiniparo Andrepano, dixisset, esse omnino falsum asserere, non mortaliter peccare illum, qui singulis diebus totius anni recitaret Officium Resurrectionis, eo quod verissimum illi est, peccare mortaliter illum, qui in Quadragesima, & Hebdomada Sancta (*quasi hæc, non includeretur in Quadragesima*) recitaret de Resurrectione. *Quia valde dissonum* (inquit) *est intentioni Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ tunc Domini Nostri Passionem repræsentat. Imo idem dico, si in Aduentu quis de Resurrectione recitaret. Si enim Ecclesia, his temporibus, Christi Domini Aduentum, & ipsius Passionem & mortem repræsentat, quis non videt, valde dissonare, tunc dicere:* Surrexit Dominus vere, Alleluya. *Vnde hoc, non ideo est mortale, quia parua (lege; quia magna) quantitas, formaliter loquendo, officio detrahatur; sed ob prædictam in significatione dissonantiam &c. Igitur post hoc ab illo vt certum, supposito, n.22.quærit, qualis, & quanta continuitas, vel consuetudo, iteratiove in recitando officio Resurrectionis Dominicæ, excuset à mortali, quando absque causa, factum contigerit? & Respondet, dicendo, hoc ex significatione, & ex temporis qualitate fore pensandum. Vnde à Paschate Resurrectionis, vsque ad Aduentum excluse, & à Natiuitate Domini, vsque ad Septuagesimam, qui recitaret bis in Hebdomada officium Resurrectionis (& excipio festa solemnia) non illũ ad mortale peccatum condemnarem, nec similiter ad restitutionem aliquã obligarem.* Hucvsq; noster Ludouic.

Sed vt mihi certum, Respondeo. *Primò*, dato, quod non sit mortale, recitare bis in Hebdomada officium Resurrectionis, ab illius Paschate, vsque ad Aduentum; & à Natiuitate Domini vsque ad Septuagesimam; nec erit tale profecto recitare toties in Hebdomada aliis temporibus, nempe in Aduentu, aut Qudragesima. Patet: Quia si id esset mortale, ideo foret, quia esset valde dissonum intentioni Ecclesiæ, quæ his temporibus Christi Domini Aduentum, & eius Passionem repræsentat, dicere: *Surrexit Dominus verè alleluya*: atqui dissonantia hæc non est ita grauis, vt constituat culpam mortalem in eo, qui priuatim, dictis temporibus, de Resurrectione recitaret: ergo. Minor probatur. Tum quia non dissonat recitare in Aduentu, & Quadragesima de officio Sanctissimæ Trinitatis, aut Corporis Christi adhuc publicè, in Choro, siquidem ex Iudulto Pontificis nobis, & aliis Religionibus id est permissum: ergo, à fortiori non ita dissonabit recitare priuatim

dictis

dictis temporibus, & Resurrectione, vt sit mortale; patet, quia ex parte dissonantiæ eadem est vtriusque ratio. Tum etiam, quia in Quadragesima recitat vniuersalis Ecclesia de Mysterio Incarnationis Domini, etiam si eiusmodi festiuitas incidat in Hebdomada Dominicæ Passionis, in quo nulla inuenitur dissonantia: ergo si aliqua inuenitur in recitando priuatim eo tempore de Resurrectione, omisso, *Alleluya*, non potest esse ita grauis, vt constituat reum culpæ mortalis.

Præterea, multoties, tempore Paschatis recitat etiam Ecclesia de dicto Incarnationis Mysterio, nec quid dissonat: ergo nec contra, recitare priuatim tempore Aduentus, aut Quadragesimæ, de Resurrectionis Mysterio, sic valde erit dissonum, vt sit mortale.

Deinde, omni tempore, exceptis nonnullis octauis, aut Hebdomadibus, aut diebus festis, dicuntur Missæ votiuæ de Sanctissima Trinitate, Sanctissimo Sacramento, de Spiritu Sancto, de Sancta Maria, &c. cum orationibus, Præfatiis, & aliis concernentibus ad dictas festiuitates, vt patet ex Missali Romano: ergo, si in hoc, nullum reperitur inconueniens; quid magni reperitur in priuata recitatione Resurrectionis? Igitur ex parte dissonantiæ temporum, minimè erit graue recitare in Aduentu, & & Quadragesima priuatim de Resurrectione: ergo, si absque graui culpa, posset quis, sine vrgente causa, recitare bis in Hebdomada per annum, de Resurrectione, ita & posset in aliis temporibus.

Respondeo, *Secundo*, si non est mortale recitare de Resurrectione, bis in Hebdomada, nec erit profecto recitare sæpius. Patet *Primo*, quia non est ratio cur bis liceat, & non ter, aut quater. *Secundo*. Quia, iuxta doctrinam nostri Ludouici, non ideo est mortale recitare de Resurrectione, quia magna quantitas officio detrahatur, sed quia magna est in significatione dissonanti officij, tali, vel tali tempore soluti: atqui hæc ratio non militat, si quis reciter per annum, (hoc est, extra tempus Aduentus, & Quadragesimæ) de Resurrectione; ergo si bis in Hebdomada, absque graui culpa recitari potest, tunc, poterit profecto similiter, ter, quater, & sæpius. *Tertio*. Quia dissonantia, quam facit recitatio officij de Resurrectione, in Aduentu, adhuc, vel Quadragesima, cùm fiat priuatim, non videtur excedere culpam venialem, vt constat ex nuper dictis, necnon 2. *p. tract. 6. disput. 13. quæstio. 27. & 28.* ergo eodem modo philosophandum est in his, ac aliis temporibus.

QVÆSTIO XLV.

An sit probabile dicere, solùm esse veniale, recitare, sine vrgenti causa, Officium Resurrectionis, eo die, quo iuxta Rubricas Breuiarij, recitandum erat de feria, vel de Sancto nouem lectionum?

NEgatiuam sententiam, nominatim contra Caramuelem, & contra me, tuetur Pradus *tom. 2. cap. 30. quæst. 7. à num. 1.* per hæc verba: *Quidam arbitrantur satisfieri præcepto, si data opera dicatur qualibet die Officium breuissimum totius anni; vt si dicatur, feria 4. Cinerum, vel feria 6. in Parasceue, aut Dominica in Ramis Palmarum, Officium Resurrectionis.* Ita Caramuel *in Reg. Diui Benedicti disput. 109. numer. 1387. & disp. 106. numer. 1438.* Cuius verba refert Diana *par. 7. tract. 11. Miscell. Resol. 7.* & licèt dicat, quod in praxi difficulter consuleret; tamen tandem cogitandum relinquit. Ex professo huius sententiæ probabilitatem obtrudere conatur Leander de Sanctissimo Sacramento *tom. 2. tr. 6. disp. 13. quæst. 18. (lege, 28.) per totam.* Quem etiam transcribit Diana *par. 10. tractat. 11. Miscell. Resol. 16. in medio.* Et adeo leuiter eum impugnat, vt videatur ei conuenire: ait namque; & hæc omnia dicta esse volo, secundum mentem supra dicti Leandri: nam ego iterum doceo opinionem, quam olim docui. Nullamque aliam proponit impugnationem.

Meritò tamen omnes, qui de hac positione mentionem fecerunt, eam *vt improbabilem* reiiciunt. Meminerunt autem non pauci. In primis S. Thomas *Quodlib. 3. art. 19. (lege 29.)* pro magno absurdo habet, quod in *tempore Paschali quis diceret Officium Dominicæ Passionis.* Similiter Soto, *lib. 10. de Iustit. quæstio. 5. art. 4. §. Per hæc*; & Nauarr. *de Orat. cap. 19. numer. 105.* Medina *lib. 1. Sum. capit. 14. §. 11. fol. 105.* Petr. Ledesma *tom. 2. Sum. tractat. 9. capit. 4. concl. 16. diffic. vltima*, & alij multi docentes, eos, qui sine Papæ dispensatione recitarent per Breuiarium Cardin. Sanctæ Crucis, non satisfacerent obligationi recitandi Horas Canonicas, non solùm postquam per Bullam Pij V. est abrogatum, sed etiam ante illam: quia propter nimiam breuitatem fraudebant Officium in quantitate notabili; quæ ratio, à fortiori in nostro casu vrget. Ita Pradus, qui, & citat pro hac parte Suarium, Filliucium, Dianam, Palaum, Raphaelem de la Torre & alios, ex quorum doctrina suam, sic, *num. 5.* probat.

Quia si quis Dominica v.g. Quadragesimæ in Ordine Prædicatorum, Officium Resurrectionis defraudaret in magna parte Officij, quæ ferè æquiualeret quatuor Horis, siquidem in Matutinis Quadragesimæ dicimus decem & octo Psalmos, & nouem lectiones, & in Prima, nouem Psalmi, & Symbolum Fidei *Quicumque, &c.* cum autem in Dominica Resurrectionis in Matutinis solùm dicantur tres Psalmi, & tres lectiones, & in Horis, solùm tres Psalmi, sine Hymnis, & versiculis, fere dimidium defraudatur officium; nullus autem Catholicorum ausus est dicere, quod per totam vitam defraudare medietatem Officij, est solùm peccatum veniale: illa ergo positio est falsa & impracticabilis.

Deinde, quia non licet, sine Papæ authoritate, quod obligati ad Horas Canonicas dicant Officium paruum B. Virginis, aut eius Rosarium, quando sciunt, & possunt Horas Canonicas recitare: & quemdam oppositum docentem audio merito punitum à Fidei Inquisitoribus. Et tamen magis est contra finem diuini cultus, quod in die Parasceues, vel in die Natalis Domini dicant Officium Resurrectionis, quàm quod quotidie dicatur Officium B. Virginis, aut eius Rosarium quindecim mysteriorum: quæ preces in quantitate ferè æquiualent Officio Resurrectionis: ergo magnum absurdum est admittere, quod satisfacit obligationi dicendi Horas Canonicas, qui per totum annum recitaret Officium Resurrectionis; siquidem quotidie recitare Officium paruum, vel Rosarij mysteria Ecclesia consueuit, & Pontifices hoc consulunt, & promouent magnis concessis Indulgentiis: quotidie autem recitare Officium Resurrectionis, est inauditum, & si publicè fieret, esset scandali materia, Hæc omnia Pradus. Sed an omnia bene, *infra* videbis.

Tenent rursus nouissimè hanc partem Pater Adamus Burghaber *centur. 1. casuum conscient. casu 16.* Vbi ait, oppositum nullam habere probabilitatem: Tum quia communis DD. contrarium docet. Tum,

quia hac Canonicarum precum immutatione, contra vniuersalem Ecclesiæ vsum, inordinatio committur ita grauis, vt opinio illa vniuersim inducens, nullo rationabili fundamento niti possit. Ita ille. Cui adde Patrem Tancredum, *de Relig. tract.* 13. *lib.* 4. *disp.* 11. *q.* 2. *n.* 15. quem etiam citat, & nouissime sequitur Diana *par.* 11. *tract.* 1. *Resol.* 26. probans hanc partem sic. *Quia officium Resurrectionis, est ita affixum illi tempori, & habet tantam mutationem à solita forma officiorum, vt quid peculiare videatur, non posse communi regula adiuuari: & ideo patet, nec posse tempore Paschæ Resurrectionis, dici officium Pentecostes, & è contra, quia illa forma in his diebus cum talibus Psalmis, Antiphonis &c. videtur de substantia. Et confirmatur. exemplo Missarum, nam aliquæ Missæ possunt dici infra annum, non autem Missa de Dominica Palmarum, de Feria III. & IV. Hebdomadæ pœnosæ, quia ita sunt illis diebus affixæ, & additæ, vt in aliis dici non possunt: ergo sic dicendum est de officio Resurrectionis.* Hæc Diana. Qui & citat Palaum, Tamburinum, Hermanum, Pellizarium, Serium, Hieronym. Garciam, Verricellum, & Paulum Vallejo, & alios.

Affirmatiuam tamen sententiam tenet expresse Caramuel, locis supra citatis, necnon nominatim contra Dianam, *in Theologia fundamentali, Fundam.* 53. §. 12. *n.* 1100. docens, quod ille, qui dedita opera, recitaret semper officium Resurrectionis, adimpleret præceptum diuini Officij, secundum substantiam, & deficeret quoad modum, & ideo peccaret venialiter, non mortaliter. Imo addit, viros occupatissimos, licitè, & laudabiliter id facere posse.

Probat hanc suam sententiam. *Primo* quia qui de Resurrectione recitat, verè implet substantiam præcepti: ergo non committit in recitatione culpam mortalem.

Respondet huic argumento Adamus Burghaber, *vbi supra*; negando quod per talem recitationem impleat substantiam præcepti: quia (inquit) officium Paschale, moraliter non æquiualet officiis aliis per annum. Sed certè nequit negari, nisi probabiliter solùm, quod antecedens argumenti Caramuelis sit probabile: quia tale esse, & ex ratione, & authoritate probauimus 2. *parte loco citato* legantur, *ibi* dicta.

Secundo probat Caramuel, ex praxi virorum Doctorum & piorum, inter quos connumerat sapientissimum, & piissimum maximumque Suarium, quem singulis diebus de resurrectione recitasse, autumat, & ratiocinatur. Certè, si hoc factum probaret verum, hic Author, probaret certè efficaciter hanc partem esse probabilem, & mihi valde profecto. Sed pro dolor! quod verum esse, constanter negant ex Societate Iesu, eius Doctores. Pellizarius *tract.* 10. *de Monialib. cap* 6. *n.* 17. *Monito* 2. *& tom.* 1. *Manual. Regul. tract.* 5. *cap.* 8. *q.* 11. *n.* 73. *&* 74. Adamus Burghaber *centur.* 1. *casuum conscient. casu* 16. vbi ait fabulosum esse, quod hic author de Suario refert.

Tertio probat Caramuel. Quia licitè, aut saltem absque mortali, potest quis dicere officium alicuius sancti loco ferialis, vt etiam nos, cum Diana *tom.* 2. *tract.* 12. *Resol.* 3. & aliis vsque *ad* 16. Doctores vt fatetur Pellizarius *tom.* 3. *cit. tract.* 10. *de Monial. cap.* 6. *n.* 17. *Monito* 2. docuimus, 2. *p. tract.* 6. *disp.* 13. *q.* 27. ergo absque mortali, poterit & Resurectionis.

Respondet Adamus lo. cit. *Primo.* Quod multi valde probabiliter negant antecedens, sed hoc ego libenter admitto; sed quid inde? Nonne est probabile oppositum? affirmant omnes ferè. Ideo *Secundo* respondet, negando paritatem: quia in mutatione prima officij moraliter adhuc seruatur præceptum; non vero in officio Resurrectionis. Sed certè adhuc hæc responsio non excedit metas probabilitatis. Negari enim probabiliter potest, quod in recitando officio Resurrectionis, non seruetur præceptum quoad substantiam, adhuc moraliter, vt ex à nobis dictis 2. *p. lo. cit.* constat. Vnde.

Ego iterum Respondeo dicendum, quod, vel probabile sit dicere, solum esse veniale communiter, & regulatiter loquendo, recitare, sine vrgenti causa, officium Resurrectionis, ea die, qua iuxta Rubricas Breuiarij, recitandum erat de feria, aut de sancto; vel non sit probabile, quod possit quis, absque mortali, dicere officium alicuius Sancti, loco ferialis. Hæc responsio probata manet & satis, 2. *par. tract.* 6. *disp.* 13. *q.* 28. & eam docet Suarius, *ibidem* citatus. Qui apertè negat probabilitatem huius vltimæ propositionis, ne cogatur concedere probabilem esse primam. Ita etiam cum Suario sentit Palaus *to.* 2. *disp.* 2. *pun.* 2. *in fine*, vt hæc eius verba dicunt. Ait enim sic: *Item, si verum esset te tantum esse obligatum recitare, secundum quamlibet formam Breuiarij Romani, & non secundum formulam contingentem quolibet die, satisfaceres officio recitandi, si officium dicas de Resurrectione quolibet die quadragesimæ, Dominicæ per annum: Consequens autem durum videtur, cum totum illud officium, non æquiualeat matutinis precibus alterius diei.* Huc vsque Palaus. His Doctoribus addo etiam Pellizarium *tom.* 1. *Man. Regul. tract.* 5. *cap.* 8. *q.* 11. *n.* 74. vbi apertè docet, concessa prima propositione nostræ responsionis, necessario concedendam esse secundam. Ita enim fatur: *Quod autem probabilius sit, mutationem officiorum, communiter non excusari à peccato mortali, probatur: Tum, quia Ecclesia non præcipit sol umrecitationem officij in genere, sed etiam in particulari, nimirum, vt tali die, tale officium recitetur: tum quia alias posset quis toto anno dicere officiũ Resurrectionis,* &c. sic ille: igitur ex discursu istorum trium Doctorum, eorumque assensu, clare sequitur, quod vel probabile sit, solum esse veniale communiter loquendo, recitare sine vrgente causa, de Resurrectione, eo die, quo recitandum erat de feria, aut de Sancto; vel non sit probabile, quod possit quis absque mortali recitare communiter loquendo de aliquo sancto, illa die, quo erat recitandum de feria, aut de Dominica nam, quasi per euidentem consequentiam, vnum ex alio sequitur, vt bene argumentantur citati Authores.

Nec obstant quid, argumenta, quæ contra nos congerit Pradus; quia si quid obstarent, debebant ostendere clarè, nostram doctrinam esse improbabilem, quod certè non faciunt, vt facile demonstrabimus.

Ad *Primum* ergo desumptum ex authoritate S. Thomæ, *quodlibeto* 29. (non 19. vt leges apud ipsum Pradũ) vbi ait; *absurdũ esse, tempore Paschali, dicere officiũ Dominicæ Passionis*; Respondeo, quod per verbũ *absurdum*, intelligat, *incongruum*; ac si diceret, incongruum esse, tempore Paschali, Officium Resurrectionis dicere. Hoc euidenter patet, ex contextu Articuli, vbi S. Doctor sic loquitur: *Rationabiliter enim institutum est, vt diuersimodè Deus laudetur secundum congruentiam temporum, & locorum; & ideo sicut in officiis diuinis exoluendis, obseruanda est congruitas loci, ita etiam congruitas temporis, quæ quidem obseruari non posset si oporteret iniungere omittenti, quod Horas diceret, quas omisit. Fortè enim in Completorio diceret.* Iam lucis orto sydere, *& in tempore Paschali diceret officium Dominicæ Passionis quod esset absurdum, & ideo non videtur esse iniungendum ei, qui omisit diuinum Officium, quod Horas easdem repetat; sed aliquid ad diuinam laudem pertinens, putà vt dicat septem Psalmos, &c.* Hucvsque D. Thomas. Ex quibus verbis

luce

luce clarius constat verbum, *absurdum*, sumi à Sancto, pro *incongruo*.

Quod euidenter confirmo ex mente eius Sancti. *Primo* quia eodem modo loquitur Sanctus Doctor de congruitate loci, vbi exoluendum est Officium Diuinum; ac de congruitate temporis: atqui nullus damnauit mortali illum, qui in loco indecenti priuatim Officium Diuinum dixit, vt diximus 2. *p. tract.6. disputat.13. quæstio.26.* ergo nec damnauit Sanctus mortali illum qui in incongruo tempore diceret.

Secundo. Quia, qui tempore Completorij diceret Primam cum Hymno, *Iam lucis orto sydere, &c.* minimè peccaret mortaliter, vt omnes Doctores, nullo excepto, fatentur: ergo nec qui tempore Paschali diceret Officium Dominicæ Passionis, patet consequentia, quia eadem est in vtroque casu, incongruitas temporis, vt apertè fatetur S. Doctor.

Tertio, si quis, iniunctam sibi pœnitentiam recitandi Officium de Dominica Passionis, quod omisit, adimpleret, tempore Paschali, minimè peccaret mortaliter, vt est notum, & euidens: & tamen dicit S. Thomas, quod esset absurdum: ergo ly *absurdum*, in prædicto casu, (de quo loquitur ipse Sanctus) quasi incongruum debet accipi.

Ad secundum dicendum, quod ille, qui in die Dominica per annum, aut Quadragesimæ, recitaret Officium Resurrectionis, defraudaret quidem magnam partem Officij, quod, iuxta Rubricas Breuiarij debebat recitare, non tamen Officij, quod recitat, cum integrè illud dicat; quod sufficit, vt adimpleat præceptum quoad substantiam, licet deficiat quoad modum, ac proinde venialiter solùm, etiam casu, quo sæpissime per totam vitam de Resurrectione recitet: quia ex hoc solùm colligi potest, quod plura committat venialia,

Ad Tertium libentissimè concedo, quod obligati ad Horas Canonicas, non possint, sine Papæ authoritate, dicere loco earum, Officium paruum B. Virginis, aut eius Rosarium: nego tamen consequentiam, nempe, quod non possint absque mortali, dicere Officium Resurrectionis differentia namque est clarissima, & adeò, vt valde mirer illam non vidisse Pradum. Officium enim paruum Beatæ Virginis, non est Officium concessum à Pontifice ad satisfaciendum, adhuc semel in anno, præcepto recitandi: benè tamen Officium Resurrectionis, vt constat ex Breuiario Romano, à quo est concessum per totam Resurrectionis Octauam: & ideo poterit quis multoties, sine mortali, illud recitare, & adimplere præceptum quod ad id habet; non verò Officium paruum, B. Virginis, & minus eius Rosarium etiamsi hæc recitantibus, concessæ sint magnę Indulgentiæ; nam id ad propositum, valde per accidens est, vt clarum est videnti. Addo ad superabundantiam sententiam Sapientissimi Emanuelis Sà, *verb. Horæ Canonicæ num.3.* concedentem id, quod adeo difficile videtur Prado: ait enim Sic: *Qui nescit recitare officium dicat saltem Rosarium, seu Coronam, vt vulgo appellatur.* Sic ille.

Ad Argumenta autem Adami Burghaberi, & Dianæ, Respondetur ad Primum, negando, oppositam sententiam nullam habere probabilitaem; habet enim aliquam; cum habeat aliquos Authores pro se; necnon, & rationes satis probabiles, quæ videri possunt apud me 2. *p. tract.6. disp.13. q.28.* ad quas minime respondet Prado, quod debuerat euidenter illas falsitatis conuincendo, vt sic merito dicere posset, nostram sententiam esse falsam, & impracticabilem: sed non facit solum; (quod est facile) dicit.

Ad secundum dicendum, quod Officium Resurrectionis, ita est affixum illi tempori, sicuti Officia Pentecostes, & Sanctissimæ Trinitatis, & Assumptionis, &c. sunt suis temporibus affixa, plus minusve, & ideo sicut de his festiuitatibus potest quis recitare tempore feriali, sine vrgente causa, solùm admittendo veniale; & vrgente, absque illo; ita & poterit de Resurrectione. Verum est, quod grauius peccaret, qui de hac festiuitate officium, diceret, sed hoc intra limites venialis.

Ad Confirmationem de Exemplo Missarum, Respondeo *Primo*, illo ad summum probari, non posse absque graui culpa, dici Officium Resurrectionis in Dominica Palmarum, & reliquis huiusmodi hebdomadæ feriis, quod omitto. Quia nos non dicimus, quod possit quis, absque culpa graui, recitare de Resurrectione, omnibus diebus, nullis exceptis, nam de hoc nolo habere quæstionem; sed posse communiter loquendo, sæpe sæpius, quocumque tempore anni, nempe. In Aduentu, Quadragesima, & Post Pascha. & Pentecostem, de Resurrectione, sine incursu mortalis recitare. Quod certè infirmat Acacius March. de Velasco xe Dominicana inclyta familia, quatenus solũ damnat de mortali illum qui toto anno de Resurrectione recitaret, his verbis: *La sentencia de Caietano, no se atreue à negar Soto, y io la tengo por la mas probable: pero no me atreuo à admitir sin peccado mortal, que se pueda todo el ano reçar el officio, como se reza en el tiempo Paſqual en nuestra Religion de Predicadores, con solos tres Psalmos, y tres leciones en Matines, &c.* Sic ille *tom.2. Sum. verb. Horas Canonicas Resol.58. num.5. Secundo*, Respondeo dando antecedens & negando consequentiam. Disparitas est, quod Missa ex se est publicum opus, non ita recitatio (de qua disputamus) vt ad aliud propositum ait Tamburinus *lib.2. in Decalog. §. 2. num.19.* Deinde Missæ de Dominica Palmarum, de Feria *III. IV. & V.* Imò & de Sabbato hebdomadæ Sanctæ ita habent aliquid speciale, & peculiare affixum dictis diebus, vt constat ex contextu illarum; quod non possint dici absque mendacio in aliis diebus, nisi omittendo aliqua verba, seu orationes, & addendo alia, quod est magnum inconueniens: quod minimè reperies in recitatione de Resurrectione; nam de illo sicuti habetur in Breuiario recitari potest; omisso *Alleluya*, tantum, si id in Quadragesima fieret.

Igitur, Iterum quod *par.2.* dixi, repeto, & dico, quod ego in facti contingentia, non auderem, Officium Resurrectionis, sine causa vrgenti, recitantem lethali culpa damnare (bene tamen veniali, quod sufficit, vt quis à recitatione tali abstineat) nec consilium præberem cuipiam, nisi casu, quo, vel causa valde vrgeat, vel scirem, quod alias nullum Officium recitaret. Melius est, ac securius, aliquod Officium, etsi breue, recitare, quàm nullum.

QVÆSTIO XLVI.

An Qui inculpabiliter, aut ex negligentia inquirendi, recitauit vnum Officium pro alio; teneatur sub culpa, saltem veniali, repetere?

NOn teneri, repetere, apertè docet Angelus Maria Verricelli *in qq. Moral. tract.5. quæst.6. n.132.* citans Suarium pro se, his verbis: Qui inculpabiliter recitauit vnum Officium pro alio, aut ex negligentia inquirendi, nullum peccatum admittit, si non repetat: nam non est intentio Ecclesiæ cum tanto incommodo obligare ad certum Officium. Suarez

de

de Religione tom.2. lib.4. cap.23. Hæc Angelus Maria. Qui certe non bene omninò citat Suarium pro se, vt docent hæc eius verba: ait enim *loc. cit.n.15.* Sic: Deinde, quoties hæc mutatio fit ex inaduertentia, quamuis non sit inuincibilis, sed culpabilis, non videtur culpa grauis; nec tenetur quis iterum Matutinum repetere, vel quid simile: quamuis si Officium omissum, esset notabiliter maius, necessarium videatur, aliquam compensationem facere, si potest intra eundem diem, vt si pro Matutino Dominicæ dictum sit Officium Sancti, deberent addi, saltem ex nocturnis Dominicæ, nouem Psalmi, ne tanta pars Officij omitteretur. In aliis verò casibus ordinariè iactura est leuis, & ideo, si mutatio iam inuenitur inaduertenter facta, & culpa leuis censenda est, & non manet obligatio illam emendandi cum nouo graui onere (*intellige, incommodo*) Hucvsque Suarez. Qui vt vides, licèt dicat, non manere in dictis casibus, obligationem repetendi Officium; addit tamen, manere aliquando addendi aliquos Psalmos, &c.

Sed clarius & probabilius, Respondeo. In dictis casibus, licèt possit interuenire quandoque culpa leuis, orta ex negligentia inquirendi Officium, vt in hoc benè Suarez; non tamen tenetur quis adhuc sub leui culpa, repetere Officium, vt probat ratio Angeli, nec addere Psalmos quosdam, vt putat Suarez, casu quo Officium omissum fuerit Dominicæ; quia re vera integrum Officium Breuiarij recitauit, nec quidquam ei defuit.

QVÆSTIO XLVII.

An ille, qui ex errore, de festo duplici, aut semiduplici, die proprio non recitauit; possit de eo recitare, prima die non impedita officio nouem lectionum?

NEgant aliqui Doctores docentes, debere omittere eo anno, dictum Festum duplex, vel semiduplex. Ratio est. Quia onus Officij est alligatum illi diei: euolante ergo die, euolat & onus. Deinde quia aliàs perturbaretur nimis sæpe ordo Breuiarij. Ita Quintanaduennas *tom.1. tract.8. singul.9.* quem citat, & sequitur Thom. Tamburinus *lib.2. in Decal. cap.5.§.2.num.29.* Tamen addunt probabile esse, & tutum, posse, dicto die non impedito, recitare de Sancto omisso, qui & probãt ratione mox adducẽda.

Sed probabilius, Respondeo. Non solùm posse; sed ad id teneri. Probatur vtraque pars nostræ assertionis, ratione, quam adducit Tamburinus ad probandam primam. Quia Sancti, & de illis Recitantes, habent ius ius, vt recitetur eiusmodi Officium duplex, vel simiduplex in eo anno: ergo non sunt eo priuandi, sine vlla sua culpa, atqui priuarentur, si de illis non diceretur in toto illo anno Officium: ergo non solùm potest, qui ex errore, die proprio, de illis non recitauit, sed tenetur, ne lædat illorum ius, alio die non impedito, recitare.

Confirmatur, Ex solutione argumentorum in contrarium. Ad primum enim dicendum, verum esse, quod onus Officij sit alligatum illi diei; sed non ita, vt non possit transferri, quando dies est impedita; vt constat ex Breuiarij Rubricis: atqui in nostro casu, obliuio, aut error, est impedimentum, ne recitetur de tali Sancto, proprio die: ergo, eo ablato, debet recitari alio die non impedito, vt sic Rubricæ obseruentur Breuiarij.

Ad secundum negandum est, quod ex hoc Breuiarij ordo, aut eius Rubricæ turbentur; quia potius obseruantur, si officia omissa, recitentur, vt constat ex Rubrica de Translat. Testatorum, & praxi Ecclesiæ. Sic sentit clare Trullench. *lib.1. in Decal. cap.7. dub.14. num.11. in fine.* quem citat, & sequitur Pellizar. *tom.1. tract.5. cap.8. sect.2. quæst.11. num.74. vers. Quæri potest hic.*

QVÆSTIO XLVIII.

An, Qui contra, hodie ex errore recitauit de Festo de quo debebat die sequenti recitare; possit proprio die sequenti, iterum de illo recitare?

AFfirmant aliqui. Eo quod Festum possidet proprium Officium eo die: ergo non debet omitti propter errorem ante factum, die præcedenti. Confirmatur, quia absonum esset, dum omnes recitant de Sancto, de Feria, vel de Sancto simplici recitare: ergo potes de illo iterum die proprio recitare. Ita Quintanaduennas, *loco citat. singul.5.* quem citat, & videtur sequi Tamburinus *loco citat. quæst.5. num.30.* quamuis dicat oppositum non esse improbabile. Tenet etiam Villalob. *1.p. tract.24. diff.13. num.3.* & Pellizarius *loc.cit. vers. Dubitari hoc loco.*

Negant verò alij, dicentes, non posse iterum de illo Sancto in suo proprio die recitare; sed debere tali die priuatim recitare illud Officium, quod deberet recitari, si tale festum non esset. Ratio est. Quia inusitatum est bis de eodem Sancto idem Officium recitari: & præcipuè cum iam Sancto factum sit satis per illam veluti anticipatam solutionem: vnde licèt Sanctus possideat contra alios, non tamen contra me, qui iam solui: & licèt sit absonum, si hoc fiat in Choro vel Missa (vbi sic fieri certè negandum est) non est absonum si fiat priuatim. Et id esse probabile apertè fatentur Tamburin. & Pellizarius.

Sed multo probabilius, Respondeo. Non solùm posse vt ait prima sententia: verum etiam teneri. Quia, re vera, Festum habet ius, vt de eo die proprio recitetur: atqui hoc ius non amisit, ex eo quod quis ex errore de illo iam (forte & culpabiliter) recitauerit: ergo tenebitur iterum proprio die de dicto festo recitare, vt suum ius illi tribuat, ac reddat. Confirmatur hæc nostra responsio, argumentis factis pro sententia prima; nam re vera illam omnino probant.

Nec obstant argumenta eorum, qui oppositum docent. Nam ad primum, Dicendum est primo, quod non est omnino inusitatum in Ecclesia vt bis de eodem Sancto idem Officium, in eodem anno, dicatur; vt constat de Sanctis illis qui cum Octauis recitantur: ac de illis, qui ex priuilegio Apostolico, semel in Hebdomada, aut mense celebrantur. Secundo, quod non est vsitatum, vt bis de eodem Sancto, consulto, ac scienter, & sine indulto, idem Officium dicatur: bene tamen quando semel per errorem contingit.

Ad secundum, negandum est, quod per recitationem illam anticipatam, factum fuerit satis Sancto, quasi per anticipatam solutionem: quia tunc non habebat Recitans debitum de illo recitandi, cum nec Sanctus haberet adhuc ius, vsque ad proprium diem venientem; vt de illo Officium diceret: Debet igitur iterum proprio die de dicto Sancto recitare, vt soluat debitum, quod tunc contrahit, per ius, quod ad id Sanctus habet. Confirmo nostrũ dictum,

dictum, ex concessis ab Authoribus secundæ sententiæ. Quia absonum esset dicere aliam Missam eo die, quo recitatur de Sancto: ergo & Officium: quia hæc sunt correlatiua, & correlatiuorum, idem est iudicium: ergo, &c.

QVÆSTIO XLIX.

An, qui per errorem Matutinum recitauit, v.g. de feria casu, quo recitandum erat de duplici; teneatur, dum aduertit, prosequi Officium inceptum; aut recitare, omisso Matutino, reliquum Officij duplicis, quod recitare debuerat?

AFfirmare posset quis, teneri, aut saltem posse, prosequi Officium inceptum recitando Horas congruentes Matutino, & Laudibus Feriæ, quamuis de illa per errorem recitatis. Quia maior pars debet trahere ad se minorem. Ita Quintanaduennas *singul. 5. cit. num. 4.* cui addo Caramuelem *in Regul. D. Bened. disp. 1403.* quatenus docet, peccare mortaliter illum, qui recitat Matutinum v.g. de Sancto, & Horas Canonicas de Feria, eo quod tunc non recitet Diuinum Officium à Sede Apostolica approbatum; sed duo semiofficia. Ita Caramuel quem refert Diana *p. 7. tract. 11. Resol. 11.* qui nec approbat, nec reprobat eius sententiam.

Sed longe multo probabilius, Respondeo teneri ad recitandum reliquum Officij festi duplicis, quod legitimè recitare debuerat: omisso Matituno & Laudibus Feriæ, quod repetere non tenetur, vt ex supra dictis constat. Probatur *Primo*: quia vbi comprehenditur error, ibi corrigendus est. *Secundo*: quia prosequi inceptum Officium Feriæ, esset prosequi errorem, & illum approbare. *Tertio*: quia semper est melior conditio possidentis: at in præsenti casu, possidet ius Officij duplicis, non Feriæ à te per errorem recitati: ergo. Sic omnino Tamburinus *lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 2. num. 31.* cui addo Pellizarium *tom. 1. Man. Regul. tract. 5. cap. 8. quæst. 11. numero 74. vers. ex quibus infero.* & Tancredum *disp. 11. quæst. 1. num. 12.* Qui bene respondet Caramuelis argumento, negando antecedens, eo quod illa inuersio seu mutatio non sit substantialis, cum non fit contra substantiam Officij quod Nocturni dicantur de Feria.

QVÆSTIO L.

An, Sacerdos, hodie sub vesperas Madridi existens, vbi dies currit Feriæ, aut duplicis communis, cras perrecturus Complutum, vbi celebrabitur Festum Sanctorum Iusti, & Pastoris; possit hoc sero Madridi recitare primas vesperas, & Matutinum Sanctorum Iusti, & Pastoris?

AFfirmat posse, sed non obligari Thom. Tamburinus *loco citat. num. 25.* Quia cum cras (inquit) sit futurus peregrinus in Compluti oppido, poterit vesperas, & Matutinum recitare (sed non sub obligatione) & cras Officium Sanctorum Iusti, & Pastoris prosequi quoad Horas. Nam cum Officium hoc vespertinum sit pars Officij crastini, non est improbabile, posse illud anticipatè, tanquam pertinens ad diem crastinum, licite à prædicto Matritensi Sacerdote persolui. Ita Tamburinus in substantia, cui addo Pellizarium *loc. cit. n. 75.* (quem citat, & sequitur Tancredus *disp. 11. q. 1. n. 1.*) & Dianam ex vtroque *p. 11. tract. 4. Resol. 45. in fine.*

Sed probabilius, Respondeo. Non posse. Quia Tertia, seu duplex minus, habet hodie ius, vt de illo fiat Officium, non Festum Sanctorum Iusti, & Pastoris: ergo non de his, sed de illis est dicendum Officium. Confirmo hanc partem, ex dictis à nobis *in 3. tract. 5. disp. 2. q. 25.* vbi probabilius esse probauimus, quod ille, qui discedit mane è loco vbi est ieiunium, peruenturus vespere ad locum in quo non est, minimè possit antequam discedat ientaculum sumere: quia pro tunc in illo loco vrget ieiunij præceptum: atqui in nostro casu, etiam vrget præscriptio, ordo, seu (vt ita dicam) præceptum Breuiarij recitandi hodie de feria, seu de duplici, quod Madritum celebrat: ergo etiamsi cras peruenturus sit Sacerdos Matritensis Complutum, nequibit de Sanctis, qui inibi celebrantur, dicere hoc sero Vesperas, & Matutinum de illis.

QVÆSTIO LI.

An, dato, quod in præassignato casu, Sacerdos Matritensis percurrerit Matutinum Feriæ, seu duplicis, hodie; & manè accedat Complutum, vbi celebratur Festum Sanctorum Iusti, & Pastoris; possit tunc reliquum Officij, recitare de Festo horum Sanctorum, & non Feriæ, seu duplicis, de quo Matutinum dixit?

AFfirmat, posse æque vtrumque Tamburinus *loco citato. Nam si recitabit* (inquit) *de Feria, aut de duplici, se conformabit cum Officio à se legitimè incepto. Si de Sanctis, se conformem reddet loco. Vtrum ex his melius, in priuato Officio non discerno, ideo quod mauis, gere: nam Missam, & Horas in Choro, quia sunt publica de Sanctis sunt celebranda.* Sic ille, in substantia.

Sed probabilius, Respondeo dicendum, quod in dicto casu, melius faciet prosequendo Horas Feriæ, seu duplicis, de quo dixit Matutinum, (imò & vesperas,) quàm assumendo illas Sanctorum Iusti & Pastoris. Tum quia Feria, seu duplex, de quo Sacerdos dixit Mututinum, possidet; & melior est conditio possidentis. Tum quia adhuc postquam Sacerdos peruenerit Complutum, potest se non conformem loco reddere; ergo liberum, non necessum, de Sanctis recitare: ergo melius faciet si se Officio à se legitimè incepto se conformet; ergo melius recitando reliquum Officij de Feria, &c.

QVÆSTIO LII.

An, Qui recitauit Officium de aliquo Sancto, teneatur adhuc iterum recitare illud in alio loco, vbi tale Officium translatum est, & vbi ille habitare incipit?

REspondeo, Non teneri: sed tamen posse. *Primum* patet: quia iam semel Diuini Officij pensum solutum est illi Sancto: ergo ad nil amplius tenetur. *Secundum* etiam constat ex dictis: Quia licitum est illi se conformem reddere loco, in quo habitare iam cœpit. Sic Pellizar. *n. 75. citato, vers. Accedit.*

QVÆSTIO

Qvæstio LIII.

An, peccaret mortaliter, qui Officium de Sancto conceſsum, ſub ritu ſemiduplici, recitaret ſub duplici?

AFfirmat Lezana *in Sum. tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 20. Quia (inquit) Pontifices, qui præcipiunt vti aliquo Breuiario, non ſolùm præcipiunt ſubſtantiam Feſtorum, ſed modum etiam, & formam, quibus celebranda ſunt.

Sed probabilius certè, Reſpondeo. Non peccare mortaliter, ſed venialiter tantum. *Primo*: quia leuitas materiæ à mortali excuſat. *Secundo.* Quia ſi (vt ſupra eſt habitum) probabilius eſt, quod mutare Officium pro Officio, adhuc ſine vrgente cauſa, ſolùm eſt culpa venialis: à fortiori mutare Officium ſemiduplex ritu duplici, non erit niſi venialis: patet, nam in hac mutatione longe minor interuenit deformitas; cum recitetur de eodem Sancto, & ideo mutatio non ſit tanta. Sic Pellizarius *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *ſectio.* 2. *num.* 76. (non 70. vt legi apud Dianam) Tancredus *de Religione tract.* 3. *lib.* 4. *diſp.* 12. *quæſtio.* 1. *num.* 1. quos citat, & ſequitur Diana *par.* 11. *tract.* 4. *Reſol.* 45. Qui addunt, idem dicendum eſſe, caſu, quo talis mutatio fieret in Choro, dum abſit ſcandalum, quod rarò contingere poteſt.

Qvæstio LIV.

An ſaltem peccaret mortaliter, qui recitaret Officium alicuius Sancti ſub duplici ritu, quando debebat ſub ſimplici?

AFfirmat, & à fortiori, Lezana, & in hoc caſu alij, apud Dianam *loco cit. verſ. Nec dicas.* Quia mutatio eſt valde maior.

Sed adhuc probabilius, Reſpondeo: Non peccare adhuc, niſi venialiter, (licèt grauius eo quod mutatio ſit maior) quia ſemper verſatur intra limites materiæ leuis. Sic Pater Tancredus, *loco citato*, & Diana. Quia idem dicendum putant è contra, caſu, quo quis recitaret ſub ritu ſemiduplici Officium, quod conceſſum eſt ſub duplici. Et bene cum contrariorum eadem ſit ratio.

Qvæstio LV.

An, Capellani Monialium poſsint celebrare Miſſas de Sanctis particularibus eorundem ordinum, quos ipſæ proprio ritu celebrant?

REſpondeo, Poſſe, & debere (licèt ex Miſſali proprio, quo ipſi legitimè vtuntur) Ratio eſt. Quia Capellani debent ſe conformare cum ſolemnitate, qua Moniales (quibus inſeruiunt) ſuos Sanctos celebrant. Sic Thom. Tamburin. *Opuſc. de Sacrif. Miſſæ libro* 2. *capite* 6. §. 2. *numero* 7. *& libro* 2. *in Decalog. capite* 5. *numero* 32. *quæſtio* 7. Quintanaduennas *tom.* 1. *ſingul. tract.* 8. *ſingul.* 7. Prado *tom.* 2. *cap.* 30. *quæſt.* 7. *num.* 69. *&* 75.

Qvæstio LVI.

An item, licitum ſit dictis Capellanis, priuatim de prædictis particularibus Sanctis recitare?

NEgant aliqui, quos videtur ſequi Prado *loc. cit. n.* 75. & quidem probabiliter. Sed nihilominus, Probabilius, Reſpondeo licitum eſſe. Quia, quoad fieri poteſt, Miſſa cum Officio debet conuenire, vt præſcribitur *in Rubrica* 1. *Miſſalis* §. 4. *num.* 3. Sic Quintanaduennas *tom.* 1. *tract.* 8. *ſing.* 7. quem citat, & ſequitur Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. capit.* 5. §. 2. *num.* 32. vbi ſic quæſtioni propoſitæ reſpondet: *Iudico ſatis probabile, poſſe cum ſuo Breuiario proprio. Ratio eſt, quia connexorum, ſeu correlatiuorum, idem eſt iudicium: Si ergo poteſt Miſſam, poterit & Officium: & iure quidem, quia hic æquiparatur Beneficiario, qui poteſt, ex ſententia aliquorum; imò ex aliorum ſententia, obligatur, recitare Officium Eccleſiæ, in qua habet Beneficium, in quocumque ipſe tandem loco reſideat: cum ergo Capellanus Monialium ſit addictus ſeruitio Eccleſiæ illarum, congruum eſt, vt iuxta illas oret in iis, in quibus expreſsè non prohibetur, vbicumq; ipſe reſideat. Cum igitur non prohibeatur, quoad Conformitatem Officij, prohibeatur verò à Pio V. in Bulla, initio Miſſalis primo ſita, quoad varietatem Breuiarij, illud poterit, non hoc.* Hæc Tamburinus.

Qvæstio LVII.

An, Confratres noſtri Ordinis poſsint ſemel in hebdomada quibuſuis diebus (ſemiduplici, aut duplici non impeditis) recitare Officia de Sanctiſsima Trinitate, ac de Sanctiſsimo Sacramento; nec non (Sabbatho extra Aduentum & Quadrageſimam) de nomine Beatæ Virginis Mariæ?

NEgant, loquendo de aliis Religionibus, aliqui Doctores, docentes nequaquam poſſe Cõfratres illarum recitare Officia, quæ ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ conceſſa ſunt illis, ad hoc vt (v.g. ſemel in hebdomada poſſint recitare de Conceptione B. Mariæ; de Sanctiſſimo Sacramento, &c. Ita docet Quintanaduennas *to.* 1. *tr.* 8. *ſingul.* 18. quem citat, & videtur ſequi Buſtamante *in Rubr. Breuiarij lib.* 6. *c.* 8. *n.* 7. vbi ex illo, ait iſte, *Que no baſta para gozar deſte priuilegio ſer Cofrades deſtas Ordenes (no auiendo otra conceſſion particular) ni traer el Cordon de S. Franciſco, ni la Correa de S. Auguſtin, ni los Eſcapularios del Carmen ò la Merced. &c. ſino que ſolamente gozan de las Indulgencias.* Sic ille addo his authoribus Leandrum de Murcia *in expoſit. Regulæ S. Franciſci quæſt.* 21. *ſelect. ſuper cap.* 6. *n.* 4. *pag.* 313.

Sed probabiliter certe, Reſpondeo. Poſſe recitare. Quia ſic haud obſcurè colligitur ex Bulla Adriani VI. quæ incipit: *Rationi congruit.* expedita anno Domini 1522. *Pridie Kalend. Septemb. Pontificatus ſui anno* 1. vbi, non ſolùm cõcedit dictis Confratribus, ſeu Hermanis, *vt omnes & ſingulas Indulgentias, ac peccatorum remiſſiones fratribus Ordinis Sanctiſſ. Trinitatis conceſſas, conſequerentur: verum etiam, vt priuilegiis, indultis, prærogatiuis, exemptionibus, fauoribus, conceſſionibus, antellationibus, & gratiis, Monaſteriis, & Ordini Sanctiſſimæ Trinitatis in genere, vel in ſpecie conceſſis, & quibus fratres Ordinis Sanctiſſ. Trinitatis vtebantur, potiebãtur, & gaudebant; ſeu, vti, potiri, & gaudere, perinde poſſint ac ſi illa eiſdẽ fratribus, Hermanis nũcupatis, ſpecialiter,*

&

& expresè concessa fuissent, authoritate Apostolica concessit, & indulsit. Hæc Adrianus. Nunc ego. At sic est, quod ex priuilegio, indulto, & gratia Pontificum, possunt Religiosi nostri Ordinis recitare semel in hebdomada Officia Sanctissimæ Trinitatis, &c. ergo eodem modo, poterunt dicti Ordinis Confratres, seu Hermani, illa recitare. Sic tenet noster Ludouicus à Conceptione *tract. de legibus in manuscriptis*, & alij viri docti de hac re à me consulti.

DISPVTATIO IV.

De modo recitandi Officium Diuinum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quot conditiones requirantur, vt Horæ Canonicæ, iuxta cap. Dolentes, de Celebrat. Missar. *deuote & studiosè, recitentur?*

REspondeo, dicendum, quod multæ; nempe, vt recitentur. 1. cum Attentione, & Deuotione. 2. cum debita intentione. 3. voce. 4. sine omissione verborũ, aut mutilatione. 5. sine interruptione. 6. sine ordinis inuersione cum continuatione, 7. apto tempore, & 8. decenti loco, &c. de quibus, Charitatis gratia, suo ordine tractabimus.

§. I.

De Attentione & Deuotione, qua recitandum est Officium Diuinum.

QVÆSTIO II.

An, Recitantes Officium Diuinum, sine vlla interna attentione, aduertenter; satisfaciant præcepto?

AFfirmant multi Doctores, existimantes huiusmodi sic recitantes, verè satisfacere præcepto, nec peccare mortaliter. Probant. Quia Ecclesia nequit præcipere actus internos, cum nequeat illos cognoscere, nec iudicare: ergo attentio non potest cadere sub præcepto Ecclesiæ: ergo Recitans illâ carens, nec peccabit mortaliter, & adimplebit consequenter illius præceptum. Ita tenent D. Anton. Hostens. Vmbert. Glossa, Archidiacon. Angel. Rosella Tabiena, Siluest. Ioa. de Medina. Ægidius, Valerus, & Diana *2.p.tr.12.Resol.2.* Quos omnes citauimus pro hac parte, *p.2.tr.6.de Ordine disp.13. q.13.* Quibus addo nunc iterum Dianam *p.4.tract.4.Resol.107.* loquendo de attentione in Missa habenda; quamuis hic, Diana ingenuè affirmet, negatiuam sententiam esse probabiliorem & consulendam. Et rursus *p. 7. tract.11. Resol.30.* idem docet his verbis: *Hanc quæstionem ego pertractaui* in p.2. tract.12. Resol.2. *vbi asserui opinionem negatiuam esse probabiliorem, sed affirmatiuam tanquam probabilem admittendam esse putaui ex auctoritate magnorum virorum, tam veterum, quàm Recentiorum.* Hæc *ibi* Diana. Sed certè ille *2. parte*, id non explicuit, sed absolutè, vt probabilem sequutus fuit sententiam affirmatiuam: explicuit se tamen *par.4. loco citat. & par.7.* vt vides in quibus locis citat pro hac affirmatiua sententia, Præpositum, Hurtadum, Caspensem, Bassæum, Lugum, Tiberium, Iosephum de S. Augustino, & Caramuelem.

Sed iterum probabilius, Respondeo. Non satisfacere præcepto recitandi lato *in cap. Dolentes.* & consequenter peccare mortaliter. Probatur *Primo*: Quia Clemens V. *in dicto cap.* stricte præcipit, vt Diuinum Officium studiosè pariter & deuotè recitetur: sed deuotio internam attentiouem includit: ergo. *Secundo.* Quia recitatio Diuini Officij, debet esse actus humanus: ergo cum mentis aduertentia: ergo hæc necessaria erit ad implendum præceptum Ecclesiæ. Quæ licèt directè, & immediate, non possit actus internos præcipere; potest tamen indirectè, & concomitanter, præcipiendo debitam, & humanam diuini Offici recitationem externam. Sic Nauarr. Sotus, Suarez, Vazquez, Lessius, Sà, Bonac. Sanch. Philibertus, & Trullench. quos citauimus *2.p.q.13.cit.* Quibus addi possunt Diana *par.4. & 7.cit.* vbi ait, hanc nostram sententiam esse probabiliorem, & consulendam. Martinez de Prado *to.2.c.30.q.8.§.2.n.17.* & penes ipsum, Hieronym. Garcia *tr.2. Sum. difficult.6. dub.5. num.6.* vbi citat tredecim Doctores negantes oppositæ opinionis probabilitatẽ. Sed certè absque fundamento illam negant; cum tot habeat Doctores, tot rationes præbent. Mallet. *to.1. Malleat.30. Bractea* 42.44.45. 46. & 47. Quintanaduennas *tom.2. singul. tractat.7. dub.9.n.6.* Escobar à Corro *tract. de Horis Canon.q.4. §. Attente. à nu.151.* Pellizarius *tom.1.tr.5. c.8.sect.1. quæst.14.nu.34. vers. Concedo tamen.* Leander de Murcia *cap.1. super 3. Regulæ.§.2.num.11.*

QVÆSTIO III.

An præceptum recitandi Diuinum Officium cum attentione, includat duo formaliter distincta; vnum recitationis; & aliud attentionis?

AFfirmant aliqui Doctores, existimantes, duo esse præcepta Ecclesiæ; vnum recitandi Horas voce; alterum attendendi: Ex quo inferunt, quod ille, qui recitat Horas, sine attentione vlla interiori, non teneatur illas iterum recitare, etiamsi detur, quod peccet mortaliter. Quia cum in tali (inquiunt) recitatione concurrant duo præcepta Ecclesiæ, vnum recitandi voce; & alterum attendendi; hinc fit, quod licèt recitans sine attentione peccet mortaliter, eo quod non impleat modum præcepti attendendi; at eo ipso, quod Horas ore proferat, non teneatur illas repetere & consequenter ne teneatur restituere cum sic impleuerit substantiam præcepti. Ita apud Filliucium, & Pellizarium, tenent Medina, Corduba, & alij, quorum sententiam ipsi dicunt probabilem. Tenent etiam apud Sanchez, Maior, & Gerson.

Sed probabilius, Respondeo *Primo*. Præceptum recitandi Diuinum Officium cum attentione, non est duplex, sed vnum tantum; nempe, recitandi vocaliter Horas, cum debita attentione: Itaque, quod Ecclesia præcipit, est, vt Diuinum Officium dicatur, voce persoluatur; quod vero id fiat attente, & deuote; solùm modo est modus, & circunstantia, qua Diuinum Officium persolui debeat.

Ratio huius responsionis est. Quia cum attentio sit actus internus, nõ potest Ecclesiastica lege, per se, directè, & immediate impetrari; sed indirectè, & concomitanter solùm modo, quatenus potest connexionem

nem habere cum actu externo, vt nuper diximus: ergo præceptum recitandi Diuinum Officium attentè, seu studiosè, ac deuotè, non sunt duo præcepta, sed vnum; & ideo vnum tantum peccatum committitur, siue sola Officij integritas; siue sola necessaria attentio; siue vtraque simul voluntariè omittatur.

Respondeo, *Secundo.* Probabilius est, quod ille, qui obligatus recitat Horas, sine debita attentione, teneatur illas iterum recitare, aut repetere; aliàs peccabit mortaliter, & ad restitutionem tenebitur. Ratio est, quia probabilius est (vt diximus) quod præceptum Ecclesiasticum recitandi vocaliter Horas cum attentione, sic vnicum; ergo si prima vice non attendit, non impleuit præceptum: ergo ad implendum, tenebitur repetere; ergo si non repetat, iam obligabitur ad restitutionem; patet, quia obligatio restituendi, oritur ex transgressione præcepti. Sic Filliuc. *tr.* 23. *c.*8. *q.*6. *n.*262. Pellizarius *to.*1. *tr.*5. *cap.*8. *sect.*1 *q.*14. *n.*35. *Mallett. to.*1. *Malleatione* 30. *Bractea* 45. Turrecrem. Nauar. Sotus, Sandoual. Henriquez, Ledesma, Aragon. Rodrig. Nauarra, & alij, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.*7. *consil. c.*2. *dub.*30. Azor. *lib.*10. *c.*12 *q.*5.

Nota quod hæc nostra secunda responsio omnino negabitur ab Authoribus primæ sententiæ *qu.*2. cum omnino negent necessariam esse attentionem ad implendum præceptum Ecclesiasticum recitandi, vnde solùm procedit, præcipuè aduersus aliquos Authores citati pro nostra sententia *dicta* 2. *quæstionis.*

Qvæstio IV.

Quid, sit Attentio interna, & externa?

Respondeo, dicendum: quod Attentio interna nil aliud sit, quàm aduertentia quædam intellectus ad id quod voluntas tendit: seu, applicatio interna mentis ad aliquid, quod audit, aut dicit, v.g. ad Missam, aut Officium Diuinum, quod quis audit, aut dicit. Externa verò attentio, consistit in negatione pura externæ distractionis, idest, negotij, aut occupationis externæ ex se mentem distrahentis ab auditione Missæ, aut recitatione Horarum v.g. vt si quis eo tempore pingeret, &c. Sic Pellizarius *tom.*1. *tract.*5. *cap.*4. *sect.*2. *qu.*6. *n.*48. *infine.* Escobar à Corro *tractatu de Horis Can. qu.*4. *n.*165. *pag.*63.

Qvæstio V.

Quotuplex est attentio interna, quam dicimus necessariam ad implendum præceptum recitandi Horas?

Respondeo, Quod triplex; nempe, actualis, virtualis, & habitualis. *Actualis* est illa, qua quis actu attendit, seu aduertit ad id, quod agit, aut dicit. *Virtualis* datur, dum quis initio operis, aut actionis, habuit attentionem actualem, postea tamen inuoluntariè distrahitur, & sic deficit attentio actualis. *Habitualis* tandem tunc datur, quando quis ex vsu, & habitu facit aliquid, ad quod non aduertit; veluti solent homines in somnis facere, quod in vigilia facere assuescunt. Sic Escobar *loc. cit. nu.*165. & Pellizar. *tract.*5. *cap.*8. *sect.*1. *quæst.*14. *numer.*36. *in fine.* Vbi ita ait. *Triplex attentio interior spectari potest in recitatione Horarum, nempe, habitualis, actualis, & virtualis.* (Et infra) *Nomine attentionis habitualis, venit illa, qua quis ex habitu, vel vsu facit aliquid, non aduertens ad id, quod agit; idque nulla præcedenti aduertentia in principio. Actualis verò est ea, qua quis aliquid facit actu aduertens ad id quod agit. Virtualis denique est ea, qua quis incipit operari, & virtute illius prosequitur operationem, etsi in progressu distrahatur inuoluntariè.* Sic ille. Trullench. *lib.*1. *in Decalog. cap.*7. *dubit.*17. *num.*8. Bonac. *disp.*1. *quæst.*3. *punct.*2. *n.*16.

Qvæstio VI.

An, ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas; sufficiat habere attentionem habitualem?

Respondeo, vt quid certissimum: Non sufficere. (Loquimur in opinione requirente necessario attentionem.) Quia habitualis attentio, non est propriè, & verè talis; nec cum ea subsistit deuota oratio, quam requirit Ecclesia ad persoluendas Canonicas Horas: ergo. Addo, quod aliàs sequeretur, quod posset quis dormiens recitare Horas ex habitu, & implere præceptum, quod nemo dicet. Sic omnes Doctores.

Qvæstio VII.

An saltem, sufficiat habere attentionem Actualem; & hæc requiratur ab Ecclesia?

Respondeo, etiam vt quid certum: Sufficere omnino; sed non requiri ab Ecclesia. *Primum* constat. Quia attentio actualis, primum locum inter attentiones obtinet: ergo. *Secundum* etiam liquet. Quia intentio actualis est valde difficilis, nec dicam, moraliter impossibilis, fragilitati humanæ; cum impossibile videatur, quod incessanter quis ad totum Officium attendat: ergo non est probabile, quod hæc præcipiatur ab Ecclesia. Sic etiam omnes Doctores.

Qvæstio VIII.

An etiam sufficiens sit attentio virtualis; & hæc sola, ab Ecclesia in recitatione Officij requiratur?

Respondeo, etiam, vt certum; quod si sufficiens, & sola illa requiratur. Constat *Primo.* Quia cum ea, orationis substantia saluatur. *Secundo.* Quia, vt ex dictis constat, attentio habitualis est insufficiens: actualis, non necessaria: ergo sola virtualis remanet: ergo in sententia petentium attentionẽ internam ad recitationem Horarum, fatendum est virtualem ad illam sufficere; & illam ab Ecclesia solam postulari. Sic etiam omnes, qui nobiscum sentiunt Doctores, citati *sup. quæstio.*2. Legantur *loc. cit.*

Qvæstio IX.

An, vt quis adimpleat præceptum recitandi Officij, sufficiat attendere ad Deum, vel ad rem pro qua oratur?

Respondeo, vt quid certissimum: sufficere. Quia hæc attentio in oratione, est cæteris aliis profectior: ergo sufficientissima, vt oratio Officij sit actus humanus, & signum cultus diuini. Sic omnes DD. nostræ sententiæ *quæst.*2. habitæ. Qui bene in præsentiarum cum D. Thoma 2.2. *quæstio.*83. *art c.*13. notant, quod triplex sit attentio, quæ orationi vocali

potest

potest adhiberi, vna qua attenditur ad verba, ne in eis aliquis erret, secunda, qua attenditur ad sensum verborum, & tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur, & hæc perfectior, & maximè necessaria præcipuè quoad effectus reficiendi, & recreandi mentem, & quam possunt habere Idiotæ. Igitur loquendo de hac attentione omnes fatentur sufficientem superabuntemque, ad præceptum implendum. De aliis ergo restat dubium. Sit ergo,

Quæstio X.

An etiam, sufficiat attentio ad sensum literalem verborum diuini Officij; vt quis eius præceptum adimpleat?

Respondeo, etiam vt certum, Hanc sufficere; sed non esse necessariam, eo quod illam non possint habere, qui sunt ignari linguæ latinæ, aut Idiomatis, in quo Officium pronunciatur. Quod sufficiat, constat, siquidem cum tali intentione, Oratio Officij redditur actus humanus, & est signum veri cultus, & petitionis, quæ Deo interna mente offertur: ergo &c. Sic omnes nostræ sententiæ Doctores, qui attentionem, vt necessariam requirunt.

Quæstio XI.

An item, attentio, qua recitans attendit solùm ad verba; sufficiat ad implendum præceptum recitandi attente Officium?

Negant aliqui Doctores: eo quod si hæc attentio ad verbum solùm, sufficer; etiam esset vera sententia illorum, qui dicunt, non requiri attentionem, nisi externam; patet, quia si attentio ad verba sufficit, non est opus attentione interna: atqui dicta sententia non est vera, vt supra *qu.* 2. est habitum: ergo. Ita videtur sentire Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 11. *n.* 69. Cui fauet Martinez de Prado *tom.* 2. *cap.* 30. *quæst.* 8. §. 2. *numer.* 20. & 21. vbi cum Caiet. *in Sum. verb. Horæ* §. 3. Soto *lib.* 10. *de Iust. quæstio.* 5. *art.* 5. *concl.* 6. & 7. Raphael de la Torre *controu.* 9. *de Horis. num.* 5. Lessio, *loco citato*, Candido *disquis.* 25. *art.* 21. *dub.* 7. & aliis, docet, quod qui exterius vult recitare non errando; & interius ex proposito vult non attendere, sed ad alia se diuertere, non implet præceptum; & tenetur iterum recitare, si dies non sit elapsa. Hæc Prado. Cui adde Mallet. *Malleat.* 30. *tractat.* 43. & Hermanum *in Medulla Theolog. Moral. lib.* 4. *capit.* 2. *dub.* 2. *art.* 4. *num.* 7.

Sed absolutè probabilius, Respondeo, sufficere attentionem, qua quis attendit solum ad verba; ne, videlicet, in eis erretur; siue malè, aut vnum pro alio, pronunciando; aut aliqua omittendo. Quia cum hac attentione redditur recitatio actus humanus, gratus, Deo & honestus: ergo sufficiet ad adimpletionem præcepti, præcipuè si adiungatur cum intentione generali Laudandi Deum. Sic Caietanus *loco* à Prado *citato*. Bonac. *disp.* 1. *qu.* 3. *pun.* 2. §. 2. *n.* 5. Suarez *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 8. *in fine*. Filliuc. *tr.* 23. *c.* 2. *q.* 2. *dicto* 3. *n.* 74. Toletus *lib.* 2. *c.* 13. *n.* 10. Pellizarius *to.* 1. *tr.* 5. *c.* 8. *sect.* 1. *q.* 14. *n.* 36. Escobar à Corro, *de Horis qu.* 3. *nu.* 173. Palaus *tom.* 2. *tract.* 7. *disp.* 1. *punct.* 7. *num.* 8. & *disp.* 2. *punct.* 3. *n.* 4. Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 7. *dub.* 10. *num.* 7. & *dub.* 17. *num.* 4. & 5. & alij, addentes, posse quemlibet Recitantem, quam maluerit eligere ex dictis tribus attentionibus: & ita, vt licèt quis ab initio vnam eligat: vel sit perfectior, vel minus perfecta, possit inter recitandum eam omittere, & amplecti aliam, & sic eis vti modo vna, modo altera, quamuis in initio eam excluserit. Legãtur Corro *loc. cit. n.* 174. & Barthol. à S. Fausto *lib.* 1. *de Horis Can. quæst.* 151. Nec cum hac intẽtione stat, quod fingit Prado, nempe, quod attendat quis ad verba ne erret in pronuntiando, mutilando, omittendo, & quod simul habeat propositum non attendendi, sed ad alia se diuertere hæc enim mutuo se habere, implicant.

Quæstio XII.

An ad implendum præceptum recitãdi Officium, non solùm sufficiat attentio ad Deum; verum etiam ad alias pias meditationes, veluti ad gesta Christi, aut eius passionem; ad præsentiã B. Virg. Mariæ, & aliorum Sanctorum, &c.

Affirmant quidam, sufficere, non absolutè; sed casu solùm, quo huiusmodi meditationes eligantur, vt medium accommodatum ad assequendam perfectiorem attentionem, nempe ad Deum. Ita Sanchez *lib.* 7. *consil. cap.* 2. *dub.* 28. *num.* 17. his verbis: *Hinc infert Nauarr. & Caietanus, quod si meditaretur Recitans inter recitandum gesta Christi, & Passionem, ac finem vltimatum, & non pro medio ascendendi ad Deum, non satisfacere, iuxta dicta. Quando verò aciperet, vt medium, vel attenderet ad Deum, meditans eius bonitatem, licèt non haberet alias duas attentiones, satisfaceret: quia hæc attentio est omnium præstantissima, &c.* Ita Sanchez.

Sed probabilius, Respondeo. Sufficere, non solùm attentionem ad Deum, sed etiam ad alias pias meditationes Christi Domini; veluti, ad eius Natiuitatem, Passionem, &c. ad præsentiam B. Virgnis, &c. Quia sufficientissimè hac attentione, redditur Oratio Officij, deuota, honesta, grata Deo, &c. ergo. Sic Suarez, Tolet. Bonac. Fausto, Palao, & Trullench. quos citat, & sequitur Escobar à Corro *loc. cit. n.* 173. & 176. *pag. mihi* 64. Quibus addo Pellizarium *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 1. *quæst.* 14. *num.* 36. Tiberium *in instruct. Ordinandorum quæst.* 92. & Filliucium (quem etiam citat Corro) *num.* 73. & 74.

Quæstio XIII.

An, attentio debeat esse formalis, expressa, & explicita?

Respondeo, Non debere necessario; sed sufficere implicitam, & virtualem; sicuti sufficit intentio implicita orandi, vt *infra*. Sic Nauarr. *in Sum. cap.* 25. *n.* 106. & 107. Sanchez *lib.* 7. *consil. cap.* 2. *dub.* 28. *n.* 12. Bonac. *disp.* 1. *qu.* 3. *pun.* 2. *n.* 18.

Quæstio XIV.

An, Qui ex negligentia crassa, mentem, cum recitat, diuagari permittit, peccet mortaliter?

Affirmat Sotus *lib.* 10. *de Iust. qu.* 5. *art.* 5. *vers. At nequis nimium*, vbi post adducta quædam verba Basilij (relata à D. Thoma. 2. 2. *quæst.* 83. *articul.* 13. *ad* 3. quæ sic habent: *Si debilitatus à peccato fixè nequis orare, quantuncunque potes, te ipsum cohibeas,*

& Deus ignoſcet: eo quod non ex negligentia, ſed ex fragilitate non potes, vt oportet aſſiſtere coram Deo: ſequentia adiicit Sotus: *Nota, quod ex negligentia craſſa, mentem diuagari permittere, eodem relabitur, ac ſi conſultò id faceres.* Ita ille, quem, apud Sanchez, aliqui Iuniores ſequuntur, poſt Palacios *in ſum. verb. Hora*, Rodriguez *tom.1. Sum. capit.141. numer.1.* Imò plus infert Palacios, nempe, quod, qui male aſſuetus eſt animum diſtrahendo inter orandum, nec male conſuetudinis remedium quærit, habet negligentiam craſſam, ac proinde peccat, ac ſi conſulto faceret.

Sed longe multo probabilius veriuſque, Reſpondeo. Nec peccare mortaliter. Quia re vera ad peccatũ mortale contrahendum, attentionis defectu; requiritur, vt data opera, & aduertenter quis diuagetur; aduertens etiam, diuagari ab Horis, Sic docent communiter omnes DD. pro noſtra ſententia *qu.2.* adducti: præcipue Caiet. *2.2. q.83. art.13.* vbi expreſsè dicit, quod voluntaria negligentia, in attentione, tunc tantum eſſet mortale, quando ex contemptu, vel ex induſtria. *Et in ſum. verb. Horæ c.3.* ait, *quod negligenter ſe habens, circa attentionem peccat venialiter.* Sic Caiet. Ex quo infert Sanchez, quod licèt in aliis materiis doctrina Soti ſit admittenda, quod ſcilicet, negligentia craſſa æquiualet voluntario: non tamen in hac, propter dicta. Sic Sanchez *dub.28. cit. num.14.*

Qvæstio XV.

An, Qui recitando Horas, circa alia aduertenter diuagatur; non tamen per hoc aduertit, diſtrahi ab Horis ſatisfaciat huic præcepto?

Reſpondeo, Satisfacere. Quia prædictus Recitans in hoc caſu non diſtrahitur voluntariè ab Horis: ergo virtualiter remanet prima attentio. Sic Suarez *lib.4. c.26. n.21.* per hæc verba: *Imò addit Caietanus* in Sum. *non ſatis eſſe, vt quis aduertat quid cogitet, ſed etiam quod aduertat, ſe diuerti ab Oratione: Oportet enim* (ait) *ſeceſſum humanum à termino fieri per ſe, ideſt, ex intentione, ſaltem virtuali, quæ requirit aduertentiã. Ita enim doctrina illa intelligenda eſt, & eſt præ oculis habenda hominibus ſcrupuloſis, ne facile repetitiones Horarum faciant, quæ nihil proſunt: quia ſemper habent eaſdem, & maiores imperfectiones, & habent innumera inconuenientia, quando ex conſcientia ſcrupuloſa fiunt. Iſti ergo, ſi bona fide, & cum propoſito attendendi ad recitandum accedant; etiamſi in fine Pſalmi aduertant ſe fuiſſe deſtractos, nihil curent, nec repetant, ſed iterum ad attendendam mentem applicent, & proſequantur.* Hæc Suarez. Et etiam Nauarr. *c.25. n.106.* Armilla, Sotus, & Nieua, quos citat & ſequitur Sanchez *lib.7. conſil. cap.2. dub.28. num.11.* Bonacina *diſput.1. qu.3. pun.2. num.13.* Filliuc. *tract.23. num.255.*

Qvæstio XVI.

An, Qui non ex præcepto, ſed ſolùm ex deuotione recitat; peccet, ſi animo vltro diſtracto, id faciat?

Negant Gabriel, *in Can. Miſſæ lect.62. lit.1.* & Palacios *in 4. diſt.15. diſp.10. fol.159.* Quia (inquiunt) huiuſmodi Officium, ſeu preces, vltro recitamus: ergo non iubemur animo ad preces attendere.

Sed longè multo probabilius, Reſpondeo. Peccare, ſed ſolùm venialiter Ratio eſt. Quia, quamuis prædicta oratio ſeu precum recitatio ſit libera, & ideo ab eo ceſſare poſſimus: at eo ipſo, quo funditur, coram Deo, fundi debet provt ipſius orationis ratio, & natura poſtulat, vt decet Diuinam Maieſtatem. Quemadmodum liberè quidem Regem, vel Principem aliquem adimus, & cum eo loquimur; at nihilominus, eum adire, & alloqui debemus conuenienter eius honori, ac dignitati: alioqui inurbani, agreſtes, & ruſtici optimo iure cenſebimur. Sic omnino Azor. *tom.1. lib.10. cap.12. qu.11.* ex Ledeſmio *in 4. p.2. q.16. art.9. dub.2.* Soto *lib.10. de Iuſt. q.5. art.4. conc.6. & 7.* & Nauarro *de Orat. cap.23.* Sic etiam D. Thom. *2.2. qu.83. art.13. ad 3.* & ibi Caiet. & Aragon. Metina, Angles, & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.7. conſil. cap.2. dub.31. num.2.* dicens, hanc ſententiam ſibi videre certam.

Qvæstio XVII.

An adhuc liber eſſet à veniali, qui, vltro, diſtracta mente, non animo orandi, ſed ſe reficiendi, & mentem alio diuertendi, aliquos Pſalmos caneret, aut quaſdam alias preces diceret?

Reſpondeo, Tunc liberum eſſe etiam à veniali. Quia tunc prędictos Pſalmos caneret, aut diceret, non animo orandi, ſed cauendi vanas cogitationes, vel ſe recreandi, in quo nullum inuenitur peccatum, ſed potius opus honeſtum. Sic Azor. & Sanchez *loc. cit.* Caiet. Armilla, Pedraza, Nieua, & Sandoual apud ipſum. Bonacina *punct.2. cit. n.7.*

Qvæstio XVIII.

An, qui occupatur in rebus externis, quæ ex natura ſua aduerſantur attentioni Officij, & ſunt incompatibiles cum illa; peccet mortaliter?

Reſpondeo, In omnium opinione: Peccare mortaliter. Quia re vera facit aliquid, quo minus præceptum attentionis habendæ impediatur. Præcipue, quia *c. Dolentes*, vtramque præcipit attentionem, interiorem, videlicet, & exteriorem: ergo. Sic omnes DD. etiam primæ ſententiæ relatæ *qu.2.* inter quos, ſolùm poteſt eſſe difficultas in aſſignandis dictas actiones externas ex natura ſua incompatibiles cum attentione interiori, pro quo ſit,

Qvæstio XIX.

An, qui inter recitandum Officium, ſcribit, pingit, aut legit aliud; ſatisfaciat præcepto recitandi attentè?

Affirmandum videtur, eo quod hæ actiones non videantur incompatibiles cum attentione interna. Nam poſſibile videtur, quem legere, aut ſcribere vnam Epiſtolam, & attendere ad Horas: iuxta illud Plinij *libro 7. capite 25.* de Iulio Cæſare: *Scribere, & legere, ſimul dictare, & audire ſolitum, accepimus. Epiſtolas vero tantarum rerum, quaternas, pariter librariis dictare, aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas.* ergo.

Sed, vt certum, Reſpondeo. Non ſatisfacere præcepto. Quia certum eſt, peccare mortaliter defectu attentionis vtriuſque, nempe exterioris, & interioris. Nam ſcribere, pingere, aut legere diuerſum ab eo, quod recitatur, eſt actus exterior, qui videtur repugnare omnibus ſpeciebus attentionis:

ergo

ergo qui tale quid recitando facit, videtur saltem eo tempore, quo id facit, mutare virtualiter propositum attendendi, quod à principio habuit. Sic Nauarr. *in summa c.* 25. *n.* 106. & 107. & *de Oratione c.* 13. *n.* 22. Qui & *numer.* 23. respondet ad rationem dubitandi, dicendo, *Quod, nos omnes Ecclesiastici, non simus & habilitate, qua fuit Iulius Cæsar, & licèt essemus, non tamen adhibemus tantam curam in recitando, quantam solebat ipse in scribendo, dictando, vel legendo. Et quod si quis reperiretur tam diligens, & habilis, vt legendo, vel scribendo aliud, attenderet ad recitationem, tantum, quantum esset necessarium ad euitandum peccatum mortale, talis non peccaret mortaliter.* Sic ille. Et sic communis. Sotus *lib.* 10. *de Iust. q.* 5. *art.* 5. Caiet. 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. Suarez *lib.* 4. *c.* 26. *n.* 21. (per errorem in ordine 23.) *vers. Dico autem.* Filliuc. *tr.* 23. *c.* 8. *q.* 4. Bonac. *disp.* 1. *qu.* 3. *pun.* 3. *num.* 12. Sanchez *lib.* 7. *consil. cap.* 2. *dubit.* 32. *num.* 1. & omnes.

Quæstio XX.

An etiam, qui pensum Horarum soluit, dum vestibus se induit; vel exuit, vel faciem lauat; peccet, & violet Ecclesiæ præceptum?

Affirmant aliqui, apud Suarez, *n.* 22. *in fine*, in quam partem inclinare D. Anto. *p.* 2. *tit.* 9. *c.* 9. §. 3. ait ipse, eo quod dicat, esse valde reprehensibile, & vix sufficere ad implendum præceptum.

Sed vt certum, Respondeo: Recitantem sic, minimè peccare, saltem mortaliter, & consequenter præceptum implere. Ratio est: Quia eiusmodi opera sunt verè leuia, facilia, & consueta: ergo ex natura sua non impediunt debitam animi attentionem. Sic Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *c.* 12. *q.* 7. Suar. *loc. cit. n. in ordine* 23. *versu 'Dico tamen.* Nauar. *de Orat. c.* 13. *n.* 47. Caiet. Sotus, & alij apud ipsum. Sanch. *dub.* 32. *cit. n.* 2. *concluf.* 2. Bonac. *punct.* 2. *cit. num.* 12. qui idem dicit de illo, qui dum recitat, sternit mensam, & lectum, sciens, se illas actiones posse exercere sine distractione ab oratione. Legantur dicta à nobis 1. *p. tract.* 5. *de pœnit. disputat.* 9. *quæstio.* 55.

Quæstio XXI.

An saltem, sit veniale peccatum, lauare faciem, & manus; inducere, vel exuere se, vel se calceare; dum recitantur Horæ ex præcepto?

Affirmare videtur Suarez *loc. cit.* ibi: *Erit tamen etiam ordinariè aliquod peccatum, saltem veniale; vel, quia saltem impeditur perfecta attentio; vel etiam propter indecentiam loquendi cum Deo, præsertim, vt Ecclesiæ ministrum, & legatum, aliam actionem merè humanam, & ad cultum Dei non pertinentem exercere. In hoc tamen prudentia necessaria est, nam si ex aliqua iusta necessitate hoc fiat, & pro modica parte orationis, & cum diligentia, & iura attendendi ad ea, quæ recitantur, excusari interdum poterit etiam leuis culpa.* Hæc Suarius.

Sed clarius, Respondeo. *Primo*, tanquam certum dicendum, quod faciens prædicta, iusta occurrente causa, dum Horas ex præcepto, non peccat, nec dum venialiter; sed potius meretur. Sic optime Nauarr. *de Orat. cap.* 13. *num.* 49. qui id probat, *Ex eo, quod nullus Princeps ægre ferret, si à subdito suo, vel quouis alio, aliquid aliud agente, iusta de causa, serio super re graui consuleretur; quod quotidie videmus fieri à Bombarbariis, Vitriariis, Sartoribus, Sculptoribus, Pictoribus, & aliis id genus Officiariis, quos occupatos in sui Officij rebus, libenter, super rebus seriis, audiunt Principes; imo ægrè ferunt, quod causa eis loquendi, omittant dare operam alicui operi celeriter absoluendo. Exemplum conclusionis sit, in casu, quo veniat ad aliquem visitaturus, aut interrogaturus vir aliquis spectatæ auctoritatis, & ipse peruenit quasi ad finem alicuius Horæ, quam non potest finire, & simul, vt decet, illum excipere, nisi recitet componendo simul capillos, pileum, vestem, calceos, & alias vestes mutando in hoc casu non videbitur peccare, modo conetur mediocriter recitationi attendere. Item si lecto, absque culpa, incumbens ad celebrandam Missam publicam, hora non solita quis vocetur, & recitare vsque ad Primam inclusiue, & ire ad eam celebrandam nequeat, nisi surgendo, vestiendo, & calceando se, & alia in id præparatoria faciendo recitet, poterit id absque peccato facere. Necessitas etiam studendi Concionaturo, prælecturo, aut expedituro negotia, saltem spiritualia, iusta causa id faciendi esse videtur.* Hæc omnia meus doctissimus Nauarrus, quem citat, & sequitur Sanchez *lib.* 7. *consil. cap.* 2. *dub.* 32. *concluf.* 4. *numer.* 4. & sentit Suarez *vbi supra*, licèt (timide) solùm dicat, posse interdum excusari à leui culpa.

Respondeo, *Secundo.* Probabilius est, quod lauare faciem, & manus; induere, vel exuere se, vel se calceare, dum recitantur Horæ ex præcepto, si id fiat moderatè, & absque nimia festinatione, nullum fit peccatum, quamuis fiat asque iusta causa. Ratio est. Quia huiusmodi actiones, nec impediunt reuerentiam debitam, nec attentionem. *Quia* (vt dicit doctus Nauarr. *n.* 47. ex Caietano) *totus ferè mundus credit, & seruat, non peccare recitantes, dum se induunt, modo pro viribus, recitandis attendant: eo quod in nonnullis Religionibus statutum videtur, vt Religiosi inter surgendum, pronuncient Horas B. Mariæ. Adde, quod in Missali præscribuntur Orationes dicendæ, dum Sacerdos se lauat, & induit, vt faciat Sacrum; dum postea se exuit, &c. ergo huiusmodi actiones, nec impediunt reuerentiam, nec attentionem.* Sic ipse Nauarr. quem citat, & sequitur Sanchez *loc. cit. num.* 6. *concl.* 6. Qui secus dicunt, si quis exerceret dictas actiones, valdè festinanter; quia tunc, peccaret venialiter, eo quod vix fieri possunt, salua debita reuerentia, & attentione.

Ex his colligitur, à fortiori esse dicendum, nec peccare venialiter illum, qui Horas reciteret, vel leniter ambulando; prospiciendo prata, hortos, & vireta; colligendo hanc, vel illam herbam, aut florem, &c. Quia huiusmodi actus, minus repugnant attentioni. Sic ipse Nauar. *n.* 50. & Sanchez *n.* 5. *concl.* 5.

Quæstio XXII.

An possit quis recitare Horas Canonicas, dum Missam ex præcepto audit, & sic præcepto satisfacere vtrique?

Negant Angel. Armilla, & alij, quos citauimus *p.* 3. *tract.* 2. *de Auditione Missæ, disput.* 1. *quæst.* 68.

Sed iterum longe probabilius, Respondeo. Quod sic. Quia audire Missam, non est moraliter incompossibile, cum attentione ad recitationem; vt late diximus *loc. cit.* cum Nauarro, Soto, Medina, Henriquez, & Suario, & aliis innumeris, 1. *p. loc. cit. adductis.* & 1. *p. tract.* 5. *disp.* 9. *q.* 54.

QVÆSTIO XXIII.

An saltem peccet venialiter, qui, dum audit Missam de præcepto, recitat Horas?

AFfirmant venialiter peccare Caiet. Villalobos, & alij citati à nobis, *3.p. loco citat. quæstio.69.* Sed iterum, longe multò probabilius, Respondeo. Nec venialiter peccare. Quia nihil facit, vnde ex tali actione, dicto tempore facta, adhuc venialis damnemus, vt *loc.cit.* est habitum. Sic Henriquez, Medina, Soto, Nauarro, & alij *ibidem* adducti.

QVÆSTIO XXIV.

An, Qui dormit, aut dormitat, per notabilem Officij partem; satisfaciat præcepto recitandi?

REspondeo, vt certum: Non satisfacere; quia deest illi attentio necessaria: peccabit ergo mortaliter, nisi alias habeat intentionem repetendi, & postea de facto repetat. Sic Nauarr. Sanch. Rodrig. Philibertus, & Trullench. quos citaui *2.p.tr.6.de ordine disp.13. qu.14.* Bonac. *disp.1.de Horis quæst.3.punct.2.n.9.* vbi ita ait: *Tertio, Recitantem Horas Canonicas, vel partem notabilem cum distractione confabulando, vel dormiendo, peccare mortaliter: nisi forte habeat propositum formale, aut virtuale repetendi, & supplendi defectus: vt si tunc expresse proponat repetere, vel etiam tunc non expresse proponat repetere, consuetudinem tamen habeat repetendi, qua sine attentione recitauit: hic enim virtualiter habere videtur propositum repetendi, & consequenter non peccat mortaliter, dum non intendit ea recitatione præcepto satisfacere, & perinde est, ac si tunc temporis non recitaret.* Sic ille, & etiam Escobar à Corro, *de Horis Canonicis quæst.4. verb. Attente num.160. & 185. vers. Ex omnibus dictis.*

QVÆSTIO XXV.

An, saltem satisfaciat præcepto recitandi, qui vexatur à somno, sed adeò resistit, vt pronunciet Horas, ea attentione, qua saltem videt, quod non omittit dicere?

REspondeo, Iterum: Satisfacere, sic nos cum authoribus citatis *2. p. quæst.14.* Quibus addo iterum Sanchez *tom.2.consil. lib.7.cap.2. dub.33.num.1.* Corro *loc.cit.num.185.* ibi: *At si dormitando, dum somno vexatur, & ei resistendo, non omittit dicere versum, vel verbum, licèt propter grauitatem, & molestiam somni non attendat ad eorum significationem (vel Missæ meditationem) non peccat, quia saltem habet attentionem necessariam.* Sic ille.

QVÆSTIO XXVI.

An, peccet mortaliter, qui obligatus ad Horas, reseruet illas dicendas in lecto, sciens se, eo tempore, somno præoccupari?

REspondeo, Peccare mortaliter. Quia, aut se exposuit probabilissimo omittendi periculo; aut ob somnum, non attentè eas recitandi. Sic optimè Nauarr. *de Orat. capit.9.num.7.* ita dicens: *Sexto sequitur, periculosum esse id, quod in dies accidit; puta, quod quis itinere fatigatus lecto decumbat, cum proposito, & obligatione in eo memoriter recitandi Completorium, eo quod existens in domo alicuius amici, vel eius, quem vereri debet, & non valens, citra rusticitatem, conuersationem bonam interpellare, illud non dicit. Nam si obdormit antequam illud finiat, & non expergiscatur ante mediam noctem, mortaliter peccat; ob quod solùm, si antequam euigilaret, & pœniteret, moreretur, in orcum detruderetur, saltem si sciebat, aut scire debebat, quod attenta sua complexione, & consuetudine, eiusmodi temporibus, ita obdormire, & non expergisci solitus sit.* Sic Nauarr. Quem sequuntur Sanchez *lib.7. consil. capite 2. dubit.33. numer.3.* Bonacina *loco cit.num.11.* Trullench. *lib.2.cap.7.dub.17. num.6. vers. Adde non excusari.* Corro *num.185.cit.* & innuunt Suarez *lib.4. cap.26.n.* (in ordine) *23.versu Dico tamen.* Filliuc. *tract.23.cap.8.quæst.4.num.260.*

QVÆSTIO XXVII.

An, socius recitans non ex obligatione, sed voluntariè, teneatur attendere ad Horas?

NEgabunt absolute Gabriel, & Palacios *sup.q.16.* adducti. Et negat, loquendo de præsenti casu, Corro *quæst.4.cit.§. Attente.num.185.* per hæc verba: *limita 7. & vltimo, in socio recitandi voluntariè, non ex obligatione, qui attendere non tenetur: & qui cum eo recitat suo muneri satisfacit.* Ita ille.

Sed longe multo probabilius, Respondeo. Teneri attendere ad Horas, quas recitat, aut recitandi iuuat, non quidem sub culpa mortali; sed sub veniali tantum. Vtraque pars colligitur clarè ex habitis *qu.16.* legatur.

QVÆSTIO XXVIII.

An, teneatur quis repetere Horas, quas probabiliter credit, se dixisse?

AFfirmant, apud Sanchez, Ioan. de Medina *C. de Oratione, quæst. de Horis iterandis,* & Ledesma *2.4.quæst.16.art.6.2.par.dub.3.* dum absolutè docent, dubitantem probabiliter, teneri repetere eam partem, de qua dubitatur.

Sed clarius, Respondeo. *Primo.* si quis credit probabiliter, se dixisse Horam, (aut Psalmum) non teneatur illam repetere; quamuis in particulari non recordetur se illam dixisse. Quia moraliter est certum, se illam recitasse. Sic Nauarr. *de Orat.cap.13.nu.30. & 32.* vbi addit, *Quod non solum, non teneatur repetere id, quoad probabiliter credit se dixisse; verum etiam, quod male ageret id faciendo; eo quod habitum, & consuetudinem concipiendi scrupulos superfluos sibi quæreret: eo item, quod iterum ea repetens, vt plurimum iterum erraret, & ob id oporteret eum tertiò, & quartò repetere, quod non semel mihi contingit, & scio aliis contingere, qua via est despiendi, nisi relinquatur; eo etiam, quod faceret contra illum Sapientis.* Eccles.7. *Ne iteres verbum in Oratione tua.* Hæc Nauarrus. Quem citat, & sequitur Sanchez *lib.7.consil.cap.2.dub.34.num.2. & 4.* Sandoual, & Angles, apud ipsum. Pellizarius *tom.1.tract.5.cap.8.quæst.18.n.99.*

Respondeo, *Secundo.* Qui recordatur se incepisse talem Horam, Psalmum, aut lectionem, & postea, non data opera, distractus inuenit se in fine talis Horæ, & videt ad illius finem peruenisse, vel legendo, vel memoriter pronunciando ea, in quibus ipse

ipse communiter errare non solet, iustè credere potest, se totum recitasse, & vltra progredi potest. Sic Nauarr. *loc.cit.n.*30. Sanchez *n.*3. & alij citati.

Qvæstio XXIX.

An, Officium diuinum, non solum attente, sed etiam deuotè, sit recitandum?

Respondeo Affirmatiuè. Quia sic clarè colligitur *ex Cap. Dolentes, de Celebrat. Missar.* vbi sic habetur: *Districtè præcipimus in virtute Obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & deuote.* Sic Innocent. III. Et sic DD. *ibi.* Legantur præcipuè Nauarr. *de Orat. cap.*20. *num.*26. & Sanchez *vbi infra, dub.*29.

Qvæstio XXX.

Quotuplex sit deuotio: & Quid?

Respondeo dicendum, quod *Deuotio*, dupliciter accipiatur, propriè, videlicet, & impropriè, seu vulgariter. Deuotio propriè, & in rigore sumpta, est quidam actus voluntatis, quo aliquis est promptus, & paratissimus ad ea, quæ pertinent ad diuinum obsequium, vt docet D. Thom. 2.2. *quæst.* 81. *art.* 1. Deuotio vero impropriè, & communiter sumpta, nil aliud est, quàm quædam refectio spiritualis mentis, & recreatio dulcissima, quæ prouenit ex ipsa Oratione, & est quidam effectus eius. Sic D. Thomas *loc.cit.* Et ex illo alter Thomas Sancius *lib.*7. *consil. cap.*2. *dub.*28. *num.*2. Legantur etiam Lessius *de Iust. lib.*2. *capit.*37. *dubit.*1. Trullench *lib.*1. *in Decalog. cap.*7. *dub.*2.

Qvæstio XXXI.

An, ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas deuotè; sit sufficiens, propositum dicendi illas attente;

Respondeo. Quod sic. Probat Sanchez *loco cit. dub.*29. *num.*3. *Quia licèt attentio ad intellectum, & deuotio spectet ad voluntatem: at velle attendere, pertinet ad voluntatem; & qui vult attendere vt decet, vult Deo seruire cum aliqua promptitudine voluntatis. Vnde solum, & semper quis peccat, eo quod non recitat cum deuotione, quando peccat eo quod non attendit: & quando implet præceptum recitandi attente, implet etiam recitandi deuote.* Sic Sanchez ex Nauarro *De Orat. cap.*20. *num.*26. Escobar à Corro, *de Horis, quæst.*4. §. *Deuote. numer.*150. & Becanus *de Iust. ad quæst.*83. D. Thomæ, *quæst.*14. *n.*4. & alij.

Addo ad maiorem declarationem, quod licet deuotio colligitur ex proposito dicendi attente, est tamen cum hac differentia, quoad propositum dicendi attente, debet esse firmum, & immutabile: at verò deuotio actualis non ita; vnde si casu, & inuoluntaria distractione, deficiat, non inualidat actum Orationis, & sic recitatur sine peccato. Legatur Sanchez *loc.cit.n.*2. & Escobar *n.*139.

§. II.

De debita Intentione, qua recitandum est officium diuinum.

Qvæstio XXXII.

An, vt officium diuinum, deuotè, & attente recitetur; requiratur intentio; seu (quod idem est) propositum voluntatis recitandi illud?

Respondeo vt certum: Requiri. Quia certum est, quod ad satisfaciendum cuilibet præcepto, necessario requiritur voluntas, seu intentio faciendi opus præceptum. Sic omnes DD. ex quibus, quam plurimos citaui *p.*3. *tract.*2, *de Auditione Missæ disp.*1. *quæstion.*81. & 86. Legantur *ibi.* Quibus nunc addo Thomam Tamburinum *lib.*2. *in Decal. capit.*5. §.3. *num.*2. Palaum *hic disp.*2. *punct.*3. *num.*1. Ioan Martinez de Prado *tom.*2. *cap.*30. *quæst.*8. §.1. *num.*8. Pellizarium *tom.*1. *Manual. Regul. tract.*5. *capit.*4. *sect.*2. *quæst.*5. *num.*46. & *cap.*8. *sect.*1. *quæst.*15. *num.*37. & *sect.*2. *quæst.*17. *num.*97.

Qvæstio XXXIII.

An, ad debitè, & attentè recitandum Officium; sufficiat, habere intentionem implicitam, seu virtualem, recitandi illud?

Respondeo vt quid certum: Sufficere. Sic communiter omnes Doctores. Cum quibus nota, quod duplex sit intentio, seu voluntas; altera expressa, & formalis; & altera implicita, & virtualis. Expressa, & formalis, dicitur illa, qua quis directa intentione vult præceptum aliquod implere, elicito hoc actu: *volo facere hunc actum mihi ab Ecclesia præceptum, v.g. recitare Officium, vel audire Missam &c.* Implicita vero, & virtualis, est illa, quæ vel fundatur in actu præterito elicito formaliter, & remanet aliquomodo, saltem virtualiter de præsenti: vel reperitur in eo, qui habet voluntatem satisfaciendi suæ obligationi, vel implendi suum munus; vel in eo, qui si interrogaretur, cur accepit Breuiarium, responderet, se id facere ad recitandum. Igitur his suppositis, dicimus, quod ad debitè, & deuotè, aut attentè recitandum officium sufficiat habere intentionem implicitam, & virtualem dicendi illud; quia hæc sufficit ad actum moralem. Sic Nauarr. *de Orat. cap.*13. *num.*16. & 17. Suarez *lib.*3. *de Orat. capit.*3. *num.*6. Lessius *lib.*2. *cap.*37. *dub.*11. *num.*71. Bonacina *disput.*1. *de Horis, quæstion.*2. *punct.*2. §.2. *à numer.*20. Palaus *tom.*2. *de Orat. disp.*2. *punct.*3. *nu.*5. Trullench *lib.*1. *in Decal. cap.*7. *dub.*10. *num.*5. & *dub.*17. *num.*3. Sanchez, *in summa lib.*1. *cap.*13. *num.*8. Azor. *part.*1. *lib.*7. *capit.*2. *quæstion.*6. Pellizar. *tom.*1. *Man. Regul. tract.*5. *capit.*4. *sect.*2. *quæstion.*5. *numer.*46. Escobar à Corro, *de Horis quæstion.*4. §. *Deuotè, num.*144. & §. *Attente, num.*182.

Qvæstio XXXIV.

An, ſatisfaciat præcepto recitandi, qui accipit Breuiarium de more, & nil aliud cogitando, recitat?

Respondeo vt certum: ſatisfacere. Quia habet voluntatem virtualem, & implicitam recitandi. Patet ex dictis: tum quia ſi huiuſmodi Recitans interrogaretur, quid faciat? reſponderet profecto, ſe velle recitare, aut adimplere præceptum. Tum etiam, quia eo ipſo, quod Breuiarium de more accipit, ſatis indicat, ſe illud accipere ad eum finem, ad quem aliàs Breuiarium adhiberi ſolet. Sic expreſsè Nauarr. *loc. cit. num.* 17. Sotus, Leſſius, Reginald. Garzias, Molfeſ. Rodrig. & Suarez, quos adducit, & ſequitur Bonac. *loc. cit. num.* 22. Trullench *cap.* 7. *cit. dubit.* 17. *num.* 3. Palaus *n.* 5. Corro. *n.* 145.

Qvæstio XXXV.

An etiam ſatisfaciat, qui de more ad Eccleſiam accedit, ibi Officium recitaturus, & de facto recitat?

Respondeo vt certum: Etiam ſatisfacere. Quia ſufficientem habet intentionem, ad recitandum Officium: ſatisfaciet ergo, etiamſi recitet inuoluntariè diſtractus. Antecedens conſtat. Quia ſi ille, qui ad Eccleſiam petit, interrogaretur, quare ad illam petat, aut eat? verè reſponderet, id facere ad recitandum, vel ſatisfaciendum ſuæ obligationi, vel debito: ergo. Sic Nauarr. Suar. Leſſius, Bonac. Trullench, & Corro, & alij.

Qvæstio XXXVI.

An item, ſatisfaceret præcepto qui animo ſolo ſe recreandi, aut ſtudendi, aut memoriæ aliquid mandandi, Officium diceret?

Respondeo: Quod non ſatisfaceret. Quia re vera non haberet huiuſmodi intentionem recitandi officium; ſed ſe recreandi &c. atqui ad adimplendum, quodcumque ſit, præceptum, eſt omnino neceſſaria intentio faciendi opus præceptum: ergo. Sic Barboſa *in Cap. Dolentes, ſub numer.* 19. Fauſto *quæſtion.* 130. quos citat, & ſequitur Corro, *loco citato numer.* 143. Quod ipſum antea dixerat meus Nauarrus *de Oratione capit.* 13. *numer.* 15. vbi expreſſe ait; *Non ſatisfacere recitandi præcepto, qui accipiunt Breuiarium in manus, & expectantes ſocios ſine propoſito recitandi, vel ſatisfaciendum ſuo muneri, legunt in eo eaſdem Horas, quas recitare debebant, vel earum partem. Nam licèt tales mereri poſſent expectando virtuosè alios, bene cogitando; & meditando; non tamen recitando illas Horas, quatenus Canonicas, quas tenebuntur denuo recitare etiamſi poſtea Socij non aduenerint: non enim à principio habuerunt animum dicendi illas, neque eas dixerint, vt ſatisfacerent ſuæ obligationi.* Hæc Nauarrus.

Qvæstio XXXVII.

An, ſatisfaceret præcepto, qui per vim abſolutam, ſeu omnino inuitus cogeretur ad recitandum?

Respondeo vt mihi certum: Non ſatisfacere. Quia vis, aut coactio abſoluta, omnino tollit voluntatem, & per conſequens intentionem? ſic diximus in ſimili 3. *p. tract.* 2. *de audit. Miſſæ diſp.* 1. *quæſt.* 86. cum Bonacina Soto, Azorio, Salas, Medina, Sanchez, Layman, Fagundez, Philiberto, Lugo, Amico, Dicaſtillo, & Trullench. Quibus addo Eſcobar à Corro, *de Horis Canon. quæſtion* 4. §. *Deuote, num.* 148. & S. Fauſt. *q.* 251.

Qvæstio XXXVIII.

An, præter intentionem, aut voluntatem recitandi officium, ſit etiam neceſsaria formalis, & expreſsa voluntas recitandi illud, ſub intentione adimplendi præceptum?

Affirmant, in ſimili, Ioan. de Medina, Nuñus, Petr. de Ledeſma, & alij citati à nobis 3. *p. tract.* 2. *diſp.* 1. *q.* 82.

Sed probabilius longe iterum Reſpondeo, Non eſſe neceſſariam. Quia vt ſtatim dicemus, nec virtualis voluntas eſt neceſſaria: ergo minus erit formalis, & expreſſa. Sic communis. Præcipue Prado *tom.* 2. *cap.* 30. *quæſt.* 8. §. 1. *num.* 9. vbi id ſupponit ex D. Thoma, his verbis: *ſuppono quod voluntas implendi præceptum, alia eſt actualis explicita, & quaſi reflexa, vel in actu ſignato, qua quis vult implere præceptum, ſub motiuo explicito, quia eſt præceptum: & licèt hoc facere ſit actus obedientiæ; tamen non exigitur ad validè implenda præcepta: & iuxta hoc,* inquit S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 3. *ad* 2. quod licet actus virtutis cadat ſub præcepto; poteſt tamen aliquis implere, actum virtutis, non attendens ad rationem præcepti. *Quod experientia quotidiana fidelium adimplentium præcepta, ſine iſta reflexione, & motiuo explicito, fit perſpicuum.* Sic Prado. Et bene.

Qvæstio XXXIX.

An ſaltem, ad ſatisfaciendum præcepto recitandi Officium, ſit neceſſaria intentio, ſeu voluntas implicita, vel virtualis, recitandi illud, ſub intentione implendi præceptum recitandi?

Affirmant in ſimili, Suarez, Rodrig. Azor, Villalob. Fagund. Philibertus & Molfeſſ. quos citauimus 3. *p. loc. cit. quæſt.* 83. docentes, eſſe neceſſariam intentionem, ſeu voluntatem ſatisfaciendi præcepto, de auditione Miſſæ, quam quis haberet, ſi cogitaret actu de præcepto. Quod idem dicent de præcepto recitandi officium.

Sed probabilius Reſpondeo: Adhuc non eſſe neceſſariam talem intentionem virtualem ad ſatisfaciendum præcepto recitandi, ſicuti nec ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ. Quia probabilius eſt, quod ad impletionem præceptorum, non ſit neceſſum, quod eorum actus fiant ex intentione formali, aut virtuali adimplendi illa. Nam præcepta ſolùm obligant

gant ad actus, quos præcipiunt : ergo, vt præcepta impleantur, sufficit efficere actus præceptos. Sic diximus, loquendo de præcepto audiendi Missam *loc. cit. quæst* 83. vbi citauimus Sanchez, Vazquez, Valentiam. Hurtadum, Bonac. Salas, & Fagundez (sibi contrarium) Filliuc. Lugum, Trullench, Dianam, Escobar, Dicastillum, & Amicum.

QVÆSTIO XL.

An item, satisfaciat præcepto recitandi Officij, qui incipit recitare, animo expresse non satisfaciendi, pro tunc, præcepto de dicendo Officio?

NEgant quamplures Doctores. *Primò.* Quia si ego debeo Petro decem ducatos, & do illi decem gratis animo donandi, & non soluendi debitum; non ideo liberor ab obligatione à priori debito: ergo similiter, qui debet aliquod opus ex præcepto, non liberatur ab obligatione, si illud præstet animo non implendi præceptum.

Secundò. Quia vt omnes Theologi docent, nullum præceptum impleri potest, sine intentione, qua quis velit efficere, id quod præceptum iniungit, vt nuper est habitum : atqui non stat hæc intentio cum expressa voluntate non satisfaciendi præcepto : ergo qui recitat Horas Canonicas cum intentione expressa non satisfaciendi præcepto, re vera præceptum non implet. Ita arguit, & tenet nouissimè Martinez de Prado *tom. 2. cap. 30. quæst. 8. §. 1. à num. 4.* vbi citat pro se Siluestr. *verb. Horæ quæst. 11. dicto 5. n. 14.* Medinam *C. de Orat. de Horis Canon. dub. vlti.* Nauarrum *cap. Quando de Consecrat. dist. 1. cap. 13. num. 15. & 27. & 28. & cap. 16. num. 73. & 74.* & Martinum Ledesmam *2. p. 4. quæst. 16. art. 6. in 2. p. dub. 3.* Petrum de Ledesma *de Euchar. cap. 27. concl. 10. fol. 344. & tom. 2. sum. tract. 9. cap. 4. fol. 1084.* Rodriguez *tom. 1. sum. cap. 144. num. 2.* Azorium *tom. 1. lib. 7. cap. 2. qu. 6. & lib. 10. cap. 8. quæst. 7. & cap. 12. quæst. 8.* Carolum Macignum *de Horis Canon. cap. 84. num. 8.* Syluium *1. 2. quæstion. 100. art. 9. concl. 3.* Serram *ibi fol. 526.* & Franciscum Lopez de Texeda *tom. 1. contr. Theologiæ Moral. lib. 2. tra. 1. controu. 8. concl. 2.* dicentem oppositum esse omnino improbabile. His authoribus addo ego Nuñum *3. p. quæst. 83. art. 6.* Suarium *in 3. p. disp. 88. sect. 3.* (licet postea oppositum tenuerit) Fagundez, Henriquez, Angles, Philibertum, Molfesium, & Baldellum, quos pro hac parte citauimus in simili, *3. p. tract. 2. disp. 1. q. 89.*

Sed probabilius Respondeo satisfacere præcepto recitandi Officij; ideoque minime teneri aliud recitare, aut repetere. Hanc responsionem late probauimus *quæst. 89. nuper citata. Primò.* Quia præfatus sic recitans, vere recitauit Officium cum debita attentione, & vera intentione, & voluntate recitandi illud, vt supponimus : ergo verè fecit omne, quod ab Ecclesia per hoc præceptum est iniunctum : ergo verè illud adimpleuit.

Secundò. Quia, qui sciens, & volens facit opus præceptum, verè facit, quidquid à Superiori est ei præceptum : ergo ad impletionem veram præcepti, nil aliud restat, nec obstat : nam quod habeat voluntatem expressam non adimplendi, nihil profecto refert, quando aliàs sciens, & volens facit, quod Ecclesia vult.

Nec obstãt argumenta, contraria. Nam *ad primum*, respondeo cum Pellizario, negando paritatem : quando enim aliquid est debitum, ex iustitia, creditor habet ius aliquid exigendi in suum commodum, eo quod ius non extinguitur per gratuitam donationem : at quando aliquid est debitum solùm ex præcepto, non in bonum præcipientis, sed subditi (sicut euenit in casu nostro) tali debito satisfactum censetur, hoc ipso, quod opus absolutè fit : cum sic obtineatur id, quod præceptum intendit, nempe bonum subditi.

Ad secundum Pradi, concessa libentissimè maiori, neganda est minor; nam vt nuper est habitum, optime cohærent, quod quis velit libera voluntate, & intentione efficere quidquid præceptum iniungit; & simul habere voluntatem non satisfaciendi præcepto. Vnde hanc nostram sententiam tuentur Bonac. *disp. 1. de legib. quæst. 1. punct. 10. num. 16. & disp. 4. de Sacrif. Missæ qu. vltima punct. 11. num. 23. & disp. 1. de Horis Canon. quæst. 3. punct. 2. §. 1. num. 31. & 32.* & penes ipsum, Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de Horis cap. 26. à num. 10. & lib. 3. de legib. cap. 29. numer. 12.* Lessius *de Iust. lib. 2. cap. 37. num. 59.* Vazquez *1. 2. quæst. 100. art. 9. dub. 1.* Sanchez *lib. 1. sum. capit. 13. num. 13.* Aragon *2. 2. quæst. 83. art. 3.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. pun. 10. de Horis Canon.* Paulus Squillas, *part. 1. dub. 22.* Garcias, Naldus, Filliuc. Reginald. & Francolinus. Quibus ego addo Lugum *de Sacram. disp. 22. sect. 2. num. 24.* Palaum *de legib. disp. 1. pun. 17. num. 11. & 12.* Bartholom. à S. Fausto *de Horis Canon. quæst. 152. 153. & 154.* Trullench *lib. 2. in Decal. cap. 2. dub. 16. num. 27.* Basseum *verb. Missa 8. numer. 5. & verb. Præceptum num. 6.* Caspensem *De legib. disp. 3. sect. 5. à num. 62.* Ægidium *num. 309.* Dianam *par. 2. tract. 12. Resol. 37. & 3. p. tract. 6. Resol. 68. & 77.* Machado *lib. 2. sum. par. 4. tract. 1. docum. 3. num. 4.* Dicastillum *tract. 5. de Sacram. disp. 5. dubitat. 5. num. 66.* & Gesualdum *de Sacram. tract. 17. cap. 22. num. 22.* quos omnes pro hac parte citaui *part. 3. tract. 2. de audit. Missæ, disp. 1. quæst. 89.* Quibus adhuc addi possunt Pellizar. *tom. 1. Man. Regul. tract. 5. capit. 8. sect. 2. quæst. 17. num. 97.* Tamburinus *lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 3. num. 3.*

QVÆSTIO XLI.

An, Qui Officium dixit, animo non adimplendi præceptum, simulque, animo non repetendi illud; adimpleat adhuc præceptum?

NEgant (& à fortiori) Nauarr. Medina, Azor, & alij, nuper citati, quos in simili citauimus, *3. p. tract. 2. disp. 1. q. 91.*

Sed probabilius iterum Respondeo, Adhuc adimplere præceptum. Quia re vera præstat opus ab Ecclesia præceptum. Verum est, quod ille peccauit mortaliter, ob prauum affectum ad transgressionem præcepti, si credat per Officium à se persolutum, non adimpleuisse præceptum : secus verò si crederet, se iam adimpleuisse. Sic Sanchez, Layman, Bonacina, Basseus, & alij, citati à nobis *supra, & 3. p. quæst. 91. citata.*

QVÆSTIO XLII.

An, Qui Officium diuinum persoluit, animo non adimplendi præceptum; teneatur ad minus; casu, quo nolit Officium repetere, mutare animum intra tempus obligationis, & velle adimplere præceptum per Officium à se dictum?

AEfirmant Suarez, Aragon, Lessius, Azor, Trullench, Escobar, necnon ex parte Ægidius, & Tamburinus, & aliqui alij *supra* citati, & à nobis iam in simili relati *3.p.tra.2.disp.1.q.92.*

Sed clarius, ac probabilius Respondeo, Quod vel ille, qui officium persoluit, ac recitauit, animò non adimplendi præceptum per talem recitationem; habuit animum Officium postea repetendi ad præceptum adimplendum, vel non. Si habuit, sed postea non vult repetere; dico, quod in hoc casu, non tenetur recitans mutare animum, aut elicere alium actum voluntatis, quo velit satisfacere præcepto per officium à se dictum; sed sufficit ei, aduertere, quod iam satisfecit præcepto per Officium à se dictum, vt non teneatur Officium repetere, & etiam, vt non peccet peccato violationis affectiuè. Si verò habuit animum, non repetendi; tunc dico, quod iste talis verè etiam adimpleuit præceptum, & ideo ad hoc non tenetur mutare animum, aut voluntatem quo applicet Officium à se dictum; sed solum tenetur desistere ab animo peccaminoso, quem ab initio habuit, non adimplendi præceptum, vt sic tollat actualem affectum ad peccatum. Sic Sanchez, Salas, Bonac. Lugo, Bassæus, Diana, imo ex parte Suarez, & Ægidius citati à nobis *3.p.q.92.cit.* necnon Tamburin. & Pellizarius *vbi supra.*

§. III.

De voce, qua Officium diuinum priuatim dici debet.

QVÆSTIO XLIII.

An Horæ Canonicæ, voce sint recitandæ?

REspondeo, voce, & non sola mente, recitari debere. *Primò*, quia sic fuit definitum in Concil. Basilienſi *sess.21.§.2.* vbi dicitur, quod siue soli, siue associati, recitent diuinum, nocturnumque Officium, reuerenter, verbisque distinctis, debent peragere. *Secundò* Quia vox excitat magis nostrum affectum ad Deum; & etiam prouocat aliorum affectus; quod oratio, aut recitatio mentalis non facit: & facilius est ore, quàm mente tantum orare. Sic Escobar à Corro, *de Horis Canon. quæst.4.§. Qua voce, num.73. pag.mihi.50.* Bart. à S. Fausto *lib.2. de Horis Canon. quæst.156.* Pater Hermanus *in Medulla Theolog. Moral. lib.4. cap.2. dub.2. art.4. num.2.* ibi: *Pronunciatio vocalis exterior: ea enim est de substantia præcepti* Palaus *disp.2.punct.3. numer.6.* Diana *p.11. tract.2. Resol.10. versu. Et quidem,* & alij communiter, contra quosdam paucos, quos mox citabimus.

QVÆSTIO XLIV.

An, attento iure communi, si quis diuinum Officium, sola mente recitet, suæ obligationi satisfaciat?

AFfirmat nouissime Bruno Chassaing. *de Priuileg. Regul.2.p. tract.8. capit.4. Proposit.5. pag. mihi 337.* vbi loquendo de quodam Priuilegio Leonis X. concesso Regularibus, sic ait: *verumtamen, quamuis hoc priuilegium magnum sit, potest tamen aliquomodo dici, non esse priuilegium, sed iuris communis explicationem. Ratio est, quia præceptum de recitando Officio, est tantum de illo dicendo, sed ille, qui mente dicit, verè dicit Officium; verba enim mentalia, sunt verba verissima: alioquin Filius Dei non esset verbum Patris. Et certe videtur S. Thomas eiusdem esse sententiæ, cum 2.2.quæst.88.* (lege tu 83.) *art.12.* ait, quod vocalis oratio non sit necessaria nisi, quando illa debet innotescere toti populo, *Constat autem Horas priuatas non debere sic innotescere.* 2. cum dicit; hominem solo corde dicere posse, ex illo Psalmi 29. (sic lege, non 261. vt inuenies etiam in Diana referente verba huius Auctoris) Tibi dixi cor meum. *Denique motus labiorum, non est tanti momenti, vt obligationem lethalem inducat: cum abundè hic defectus suppleri possit per maiorem attentionem, & deuotionem. Quo circa probabile est, quod aliqui putant, quos refert Emmanuel Sà,* verb. Horæ §.11. *illum, qui sic dicit Officium, ob maiorem deuotionem, excusari à lethali peccato. Vtrum autem venialiter peccet, lectori docto iudicandum relinquo.* Hucvsque Bruno.

Huic Authori addo nostrum Ludouicum à conceptione *p.1. examin. Moral. tract.2. de Restit. casu 6. num.2.* vbi docet, adimplere præceptum recitandi Officium, illum, qui visu discurrendo per Breuiarium mentaliter Horas Canonicas legeret; imo etsi per Breuiarium visu non discurreret, sed memoriter tantum, existimat, adhuc talem implere præceptum de recitando Officio. Fundamentum eius est: quod præceptum, sit de recitando officio: atqui memoriter mentaliter dicit Officium, verè dicitur, illud recitare: ergo & adimplere præceptum de recitando Officio. Minorem probat ex quibusdam verbis Thomæ Sanchez, vbi ait: *Quod aliud sit legere; & aliud memoriter recitare*, ergo. His Authoribus satis fauet Baldell. *tom.2. lib.3. disp.34. n.15.* quatenus ait, hanc sententiam disputatiuè posse defendi.

Sed, iterum, vt mihi certum, Respondeo, Quod Attento iure communi, & secluso omni priuilegio, minimè satisfaceret præcepto, qui sola mente Officium diuinum diceret. Quia mihi certum est, quod sit de præcepto Ecclesiæ, quod Horæ Canonicæ voce pronuncientur; vt constat ex dictis *quæst. antecedenti*, & antea *part.2. tract.6. de Ordine disput.13. quæstion.19.* vbi aliam rationem pro responsione hac probanda inuenies. Quo iacto fundamento, facilè ruunt argumenta contrariorum, vt vides. Et ita sentiunt Medina, Aragon, Reginald. Nauarr. Sà, Bonacina, Sanchez, Thom. Hurtado adducti à nobis *2.p. quæstion.19.* citata. Quibus addi possunt Suarez *tract.4. lib.4. capit.7. numer.2.* & Martinez de Prado *tom.2. cap.30. quæst.8.§.3. numer.37. & 39.* vbi cum Suario ait, opinionem contrariam, esse improbabilem; quod dictum, quidquid ipse miretur, iterum dico, mihi esse durum. Diana *2.p.tract.12. Resol.11. & p.6. tract.7. Resol.10. & p.7. tract.11. Resol.33.* & clarius *p.10. tract.11. Resol.1. & p.11. tract.2. Resol.10.*

ver

vers.Et quidem. Escobar à Corro,*de Horis quæstion.*4. *num.*79.& alij communiter.

QVÆSTIO XLV.

An saltem Regulares possint, ex particulari priuilegio, priuatim totum Officium mentaliter recitare, & sic satisfacere obligationi recitandi?

NEgãt quamplures Doctores:eo quod priuilegiũ concessum Regularibus à Leone X.anno 1516. *In dist.*4. *die* 19. *Aprilis*, vt possent satisfacere obligationi diuinij Officij, illud mentaliter recitando, fuit Oraculum factum Eminentiss. Cardinali Laurentio tit. Sanctorum quatuor Coronatorum: at sic est, quod hoc priuilegium non subsistit, post reuocationem Oraculorum factam,tam à Gregorio XV. *de anno* 1622.quàm ab Vrbano VIII. *anno* 1631.*die* 20. *Decembris*, qua reuocantur omnia, & singula priuilegia, facultates, licentiæ, & gratiæ quæcumque viuæ vocis Oraculo concessæ: ergo. Vnde, ob id ita sentiunt Diana *part.* 10. *tract.*11. *Resol.*1. & *par.*11. *tract.*2.*Resol.*10. *vers. Et quidem priuilegium.* Pellizarius *tom.*1.*Man.Regul. tract.*5. *cap.*8.*sect.*2. *quæst.*10.*num.*71.Lezana *in sum.tom.*1.*cap.*12. *nu.*13. Baldell. *in Theolog. Morali tom.*2. *lib.*3. *disput.*35. *num.*16. Hieronym.Garcia *in sum.tra.*2. *diff.*6.*dub.*2. *num.*2.Peyrin.*tom.*1.*suorum priuileg. Constit.*28. *Leonis X. num.*4. Cyprian. Capuchinus *lect.*1. *in cap.*3. *Regul.*Quintanadueñas *tom.*2. *tract.*5.*singul.*17.*nu.*3. & *tract.*2. *singul.*17. *per totum.* Lugo *lib.*3. *Respons. Moral.dub.*17.*num.*4. Prado *tom.*2. *cap.*30. *quæst.*8. §.3.*num.*42.& 43.

Sed probabilius Respondeo, Posse Regulares, vi prædicti priuilegij Leonis X. priuatim recitare totum Officium mentaliter; & sic satisfacere præcepto recitandi Officij. Ratio est: quia probabilius est, quod dictum priuilegium, licèt viuæ vocis oraculo concessum, minime sit reuocatum à Gregorio, aut ab Vrbano: ergo possunt Regulares illo vti, & satisfacere penso Officij mentaliter recitando. Minor probatur: quia dictum priuilegium, confirmatum est per Bullam propriam à Sanctiss. Pio V. sicuti cætera omnia viuæ vocis oracula ante ipsum concessa: ergo nequit comprehendi reuocatione viuæ vocis Oraculorum facta à Pontificibus Gregorio XV. & Vrbano VIII. Sic tenent Sanctorus à Melfi, *in Commentar. Constit. Minorum statuto* 2. *dubitat.*3. his verbis: *Cum soli recitamus, possumus totum Officium dicere mentaliter, cum prolatio verbalis sit præcipue; vt ab aliis intelligatur.* Sic ille, cuius opinionem refert Diana *part.*8. (non 9. vt leges apud Pellizar.) *tract.*7. *Resol.*58. nec audet *ibi* illam reprobare. Rodriguez, Miranda, Villalob. Thom. Hurtad. & Ioan. de Cruce, citati à nobis 2. *tract.*6. *disputat.*13. *quæstion.*19. *vers. Quod si hic rogef.* Quibus nunc addo Ascanium Tamburinum *tom.*2. *de iure Abbat. disputat.*10. *quæstion.*9. *numer.*2. & Thomam Tamburinum è Societate Iesu *Opusculo de Sacrif. Missæ lib.*2. *cap.*9. §. 3. *per totum*, quem refert Diana pro hac parte,*p.*10. *tract.*11. *Resol.*1. Persicum, *de Horis Canon.cap.*2.*dub.*4.

QVÆSTIO XLVI.

An, Qui priuatim Officium recitat, debeat necessariò,ita illud pronunciare, vt ad minus ab adstantibus audiri possit?

AFfirmat Ioan. de Medina *C. de Orat. quæst.*7. his verbis: *Si quæras quanta vocis expressio requiratur? Dicendum,quod quanta sufficit, vt ab astantibus auditu percipiatur; si tamen attendant, & non sit impedimentum; alioqui minimè satisfacit præcepto.* Ita ille,vt iam dixi 2.*p.tract.*6.*disp.*13.*quæst.*18.

Sed vt certum Respondeo, Non debere necessariò ita Officium diuinum pronunciare, vt ab astantibus audiri possit. Quia ius solum præcipit, vt quis non solum mente, sed etiam ore, & voce Officium recitet, at sic est, quod totum hoc potest adimplere Recitans, absque eo quod ita Officium recitet vt ab aliis audiri possit,vt statim dicemus:ergo. Sic omnes communiter,præcipue mox citandi.

QVÆSTIO XLVII.

An saltem, priuatim recitans, debeat ita Officium pronunciare;vt se ipsum possit audire?

AFfirmant communiter D D. docentes, quod Horæ Canonicæ, quando priuatim dicuntur, taliter recitari debeant, vt ille qui recitat, nisi sit surdus, vocem propriam possit audire. *Primò*: quia in Concil. Basilien. *sess.*21. expresse dicitur; quod illi, qui priuatim recitant, non debent in gutture, vel inter dentes dictiones formare. *Secundò.* Quia vox,qua Officium dicitur,debet esse audibilis: ergo saltem ab ipso Recitante. Sic tenent apud Escobar, Suarez *lib.*4.*de Horis cap.*7. *num.*6. Nauarr. *de Orat. cap.*20. *num.*14. Molfes. *cap.*20. *num.*101. Valentia 2.2.*disputat.*6.*quæst.*2.*punct.*10.§.4. Filliuc. *tract.*23. *cap.*3. *num.*117. & *cap.*7. *quæst.*8. Reginald. *lib.*18. *num.*174. Tolet. *in sum. cap.*10. *num.*4. Palaus *tom.*2. *tract.*7.*disp.*2.*punct.*3. *num.*6.S.Faust. *lib.*2. *de Horis Canon.quæst.*157.*versu*, *Secundò*, & *quæst.*159.*per tot.* quos omnes refert, & sequitur Escobar à Corro, *de Horis Canon. quæst.*4.§. *Qua voce*, *num.*184. Qui & citat adhuc Azorium idem loci vbi apertè oppositum clarè sustinet,vt *infrà.* Imo,& Nauarrum. Nec Toletus contrarium docet, cum solum petat prolationem vocalem. Docent tamen suam sententiam etiam Vmbertus, & Bandellus, quos refert ac sequitur Magister Prado *tom.*2. *oper. Moral. capit.*30. *quæst.*8.§.3. *num.*41. Diana *p.*6.*tract.*7. *Resol.*10. & *par.*7. *tract.*11. *Resol.*16. & nominatim contra me *part.*10. *tract.*11. *Resol.*33. & *p.*11. *tract.*2. *Resol.*10. *vers.Et quidem priuilegium.*Pellizarius *tom.*1. *Man. Regul.tract.*5.*c.*8.*sect.*2.*n.*104.*in Summario.*

Sed æque probabiliter iterum Respondeo,Adhuc Non debere necessario, ita officium pronunciare, vt se ipsum audiat,aut audire possit. *Quia ad implendum præceptum satis est,*(Ait Azor) *si quis sic recitet, ac proferat;vt verè dici queat, ore, & voce preces fundere; siue ab alio, vel à se audiri possit, siue non: quoniam, iure solum cogitur voce, & ore, & non tantum mente,& animo precari, & orare:ac proinde si re vera lingua,& labia moueat, voce orat, non mente duntaxat. Satis igitur est,vt ait* Nauarr.de Orat. cap.20.nu.14. *Si Clericus dum recitat preces, verba ita proferat, linguam, & labia mouendo, vt se ipsum percipiat, & intelligat,*

telligat, & non solum in gutture pronunciet. Sic Azor. 1.*p.lib.*10.*cap.*11. *quæst.*4. Trullench *lib.*1. *in Decal. cap.*7.*dub.*11.*in fine.* Bonacina *de Horis Canon.disp.*1. *punct.*2.§.1.*num.*24. & alij penes ipsos, quos citauimus, 2.*p. tract.*6. *disp.*13.*quæst.*18. Caramuel, etiam *in Theolog.Regul.disp.*108.*num.*1381. vbi sic ait: *Sufficit, quod is, qui Horas recitat, eas voce, & ore proferat, siue à se ipso, aut ab alio audiatur, siue non. Ratio est, quia non est præceptum de auditione, sed de prolatione: ergo si prolatio ponatur, secluſa auditione, nihil fit contra præceptum.* Sic ille. Et infra. *Rogas quid requiratur, vt sit vox? Respondeo, linguam, & labia, moueri: anhelitus enim necessario sequitur. Ratio est, quia vox nihil aliud est, quàm respiratio fracta certo modo per labia & linguam: atqui non possunt labia, & lingua moueri, quin frangatur respiratio: ergo nec moueri poterunt, quin sit vox. Quomodocumque igitur articulent, est vox: ergo & pronunciatio audibilis, ac proinde præcepto satisfaciens.* Hucvsque Caramuel. Cuius ratione abundè fit satis argumentis contrariorum. Sic etiam tenent Martinus à S. Ioseph *in Monitis Confessar.tom.*1. *lib.*2. *tract.*4. *num.*15. Baldellus *tom.*2.*Theolog. Moral.lib.*3. *disp.*34. *numer.*15. Basseus *in Florib. Theolog. Moral.verb. Horæ Canonicæ* 2.*num.*15. Qui & citat Dianam 2.*p.tract.*11. *Resol.*11. & Ascan. Tamburinum *de iure Abbat. tom.*2. *disputat.*10.*quæstion.*9.*numer.*5. Sic etiam noster Ludouicus *tom.*1. *examin.Theol. Moral. tract.*2. *de Restitut. casu* 6. & Angel. Maria Verricelli, *tract.*5. *quæstion.*6. *numer.*122. Leander de Murcia *capit.*1. *super* 3. *Regulæ*, §. 2.*num.*12. Legantur dicta à nobis *par.*1.*tra.*6. *disp.*13.*quæst.*18.

Qvæstio XLVIII.

An ad minus, dum quis recitat cum Socio, teneatur, ita clara voce, Officium dicere, vt à Socio audiatur?

Affirmat absolute Escobar à Corro, *loc.cit.q.*4.§. *Qua voce, n.*82.

Sed clarius, ac distinctius, Respondeo vt quid certum: Teneri, si recitet cum Socio astricto recitandi onere, alias non. Ratio est: quia recitans cum Socio, supplet audiendo, quod omittit recitando: ergo. Sic Bonacina *de Horis disp.*1. *quæst.*3. *punct.*2. §.1. *numer.*25. Palaus *tom.*2. *disp.*2.*de Orat. punct.*3. *num* 7. vbi ita ait: *Si autem cum Socio recites, debes ita proferre verba, vt ipsa socius, audiat, si ipse obligatus est recitare, aliàs præcepto non satisfaciet: & è contra, ipse Socius, ita debet verba proferre, vt tu illa percipias, sin minus præcepto non facies satis. Quia oratio alterius in tantum potest esse tibi communis, in quantum illam percipis. Quia auditus loco prolationis succedit, ideoque diceris recitare, quæ Socius recitat, quia illum audis.* Sic Palaus.

§. IV.

De integritate, qua Officium persolui debet.

Qvæstio XLIX.

An, qui totum, aut partem notabilem Officij omittit, peccet mortaliter?

Respondeo vt quid certum: Peccare. Quia verè frangit præceprum ad mortale obligans: vt constat ex dictis *supra*, & mox dicendis.

Tenent communiter D D. Qui secus dicunt, si leuem Officij partem omitteret; quia tunc, ob paruitatem materiæ, non excederet veniale. Legantur Doctores statim citandi.

Qvæstio L.

An, si quis, citra contemptum, solum ex negligentia, semel omittat totum, aut partem notabilem Officij, mortaliter peccet?

Negant quidam Doctores, quos retulimus *p.*2. *tract.*6.*disp.*13.*q.*19. quos vide.

Sed iterum, vt quid certissimum Respondeo, Peccare mortaliter. Quia certissimum est, quod in dicto casu, transgrediatur præceptum Ecclesiæ, habitum in Cap. *Dolentes, de Celebrat. Missar.* Cuius transgressio in re graui, etiam citra contemptum, est mortalis. Sic communiter Doctores, inter quos legendi sunt Tabiena, Siluest. Nauarr. Sanchez, Bonac. & alij *loc.cit.* citati.

Qvæstio LI.

An etiam peccet mortaliter, qui vnicam integram, ex minoribus ad minus, Horam, recitare omittit?

Negant peccare mortaliter (sed venialiter tantum, ratione paruitatis materiæ) Philibertus Marchinus *de Ordine tract.*2. *par.*6. *cap.* 12. *diff.*13. *num.*4. Caramuel *in Regulam S. Benedicti disput.*118. *num.*1462. & Martinus à S. Iosepho *in Man. Confessor.tom.*1. *lib.*2. *tract.*9. *de Orat. num.*5. quos pro hac parte adduximus *part.*2. *tract.*6. *de Ordine, disp.*13. *quæst.*30. Quibus nunc addo Angelum Mariam Verricelli, *in quæst.moralib.tract.*1.*quæst.*16. (licet postea oppositum dicat) Iacobum Marchantium, *in Resol. Pastoralib.part.*2 *tract.*7.*cap.*2.*quæst.*1. & Bonartium *de Horis Canonic. cap.*12. *numer.*12. Quorum sententiam refert Basseus V. *Horæ Canon.*5. *numero secundo* nec improbat.

Sed iterum, absque vlla hæsitatione, vt quid certissimum Respondeo, Etiam peccare mortaliter, & non venialiter tantum. Quia certissimum est, omissionem vnius integræ, etiam ex minoribus, Horæ, esse grauem, non leuem, mutilationem Officij: ergo. Sic communiter D D. Legantur, inter alios, Suarez *de Religione tom.*2. *lib.*4. *capit.*25. *numer.*15. Diana *part.*2.*tract.*12.*Resol.*41.*part.*5.*tra.*5.*Resol.*26. *part.*6.*tract.*6.*Resol.*6.*part.*7.*tract.*11.*Resol.*2. &, me citato, *part.*10. *tract.*16. *Resol.*28. & *part.*11. *tract.*1. *Resol.* 25. *vers. Quæro quinto* vbi adducit Lezanam, qui *consult.*48.*num.*8. obseruat, oppositam sententiam à S. Congregatione Indicis fuisse deletam ab opere Philiberti Marchini: ob quam causam ab ipsa, quam, (vt *suprà* vidimus) docuerat, sententia, recedit Pater Verricelli *loc.cit.tra.*8.*quæst.*58. his verbis: *Verum post typis impressum meum primum tractatum, audiui oppositum fuisse à Sacra Congregatione declaratum, cui declarationi humiliter subscribens, recedo à priori opinione.* Hæc ille. Legantur de hac quæst. D. Anton. Siluest. Tabiena, Nauarr. Sanchez & alij, quos citat, Diana *loc.cit.* præcipue *part.*6. de qua egimus & nos 2.*p.tra.*6.*disp.*13.*q.*30.*citata.*

QVÆSTIO LII.

An item, sit mortale, tertiam partem vnius Horæ minoris v.g. Tertiæ, aut sextæ &c. omittere?

AFfirmant Nauar. Azor. Villalob, Squillantes, Macignus, Malderus, & alij, quos *nos* 2.*p.loco cit.q.*31. cum Diana 2.*p.loc.allegato*, adduximus.

Sed multo probabilius iterum Respondeo, Non esse mortale. Quia multò probabilius est, tertiam minoris Horæ partem, non esse notabilem, aut grandem, sed paruam: ergo eius omissio non erit grauis culpa, sed leuis. Sic Diana, cum Fernandez, Bellochio, Vega, & Reginaldo: necnon Suarez, Filliuc. Rodrig. Bonac. Naldus, Molfes. & Trullench, quos citauimus 2.*p.loc.cit.* Pellizarius mox citandus, & communis.

QVÆSTIO LIII.

An, saltem sit mortale, dimidiam Horæ minoris partem, omittere?

AFfirmant aliqui Doctores, existimantes, dimidiam partem Primæ, vel Tertiæ, Sextæ, Nonæ, aut Completorij, esse grauem; ac proinde eius omissionem, mortalem culpam statuere. Ita, Fernandez Bellochius, Vega, & Reginald. apud Dianam 2.*p. tract.*12.*Resol.*41. *& par.*5. *tract.*5. *Resol.*26. Suarez, Filliuc. Layman, quos citat, & sequitur P. Hermanus *in Medulla Theolog. Moral. lib.*4.*cap.*2. *dub.*2.*art.*2. *num.*2.*pag.mihi* 360. Trullench *lib.*1. *in Decal. cap.*7. *dub.*23.*n.*2. Escobar à Corro, *q.*4.*de Horis n.*22.

Sed iterum probabilius, Respondeo, adhuc non esse mortale, dimidiam Horæ minoris partem omittere. Quia adhuc probabilius est, dimidiam huiusmodi Horæ partem, non esse materiam grauem, sed leuem; ac per consequens, eius omissionem non constituere nisi culpam venialem. Sic aliqui Doctores, quos citauimus 2 *p.loco cit.quæst.*31. cum quibus diximus, Horam paruam integram tantum esse materiam peccati mortalis, & *infra* eam, esse ita modicam quamcumque partem, vt Ecclesia non credatur, ob eam facere velle reos ignis æterni. Sic Lessius, Bonac. Castro Palao, & Gauantus à nobis *vbi supra* adducti. Quorum sententiam, vt probabilem posse tutè in conscientia sequi, expresse fatentur Trullench, *loco cit.* Pellizarius *tom.*1. *Man. Regul. tract.*5. *capit.*8. *sect.*2. *quæstion* 16. *numer.*93. Tenet etiam nobiscum Mallet. *tom.*1. *Malleatione* 30. *Bractea* 28. *in fine.* Acacius *tom.*2. *verb. Horas Canon. Resol.*57. *num.*8.

QVÆSTIO LIV.

An, peccet mortaliter, qui in Matutinis cum Laudibus, vnum Nocturnum omittit?

NEgabit Caramuel, qui *in Regul. D. Benedicti disp.*111. *nu.*1408. *& in Theolog. fundament.*53. §.4. *num.*190. absolutè docet, octauam diuini Officij partem, esse materiam grauem; leuem autem, quidquid est minus octaua parte; vt est vnum Nocturnum.

Sed vt certum: Respondeo, Peccare mortaliter. Quia omissio vnius Nocturni, verè æquiualet omissioni vnius integræ Horæ paruæ, seu minoris; atqui, iam est certum, quod omissio vnius minoris Horæ, est mortalis: ergo, & omissio vnius Nocturni erit. Sic expresè Pellizarius, *num.*93. *citato*, vbi ait, sic sentire communiter Doctores. Cum quibus notat, quod in præsentia, non est desumenda grauitas materiæ ex eo quod sit tertia, vel quarta pars, &c. Sed ex eo quod sit magna in se, spectata dignitate illius, ac deformitate totius Officij, idque secundum prudentem æstimationem. Cuius notatione ruit fundamentum Caramuelis: aduersus quod late agit Pasqualigus *in quæst. Canon. Centur.*1. *quæst.*29. *per tot.* & ex illo Diana *part.*11. *tra.*1. *Resol.*21. & antea *part.*7. *tract.*11. *Resol.*2. Lege Patrem Verricelli, *in qq. moralib. tract.*8. *quæst.*16. *per tot.* & Raphaelem 2.2. *tract. de Horis contr.*8. ita scribentem: *Quæ autem dicatur pars notabilis vnius Horæ, non ex quantitate versuum nec verborum pensanda est, quidquid scrupulosè dicat Nauarrus* cap.7. num.44. *sed ea, dicetur pars notabilis, quæ iudicio prudentis deturpat alicuius Horæ fabricam, & constructione v.g. in Matutino omissio vnius Nocturni.* Hæc Raphael.

QVÆSTIO LV.

An, etiam peccaret mortaliter, qui in Matutinis, tres lectiones cum Responsoriis omitteret?

NEgant absolute Pater Verricelli, *in qq. moralib. tract.*5. *quæst.*6. *numer.*109. Diana *p.*2. *tract.*12. *Resol.*41. & ante illos, Sanchez *lib.*1. *in sum. capit.*19. (non 18. vt citant Diana & Verricelli) *num.*8. ibi: *Et ita, si Matutinum esset Feriæ, vel Sancti simplicis, credo eos non excusari: quia omissio trium lectionum, & earum Responsoriorum, quæ ad integrum Matutinum desideratur, esset materia parua, ac proinde moralem Matutini integritatem non tolleret. Secus si esset Matutinum Festi duplicis, aut semiduplicis, in quo nouem lectiones & octo responsoria omittenda essent: tunc enim cum ea sit pars notabilis, qua omissa, non satisfit integre moraliter præcepto ideo nullatenus id præceptum obligat.* Sic Sanchez.

Sed ego adhuc distinctius Respondeo, *Primò*, quod minime peccaret mortaliter ille, qui in Matutinis Feriæ communis, aut Sancti simplicis, omitteret tres lectiones cum Responsoriis. Quia est parua materia, vt bene Sanchez.

Respondeo *Secundò*: quod nec peccaret mortaliter, qui in Matutinis Festi nouem lectionum omitteret tres lectiones cum suis Responsoriis: secus si omitteret nouem, aut sex lectiones, cum suis responsoriis: quia hæc est grauis materia, illa leuis, etiam in hoc casu.

Respondeo *Tertiò*, dicendum quod verè peccaret mortaliter ille, qui in officio Resurrectionis, aut Pentecostes, omitteret tres lectiones cum suis responsoriis: quia in huiusmodi Matutinis, in quibus solum inueniuntur tres Psalmi, non est parua materia tres lectiones. Nam, (vt aliàs, bene notat Pellizarius *num.*93. *cit.* admittenda profecto debet latitudo paruitatis materiæ in Officio longiori (v. g. Dominicæ) & in Officio breuiori (v. g. Paschæ) ita, vt maior latitudo detur in officio longiori, quam in breuiori: siquidem paruitas materiæ mensurari debet ex toto: totum verò potest esse maius, vel minus, vt constat.

QVÆSTIO LVI.

An, omittens vesperas Sabbati Sancti peccet mortaliter?

NEgat Franciscus Pellizarius *tom.1.Man. Regul. tract.5. cap.8. sect.2. num.93.* his verbis : *Vnde quis benè inferat, omittentem Vesperas Sabbati Sancti, non peccare mortaliter: cum talis omissio non æquiualeat omissioni vnius ex quatuor Horis paruis, imo vix dimidiæ, quæ proinde censetur leuitas materiæ excusans à mortali.* Ita ille. Huic Authori firmiter adhæret Diana *in indice rerum, & verborum, verb. Horæ Canonicæ*, vbi absolutè ait : *vesperas Sabbati Sancti omittere, non est mortale.* Sed certe *in Resolut.* vbi de hac difficultate agit potius videtur declinare in oppositum, vt *infra* videbis.

Vnde absolutè ego probabilius multò Respondeo Peccare mortaliter. Quia omissio vnius Horæ integræ, etiam paruæ, mortalis reputanda est. Sic cum aliis, meo videri, tenet Diana *par.11.tract.4.Resol.45.* vt indicant hæc eius verba : *Sed nota hic pro curiosis, docere Pellizarium, omittentem vesperas Sabbati Sancti, non peccare mortaliter; quia vix perueniunt ad dimidiam Horam ordinariam. Verum attendendo ad principia Suarij, dicendum esset, esse mortale, quia est notabilis deformitas, quoad Officij integritatem : alias qui Matutinum de Resurrectione non recitaret, non peccaret mortaliter, quod videtur tam facile posse admitti* : & ita tenet Pater Tancred. *vbi supra disp.12. q.6. n.19.* Hucvsque Diana.

QVÆSTIO LVII.

An, qui versus Psalmorum initiat, & finit voluntariè, omissis iis, quæ in medio versuum continentur, mortaliter peccet?

AFfirmant communiter Doctores, si Recitans faciat in quantitate notabili ;) & aliàs non excusetur, ob balbutiem linguæ, vt infra) Ratio est: quia re vera violat præceptum in re graui, cum ex officio diuino relinquatur grauis quantitas Ita Bonacina *disp.1.q.3.punct.2.§.1.n.2. & 4.* Villalob.*1.p. tract.24.diff.10. num.7.* Trullench *lib.1. in Dec.c.7. dub.16.num.3.* Palao *tom.2.disp.2.pun.3.n.2.* Lessius *lib.2. cap.37. dub.10. num.56.* Tamburin. *in Decal. lib.2.cap.5.§.3.n.6.*

Sed ego clarius, ac distinctius, Respondeo dicendum, quod verè sic Recitans mortaliter peccet; si ea quæ omittit sint magnæ quantitatis, vt aiunt DD. dicti ; nisi alias (vt ipsi dicunt) id omittat, ob balbutiem aut (quod ego addo) casu, quo sit Regularis habens priuilegium recitandi mentaliter, & verba prædicta, quæ vocaliter non pronuntiat, mentaliter dicat. Quia tunc verè à mortali excusabitur : vt constat ; & ex infra dicendis, amplius constabit.

QVÆSTIO LVIII.

An, qui cum notabili abscissione vltimarum syllabarum recitat, lethaliter peccet.

NEgant communiter Doctores, nisi casu quo abscissio syllabarum sensum verborum notabiliter corrumpat, quia tunc (aiunt) peccabit mortaliter. Ita Bonac. *disput.1. quæstion.3. punct.2.§.1. num.4.* citans Azorium *cap.11. quæst.3.* Filliuc. *cap.7. quæst.8. num.242.* Lessium *lib.2. cap.37. numer.56.* & Barbosam *in cap. Dolentes, num.11. de Celebrat. Miss.* Sed ex his, Azor, nihil ad propositum dicit *cap. 11. sed cap.7. quæst.11. vt infra.* Sic etiam Diana *2.p. tract.12. Resol.32.* & Verricelli *tract.5. quæst.6. num. 110.* (qui etiam citant malè Azorium *lib.10. cap.4.*) Trullench *lib.1. in Decal. cap.7. dub.16. num.5.* Castro Palao *num.2. cit.* Pellizar. *tom.3. de Monial. tract.10. cap.6. numer.17. vers. Moneo 5.* Tamburin. *loco citato.* Ratio eorum. Quia, nisi casu, quo abscissio syllabarum, verborum sensum corrumpat, non violatur præceptum in re graui; solum ergo talis violatio, extra præfatum casum, venialis erit.

Sed ego clarius, & absolutius Respondeo, Non peccare lethaliter; sed venialiter tantum : & ideo, non teneri denuò recitare. Quia vere adimplet præceptum, quoad substantiam. Sic Azor. *loco citato, c.7. quæst.11.* Lessius citatus à Bonacina, vbi absolutè hæc ait : *Absorbere syllabas*, non est, nisi peccatum veniale : manet enim integra precum substantia, itavt intelligi possit. Si inuoluntarie fiat nullum peccatum est. Sic Lessius. Et Suarez *lib.4. de Horis cap.25. num.6.* ibi : *Quando non fit propria mutilatio, sed aliqualis corruptio, & mutatio potius in desinentiis syllabarum, quàm in omissione earum, non est peccatum mortale, secluso scandalo, & contemptu; quia tota Oratio dicitur integra, quoad substantiam, & modus ille non mutat significationem verborum, nec impedit, vt communiter intelligatur, quid per ea significetur ; & ideo cum tali defectu impletur præceptum, nec oportet illud repetere, quamuis cauendus omnino, & reprehendendus sit*, quod bene notauit Azorius *lib.10. cap.7. quæst.11.* Hæc Suarez. Legatur Sanchez *lib.7. consil. cap.2. dub.17. num.3.* vbi notat, *Non oportere Clericos nimis esse scrupulosos, casu, quo putant se non integre pronunciasse, vel aliqualiter syncopasse, vel verba aliqua solo guttere dixisse; nisi defectus sit valde notabilis.* Sic ille. Et ex illo Diana, Pellizarius, & Verricelli.

QVÆSTIO LIX.

An peccet, saltem venialiter, qui ob imperitiam, vel balbutiem, syllabas in Officio detruncat?

REspondeo vt certum. Quod non. Quia, non voluntariè, sed ex necessitate id facit. Sic Lessius *numer.56. cit.* Verricelli *quæst.6. cit. numer.112.* ex Villalob. *tom.1. tract.24. diff.10. numer.7.* Palaus *disp.2.punct.3.num.2.*

QVÆSTIO LX.

An, Qui recitat cum eo, qui, ob balbutiem aut imperitiam, abscindit syllabas; satisfaciat recitandi præcepto?

REspondeo satisfacere. Quia si Socius satisfacit, à fortiori ipse quoque. Sic Diana *part.2. tract.12. Resolut.32.* ibi : *Nota etiam quod qui cum tali (nempe, balbutiente, aut linguæ imperito, aut inuoluntarie syllabas abscindente) recitaret Officium, satisfaceret suo muneri, nec teneretur Officium repetere : nam si Socius ita recitans satisfacit,*

vt

vt probatum est, etiam ipse satisfaciet. Sic Diana. Cui consonat Verricelli *qu. 6. cit. n.* 113. quatenus ex illo, ait, quod verè satisfacit recitans cum eo, cuius verba, ob pronunciandi celeritatem, non bene percipit.

QVÆSTIO LXI.

An, satisfaciat Sacerdos sæcularis recitans cum Socio, ita festinanter, vt nondum expletis versiculis ab ipso Socio, versiculos sequentes recitare incipit?

REspondeo, Non satisfacere, si in notabili quantitate versuum, id præstet. *Quia tunc* (ait Tamburinus) *ex praxi Ecclesiæ censetur quis recitare totum Officium, licèt eius partem recitet Socius, quando illo partem non recitante, eamdem recitat Socius, ipse vero eamdem audiat; sic enim fit vtriusque Oratio vtrique communis: cum igitur id in casu dicto non obseruetur, non reputabitur totum Officium persolui. Nisi sic doceremus, liceret dimidiam partem Officij canere, aliam dimidiam eodem tempore canente Socio, quod esset præceptum Ecclesiæ notabiliter eludere.* Sic Thom. Tamburinus *lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 3. num.* 8. & antea Bonac. *disp. 1. de Horis quæst. 3. punct. 2. §. 1. num. 3.* Qui & citat Azor. *lib. 10. cap. 4. quæst. 11.* Lessium *capit. 37. dub. 10.* Toletum *lib. 2. cap. 13. nu. 9.* Paulum Squillas *1. p. dub. 20. num. 38.* Filliuc. *tom. 2. tract. 23. cap. 6. q. 9. & cap. 7. quæst. 8.* Reginald. *lib. 18. tract. 2. num. 146. & lib. 4. cap. 10. num. 87.* Nauarrum *de Orat. cap. 13. n. 37.* & Carolum Macign. *cap. 25. num. 24.* Sed ex his, quos pro hac parte citat, Authoribus, nec Azor. *loco* à Bonac. *cit.* nec Lessius, imo nec Filliuc. Saltem *vltimo loc. cit.* tenent. Tenent tamen alij, Quibus addo Castrum Palao *tom. 2. disp. 2. punct. 3. num. 9.* Ægidium Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 7. dub. 16. numer. 4.* qui etiam citat malè Azorium, & Lessium. Siluium *2. 2. quæst. 83. art. 13. concl. 5.* & Dianam *2. p. tract. 12. Resol. 32. in fine*, & omnes, saltem loquendo de Sacerdote sæculari: Nam loquendo de Regulari maior est difficultas, pro qua enodanda, sit,

QVÆSTIO LXII.

An saltem, Sacerdos Regularis satisfaciat Officio, recitans cum Socio; incipiendo suos versus, antequam ipse Socius suos finiat?

AFfirmat Pellizarius *tom. 1. Man. Regul. tract. 5. cap. 8. sect. 2. num. 89. Quia ex vna parte* (inquit) *Religiosus habens priuilegium recitandi Officium mentaliter, non minus potest recitare illum mentaliter versus contingentes Socio recitanti cum ipso dictos versus ab eo audiendo, quam illos oculis percurrendo in Breuiario: ex alia parte, cum mens longè velocius operetur, quàm lingua, potest præfatus Religiosus priuilegiatus, non solùm mentaliter absoluere integros versus à Socio syncopatos, sed etiam mentaliter finire versus sibi contingentes antequam Socius, præueniendo finem eorum vocalem inchoet versus, qui ipsi contingunt. Vnde supradictus Religiosus priuilegiatus Officium recitat cum omnimoda integritate, pleneque satisfacit obligationi; cum sic mentaliter dicat & totos versus, & debito tempore; quod sufficit ad integritatem recitationis mentalis, quæ vi præfati priuilegij conceditur dicto Religioso.*

Hinc patet (addit Pellizarius num. 90.) *Religiosum habentem priuilegium recitandi mentaliter Officium, non debere multum angi ex eo, quod in priuata Horarum recitatione, sæpe sæpius non sine aliqua sua negligentia syncopet verba diuini Officij, adeoque timeat, se non satisfacere obligationi; siquidem attento præfato priuilegio, reuera implet supradictam obligationem, quatenus per mentalem recitationem* (quam hic suppono) *potest supplere defectum plenæ recitationis vocalis commissum per syncopationem.* Hæc omnia Pellizarius. Sed non omnia benè, vt iam dicam. Igitur pro veritatis resolutione,

Respondeo *Primò.* Priuilegium concessum Regularibus recitandi Officium mentaliter; solùm est illis concessum, quando illud recitant soli, & per se; non quando recitant cum Sociis. Hoc constat ex illis priuilegij verbis: *Et quod eodem modo possit facere, qui solus dicit Officium per se:* relatis ab eodem Pellizario *sect. 2. cit. numer. 71.* & à Diana *part. 10. tract. 11. Resol. 1.* Et sic sentiunt Doctores de hac facultate, aut indulto agentes. Legatur Sà, *verbo Horæ Canon. num. 11.*

Respondeo *Secundò.* Certissimum est, quod casu, quo Regularis recitaret cum Clerico sæculari ad Officium obligato, minime satisfaceret obligationi suæ, incipiendo notabiliter suos versus, antequam ipse Socius fineret suos, etiam casu quo Regularis mentaliter recitaret medietatem versus contingentis Socio. Tum: quia, vt est habitum, priuilegium non est concessum recitanti cum Socio, sed per se solum. Tum etiam, quia in præfato casu minimè satisfaceret Socius, vt constat: ergo nec ipse Regularis cum eo recitans; cum esset causa, vt Socius non satisfaceret ex æquo Officio. Secus dicendum esset, casu quo Regularis recitaret Officium cum Socio ad id non astricto; quid tunc verè adimpleret, recitando suum versum voce, & alterum contingentem Socio, mente: quia id iam per se solum, & non formaliter cum Socio, totum officium diceret; partem licèt mentaliter, & partem vocaliter.

Respondeo *Tertiò*, etiam tanquam certum, quod minime satisfaceret Regularis recitando cum altero Regulari, ita festinanter vt nondum expletis versiculis à dicto Socio Regulari, versiculos sibi contingentes recitare incipiat; etiam dato quod mentaliter dicat medietatem versus sui Socij. Quia id ipsum clarè probant rationes nuper factæ. Quod intellige si Regularis id faciat in magna quantitate.

QVÆSTIO LXIII.

An, Quando plures simul priuatim recitant, debeant alternatim lectiones dicere?

AFfirmat Azor. *1. p. libro 10. capit. 7. quæstion. 9.* vbi, quærens, quomodo diuinum Officium sit persoluendum, quando preces canonicas simul à tribus, quatuor, pluribusve recitantur? Respondet, *vsu receptum esse, vt vnus vnum versiculum pronunciet, & cæteri, cum plures sunt, simul alium versiculum recitent: & cum tres sunt, vnus primam lectionem proferat, secundus, secundam; tertius, tertiam: & vno Capitulum dicente, cæteri audiant.* Hæc & alia Azor. Quem videtur sequi Bonacina *disp. 1. quæst. 3. §. 1. num. 10.*

Sed clarius Respondeo dicendũ, quod licèt magis vrbanum, æquum, & accõmodatum videatur quòd

omnes recitantes, per vices suas, alternatim lectiones dicant; non tamen sit necessarium; sed possint omnes lectiones ab vno dici. Sic Tamburin. *lib.2. in Decal.cap.5.§.3.num.10.* ita scribens: *Quando recitas cum Socio, obligaris proferre alternatim versus Psalmorum; cæterum Responsoria, Antiphonas, Capitulum, Orationes, ac lectiones sufficit si proferat Socius, tu verò attendas. Ratio ducitur ex praxi recitandi tantum in Choro, cui similis est recitatio cum Socio.* Sic ille. Et antea Suarez *libro 4. de Horis capit.25. numero tertio &* 4. Villalob. Diana, Faustus, Bonacina Palao, & alij, quos citat & sequitur. Corro *loco cit.num.67.*

QVÆSTIO LXIV.

An, Antiphonæ, quæ in principio, & fine Psalmorum, dicuntur; debeant, ab omnibus priuatim recitantibus, cum Sociis, simul dici?

AFfirmarunt aliqui Summistæ, vt refert Suarez *loco cit. num.5.* Quia, ita fit à Recitantibus in Choro: ergo, & sic debet fieri à recitantibus priuatim, cum Sociis.

Sed alij contra negant, docentes, quod, qui recitat cum Socio, sufficiat audire Antiphonas, sicuti, & lectiones. Ita Villalob. *tom.1. tract. 24. diff.11. num.4.* ibi: *Quando rezan dos juntos no an menester decir ambos las Antiphonas como se dizen en el Choro, que basta que vno de los dos las diga.* Ita ille. Quem citat & sequitur Diana *p.2. tract.12. Resol.12.* (non 32.vt citat Verricelli *tract.5. quæstion.6. numer.114.* quos & hic etiam sequitur,) sic etiam Tamburinus, vt vidimus, quæstione antecedenti. Quibus adiungi potest, P. Suarez *numer.5. cit.* vbi ait, *Quod licèt possit recitare modo à Doctoribus primæ sententiæ assignato; non sit tamen necessarium; quia communior vsus est, vt vnus tantum dicat Antiphonam, postquam alter Psalmum finiuit, & hic rursus inchoet Antiphonam pro Psalmo sequenti, itavt Antiphonæ subeant vicem versuum, & alternatim, seu successiue dicantur. Qui modus videtur optimus, & satis expeditus, & cum proportione idem seruari potest in Responsoriis, & versiculis. Et in vniuersum in hac priuata oratione videtur commodius, vt vterque Chorus nunquam coniungatur in dicendo, sed per mutuas vices, seu alternis omnia dicantur: Sic enim distinctior, & clarior fit Oratio.* Sic Suarez.

Sed ego vt certum Respondeo dicendum *Primò*, quòd licèt possint Antiphonæ ab omnibus simul recitari, aut dici, non tamen sit necessarium, ad pensum Officij soluendum, vt benè conuincit Suarez, relatis verbis.

Respondeo *Secundò*, dicendum; quod licèt modus recitandi, aut dicendi Antiphonas, à prima sententia addictus, sit similior praxi recitantium in communitate, aut Choro, vt constat; sed modus recitandi illas à Suario datus, est etiam optimus, & magis expeditus, vt ait ipse. Elige ergò quem malueris: securus ibis.

§. V.

De Continuatione, qua recitandum est Officium diuinum.

QVÆSTIO LXV.

An, Officium diuinum, sit cum continuatione; aut sine interruptione recitandum?

REspondeo, Recitandum sic esse. Quia sic omnino decet. Sic omnes DD. qui bene notant, hanc responsionem non esse intelligendam de inderruptione, quæ fit inter vnam, & alteram Horam, quam perspicuum est, apud omnes, absque vlla inolecentia fieri posse; sed de interruptione, eiusdem Horæ, vt si quis inchoata Prima, diuertatur ad aliquod negotium per aliquod temporis spatium, & postea illam perficiat.

QVÆSTIO LXVI.

An, Qui priuatim Horam aliquam, cum maxima interruptione recitat, peccet mortaliter; si id absque iusta causa faciat?

AFfirmant peccare mortaliter, nec satisfacere præcepto Ecclesiæ, nisi postea integre Horam recitet, repetendo iam recitatum, simul cum omisso, Nauar. Suarez. Azor, Reginald. Vazquez, & alij plures à me adducti *2 p.tract.6. de Ordine, disp.13. quæst.20.* Eo quod notabilis interruptio verè tollat vnitatem vniuscuiusque Horæ, aut eam valde diminuat.

Sed iterum probabilius Respondeo, Non peccare mortaliter, & consequenter Ecclesiæ præcepto satisfacere. Quia probabilius est, continuationem non esse de substantia singularum precum. Sic Aragon. Lessius, Filliuc. Naldus, Bonacina, Fernandez, Zanard. Ledesma, Barbosa, Layman, Villalob. Rodrig. Diana, Sanchez, Trullench, Machado, Narbona, & Candidus, quos omnes citauimus loco vbi supra *quæst.20.* Quibus nunc addo Hermanum *lib.4. cap.2.dub 2.* Pellizarium *tom.1.tract.5.cap.8. num.78.* & Thomam Tamburinum *in Decal. lib.2. cap.5.§.3. num.11.* Qui addit, vt mox videbimus, idem dicendum, etiam casu, quo quis recitaret vnum Psalmum pridiè vespere, & postea sequenti die ante mediam noctem, recitaret quod recitandum supereset. Acacium *v.Horas Canon.Resol.55.*

QVÆSTIO LXVII.

An saltem, interruptio maxima, facta intra Chorum, sit mortalis?

AFfirmat Suarez *lib.4. cap.11. num.10. & 11.* vt referunt etiam Bonacina & Tamburin. & à fortiori omnes DD. nuper pro prima sententia adducti.

Sed adhuc probabilius Respondeo Necdum esse mortalem, si talis interruptio fiat absque scandalo. Quia tunc omnino militat adducta ratio. Sic Bonac. *num.28. cit.* quem sequitur Tamburin *num.11. allegato*, his verbis: *Quæcumque interruptio, siue extra chorum, siue (præscindendo scandalo) in choro, dummodo*

modo continuatio fiat intra eundem diem, peccatum mortale nequaquam attingit. Itaque, qui vnum Nocturnum, vel etiam vnum duntaxat Psalmum, hoc mane v. g. recitat; vel qui Matutini partem, etiam vnum Psalmum eiusdem, recitauit pridiè vesperi, si postea antequam spiret tempus præscriptum recitandi, nempe media nox sequens, recitet quod recitandum supereſt, non erit culpæ mortalis reus. Ratio est, quia iam intra latitudinem temporis, in quo vrget præceptum, totum officium persoluitur: & ex alia parte non apparet irreuerentia grauis id in oratione facere, quæ tamen grauis esset in celebratione Missæ: quia hæc non est sola oratio, sed sacrificium, cui plura deberi inficiabitur nemo. Hucvsque Tamburinus. Qui & citat Lugum pro se. Et poterat citare Dianam *p.* 10. *tract.* 16. *Resol.* 47. & Martinum de S. Ioseph. *tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 8. *n.* 8.

Qvæstio LXVIII.

An saltem, sit Culpa venialis, quæcumque interruptio, siue extra Chorum, siue in Choro, sine iusta causa, facta?

Respondeo vt certum: tunc esse culpam venialem: Quia in dicta interruptione, verè intercedit aliqua irreuerentia, ac indecentia contra Deum. Sic omnes DD præcipuè, quæst. præcedentibus citati. Qui id limitant, nisi casu, quo interruptio esset valde breuis, quia tunc non esset venialis. Legatur Bonac. *loc. cit. n.* 30. *in fine.*

Qvæstio LXIX.

An, sit immunis à veniali, interruptio cuiusque Horæ, facta cum quacumque honesta causa?

Respondeo vt certum: Esse immunem à veniali. Quia leges Ecclesiæ semper interpretari debent, vt moralem facilitatem seruent. Ita communiter DD. Azorius 1. *p. lib.* 10. *cap.* 8. *quæst.* 3. & 8. Lessius *num.* 59. Nauar. *de Orat. cap.* 16. *nu.* 68. Filliuc. *n.* 259. Suarez *cap.* 11. *n.* 9. & *cap.* 24. *in fine.* Molfes. Aragon, Reginald. & Carol. Macignus, quos citat, & sequitur Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 2. §. 1. *num.* 29. *vers. secus dicendum est.* Pellizar. *to.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *qu.* 12. *num* 79. Tamburin. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 3. *n.* 11. per hæc verba: *Dixi*, grauis, *nam si id fieret sine causa, peccatum veniale non effugeretur, quia non custodiretur status Orandi modus: accedente autem causa, itineris v. g. negotij superuenientis, Charitatis, imo & Eutropoliæ, hoc est, affabilitatis, etiam leuis culpa facile vitabitur, Deo optimo, humanis moribus per suam benignitatem, sic indulgente, quod certè non indulgeret superbus quilibet humanus Princeps.* Sic ille. Corro, *de Horis Canon. q.* 4. §. *sine interruptione, n.* 37. & 43. Barthol. à S. Fausto *qu.* 100. *vers. Dixi secundo.* Hermanus, *loco cit. num.* 4.

Qvæstio LXX.

An, sit veniale, dicere Matutinum vesperè, & Laudes, aurorâ diei sequentis?

Affirmat esse veniale, si id fiat sine iusta causa, Azor. 1. *p. lib.* 10. *cap.* 8. *quæst.* 4. ibi: *In primo*, R. P. Leand. in Decalogum. *non existimo eum lethaliter peccare, qui sine rationabili causa diuidit, sed tantum leuiter.* Vnde non bene citatur ab aliquibus pro opposito. Tenet etiam cum Azorio, Garcias *de Benef.* 3. *p. c.* 1. *n.* 224.

Sed iterum probabilius Respondeo Necdum veniale esse: imo potius, secundum aliquos, laudabile. Quia sic olim fiebat, vt constat ex Cap. 1. *de Celebrat. Missar.* & docent Suarez, Nauar. Bonac. Graff. Tolet. Reginald. Bellarm. & Narbona, quos omnes citauimus *part.* 2. *tract.* 6. *disp.* 13. *quæst.* 21. Quibus adde Filliucium *tract.* 23. *num.* 235. Tamburinum *lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 3. *num.* 11. *in fine.* Scobar à Corro, *tom.* 2. *tract. de Horis Canon. qu.* 4. *n.* 4. & *num.* 124. Sanchez *lib.* 7. *consil. cap.* 2. *dub.* 20. Pellizarium *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *num.* 80. Trullenc *lib.* 1. *in Decal. cap.* 7. *dub.* 11. *num.* 5. & 6. & *dub.* 18. *num.* 9. Dianam *p.* 5. *tract.* 14. *Resol.* 48. vbi male citat Toletum pro opposita sententia; sequitur enim nostram his verbis: *Possunt autem separari Laudes à Matutino, vt dicatur noctu Matutinum, & iam incipiente die, Laudes.* Sic Toletus *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 5. Imo & male etiam citat Nauarrum de Orat. *cap.* 3. *num.* 28. pro opposito, cum revera nobiscum sentiat, præcipue *loc. cit.* & *nu.* 64. ergo bene hos duos DD. citauimus hic, & *part.* 2. *loc. cit.* Tenet etiam Hermanus, *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 4. *fine.* Legatur de hac quæst. Quintanadueñas *tom.* 1. *tra.* 8. *singul.* 2. & 3. & Diana *p.* 10. *tract.* 11. *Resol.* 17. necnon Bassæus *tom.* 2. *V Horæ Canon.* 3. *num.* 2.

Qvæstio LXXI.

An, Quando Matutinum diuiditur à Laudibus, sit opus, Matutinum absoluere cum Dominus Vobiscum, *& oratione diei?*

Negat Sanchez *tom.* 2. *consil. lib.* 7. *dub.* 20. *num.* 2. Quem sequuntur Tamburinus *lib.* 2. *in Decal. cap.* 2. §. 3. *num.* 11. *in fin.* Tiberius *quæst.* 88. ex Azorio 1. *p. lib.* 10. *cap.* 8. *quæst.* 4. Quos omnes pro hac sententia refert, & sequi videtur, Pellizarius *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *num.* 81. His adde Bonacinam *de Horis disp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 3, *n.* 14. & Scobar. à Corro, *loc. cit. numer.* 124.

Fundamentum eorum est; quia nullo iure, nec auctoritate, nec ratione probari contrarium potest.

Sed probabilius Respondeo opus esse tunc, in fine Matutini, Orationem, simul cum *Dominus Vobiscum*, & *Benedicamus Domino*, recitare. Quia sic finit Matutinum Ecclesia in occurrenti casu, nempe, in die Natalis Domini. Factum ergo Ecclesiæ ius facit. Ideoque sic sentiunt Gauantus *in Rubr. Missalis sect.* 4. *cap.* 2. Quem refert, & sequitur Diana *part.* 5. *tract.* 14. *Resol.* 48. Sic etiam Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 4. *num.* 122. Ioan. Baptista de Fabris, *de Sacram. Ordin. in communi cap.* 19. *quæst.* 5. Lezana *in qq. Regular. cap.* 12. *numer.* 16. Bonartius *de Horis Canon. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 2. Trullench *lib.* 1. *in Decal. cap.* 7. *dub.* 11. *n.* 6. & *dub.* 18. *nu.* 9. *in fine.* Nauarr. Toletus, Suarez, Rodrig. Lessius, & Reginald. apud Pellizarium, *vbi supra.* Et tenuit Scobar, antea *loco cit. num.* 45. licèt postea mutauerit placitum. Bassæus *loco citato.*

QVÆSTIO LXXII.

An, quando Laudes seorsim à Matutinis recitantur; inchoandæ sint, cum Pater noster, & Aue; *more aliarum Horarum?*

AFfirmant, apud Pellizarium, vbi nuper, Nauar. Tolet. Rodrig. Lessius, Suarez, Reginald. & Filliuc. His addo Trullench *lib.1. in Decalog. cap.7. dub.11. num.6. & dub.18. in fine.* Victorellum *in annot. Toleti lib.2. cap.13. vers. Possunt etiam separari* Faustum, *lib.2. de Horis, Canon. quæst.108.* Scobar. à Corro, *loc.cit. num.46.* (Qui, & citat Dianam, vbi supra *Resol.48.* Sed certè Diana, non loquitur de casu huius quæstionis, sed antecedentis.) & Bassæum *loc.cit. num.2.*

Sed probabilius, & consequentius Respondeo, Non esse necessariò, inchoandas laudes, cum *Pater, & Aue.* Quia sic colligitur ex vsu Ecclesiæ, quæ in Officio Natalis Domini, absolutè inchoat laudes sine *Pater, & Aue.* ergo. Sic Azor. *tom.1. lib.10. cap.8. quæst.4. versu, in secundo Nauarrus*, & Sanchez *lib.7. consil. cap.7. dub.20. num.2.* apud Corro; sed certe hic Auctor solùm de casu quæstionis antecedentis loquitur. Tenent tamen Bonacina *num.14. cit.* Grauantus, vbi supra *sect.4. cap.2. numer.4.* Tamburinus *lib.2. in Decal. cap.5. §.3. num.11. vers. si quando*, & dicit probabile Trullench, vbi nuper, *dubit.18. in fine.* Imo, & tenet Corro, contra se ipsum, *loc. cit. numer.124.* Pellizarius, *n.81.*

QVÆSTIO LXXIII.

An, Nocturna possint separatim, saltem intra spatium, trium horarum, recitari?

NEgant, apud Bonacinam, Azor. *cap.8. cit. qu.4.* Francolinus, *de temp. horar. Canon. capit.27. à num.8.* Layman *cap.3. num.7.* & Macignus *cap.48. num.4.* Sed certè hanc partem non negant omnes isti, cum Azor potius oppositum innuat; vt *infra.* Negat tamen expresse Francolinus *loco cit.* idque probat. *Quia, quamuis antiquo tempore, separatim essent Nocturni, nunc tamen adeo connexi sunt; vt nullum ferè separationis illius vestigium permanserit.* Ita ille.

Sed quid certum Respondeo *primo*: Licitum est, iusta interueniente causa, singula Matutini Nocturna Seorsim, ac separatim recitari, intra spatium trium horarum. Hæc responsio est certa. Quia (vt *supra* est habitum, *quæst.68.*) interruptio Diuini Officij, iusta interueniente causa, immunis ab omni manet culpa. Sic communiter DD. Bonacina *de Horis Canon. disp.1. quæst.3. pun.3. num.13.* Filliuc. *tract.23. c.6. n.202. & 238.* Bartholom. à S. Fausto *lib.2. de Horis quæst.105.* Scobar à Corro, *tract. de Horis quæst.4. num.47.* Hermanus *in Medulla Theolog. Moralis libr.4. capit.2. dubit.2. art.4. numer.4.* vbi sic ait: *Imò probabile est, Nocturnos singulos separatim, saltem intra trium horarum spatium, dici posse (quod certum videtur, si iusta causa concurrat) quia secundum quosdam antiquitus ita fiebat.* Sic ille, & antea Azor. *quæst.4. cit* per hæc verba: *Dubitabis, an seiungi possint, & diuid. à se tres Nocturna Vigiliæ, per horam vnam, aut duas, pluresve? Respondet Nauarrus*, de Orat. cap.3. n.64. *iusta de causa fas nobis esse diuidere. Non alicubi, pro mortuis Clericis, non nouem Psalmos, & totidem lectiones in tres ordines diuisas decantant; sed tres tantum Psalmos cum totidem lectionibus.* Sic Azor. Sic etiam Pellizarius *loco cit. numero 82.* & apud ipsum, Tiberius *quæstio.97.* & id non esse improbabile affirmat Trullench. *lib.1. in Decalog. capit.7. dubitat.18. in fine.* & tenet Quintanaduenn. *vbi supra.* Quem citat, & sequi videtur Diana *p.10. tract.11. Resol.17.* Bassæus *tom.2. v. Horæ Can.3. num.2.*

Respondeo, *Secundo.* Longe multo probabilius est, quod non excedat culpam venialem, recitare separatim, etiam, per quodcumque temporis spatium, Nocturna etiam non interuenienti vlla causa. Quia id à fortiori probant à nodis dicta, *supra quæstio.65.*

Respondeo, *Tertio.* Probabile mihi est, quod nec attingat veniale, priuatim recitare Nocturna separatim per quodlibet spatium temporis, etiamsi non interueniat iusta causa. Quia ad vitandum veniale, sufficit quod antiquitus etiam in communi, separatim recitari solebant: ergo à fortiori nunc priuatim, licitè recitari possunt. Adde, quod, vt omnes fateri tenentur, inter Nocturna Diuini Officij, non adest tanta connexio, sicut adest inter Psalmos cuiusuis Horæ: atqui interruptio horum, etiam absque causa facta, non excedit culpam venialem, vt dictum est *quæstio.66.* ergo nedum hanc attinget interruptio Nocturnorum, etiam absque causa.

QVÆSTIO LXXIV.

An, casu, quo quis diuidat Nocturna, terminare debeat primum Nocturnum cum oratione diei, & sequens inchoare cum Pater, & Aue?

AFfirmandum videtur, ex dictis à nobis *qu.70.* & ideo sic sentit Filliucius *tract.23. c.7. n.238.* per hæc verba: *De interruptione Nocturnorum, iam diximus, si non excedat tres horas posse permitti: quia sic olim fiebat: tunc autem appositè recitanda esset oratio in fine Nocturni: & in principio alterius*, Pater noster, & Aue. Ita ille, quem sequitur Bassæus *num.2. citato.*

Sed probabilius, Respondeo negatiuè. Quia oppositum nullo iure, aut vsu Ecclesiæ probari potest. Imò potius, nostrum placitum confirmat, quæ quoties Nocturnum, seu Vigiliam Defunctorum recitat; post illam, minime orationem dicit, sed immediatè Missam incipiat. Vnde ex vsu ipsius Ecclesiæ constat quid dicendum ad rationem dubitandi. Sic Tiberius, quem citat & sequitur Pellizarius *tom.1. tractat.5. capit.8. sectio.2. quæstio.12. numero 82.*

QVÆSTIO LXXV.

An, ex iusta causa, liceat diuidere Psalmos à lectionibus eiusdem Matutini?

REspondeo, Ex iusta causa, licere: Quia cum hac, licet quæcumque interruptio, vt *supra* est habitum. Sic Verricellus *in qq. Moralib. tract.5. quæst.6. num.133.* ibi: *Quare posset equitando aliquos Psalmos Beatæ Mariæ aut alicuius Sancti memoriter recitare, & serò dicere lectiones.* Sic ille. Et Hermanus *lib.4. cap.2. dubit.2. art.4. numero 4.* Sic: *Addit Quintanaduennas* tract.8. sect.3. *lectiones, sine tres sint, sine*

sine nouem, posse absque culpa graui, & eum hac, absque vlla culpa, diuidi à Psalmodia eiusdem Matutini. Sic ille. Et Diana *p.20.tract.11.Res.17.* vbi ex eodem Quintanaduennas *loc.cit.* docet, *Lectiones in Matutino diuidi posse à Psalmorum recitatione per quodcumque temporis spatium, etiam à secunda hora post meridiem vnius diei, ad vndecimam noctis diei sequentis; quod probat ex ratione adducta à Doctoribus, qui magnam, etiam inter Psalmos eiusdem Horæ, interruptionem venialem esse concedunt: maior enim connexio datur, & maior vnitas moralis debet dari, inter versus eiusdem Psalmi, quam inter Psalmos Nocturnorum, & lectiones: hæ enim respectu Psalmorum sunt velut quid etherogeneum. Nec obstat dicere, Psalmos, vt sic, sine vlla relatione ad lectiones, & Orationes, non esse Officium Diuinum; esse verò cum relatione ad illas: Nam, cum quis Psalmos recitauit intentionem habeat recitandi postea, intra terminum ab Ecclesia, vel à Doctoribus assignatum, lectiones; illi Psalmi intentionaliter perseuerantes, moraliter cum lectionibus vniuntur, & constituunt vnum morale Diuini Officij corpus.* Hæc ex Quintanadueña, Diana Luysius de Torres *in summa 1.p.cap.116.dub.4.in fine.*

Qvæstio LXXVI.

An peccet mortaliter, qui per risum, aut aliam rem vanam, per magnum temporis spatium, interrumpit Horam?

Affirmabunt à fortiori omnes Authores pro prima sententia adducti *quæstio.66.*

Sed probabilius, Respondeo. Nec in hoc casu peccare peccato mortali, sed veniali; licèt ex duplici capite, nempe & peccato irreuerentiæ, contra Religionem; eo quod sine causa Horam Canonicam interrumpat; & peccato verbi iocosi, aut vani. Sic tenebunt Authores pro nostra sententia *vbi supra* allegati.

§. VI.

De ordine, quo recitandæ sunt Horæ Canonicæ.

Qvæstio LXXVII.

Quo ordine recitandæ sunt Horæ?

Respondeo, dicendum, quod iuxta Ecclesiæ præscriptum; nempe priùs Matutinum, & Laudes, deinde, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium. Sic habetur *in cap. Presbyter dist.19. cap.1.de Celebrat.Missar.* & comprobat vsus.

Qvæstio LXXVIII.

An, Qui dictum ordinem non seruat, sed vesperas v.g. prius recitat, quàm Matutinum; Primam quam Laudes; peccet mortaliter, si id faciat scienter, & sine causa?

Affirmant Vazquez, *opusc.de Benefic.cap.4.§.1. dub.4.num.66.* docens, *Quod ille, qui sæpissimè, ordinem Horarum inuertit, peccet mortaliter; eo quod nimium ordini, & consuetudini Ecclesiæ communi deroget. Secus verò si bis, aut ter id faciat; quia tunc non videtur, ita grauiter consuetudinem Ecclesiæ lacerare, & disrumpere, & ideo non peccaret mortaliter.* Ita Vazq. quem sequitur Luysius *in Sum.1. p. c.116. dub.1.num.5.*

Sed hunc modum dicendi Vazquij, bene impugnat Bonacina, *de Horis disp.1.qu.3. punct.4.num.2. & 5.* Tum, ex eo quod videatur Vazquez supponere obligationem Officij, non esse affixam diei, & non transire, cum ipso die; quod est falsum. Tum etiam; quia sequeretur, quod ille, qui paucos versiculos singulis diebus prætermittit, grauiter peccaret, postquam peruenisset ad notabilem quantitatem, quæ simul sumpta esset sufficiens ad mortale peccatum. Vnde,

Probabilius longe, Respondeo. Non peccare mortaliter, secluso contemptu; sed venialiter tantum. Quia ordo non est de essentia Officij, & ideo in substantia adimplet præceptum; defectus autem est in quodam accidente, & est priuatus defectus, & scandalum non timetur. Sic Suarez *lib.4. de Horis Canon. cap.24.num.4.* dicens, sic sentire omnes. Bonac. *loc.cit. num.2. & 5.* Reginald. *tom.2.lib.18.cap.1. num.160.* Squillante *de obligat. Clericor. par.1.dub.24. num.47.* Lessius *lib.2. cap.37. dub.12.num.80.* Villalob. *tom.1. tract.24.diff.13.num.1.* quos omnes citat, & sequitur Diana *tom.1.tract.12.de Horis Canon.diff.16.* Quibus addi possunt Trullench. *lib.1. in Decal.c.7. dubit.19. num.1. & 2.* Thom. Tamburin. *lib.2.in Decal. cap.5. §.3.n.12.* dicens id esse contra Suarium, (Vazquium intendit dicere) Pellizarius, *tract.5. capit.8.sectio.2. quæst.13. num.83.* (non 78. vt leges apud Tamburinum) & apud ipsum, Sotus, Caiet. Nauar. Sanchez, Ledesma, Pedraza, Armilla, Margarita, Medina, Palac. Azor. Tolet. & Tiberius. Scobar à Corro, *de Horis Canon. quæst.4. num.88.* qui tamen male citat pro hac parte Vazquium. Sic etiam Hermanus, *loc. cit. num.5.* Sanchez *lib.7.dub.36.num.3.* Gauantus *2. p.sectio.1.cap.5.tit.8.* Acacius *v. Horæ Canon.Resol.57. numer.4.* Verricellus, *in qq.moral. tractat.5. quæstio.6. num.124. & 125.* Palao *tom.2. disput.2.pun.4.num.4.* & omnes communiter.

Qvæstio LXXIX.

An saltem, peccet mortaliter, si ordinem in eadem hora inuertat; prius, v.g. recitando in Matutino, lectiones, quàm Psalmos; Laudes, quàm Matutinum; preces, & capitula, quàm Psalmos, &c.

Affirmant, & à fortiori, Vazq. *loco cit.num.66. in fine.* Cui satis fauet Filliuc. *tractat.23. cap.7. quæst.5.num.233.* dum hæc scribit: *Dico tertio, si mutatio fiat, inter partes eiusdem Horæ; etsi Doctores idem videntur dicere de immutatione, quod de Horis: at tamen hæc videtur minus rationabilis, quia corrumpit artificium, & pulchritudinem Horæ, quæ in eo ordine, quem nunc habet posita est.* Ita ille.

Sed adhuc probabilius, Respondeo. Nec in hoc casu peccare mortaliter (secluso contemptu, aut scandalo) etsi id faciat, sine causa, aduertenter, & sæpe. Quia, vt nuper diximus, ordo non est de substantia Officij. Nec obstat, quod obiicit Filliuc. *Nam,* vt bene Palao, *partes cuiuslibet Horæ seorsim sumptæ, completam significationem habent; neque vna ab alia pendet. Ad componendam autem vnam Horam vniuntur potius per aggregationem, quàm per continuationem, aut aliam vnionem strictiorem, cui aggregationi, non obstat hæc inuersio, & mutatio, solùm ergo peccaret venialiter, ob rationem,* supra *datam.* Sic Palao *loc. cit. num.5.*

num.5. dicens, hanc esse communem sententiam. Sà *verb. Horæ Canon. num. mihi 15.* Bonac. *disput.1. quæst.3. punct.4. numer.5.* Pellizarius, Tamburinus, Corro, & alij citati. Qui omnes dicunt, ex iusta causa excusari posse ab omni culpa. Quæ autem iusta sit causa, ex mox dicendis, cognosces.

QVÆSTIO LXXX.

An, Qui manè non habet præ manibus nisi Diurnum, possit absque veniali culpa, recitare Psalmos, Hymnos, Laudes, & Horas, & postea; habito Breuiario, Lectiones, & Responsoria?

REspondeo, Posse. Quia Breuiarij carentia, causa est iusta ad id faciendum licite. Sic Tamburinus *lib.2.in Decalog.cap.5.§.3.num.12. in fine.* Philiarcus *par.1.lib.1.cap.6.concl.1.* Et ex illo Layman. *tractat.1. de Horis cap.5.num.7.* sic dicens: *Si quis dictis Psalmis matutinis, non habeat sermones ad manum, vel eos ratione itineris v.g. legere non possit, atque instet causa, siue necessitas aliqua exoluendi se penso Canonico, permissum est sermones differre, & cætera, etiam Laudes persoluere. Eademque ratio est, si commemoratio de Festo, vel aliquid simile ad manum non sit.* Sic ille & Bonac. *dicto pun.4.num.5.vers. Rursus addo* (in nouis.) Corro *quæst.4. de Horis.numer.92.* Palao *punct.4.cit. numer.5.* ibi: *Item si cum recitas Matutinum deest tibi Breuiarium ad Lectiones, & Responsoria, potes, omissis lectionibus, postea recitandis, reliquum recitare, &c.*

QVÆSTIO LXXXI.

An, Qui non recitauit Matutinum, possit Primam, aut Tertiam recitare, si ad id ab amico, aut Superiori inuitetur?

REspondeo, Posse, & licite. Quia hæc iusta est variandi causa. Sic Suarez *tom.2. de Relig.lib.4. cap.24.num.4.* Layman *tract.1.cap.3.numer.8.* Lessius *lib.2.cap.37.dub.12.in fine.* Toletus *lib.2.cap.13.nu.2.* Bonac. *punct.4.cit. num.3.* Barbosa *in cap. Presbyter. de Celebrat. Missar.numer.8.* Filliuc. *tract.23. capit.8. quæst.8.num.232.* Trullench. *lib.1.in Decalog.capit.7. dubit.19.numer.2.* Scobar à Corro, *quæst.4. num.93.* Vazquez *de Benef. art.2. dubitat.4.* Hermanus *art.4. cit. numero 5.*

QVÆSTIO LXXXII.

An, si quis, medio Matutino, aut Prima, &c. intret Chorum; possit cum aliis licite prosequi; & postea recitare omissa?

REspondeo, Posse. Quia re vera iustam habet causam differendi ea, quæ iam Chorus recitauit. Sic Sà, *verb. Horæ Can. num.8.* his verbis: *Ingresso Chorum tardè, sufficit postea, sola, quæ iam erat ab aliis recitata, supplere.* Sic Sà. Bonac. *punct.4.cit.numer.9.* Suarez, Nauar. & Filliuc. penes ipsum. Layman *loc. cit. cap.5.num.7.versu Adde 1.* Qui ait, *Probabiliter docuisse Henricum*, quodlib. 11. quæst.29. *& Maiorem* in 4. dist.12. quæst.6. *nihil supplendum esse in dicto casu, si non multum in Choro processum est: quia sicut in Missæ auditione, ita & in officio Canonico, omissio modici æstimari non solet: præsertim cum propter societas vinculum, alij cantantes vnicus defectum supplere censeantur.* Ita Layman. Cuius additum admittit. Bonac. *loc.cit.num.9.* & Pellizar. *cap.8. sectio.1.num.43.* Sed oppositum esse probabilius; teneri sub veniali omissam partem dicere, asseruimus expressè cum Filliucio, Suario, & Fagundez *par.3. de Auditione Missæ tractat.2. disput.1. quæst.65.* Legantur ibi à nobis dicta.

QVÆSTIO LXXXIII.

An, qui recitans Tertiam, recordatur se nondum recitasse Primam; possit licitè Tertiam prosequi cum attentione recitandi postea Primam?

REspondeo, vt certum: Posse licitè. Sicuti & poterit similiter ille, qui ad Chorum accedit dum canitur Tertia, & non recitauit Primam: nam poterit Tertiam cum Choro recitare, & postea persoluere Primam. Sic communis. Caiet. Siluest. Nauar. Azor. Tolet. Lessius, Suarez, Molfes. Squillas, Macignus, quos citat, & sequitur Bonac. *punct.4. cit. numer.4.* Layman, & Barbosa, *vbi supra.* Corro *qu.4. numer.96.* Trullench. *dubit.19. citat. numer.2.* Palao *punct.4. sub numer.5.* Hermanus *lib.4. Sum. capite 2. dubitat.2. articul.4. numer.5.*

QVÆSTIO LXXXIV.

An ad minus, sit mortale, ex genere suo, peruertere ordinem dicendi Horas in Choro?

AFfirmant multi, quos nouissimè sequitur Pellizar. *tom.1. tractat.5. capit.8. sectio.2. quæst.12. numer.30.* Quia talis inuersio dicendi Horas (inquit) aufert vniformitatem, quæ Ecclesiæ tribuit specialem decorem, & dat occasionem grauioris offensionis, ac scandali. Ita ille. Qui citat pro hac parte, Suarium *lib.4.cap.11. num.7.* Filliuc. *tract.23. num.187. & 188.* & Palaum *tractat.2. disput.3. punct.5.num.1.* Quibus addo Sotum, & Toletum, quos citat, & sequitur Macignus *cap.45.num.5.*

Sed adhuc probabilius, Respondeo. Non esse ex genere suo mortale. Vnde abstrahendo à contemptu Rubricarum, aut scandalo, solùm erit venialis talis Horarum inuersio: si fiat absq; iusta causa. Quia huiusmodi Horarum inuersio non tollit Officij essentiam. Sic Bonacina *de Horis disp.q.3.punct.4.num.5.* Trullench. *lib.1.in Decalog.capit.7.dubit.19.numer.3.* Diana *tom.1. tractat.12.de Horis Resol.16.* Gauantus *in comment.Rubr. Breuiarij tom.2.sectio.1.capit.5.tit.8. num.3.* Thomas Tamburin. *libr.2. in Decalog.cap.5. §.3.num.12.iuncto num.11.*

QVÆSTIO LXXXV.

An, qui partem aliquam Officij omisit; teneatur ipsammet partem repetere, vt sufficiat aliam, loco ipsius?

NEgat teneri ipsammet partē omissam repetere, sed sufficere aliquid aliud, loco illius, Siluester. *verb. Horæ. quæst.12. num.15.* His verbis: *Quartum, secundum Petr. de Palude, vbi supra, qui male dixit Officium, si vult euadere mortale, debet redicere totum; si autem*

autem modicum dimisit, puta dictionem, aut versum, vel Psalmum, tenetur illud recipere (lege, *redicere*) *post officium vel aliquid loco eius dicere, si vult euadere veniale.* Ita ille. & alij apud Macignum *capit.* 17. *numero* 12. Quibus satis fauet Sà, *verb. Hora Canon.* dum *numer.* 12. affirmat, loco Horæ alicuius, posse aliquid æquiualens ex causa dicere.

Affirmat contrà, Bonacina *loc. cit. num.* 9. *in fine*, dicens ipsammet partem omissam repetendam esse: *Quia non est* (inquit) *in potestate Beneficiarij partes Diuini Officij immutare, sed Officium, iuxta Ecclesiæ prescriptum recitare debet.* Ita ille.

Sed ego distinctius, Respondeo, dicendum; teneri eandemmet partem omissam repetere, si facilè possit: secus verò, si aliàs, tunc enim sufficiet illi æquiualens recitare. Sic Faustus *quæstio.* 207. *versu: Dixi notanter.* & ex illo Scobar à Corro *quæstio.* 4. *de Horis n.* 95. per hæc verba: *Amplia dictam quartam limitationem, vt intelligatur, dum omissum suppleri commode possit, secus aliter. Nam si pars omissa constet ex pluribus versiculis diuersorum Psalmorum, vel Responsorum, erit valde difficile, eosdemmet quærere, & recitare, & sic magna incommoditas, & implebit recitando vnum, vel plures Psalmos, qui contineant tot versus, quot fuerunt omissi, & sic per æquipollens satisfaciet.* Ita ille.

§. VII.

De tempore recitandi Horas Canonicas.

QVÆSTIO LXXXVI.

An Officium Diuinum sit statutis horis recitandum?

REspondeo, vt certum: Esse recitandum horis statutis à iure, vel consuetudine. Sic in Clement. 1. *de Celebr. Missar.* vbi cauetur, vt Nocturnum, & diurnum Officium in Ecclesiis, publicè, temporibus debitis, persoluatur. Et licèt huiusmodi ius nihil constituerit de iis, qui priuatim extra Chorum recitant; tamen certum est, vt hi, suis temporibus opportunè etiam recitare teneantur, vt infra. Sic Azor. *lib.* 10. *cap.* 9. *quæst.* 1. ex Innocen. Ioan. Andrea & Abbate. Sanchez *lib.* 7. *consil. cap.* 2. *dubit.* 35. *concl.* 1. Tamburin. *lib.* 2. *cap.* 5. §. 5. *num.* 1. illis verbis: Suis ab Ecclesia statutis horis, recitandas esse preces Canonicas, clarius est, quam quæri oporteat.

QVÆSTIO LXXXVII.

An etiam, Qui priuatim extra Chorum recitant, teneantur statutis Horis, Horas Canonicas recitare?

NEgant Caramuel *in Regul. S. Bened. disput.* 112. *artic.* 1. *num.* 1411. vbi docet, quod, si quis extra Chorum, non recitet Horas Canonicas, temporibus determinatis, non peccat adhuc venialiter. Id probat *Primo*, ex praxi virorum grauium, & timoratæ conscientiæ; cum ex illis vix vnus in priuata recitatione statutas horas seruet. *Secundo.* quia minime reperitur lex, quæ horas, aut tempus fixum, recitanti extra Chorum, seu priuatim, constituat. Patet, nam si quæ, maximè esset *Clem.* 1. *de Celebr. Missar.* atqui huiusmodi lex, solùm loquitur de officio publicè, & in Choro celebrando; ergo.

Sed absolutè, Respondeo dicendum, quod etiam ille, qui extra Chorum priuatim Officium recitat, teneatur id statutis, à iure, seu consuetudine, horis, efficere. Quia (ait Azor. *loc. cit.*) quamuis ius nihil (*loc. cit.*) constituerit, de iis, qui priuatim, extra Chorum pensum Horarum exoluunt; nihilominus tamen, inter omnes conuenit iuris esse communis, vt eæ etiam preces suis temporibus opportunè recitentur, quod videtur colligi ex *capit.* 1. *de Celebrat. Missar.* Hæc Azor. Et bene, cum *in d. cap.* hæc verba habeantur: *Presbyter manè matutinali Officio expleto, pensum seruitutis suæ, videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persoluat: ita tamen, vt horis competentibus, iuxta possibilitatem aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur.* vbi ex causa conceditur, priuatim recitanti, vt Horas simul dicat; dum tamen Horæ publicè cantentur in Choro horis competentibus: ergo sub peccato saltem veniali, tenebitur priuatim recitans, id facere temporibus suis. Sic Prado *tom.* 2. *cap.* 30. *quæstio.* 8. §. 4. *num.* 49. ex Innocent. Hostiensi, *vbi supra*, & Nauarr. *de Orat. capite* 3. *numer.* 45. *& sequent.* vbi id latè, & optimè, vt solet, probat.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An, qui priuatim recitat, peccet mortaliter, si absque vlla causa, non dicit Horas, statutis ab Ecclesia horis?

REspondeo, vt certum: Non peccare mortaliter, sed venialiter tantum. *Primum* constat: Quia re vera non facit contra substantiam Diuini Officij. Deinde non extat præceptum in praxi obseruatum, cum tanto rigore: ergo. *Secundum* (quod est contra Caramuelem, *vbi supra*, cui satis fauet Dicastillo *tom.* 1. *de Sacram. tractat.* 4. *disputat.* 10. *dubit.* 6. *numer.* 160. & Diana *part.* 10. *tractat.* 11. *Resol.* 16.) constat; tum ex habitis antecedenti quæstione. Tum etiam, quia recitandi actio, extra tempus; verè est contra consonantiam Officij, & congruentiam Orationis: ergo & venialis, si fiat absque vlla causa. Sic communiter Doctores. Legantur nuper citati, & mox citandi.

QVÆSTIO LXXXIX.

An, qui, aliqua existente causa, non recitat in suis horis officium; immunis sit à veniali?

REspondeo, vt certum: Esse immunem. Quia iusta causa excusat à veniali, recitantem extra Chorum tempore non præfixo. Sic omnes Legantur Nauarr. *de Orat. cap.* 3. *à numer.* 45. *& in Man. capit.* 25. *numer.* 97. Caiet. *verb. Hora.* §. 4. Sanchez *libro* 7. *consil. capit.* 2. *dubit.* 36. *numer.* 2. Sotus, Tabiena Armilla, Angel. & alij, apud ipsum. Tamburinus *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 5. *num.* 1. ibi: *Si intra eundem diem recitentur* Horæ, *licèt non in suis horis, non peccari certum, nisi venialiter; & aliqua existente causa* (*certe non necessario magna*) *ne venialiter quidem in priuata recitatione.* Sic ille. Lege infra *quæstionem* 97.

QVÆSTIO XC.

An licitum sit, etiam non existente causa, recitare Matutinum, & Laudes diei sequentis, Vespere antecedentis?

NEgarunt aliqui Doctores, asserentes esse peccatum veniale recitare Vespere, Matutinum & Laudes diei sequentis. Ita tenuit D. Thom. *quodlib 5. art. 28. in Corp.* Silvester etiam, *verb. Hora qu. 9. dicto 3.* Angel. ibi *num. 21.* Tabiena *num. 28.* Viguer. *lib. Institut. cap. 5. §. 5. vers. 4.* Nauarr. *in Man. cap. 25. num. 97.* ibi: *Secundo, non esse peccatum, imò meritum, propter honestas occupationes Matutinas Horas, Vespere præcedenti recitare, & manè vsque ad Nonam inclusiue; & post meridiem, reliquas simul.* arg. cap. 1. de Celebr. Missar. Quia, *vt ipse S. Thomas* Quodlib. 5. art. 28. *melius est anticipare Laudes Dei, & postea alium actum studiosum agere, quàm vnum per alterum impedire: quamuis anticipans, vt voluptuosius mane dormiat, venialiter peccat, arg. cap. Clericus 1. 91. dist.* Hucvsque meus Nauarrus. Sic etiam alij citati à nobis *2. p. tr. 6. disp. 13. q. 24.*

Sed probabilius certè, Respondeo licitum esse, etiam non existente iusta causa. Quia iam sic tenet consuetudo rationabilis & præscripta. Vnde non solùm extra Chorum, verum etiam in Choro licitum est, adhuc sine vlla vrgente causa, recitare Vesperè Matutinum, & Laudes diei sequentis, post Completorium. Sic tenent iam communis Doctorum, Henriquez, Trullench. Caramuel, & Diana citati à nobis *vbi supra.* Prado *tom. 2. cap. 30. quæst. 8. nu. 57.* Caiet. *verb. Hora cap. 4.* Tamburin. *lib. 1. in Decalog. capit. 5. §. 5. numer. 2.*

QVÆSTIO XCI.

An, si quis statim post medium hodiernum, recitaret Matutinum diei crastinæ, satisfaceret præcepto?

AFfirmauit quidam recentior Magister apud Sánchez, docens, *Quod talis verè videretur satisfacere præsertim in Quadragesima, in qua Vesperè ante prandium, cantantur nec peccaret mortaliter, eo quod iam videatur incepisse dies sequens: ergo in rigore non posset obligari ad mortale, nec ad iterum recitandum.* Sic Magister ille, cuius sententiam non improbat Sanchez.

Sed, vt mihi certum, Respondeo. Non satisfacere præcepto recitandi. Quia ex recepta consuetudine, solùm licèt recitare Matutinum & Laudes diei crastinæ, hodierna die Vesperè, quando sol iam declinat ad occasum, aut dies declinet ad finem: atqui statim post medium, verè non dicitur dies declinare ad finem, nec sol ad occasum: ergo. Sic tenent communiter DD. *infra* adducendi & expressè Thom. Tamburin. *§. 5. cit. num. 3. in fine.* vbi sententiam dicti Magistri nimis laxam appellat. Et antea Francolim, *de Horis capite 25. numero 4. pag. mihi 136.* vbi ait, neminem contrarium dixisse. Trullench. *lib. 1. in Decal. cap. 7. dub. 18. sub num. 8.*

QVÆSTIO XCII.

An saltem, sit licitum, recitare Hodie, horâ tertia post meridiem, Matutinum, & Laudes diei crastinæ?

NEgant, qui dicunt solùm esse licitum recitare illa, ab hora quarta post meridiem, non antea. Ita Azor. *lib. 10. cap. 9. quæstio. 5.* Filliucius *tract. 23. cap. 8. num. 275.* Villalob. *tract. 24. diff. 12. numer. 5.* Reginald. & Comitol. quos refert, & sequitur Bauny *de Benefic. disp. 13. quæst. 30.* Hermanus *in Medulla Theolog. Moral. lib. 4. cap. 2. dub. 4. art. 4. num. 6.* Diana etiam *1. p. tract. 12. Resol. 39.*

Negant & alij, qui affirmant solùm posse recitari inter tertiam, & quartam horam post meridiem; ideſt, hora tertia cum dimidia post meredíem. Ita Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 37. dub. vltimo à num. 78.* Bonac. *disp. 1. quæst. 3. punct. 3.* & Suarez *lib. 4. cap. 26. num. 14.* quos omnes citat, & sequitur Palao *tom. 2. tract. 7. disp. 2. punct. 4. num. 3.* sed certè Bonacina id non negat planè.

Sed probabilius absolutè, Respondeo licitum omnino esse recitari Matutinum & Laudes diei crastinæ, hora ad minus tertia post meridiem hodiernum. Quia sic iam praxis, iam consuetudo, quæ non solùm tollit mortale, sed & veniale: ergo. Sic Henquez *lib. 9. capit. 24.* Barbosa *in Collect. tom. 1. libr. 3. tit. 41. cap. 1. num. 5.* vbi supra *num. 16. fine.* Prado *n. 62.* Gauant. *in Rubr. Breuiarij tom. 2. sect. 1. cap. 5. tit. 6. n. 6.* quos omnes fere, retulimus *2. p. tract. 6. disputat. 13. quæst. 23.* Quibus nunc addo Bassæum *tom. 2. v. Horæ Can. 3. numer. 1.*

QVÆSTIO XCIII.

An, adhuc sit licitum recitare Matutinum & Laudes diei sequentis, statim ac est finita hora secunda post meridiem, dictis Vesperis, & Completis?

NEgant omnes Authores citati pro duabus primis sententiis quæst. antecedenti: Quibus adiunge Magistrum Prado *tom. 2. cap. 30. qu. 8. num. 61.* vbi nominatim contra me, & alios ait, partem affirmatiuam esse improbabilem. Sed certè nimis rigorosè; nec mirum: solet enim à dextris, & à sinistris, censurare. Vnde,

Iterum probabilius, Respondeo. Posse, & esse licitum dicta hora recitare Matutinum & Laudes diei sequentis. *Primo.* Quia hæc est iam praxis, & consuetudo in multis locis: at hæc non minus admit veniale, quàm mortale: ergo. *Secundo.* Quia (vt benè Tamburin.) ex recepta consuetudine licèt recitare Matutinum, & Laudes diei sequentis, quando dies inclinat ad Occasum: at sic, est quod ab hora secunda post meridiem, iam dies ad finem vergit, & sol valde ad Occasum inclinat: ergo. Sic in primis tenet D. Thom. *Quodlib. 5. artic. 28. ad 1.* vbi sic ait: *Quantum ad Ecclesiasticum Officium, & solemnitatem Celebrantes, incipit dies à Vesperis: vnde si aliquis post dictas Vesperas, & Completorium dicat Matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem.* Sic Angelicus Doctor. & sic, &c. Sic Diana *par. 4. tract. 4. Resol. 4. & par. 7. tract. 11. Resol. 12.* & me citato, *par. 10. tract. 11. Resol. 16. & tract. 16. Resol. 46.* & apud ipsum, Molfesius, *in Sum. tom. 1. tract. 5. cap. 2. num. 59.* Fabrus

de

de Sacram. Ordinis disp.24.quæst.1.n.148. Sanchez, *tom.2.opusc.lib.7.cap.2.dub.37.n.4.* Quintanadueñas *in Theolog. Morali tom.1.tract.7.singul.2.num.1.* (& ego addo, *tom.2.tract.6.singul.13.num.7.*) *& in instruct.Ordin.par.5.§.2.numer.15.* Garçias, *in Summa tract.2.diff.6.dub.1.nu.2.* Machado *tom.1.lib.2.par.3. tract.2.docum.6.* Caramuel.*in Theolog.Regul.disp.114. num.1419.* Martinus de S. Ioseph *in Monit.Confessor.tom.1.lib.2.tract.11.de Orat.num.1.* & Corro, *q.4. numer.122.* his ego addo Narbonam *tom.2. Hora.4. num.5.* Tamburinum *lib.2.in Decalog.cap.5.§.5.nu.2. & 3.* Angelum Verricelli, *in qq. Moral. tract.5.q.6. num.123.* vbi ita ait: *Recitans Matutinum sequentis diei immediate post Vesperas, ideſt,per duas horas post meridiem, satisfacit.* Bassæum *loc.cit. num.1.* Legantur dicta à nobis *par.2.tract.6.disp.13.quæst.23.* Acacium, *v.Horas Resol.57.*

Post tot, tantosque Doctores à me citatos, diceret nunc Prado meam, & illorum sententiam, suo iudicio non esse probabilem? Concluderet forsan suum caput per hæc verba, *Et quia* (inquit) *nullibi vidi, aut audiui consuetudine introductum, quod ante tertiam horam pomeridianam, Matutinæ preces, etiam priuatim dicantur. Ideo teneretur iterum recitare, quia non impleuit præceptum in tempore habili à iure, & consuetudine determinato,qui recitaret Matutinas preces ante horam tertiam.* Ita ille. Et addit (attende Lector) *Solùm in casu raro, quod timeretur cum vrgenti fundamento magna occupatio superuentura,posset permitti, vt probabile, quod Matutinæ preces dicerentur priuatim hora secunda post meridiem?* Credo quod non. Quia scio vere,illum apprime scire, in quo consistat probabilitas opinionis cuiusque. Imò, ideo tandem concedit, nostram opinionem esse probabilem, quod quidem in eodem capite negauerat. Ait enim (vt vidisti) posse illa quem vti vt probabili; si timeret postea occupationem grandem.Certè si nostra opinio careret probabilitate ex se, minimè arrogaret illam occupatio, & si magna. Si enim (vt ipse ait) hora secunda non est tempus habile ad ad recitandum Matutinum diei Crastinæ; qua ratione fiet habile per occupationem priuatam alicuius? Dicat ergo obsecro absolutè, nostram sententiam semper esse probabilem, cum fulciatur authoritate, & ratione,lege *infra quæst.95.*

Qvæstio XCIV.

An, Officium Defunctorum diei secundæ Nouembris, possit quis priuatim recitare, pridie Vesperi, post Matutinum diei infra octauam Sanctorum?

NEgandum videtur ex quadam Declaratione Congregationis Rituum, quam affert Gauantus, *in Rubr. Breuiar. sectio.9.capit.2.num.16.* in qua solùm conceditur Episcopis,vt in die Festo Omnium Sanctorum possint in suis Ecclesiis recitare cum Clero suo Matutinum Defunctorum.

Sed absolutè, Respondeo: Posse. Quia in Rubrica diei Commemorationis Defunctorum clare præscribitur, vt dicto *Benedicamus Domino*, post Laudes Sanctorum, incipiat absolutè Officium Defunctorum: ergo ex Rubrica, vnitim sunt recitanda hæc officia dicto die: ergo si, vnione hac supposita, relinquitur potestas recitandi priuatim die antecedenti Matutinum cum Laudibus diei infra Octauam Sanctorum, vt omnes concedunt, consequitur reinqui potestatem recitandi eodem tempore Matutinum Defunctorum vniendum cum prædicto Sanctorum. Sic omnino Thomas Tamburinus *lib.2. in Decalog.cap.5.§.5.nu.7.* Qui ad declarationem Congregationis respondet, tum non constare authenticè; tum etiam non loqui de recitatione priuata. Ego certè sentio, quod ex vi Rubricæ, etiam sit licitum recitare in Choro dicta die Officium Defunctorum. Imò id adhuc conuincere fundamentum nostrum, est planum.

Qvæstio XCV.

An etiam possit quis recitare Litanias, diebus Rogationum, & S.Marci, pridie Vesperi?

NEgat Tamburinus *loc. cit.versu. Atque hinc contrà collegio.* Primo, *Quia litaniæ illæ sunt loco assistentiæ Processionis,quæ certè pridiè non celebratur.* Secundò. *Quia Rubrica de iis persoluendis, non signat vnionem Laudum cum ipsis Litaniis: non enim dicit, percurrantur Litaniæ, dicto* Benedicamus Domino, *sed hodie post Matutinum, seu post Laudes, puta suo debito tempore:* Tertio denique, *quia pro Litaniis adest istud* Hodie, *quod non est pro Officio Defunctorum.* Ita Tamburinus.

Sed probabiliter certè, Respondeo. Posse quem priuatim recitare Litanias pridiè Vesperi Rogationum. Quia constat ex Rubrica Breuiarij, quod debent, qui non intersunt Processionibus, illas post Laudes dicere: atqui Matutinum & Laudes possunt priuatim dici à quouis, pridie Vesperi Rogationum, vt constat: ergo & Litaniæ.Maior constat ex Rubrica, quæ sic se habet. *Hoc triduo, qui non interfunt Processionibus Rogationum, priuatim post Laudes dicant Litanias cum suis precibus, &c.* ergo. Sic videtur Gauantus sentire *in Rubr.Breu.sectio.9.cap.4. numer.13.* vbi sic ait: *Quod si Litaniæ separatim à Psalmis Pœnitentialibus dicendæ sint, dicto ad Laudes diei,* Benedicamus Domino; Deo gratias; *statim eæ dicuntur; nam* Fidelium animæ; *pro fine Laudum, dicitur in fine Litaniarum, & vtrique deseruit.* Sic ille.

Sed obstant fundamenta Tamburini,nam ad *Primum*, Respondeo, quod licèt Litaniæ sint loco assistentiæ Processionis, non tamen inde colligatur, quod debeant dici die ipso Processionis, sed iuxta Rubricas Breuiarij,nempe post Matutinum,& Laudes siue dicantur pridie, siue non: aliàs probaret Tamburinus oportere eas recitare, ipsomet tempore Processionis, cum sint loco eius assistentiæ, quod nullus dixit.

Ad secundum, Respondeo. Non esse verum; nam certè Rubrica verè signat vnionem Laudum cum Litaniis, iis qui priuatim illas dicturi sunt,vt constat ex verbis Rubricæ nuper allatis, & ex Gauanto.

Ad tertium, fatemur quod in Rubrica pro Litaniis adest illud *Hodie*, quod non est in Rubrica pro Officio Defunctorum, quia ibi fuit omnino necessarium, eo quod ipsomet die S. Marci, aut Rogationum fit Processio, & ideo conuenienter posuit Rubrica illud *Hodie*, dicendo, *Hodie qui non interfunt Processionibus, &c.* non vero in Rubrica pro Officio Defunctorum, quia non fit ea die Processio pro Defunctis: & ideo non fuit necessum.

QVÆSTIO XCVI.

An, ſicuti eſt licitum, recitare Matutinum cum Laudibus, Veſperè præcedentis diei; ſic licitum ſit, recitare tunc reliquas horas, ſaltem ob aliquam vrgentem cauſam?

AFfirmatiuam ſententiam tenuiſſe Nauarrum *de Orat.cap.*12. (lege, tu 11.) *num.*34. *in fine*, dicit Martinez de Prado *capit.*30. *cit.*§.5. *in fine*, per hæc verba: Imò Nauarrus *numero* 34. *in fine* dixit: *Quod ſatisfaceret is qui ſciens, ſe die ſequenti occupatiſſimum fore, anticiparet Horas in Veſpera præcedente: ſuper quo à quodam pio dei ſeruo interrogatus fui.* Idem dicit Ioannes de Cruce *in 3.præcepto dub.*5. *in fine artic.*3. Hæc Prado.

Sed ex iis ſaltem Sapientiſſ. Doctor Nauarrus, minime hanc ſententiam ibi, vel alibi docuit, bene tamen oppoſitam claris verbis, quæ ego iam retuli 2. *p. tractat.*6. *diſputat.*13. *quæſtio.*22. & iterum refero. *Quamuis enim* (ait Nauar.) *ratio D. Thomæ de rigore videatur concludere idem quoad Primam, & Tertiam, & alias omnes Horas, conſuetudo tamen præfata illud limitans, rationi valde conſona videtur. Quapropter nunquam reſpondere auſus fui; licere dicere Veſpera, Primam, aliaſve Horas alterius diei, exceptis Matutinis, & Laudibus.* Hucvſque Doctiſſimus Doctor. *capite* 3. *de Oratione numer.*61. Nec oppoſitum docuit poſtea, *loco citato*, à Prado; nam ibi ſolùm loquitur de Horis maioribus, non de aliis, vt denotant eius verba fideliter relata, quod non fecit Prado; ſunt autem hæc: *Quum, & tanta poſſet occurrere neceſsitas, vt merito excuſarentur à maioribus, & à fortiori ratione, ſatisfaceret is, qui ſciens ſe die ſequenti occupatiſſimum fore, anticiparet eas* (non dixit, *Horas*, vt refert Prado) *in Veſpera præcedente, ſuper quo à quodam pio Dei ſeruo interrogatus fui.* Hæc ſunt verba Nauarri, vt per ea cognoſcas, non fuiſſe illius ſententiæ, quam falsò ei tribuit Prado. Clarè tamen tenuit illam Cruz ab ipſo adductus his verbis: *Et à fortiori ſatisfacit, ſi ſecundo te ſequenti die occupatiſſimum, fore, anticipas Horas in præcedenti Veſpere.* Ita Cruz. Qui explicari poteſt, illum loquutum fuiſſe de Horis maioribus, ſequendo Doctrinam Nauarri. Sed quidquid ipſe voluerit.

Reſpondeo, vt certum dicendum, minime eſſe licitum, nec validum recitare Horas Canonicas, demptis Matutinis cum Laudibus, Veſpere præcedentis diei; nec qui illas, dicto tempore, recitaret ſatisfaceret præcepto recitandi Horas; ſed teneretur ſub mortali eas repetere. Quia ſic firmauit generalis conſuetudo. Sic Caiet. *verb. Hora capit.*4. Sanchez *lib.*7. *conſil.capit.*2. *dubit.*37. *numer.*9. dicens, hanc concluſionem eſſe omnium. Et citat etiam pro illa Nauarrum *capit.*3. *de Orat. numer.*62. ſicque concludit: *Vnde bene infert Nauarrus, nullam ob cauſam licere dicere Horas hodiernas, demptis Matutinis, Veſpere præcedenti, vel etiam ante mediam noctem.* Hæc Sanchez. Tenet etiam Prado *loco citato nu.*62. his claris verbis: *Sed Veſperas in nullo euentu reputo tempus habile ad recitandas Horas.* tenent deinde Suarez *lib.*4. *capit.*27. *numer.*10. vbi id optimè probat Bonac. *diſput.*1. *de Horis quæſtio.*3. *punct.*3. *numer.*3. & alij apud ipſos.

QVÆSTIO XCVII.

An, ſit licitum, iuſta intercedenti cauſa Horas Canonicas præponere, aut poſtponere?

REſpondeo, Tanquam certum: Eſſe licitum. Probatur, Quia licitum eſt Eccleſiæ cuique, præponere Horas Canonicas ex cauſa rationabili, veluti, ob Proceſſiones aliquas ſolemnes, aut Concionem inſignem, aut iucundum Bullæ Cruciatæ, aut Regis aduentum, aut alias ſimiles cauſas: ergo & cuilibet Presbytero idem licebit, ſi interueniat aliqua cauſa, veluti Concio, ſtudium, maior deuotio, periculum probabile ſuperuenturæ occupationis. Sic omnes. Legantur Nauar. *de Orat.capit.*3. *dicto* 16. *num.*45. *& dicto* 17. *num.*55. vbi late, & deuotè de hac materia tractat. Suarez *lib.*4. *capit.*27. *in fine*, Sanchez *lib.*7. *cap.*2. *dub.*26. & alij. Legantur dicta *quæſt.*89.

QVÆSTIO XCVIII.

An ſit iuſta cauſa differendi Horas in tempus Veſpertinum, eo quod Matutinum tempus ſit aptius ad ſtudendum; Veſpertinum verò, ad recitandum?

REſpondeo, vt quid certum: Eſſe iuſtam cauſam, nec peccare, adhuc venialiter, qui ob cauſam dictam differt Horas. Sic omnes communiter, Maior *in* 4. *diſt.*12. *col.*1. & ex illo Nauarr. *de Orat c.*3. *num.*55. Qui tamen deuotè conſulit, ne id fiat. Sanchez *lib.*7. *conſil.c.*2. *dub.*36. *n.*3. Prado §.4. *cit.nu.*54. Verricelli, *vbi ſupra*, *num.*125.

QVÆSTIO XCIX.

An, quæuis cauſa iuſta, etiam leuis, ſufficiat ad anteponendum, vel poſtponendum Officium?

REſpondeo, cum communi ſufficere. Sic Verricelli, *loc. cit.* Tamburin. *lib.*2. *in Decalog.cap.*5. §.5. *num.*1. & alij, à quibus hæ ſpeciatim aſſignantur nempe, Concio, maior deuotio, ſtudium, periculum ſuperuenientis occupationis, maior ſecuritas anticipandi, quam poſtponendi Officium, labor aliquis manuum.

QVÆSTIO C.

An, ſola commoditas maior recitantis, ſit cauſa iuſta ad licite anteponendum, aut poſtponendum Canonicas Horas?

AFfirmatiuam ſententiam tenere Sanchez *lib.*7. *conſil.cap.*7. *dub.*37. *num.*2. ait Pellizarius (nec reprobat) *tom.*1. *tract.*5. *capit.*8. *ſectio.*2. *quæſtio.*21. *numero* 103. his verbis: *Quod confirmat Sanchez dicens, ad id, ſufficere, non ſolùm neceſſitatem, ſed etiam commoditatem. Sed certè Sanchez non loquitur ibi ex propria ſententia; ſed ſolùm affert quendam valde doctum Magiſtrum dicentem, ſufficere cauſam iuſtam, quæ inducat, non tantum neceſſitatem, ſed etiam commoditatem.* Eandem ſententiam affirmatiuam

tiuam amplecti videtur Verricelli, *loco citato, n.* 125. sequutus eundem Sanchez.

Sed vt mihi ferè certum, Respondeo dicendum, quod nullo modo sit iusta causa ad anteponendum, vel postponendum Officium licitè, sola commoditas recitantis. Ratio est, quia aliàs nec veniale esset, præponere Officium, sine vlla causa, quod supra contra Caramuelem negauimus. Patet: quia quando aliqua causa deest, certe non deest commoditas, semper enim homo in similibus, nisi amens sit, si ab alia vehementiore causa non vrgetur, satis à propria mouetur commoditate, vt benè Tamburin. *libro secundo in Decalog. capite* 5. §. 4. *numero* 6. *circa finem.*

Qvæstio CI.

An Recitans Matutinum sequentis diei, antequam absoluat Officium diei præsentis, peccet mortaliter, si id faciat sine causa?

Affirmauit quidam peccare mortaliter, vt refert Diana, infra.

Sed vt quid certum, Respondeo. Minime peccare, mortaliter, imò nec venialiter, si id cum rationabili faciat causa. *Primum* patet. Quia talis inuersio non derogat substantiæ Officij, aut orationis, nec minuit illam, nec aliàs continet deformitatem grauem: ergo. *Secundum* etiam constat; quia vt *supra* est habitum, inuersio Officij, ex causa iusta, facta, immunis redditur etiam à veniali. Ita Diana *tom.* 1. *tractat.* 12. *Resolut.* 15. citans Villalob. *tom.* 1. *tractat.* 24. *diff.* 13. *numero primo*, Vazquez *Opusc. de Benef. capite* 4. §. *primo*, *articul.* 2. *numero* 66. Suarium *de Relig. tom.* 2. *libro quarto, capite* 24. *numero tertio.* & Reginaldum *tom.* 2. *libro* 18. *capite* 12. *numero* 166. & certè ex his, Vazquez non tractat hoc punctum. Tractant tamen, & tenent Sanchez *loco citat. dubitat.* 37. *numero* 5. Verricelli *numero* 126. Bonac. *disp.* 1. *quæstio.* 3. *punct.* 3. *numero* 15. Qui etiam citat Vazquum *loco citat.* & Nauarrum *capit.* 3. *de Orat. numero* 60. Sed ambos malè. Castro Palao *disp.* 2. *pun.* 3. *nu.* 4. & omnes.

Qvæstio CII.

An, casu, quo quis timeat aliquam superuenturam occupationem, sit melius illi Horas præponere, quàm postponere?

Respondeo, vt certum, quod melius sit illi Horas anteponere, quàm postponere. Quia primum, est prouidentiæ, secundum vero, negligentiæ: iuxta celebre dictum illud Hugon. de S. Victore relatum per Nauarrum vbi infra: *Ante horam, orare, prouidentiæ; post, negligentiæ; debita vero, obedientiæ esse.* Sic omnes. Nauar. *de Orat. capite tertio numero* 45. & 46. Palud. *in* 4. *dist.* 15. *quæstio.* 5. *col.* 4. Sanchez *dubit.* 36. *num.* 3. Pellizarius *tract.* 5. *capit.* 8. *sect.* 10. 2. *quæst.* 21. *num.* 102. Suarez, Bonac. Tolet. & alij penes ipsum.

Qvæstio CIII.

An Recitans Horas priuatim, teneatur tempore Quadragesimæ, dicere Vesperas ante prandium?

Affirmandum videtur: Tum ex *cap. solent. de Consecr. dist.* 1. in quo clare præcipitur, dicere Vesperas in Quadragesima, ante prandium, seu cœnam. Tum etiam ex Rubrica Breuiarij *Feria* 4. *Cinerum*, in qua similiter dicitur, Vesperas recitandas esse ante prandium. Propter hoc sic videtur sentire haud obscure, Azor. *tom. primo lib.* 10. *capite* 9. *quæstio.* 9. *& vltima*, quatenus ait: esse vsu, & consuetudine receptum, vt etiam priuatim à Clericis ante prandium Vesperæ recitentur; quamuis honesta aliqua causa, & iusta ad postmeridianum tempus differri possint.

Sed absolutè, multò longè probabilius, Respondeo: Non taneri, sed posse liberè, etiam absque vlla superueniente causa, dicere Vesperas post prandium, licèt possit, si velit, ante prandium illas dicere. Ratio est: quia nullum ius illum ad id obligat. Nam textus *in cap. solent. cit.* solùm loquitur de Vesperis, publicè, non priuatè dicendis. Sicque intelligenda venit Rubrica Breuiarij, vt exponit Gauantus *tom. secundo in Rubr. Breuiar. sect.* 6. *capite* 10. *de Feria* 4. *Cinerum*, vbi sic ait: *Extra Chorum non tenemur, ante Comestionem, recitare Vesperas: quia Concil. Cabilon.* (cuius est textus *in cap. solent.*) *intelligitur de publica in Choro recitatione; cui tamen congruum est, vt conformemur in priuata quoque Vesperarum recitatione.* Sic ille: & benè. Sic ante ipsum, Siluest. *v. Hora quæstio.* 9. *dicto* 5. Caiet. *eod. verb. & 2. 2. quæstio.* 147. *artic.* 7. Nauarr. *de Orat. capite* 3. *numero* 41. Palacios *in* 4. *dist.* 15. *disputat.* 8. Macignus *de Horis capite* 54. Layman. *libro quarto tractat. primo capite tertio numer.* 8. Bonacin. *disputat. prima quæstio.* 3. *punct.* 3. *numer.* 8. *vers. Idem sic.* Sanchez *lib.* 7. *consil. capit.* 2. *dubit.* 36. *num.* 5. Pellizarius *loc. cit. numer.* 103. Sà, *verb. Horæ. num.* 16. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 7. *dub.* 18. *sub n.* 6. Scobar à Corro, *qu.* 4. *de Horis n.* 135.

Qvæstio CIV.

An Celebrans Missam, non recitato Matutino, peccet mortaliter?

Affirmant multi Doctores. Quorum sententia probari potest, tam ex generali consuetudine. Tum etiam ex Rubrica Missalis *cap. de Præparatione Sacerdotis celebraturi*, Ita tenent Gabriel. Viguer. Ledesma, D. Anton. Tabiena, Nauar. & alij plures apud Sanchez, Cenedus etiam *in Can. qq. quæst.* 3. referens pro hac sententia vsque ad triginta Doctores. Quibus addi possunt Pitigianus *tom.* 1. *dist.* 13. *qu.* 2. *artic.* 10. Zanardus *p.* 1. *de Euchar. capite* 9. *quæstio.* 7. & alij plures, apud Francolinum *de Horis capite* 42. *numero* 1. vocans, hanc sententiam quam ipse sequitur, communissimam.

Sed iam multo probabilius, Respondeo. Non peccare mortaliter, etiam si id faciat absque iusta causa: Quia Missa nullum ordinem habet ad Horas; aut vlla connexio inter illas inuenitur: ergo vnum non requiritur ex se ad aliud.

Nec obstat, quod contrarij allegant de consuetudine. Quia negandum omnino est, dari; præcipuè his nostris temporibus; & dato, & non concesso, quod sit, minimè ad mortale obligat. Nec rursus Rubrica est recepta cum obligatione tanta, sed solùm admonet quid faciendum sit iuxta doctrinam antiquorum. Sic tenet modo communis sententia. Sotus *lib.* 10. *de Iust. qu.* 5. *art.* 4. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *qu.* 2. *punct.* 10. Vazquez *Opusc. de Benefic. capit.* 4. §. 1. *art.* 2. *dubit.* 3. *num.* 65. Suarez 3. *p. disp.* 82. *sect.* 1. & *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *capit.* 24. *num.* 6. Filliuc. *cap.* 7. *quæstio.* 6. Ægidius, Henriquez, Nuño, Squillas, & alij, quos refert, & sequitur Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 11. Quibus addo Sanchez *lib.* 7. *consil. cap.* 2. *dub.* 38. *numer.* 3. Dianâ *in to.* 1. *tract.* 14. *Resol.* 26. Barbosam, Layman, Ioan. de Cruce, Raphael. de la Torre, Syluium, & Villalobos apud ipsum. Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 7. *dubit.* 19. *num.* 4. Castrum Palaum *disp.* 2. *pun.* 3. *numer.* 6. Verricelli *in qq. Moralib. tractat.* 5. *quæst.* 5. *n.* 223. *pag. mihi* 320. Mallet. *Malleat.* 30. *Bractea* 62. Corro *quæst.* 4. *num.* 97. Qui ex dictis colligunt, quod si quis propter aliquam legitimam causam excusaretur ab obligatione recitandi Horas, posset facere Sacrum, licèt nec eas dixerit, nec dicturus esset.

QVÆSTIO CV.

An, etiam liber sit à veniali, qui, causa iusta interueniente, Celebrat Missam, nondum recitatis Matutinis?

REspondeo. vt certum: Esse liberum. Quia, quod ex iusta causa fit, rationabiliter, & prudenter, fieri dicitur. Vnde, si alicui Prælatus præcipiat, vel alius Eleemosynam ei offerat, vt statim Missam celebret & nondum recitauit Matutinum, poterit liber ab omni culpa celebrare. Sic Sotus, Medina, Barthol. à Ledesma, quos sequitur Sanchez *loco citato concl.* 2. *numero* 5. Bonacina *numero* 11. *cit. vers.* Addo, & penes ipsum, Macignus, Lessius, & Aragonius.

QVÆSTIO CVI.

An saltem, sit reus venialis culpæ, qui, absque rationabili causa, Missam dicit, non præmissa recitatione Matutini?

AFfirmant communiter DD. eo quod & faciat contra consuetudinem receptam; & contra quod disponit Rubrica. Ita sentiunt communiter DD. Sanchez *loc. cit. concl.* 3. & alij.

Sed certè ego probabiliter, Respondeo. Nec esse reum venialis culpæ. Quia probabiliter iudico, nec consuetudo iam (si adest, quod nego) ad illam obligare; nec Rubrica, cum solùm consilium præbeat, non mandatum. Sic videtur sentire, vt eius verba denotant Verricellus *q.* 5. *cit. num.* 222. & 223. Vbi sic ait: *Nullum est peccatum celebrare ante Matutinas preces recitans: quia nulla est connexio necessaria, nullum præceptum, sed tantum consilium; sicut est, quod vacet antea Orationi*, Barbosa, *de potest. Episcopi alleg.* 24. *numero* 15. vbi affert viginti Doctores Layman *libro* 5. *tractat.* 5. *cap.* 4. *numero* 5. Diana *p.* 2. *tract.* 14. *Resol.* 36. Hucvsque Verricellus. Sed certè dicti omnes DD. solùm affirmant, non esse mortale, adhuc extra causam, celebrare ante dictas preces matutinas: nec veniale, vrgente aliqua necessitate, vt videre est apud illos: præcipuè, apud Layman, *loco* à Verricelli *citato*, Vbi *numero* 5. *vers. His quædam.* Sic scribit: *Sine vllo peccato sacrificari potest, nondum dicto Matutino, ob causam necessitatis. v. g. ob Principis aduentum, ob funus delatum: si tali casu, non adsit Sacerdos, qui Matutinum dixerit.* Sic Layman. Non ergo bene citatur.

Melius certè citari potest Sotus, *libro* 10. *de Iust. quæstio.* 5. *articul.* 4. *col. mihi* 7. Vbi non audet absolutè fateri, esse culpam venialem: solùm enim sub dubio id relinquit, dicendo: *Forsan, ob consuetudinem, venialis esset culpa, vt fieri posset commodè, si non prius nocturnum solueretur Officium: nam ob causam aliquam ordinem anteuertere, nulla est culpa.* Sic Sotus. Et expressius Corro, *numero* 97. *cit.* quatenus sic loquitur: *In Sacerdote celebranti Sacrum, ante recitatum Matutinum, & Primam, qui nunquam peccabit mortaliter, necdum venialiter, secluso contemptu.* Sic ille. Et benè, limitat tamen malè hoc dictum, dum addit hæc verba: *Et vt iudicio, etiam nulla causa astante, nisi veniale non interueniet peccatum.* Sic ille. Sed ad quid hoc additum? Lege pro nostra opinione Acacium *v. Horas Canon. Resol.* 57. *num.* 6.

QVÆSTIO CVII.

An ad minus, sit culpa mortalis, dicere Missam maiorem, seu Conuentualem, ante dictum Matutinum & Laudes?

AFfirmant, & à fortiori omnes Doctores pro prima sententia adducti supra *quæstio.* 103. Imò & Layman cum aliis *loco citat. Vers.* 4.

Sed probabilius adhuc, Respondeo: Non esse culpam mortalem, propter rationem à nobis datam. Sic cum aliis Sanchez *libr.* 7. *consil. capite* 2. *dub.* 39. An autem sit venialis? Collige ex dictis.

QVÆSTIO CVIII.

An, Religiosi possint postponere, aut anteponere Officium, ex vi alicuius priuilegij?

REspondeo, vt certum: Posse. (quidquid renuat Religiosus Prado) Quia Pius Quintus concessit, quod Fratres Minores, ratione itineris, aut alterius iustæ occupationis, possint dicere totum Officium simul manè; aut quando ipsis videbitur cum maiori deuotione ipsum posse recitare. Sic referunt Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regular. quæstio.* 42. *articul.* 18. & Portel *in Addit. ad dub. Regul. verb. Horæ. num.* 4. Quod simile priuilegium concessum fuisse Societatis Iesu Patribus, habetur *in Compendio eorum verb. Horæ.* §. 2. & referunt idem Portel *loco citat. numer.* 17. & Bauny *de Benef. disp.* 13. *quæst.* 29. *concl.* 2. Legatur Quintanad. *tom.* 2. *tract.* 2. *singul.* 17.

Nec obstat, quod dicit Prado, has, videlicet, concessiones, factas fuisse viuæ vocis oraculo, & esse nunc reuocatas; quia non est verum; cum illæ vim habeant priuilegij, si quidem in eo insertæ fuerunt ab ipsomet Pio V, vt alias diximus.

QVÆSTIO CIX.

An adimpleat præceptum recitandi, ille, qui incæpit recitare Officium hodiernum paulo ante mediam noctem diei sequentis si ipsum prosequatur post completam mediam noctem?

NEgat nouissimè, nominatim contra me, amicissimus meus Mag. Ioan. Martinez de Prado *tom.2.capit.30.quæstio.8.§.7. à numero 69.* & ita acriter, vt dicat affirmatiuam, quam sequor, sententiam, esse falsam omnino, improbabilem, & contra omnes Doctores.

Id specialiter probat, retorquendo argumenta, quæ pro illa mea sententia tuenda, confeci 2. *par. tract.6.disp.13.qu.25.* quæ ad apparentiam, inquit, multum videntur probare, & nil probant.

Primo, *Quia quis posset eisdem probare, quod vno solo versu Officij dicto ante mediam noctem, posset toto die, vel mense sequenti impleri: quia res indiuidua, incepta tempore habili, potest finiri tempore non habili.*

Secundo, *Posset alius inferre, quod Vespere antecedenti possent dici Horæ diurnæ sequentis diei, quia Vesperæ eam ad se trahit.*

Tertio *posset alius deducere, quod Officium inceptum Vespere pertinens ad diem hodiernum, posset manè sequenti completi: vel exempla eius non sunt ad rem. Et tamen hæc omnia sunt absurda, & paradoxa futilia, quæ ex illius rationibus videntur deduci: ergo & rationes nil valent.*

Quarto, *Quia in his, quæ sunt iuris positiui, non valet paritas*; quod si hoc est præceptum, aliud etiam est præceptum: *Quia hoc pendet ex facto, & multa prohiberi æquum esset, quæ non sunt prohibita, & aliæ prohibitiones iustè possent auferri, quæ ligant, dum non auferuntur. Cum ergo consuetudo habeat vim legis in præceptis positiui iuris, hoc est diligenter obseruandum, quod ex praxi, qua obseruatio quorundam præceptorum est introducta, non licèt arguere ad alia præcepta, quæ diuersimodè sunt intellecta, & practicata, nam consuetudo est optima legum interpres. Cum ergo communiter Doctores, imò & omnes Christiani, sic hæc præcepta intelligant, & obseruent, non est cur hoc ostium aperiamus ad eludendam tam sanctam obligationem. Et per hoc facilè corruunt argumenta.* Hucvsque Magister Prado. Cuius argumenta ab inconuenienti contra me facta nec minimum Doctorem, aut parum in rebus moralibus versatum, terrent; imò nec me, cum potius tanquam Prati flores arrideant. Vnde,

Iterum, non solùm, vt alias dixi, probabiliter; sed probabilissimè, Respondeo adimplere præceptum recitandi Officium, si illud paulo ante mediam noctem incipiat, & sine interruptione recitando, post illam, finiat, iisdemmet verbis respondi ad hanc quæstionem 2.*p.tr.6.disp.13.q.24.* Quod si ad illa, simplici oculo, Pradus conspiceret, non deduceret relata ab inconuenienti argumenta, contra me; est enim optimus Theologus, ac in Metaphysicis acutissimus, vt eius scripta demonstrant: non ergo vt credo, vidit serio, sed pertransiens vidit.

Igitur probo nunc sententiam hanc, non esse improbabilem, vt ait Prado. Quia illa sententia dicitur improbabilis, quæ caret auctoritate, & ratione, præcipuè si est sententia contra communẽ: atqui hæc nostra sententia, nec caret authoritate, nec ratione: ergo non erit improbabilis. Discursus est optimus, vt scientibus notum est, minor quam negat Pradus, constat, nam illam quoad primam partem docet, ac tuetur Sapientissimus Mag. Basilius de Leon, *tract. de Horis Canon. manuscripto cap.2.* vt diximus 2.*p.quæst.25.cit.* atqui vir tantæ authoritatis, etiamsi solus esset, sufficit ad faciendam opinionem probabilem, adhuc casu, quo sit contra communem: ergo. Hanc minorem probo authoritate ferè omnium Doctorum asserentium, vnicum grauem Doctorem constituere opinionem extrinsece probabilem, sic enim adstruunt Glossa, Abbas, & DD. in cap. Capellanus de Feriis, Siluest.*v.opinio.q.2.* Angel.*n.2.* Nauarr.*c.27.n.288. & seqq.* Vazq. *1.2.disp.62.c.4.nu.12.* Thom. Sanch.*lib.1. Sum.cap.9. & de Matrim.lib.3.disp.44.nu.2.* Henriq. *lib.4.cap.18.n.13.* Ioa. Sanchez *in select.disp.29. nu.7. & disp.44.num.61.* Valentia. *1.2.disp.2.q.14.punct.4.* Villalob *tom.1.tract.1.diff.4.n.17.* Clauis Regia *lib.1. c.6.n.8.* Filliuc. *to.2.tr.21.c.4.n.134.* Diana *p.4.tract.4. Resol.30.* Reginal. *lib.13.n.93.* Molfes. *tr.8.ca.9.nu.81.* Castro Palao *tom.1.tract.1. disp.2. punct.1.num.2.* Sà *verb.dubium.n.2.* Pasqualig. *dec.2.* Coras. *de comm.opin. lib.2.tit.8.num.6.* Cephalus *consil.718.n.37.lib.5.* Roland. *consil.100.n.49.vol.2.* Decius *consil.499. nu.12. & consil.258.num.1.* Ioa. Solorzano *tract.de Indiarum iure lib.3.c.2.n.38.* Soto maior, *de Tertiis c.12. nu.39.* Quos omnes citat, & sequitur Verricelli *in qu.moral. tr.2.singul.opinion.q.5.* addens, hanc sententiam procedere, etiam si materia, seu quæstio illa, esset ab antiquioribus tractata: Nam vnicus grauis Doctor poterit antiquorum rationes soluere, & afferre probabilitatem suæ singulari opinioni, contra communem; Quod & probat Primo *ex l.2.§.sed neq; C.de veteri iure enuclean.* ibi: *sed neque ex multitudine Authorum, quod melius, & æquius est debemus iudicare; cum possit vnius forsan, & deterioris, sententia, & meliores, & maiores, aliqua in parte superare.* Hæc Imperator Iustinian. &c.

Secundo probat ratione: *Nam non est præsumendum grauem Doctorem, rem disputando, leui fundamento, cæteris aduersatum esse.* Hoc & alia Verricellus. His authoribus adhuc ego addo Tannerum *1.2.disp.2.q.4. dub.3.num.33.* Marcum Serra *1.2.quæst.19.art.6.* vbi ait: *Quamuis vnus solus sit talis opinionis author, si tamen sapiens maximè cognitus, sufficit ad opinionem probabilem efficiendum.* Sic ille. Quem refert, & sequitur amicissimus meus ac Doctissimus Amadæus Guimenius *in opusc. aduersum quorumdam expostulationes. tract. de opin. probab. Propositi.1.* & tenent iam communiter omnes DD. Igitur ad efficiendam meam sententiam probabilem, saltem ab extrinseco, sufficeret authoritas Basilij magni Legion. Quid si tanto viro adiiciam alios duos, quos pro hac mea opinione adduxi, nempe P. Franciscum à S. Iuliano, & P. Luysium à Conceptione, quorum scripta magnos apud omnes publicant? Nonne abunde probabilis remanebit mea opinio? Ego non dubito.

Secunda verò pars minoris sufficientissimè manet à nobis probata octo, non contemnendis, rationibus. *2. p. quæstio. 25. citat.* lege illam. Si ergo nostra sententia, vt vides, fulcitur tanta authoritate, & ratione tanta, non est cur à Prado improbabilis iudicetur: præsertim cum eius argumenta non vrgeant alicui, imò nec ipsi, vt credo.

Ad *primum* igitur, Respondeo negando, quod possit quis, meis argumentis, probare, quod vno solo versu Officij dicto, ante mediam noctem posset toto die, vel mense sequenti impleri; quia res indiuidua incœpta tempore habili, potest finiri tempore non habili. Respondeo ergo negando sequellam. Primo, quia vt ex verbis nostræ responsionis constat, vt

possit licitè, ac valide implere quis præceptum recitandi, in casu quæstionis nostræ, debet, sine interruptione, & discontinuatione, recitare & continuare Officium inceptum tempore habili, & id mea argumenta probant, non aliud si ergo continue debet Officium in nostro casu, recitare; quia ratione posset adimpleri mense sequenti? non debebat obsecro recitare Officium, aliis diebus? si debebat, quia tenebatur; quomodo posset transferre Officium inceptum per dies multos? videat Prado obsecro.

Ad *Secundum*, Respondeo. *Primo* quod posset quis sequellam concedere, si opinionem S. Thomæ vellet amplecti (vt ait Nauar. *de Orat. cap. 3. n. 61.*) imò, & Ioan. de Cruce apud ipsum Pradum, vt vidimus *q. 95.* sed quia hanc sententiam reiecimus *supra*, Respõdeo. *Secundo* negando sequellam disparitas est manifesta. Quia in nostro casu, incipit quis recitare Officium tempore habili, & apto; nempe, ante mediam noctem diei sequentis, & per continuationem recitationis trahit ad se diem sequentẽ: at vero, qui recitaret Horas diurnas diei sequentis, hac Vespera, non inciperet recitare illas tempore habili, aut tempore quo currit præceptum recitandi illas; & ideo nec satisfaceret illi, nec posset trahere ad se diem sequentem.

Ad *Tertium*, neganda est sequella ex dictis: non enim tenet paritas, quia nos dicimus *q. 25. cit.* quod Officium hodie, tempore habili cœptum, trahit ad se per continuationem illius, diem sequentem; vnde non sequitur, si discontinuatur recitatio Officij, & differatur vsque mane, vt arguit Prado. Vnde huic authori deficit consequentia argumenti.

Ad *Quartum*, Respondeo. Quod, apud omnes à simili ad simile valet argumentum (cum similibus idẽ sit iudicium *l. Non possunt & l. seq. ff. de legib.* §. *Recte. Instit. mandati.*) & quidem est efficax, quando in eodem simili adest eadem ratio, vt communiter docent DD. apud Barbosam. *de locis comm. argument. iuris loco 101. à simili.* In nostris autem argumentis à similitudine, seu paritate sumptis, eademmet est ratio, vt patet, valebunt igitur. Nec obstat obiectio, quod nostra sententia sit noua, & non practicata: Quia scientia semper magis in dies crescit; & ideo plures opiniones nunc sunt probabiles, quæ antea improbabiles censebantur; vt quod stuprum, quando virgo consentit, non sit circunstantia necessario confitenda: & plures opiniones, quæ modo sunt communes, antea fuerunt singulares, sic namque, vt notat. Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 16. quæst. 6.* prius, secundum communem opinionem erat mortale, celebrare ante Matutinas preces recitatas, contra quam opinionem scripsit Sotus *lib. 10. de Iust. quæst. 5. art. 4. concl. 2. & in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2.* & modo eius doctrina facta est communis opinio. Nec rursus est verum, quod mea sententia non sit huc vsque practicata, ab aliquo doctore, aut viro Christiano timoratæ conscientiæ; nam primo, scio verè hanc positionem esse falsam; secundo, quod nil obstet, cum omnes nouæ opiniones, quæ nunc probabilissimæ sunt, à principio minimè fuerunt ab aliquo practicatæ; sed quid inde? Nec tandem per hoc aperimus ostium ad eludendam tam sanctam obligationem, vt ait demum Prado, sed potius ad seruanda suauiter præcepta humana, ad euitanda mortalia multa, & multis pœnam æternam. Lege obsecro me ipsum *2. p. quæstio. 25. citat.*

§. VIII.

De loco, & modo, quo recitandæ sunt Horæ Canonicæ.

QVÆSTIO CX.

An, locus in quo publicè, & solemniter, recitandæ sunt Horæ, sit Ecclesia, seu Templum, eiusve Chorus?

REspondeo, vt quid certum, quod locus, in quo recitandæ sunt publicè Horæ, sit Chorus, & tota Ecclesia, eiusque Capellæ. Nam ad id munus extructæ sunt Ecclesiæ. Sic habetur in Clement. *Graui. de Celebrat. Missar.* vbi iniungitur onus canendi in Ecclesiis Horas Canonicas. Sic omnes, Legantur Nauar. *de Orat. capite 5. numero 3. & 11.* Sotus *libro 10. de Iust. quæstio. 5. articul. 4.* Suarez *tom. 2. de Relig. libro 4. de Horis, capit. 10.* Bonacina *disp. 1. de Horis quæstio. 3. punct. 5.* Trullench. *lib. in Decalog. capite 7. dubitat. 20.* Thom. Tamburin. *ibidem lib. 2. cap. 5. §. 6.* Sanchez *lib. 7. opusc. cap. 2. dub. 44.* Pellizarius *tom. 1. tract. 5. cap. 8. sect. 1. à num. 1.*

QVÆSTIO CXI.

An, Regulares, seu Canonici, satisfaciant præcepto psallendi in Ecclesia, seu Choro; si ex aliqua causa, canant in Sacristia; si hæc solùm communi muro ab illa diuidatur?

REspondeo, vt certum: satisfacere. Quia existens in Sacristia, reputatur esse in Ecclesia: sicut existens in horto, censetur esse in domo *l. 5. ff. de Procurat.* Maximè cum Sacristia sit pars Ecclesiæ, & pars sit in suo toto. *Reg. 86. in 6.* Sic Diana *p. 6. tractat. 8. Resolut. 15.* dicens, quod causa possit esse vel asperitas brumalis, vel si in Ecclesia fabricetur, vel Chorus sit occupatus in aliquo spirituali ministerio, &c. Pellizarius *sect. 1. cit. in fine quæst. 24. n. 51.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO CXII.

An etiam, satisfaciant, casu, quo nulla adsit causa obligans ad recitandum in Sacristia coniuncta Ecclesiæ muro communi?

NEgant authores citati, necnon Bonac. *disp. 1. quæst. 3. punct. 5. numero 1. & 3.* Palao *disput. 3. punct. 5. numero 2.* necnon Tamburin. *§. 6. cit. num. 1.* vbi ita ait: *Pro publica recitatione, locus est Chorus, & tota Ecclesia, eiusque Capellæ: Imò alicubi, ex introducta consuetudine, Sacristia, quæ patet ab Ecclesiam.*

Sed probabilite, Respondeo. Etiam satisfacere. Quia id etiam conuincunt rationes nuper adductæ. Quia Sacristia coniuncta Ecclesiæ, verè est pars Ecclesiæ: atqui in qualibet parte Ecclesiæ possunt recitari in communi, aut publicè Horæ, etiam non vrgente vlla causa: ergo & in Sacristia.

QVÆSTIO CXIII.

An deinde, satisfaciant Regulares, seu Canonici, si canant Horas in Sacristia, quæ minime est coniuncta, muro communi, Ecclesiæ; sed distans per plures muros ab illa?

AFfirmat adhuc (dummodo adsit causa) Diana *Resol.13. cit.* per hæc verba: *Sed ex Bonacina, Castrus Palaus* tom.2. tractat.7. disputat.3. punct.4. numero 2. *& alij, licèt asserant certum esse* ex cap. fin. dist.92. ex capit. 1. de celebr. Miss. *Horas Canonicas persoluendas esse in Ecclesia, admittunt tamen ex necessitate posse in alio loco persolui; & se non restringunt in Sacristia distante ab Ecclesia per plures muros, vel in alio Oratorio: quia Officium in dictis locis recitando, dirigitur ad Ecclesiam, & moraliter dicuntur canendo in dictis locis Religiosi, in Ecclesia canere. Saluo tamen meliori indicio.* Hæc Diana. Cuius ratio, si aliquid probat, etiam probat quod adhuc si non sit causa, possint Horæ in dictis locis persolui.

Sed absolutè contra negat Bordonus *in Consil. Regular. Resolut.30. quæstio.17. numero 21.* ita dicens: *Dixi, si solo communi muro diuidatur ab Ecclesia; quia si inter ipsam* (ideſt Sacristiam) *& Ecclesiam interlocentur aliqua alia, grauior est difficultas, & puto, non satisfacere; quia Choro non intersunt materialiter, neque moraliter. Vnde Prælatus non videtur excusari, permittendo recitari Horas Canonicas in loco distante ab Ecclesia per plures muros intermedios.* Hæc Bordonus.

Sed clarius ego, Respondeo. *Primo.* Minime satisfacient præcepto soluendi Horas in Ecclesia, vel Choro; Canendo illas in Sacristia distante per aliquos muros ab Ecclesia, si id faciant absque vrgente causa. Hæc responsio est certa apud omnes authores præcipuè citatos, & constat ex *supra* dictis.

Respondeo, *Secundo.* Si necessitas, non quæcumque, sed grauis, vrgeat, aut cogat Canonicos, aut Regulares; licitè poterunt tunc satisfacere præcepto soluendi Horas in Choro, aut Ecclesia, dicendo illas in Sacristia distanti ab Ecclesia, aut Oratorio, aut alio quocumque loco honesto. Quia necessitatis casus semper à lege excipitur. Sic tenet communis: præcipuè Suarez *lib.4. de Horis Canon. cap.10. num.21. in fine*, vbi id ex Clemente Papa his verbis probat. *Ideoque antiquissima semper Ecclesiæ consuetudo fuit, vt hæc Officia quotidie in Templis dicerentur, nisi necessitas aliud facere cogeret, id enim semper etiam facere licuit, & nunc licet.* Vnde Clemens Romanus *libro 8. Constitut. capite 34.* post præceptum de Horis Canonicis publice dicendis, subiungit: *Quod si ad Ecclesiam prodire non licuerit, propter infideles, congregabis Episcope, in domo aliqua, ne ingrediatur pius in Ecclesiam Impiorum; non enim locus hominem sanctificat, sed homo locum.* Sic Suarez. Quem citat & sequitur Bonacina *punct.5. cit. num.4.* & hunc, Palaus *loco citato.*

Respondeo, *Tertio*, si adsit consuetudo præscripta recitandi Horas in certo loco distincto ab Ecclesia, vel Choro, licitè poterunt ibi recitare. Quia consuetudo facit licitum, quod aliàs non erat. Sic Bonac. & Palaus *loc. cit.* Trullench. *lib.7. capit.7. dub.20. num.1.* Escobar à Corro, *quæst.4. de Horis num.105.* Faustus *de Horis quæst.158.*

QVÆSTIO CXIV.

An, Clericis, aut Regularibus, qui priuatim Horas recitant, licitum sit, recitare Horas vbicumque?

REspondeo, vt certum. Esse eis licitum. Quia nullum reperitur ius, quod eos ad recitandum in Ecclesia, aut Choro, adstringat: possunt ergo vbicumque voluerint. Sic omnes DD. Legantur Nauarr. *de Orat. capit.4.* Suarez *capit.10. citat. numero 9.* Azor. *libro 10. cap.11. quæst. vltima.* Valentia *disp.6. quæst.2. punct.10.* Macignus *de Horis cap.50. à num.3.* Palaus *disputat.2. punct.4. in fine.* & alij contra Glossam *in cap. vlt. dist.92.* asserentem, omnes Clericos ex vi ordinationis suæ, teneri ad recitandas Horas in Choro Ecclesiæ alicuius. Videatur Suar. *loco citat. numero 10.* vbi hanc Glossæ sententiam ait, esse falsam, & sine fundamento.

QVÆSTIO CXV.

An quis, sine veniali, possit Horas Canonicas, dum venter exoneratur, recitare?

AFfirmant esse veniale, propter irreuerentiam, nisi aliàs necessitas vrgeat, ibi recitare, Sotus, Lublinus, Bonac. Palaus, Marcellus, Vulpe, Hieron. Garçias, & Martinus à S. Ioseph, quos adduximus *tom.2. tract.6. disp.13. quæst.13. quæst.26.*

Sed iterum probabilius, Respondeo. Posse sine veniali, ob rationem assignatam *qu.26. cit.* Sic Nauarr. Sanchez, Angles, Trullench. Diana, Escocar, Persicus, Faustus, & Caramuel relati à nobis ibidem. Thomas Tamburin. *lib.2. in Decalog. cap.5. §.6. numero 2.* Qui tandem bene his verbis distinguit: *Si locus eiusmodi sordibus, sine delectu eligatur, ad Horas recitandas, aliasque preces effundendas, cum possit mundior eligi aliquam venialem irreuerentiam committi probabile est; at si vel casu, vel ex aliqua occasione, in loco immundo reperiaris, orato libenter; quia etiam in loco sordido melius est orare, quàm otiosum esse.* Sic ille.

QVÆSTIO CXVI.

An, peccet saltem venialiter qui Officium recitat in locis distractioni expositis?

REspondeo dicendū quod sic. Tum quia in Concil. Basilienſi *sess.21.* expresè habetur, quod recitentur Horæ; *in tali loco, vnde à deuotione non retrahantur.* vt refert Suarez *libro 4. capit.27. numero 1.* Tum etiam, quia in dictis locis, qui recitare intendit, verè exponitur periculo distractionis. Tum denique; quia irreuerenter procedit: ergo si quis in locis, vbi sunt clamores, tumultus, & strepitus profani; vt plerumque sunt in locis publicis, in foro; & vbi sunt hominum, & sæcularium negotiorum concursus, Horas persolueret, venialiter ad minus delinqueret. Sic Nauar. *de Orat. cap.5. num.10. & c.21. num.32.* Suarez *loc. cit.* Reginald. Molfesius, & Macignus, quos citat, & sequitur Bonac. *disp.1. q.3. punct.5. n.6.* Faustus *de Horis lib.1. q.159.* Castro Palao *disp.2. pun.4. fine.* Trullench. *lib.1. in Decal. c.7. dub.20. nu.2.* Thomas Tamburin. *lib.2. in Decal. c.5. §.6. nu.2.* Escobar à Corro, *q.4. de Horis n.106.*

QVÆSTIO CXVII.

An, adimpleat præceptum dicendi Horas, qui illas recitat decumbendo in lecto, quiescendo, vel deambulando, in itinere, domi, vel in campo, &c.

REspondeo, Tanquam certum: Adimplere. Quia de iis recitandi modis, nil est iure Ecclesiastico præscriptum, quod præcepto seruandum sit. Sic omnes Legantur Nauar. *de Orat. cap.* 4. & 5. Suarez *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 2. & alij, mox addiscendi.

QVÆSTIO CXVIII.

An saltem sit veniale, recitare sine necessitate, in lecto decumbendo, vel sub alia immodesta corporis positione?

REspondeo, Esse veniale & tantùm; præciso contemptu (qui sane graue esset scelus) Quia id aliquis esset desidiæ effectus; & ideo peccatum esset irreuerentiæ venialis. Sic Thom. Tamburin. *§. 6. cit. numer.* 3.

QVÆSTIO CXIX.

An etiam peccent venialiter; qui recitando priuatim, sedent, cum stare debent; vel stant, cum est flectendum?

AFfirmare videtur Tamburin. *loc. cit. num.* 4. dum ait: *Stare cum standum; genuflectere, cum est ex præcepto Rubricæ genuflectendum, non excedit, citra contemptum, fines peccati venialis. Ita ille. Qui tamen videtur sentire oppositum dum addit: Imò nec venialis quidem culpæ terminum attingere putat Castro Palaus: quia eæ Rubricæ solùm videntur consilium dare, non præcipere, cum videantur ad Chorum ordinatæ.* Hæc Tamburinus. Affirmauit etiam antea Suarez *numer.* 2. *cit. in fine*, vbi concludit dicens, quod possit in hoc committi nonnulla culpa, si absque causa fiat.

Sed absolutè, Respondeo dicendum, quod minimè peccent, adhuc venialiter, qui sic priuatim recitant, etiamsi absque causa id faciant, præciso contemptu. Quia ritus recitandi Officium præfato modo, non est de rigore præcepti; sed solùm maioris deuotionis gratia receptus, saltem in priuata recitatione, de qua hic loquimur. Sic Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 6. *numer.* 1. Palaus *punct.* 4. *cit. in fine* Trullench. *dub.* 20. *in fine.* Escobar à Corro, *quæstio.* 4. *de Horis. numer.* 191.

QVÆSTIO CXX.

An saltem peccent venialiter, si in publica recitatione, quæ fit in Choro, sedeant, aut deambulent, dum stare, aut genuflectere debeant?

REspondeo, vt certum: Peccare venialiter (saltem ratione scandali) si id absque vlla causa faciant. Quia re vera, debitam Deo reuerentiam non exhibent, qui dum alij genuflectunt, sine vlla causa sedent. Sic ex Nauarro, Suarez *capit.* 27. *cit. num.* 2. *fine.* Toletus, Macignus, Filliuc. Reginald. & Molfesius quos citat & sequitur Bonac. *disput.* 1. *quæstio.* 3. *punct.* 6. *numer.* 1. Trullench. *loco citato*, Escobar, *quæst.* 4. *cit. num.* 193. & alij penes ipsum.

QVÆSTIO CXXI.

An item peccet venialiter, qui saltem in publica recitatione, vno genu solùm flexo orat, aut recitat?

AFfirmat Nauarrus, *de Orat. capit.* 4. *numer.* 15. & 16. peccare venialiter, ratione indecentiæ; nisi aliàs id iusta aliqua causa facerent.

Sed probabilius, seu clarius, Respondeo dicendum, quod minimè peccaret, adhuc venialiter, ratione indecentiæ; quia re vera, qui vno genuflexo orat, aut recitat, vere dicitur genuflexus orare, & adimplere illud Apostoli, *In nomine Iesu omne genu flectatur.* Posset tamen peccare venialiter ratione scandali leuis, aut malæ ædificationis; qua circunstantia facilius in Ecclesiasticis, præsertim Religiosis inueniri potest. Sic Bonac. & Trullench. *loco citato.*

DISPVTATIO V.

De causis excusantibus ab Officij Diuini recitatione.

QVÆSTIO PRIMA.

An dentur aliquæ causæ excusantes à recitatione Diuini Officij?

RESPONDEO, Tanquam certum, dari aliquas causas excusantes Clericos aut Beneficiarios à lege, & præcepto recitandi Horas Canonicas sunt autem præcipuæ, impotentia, infirmitas, occupatio, dispensatio,: De quibus omnibus suo ordine tractabimus. Sit ergo,

§. I.

De Impotentia.

QVÆSTIO II.

An, impotentia excuset ab obligatione recitandi Horas Canonicas?

REspondeo, Tanquam certum. Excusare. Quia impossibilium non est obligatio. *l. impossibilium. ff. de Regul. iur.* Sic omnes. Legantur Suarez *de Horis. Canon. libro* 4. *capite* 28. Azor. *libro* 10. *capit.* 13. Garçias 3. *p. capite* 1. *numero* 97. Palaus *tom.* 2. *disputat.* 2. *punct.* 6. Bonacin. *disput.* 1. *quæstio.* 6. *punct.* 2. Sanchez *libro* 7. *consil. capite* 2. *dubitat.* 45. Trullench. *libro* 1. *in Decalog. capite* 7. *à dubitat.* 28. Filliuc. *tractat.* 23. *capite* 9. Tamburin. *libro* 2. *in Decalog. capite* 5. §. 8. Pellizar. *tract.* 5. *capite* 8. *sect.* 2. *à quæst.* 26.

quæstio. 26. numero 109. Escobar à Corro, *de Horis Canon. quæstio. 6. à numero* 25. Acacius *tom. 1. verb. Beneficiados Resolut.* 117.

Qvæstio III.

An, obliuio naturalis, excuset quem ab obligatione recitandi?

Respondeo, Tanquam certum. Excusare. Quia re vera tunc omissio Officij, nequit illi esse voluntaria. Sic omnes præcipuè Suarez *loco citat. nu.* 4. Bonac. *punct. 3. numero* 9. Palaus *numero* 1. *vers. Primo.* Tamburin. *numero* 2. & alij citati. Qui idem docent, & meritò, de inaduertentia naturali: & de ignorantia inuincibili.

Qvæstio IV.

An, si quis experiatur, se recitandi obliuisci, debeat, quando hora consueta non recitat, adhibere aliquod memoriæ excitatiuum, quo obligationis recordetur?

Respondeo: Debere. Quia alias omnino Officij esse voluntaria in causa. Verum est, quod necessitas huius signi præuentionis, possit facile, propter solam inaduertentiam omitti, & tunc minimè imputaretur ad culpam, saltem grauem. Sic Suarez *libro* 4. *capite* 28. *numero* 4. *fine.* Bonacina *numer. 9. cit.* Palaus *numer.* 1. Trullench. *libro* 1. *in Decalog. capit. 7. dubitat. 29. numer. 4. in fine.* Filliuc. *tractat. 23. cap. 9. quæst. 2. num.* 282. *in fine.*

Qvæstio V.

An, Qui ob aliquam impotentiam naturalem, non potest loqui, aut verba officij ore proferre; teneatur tunc recitare interius, seu mentaliter Officium?

Affirmare tenentur, qui dicunt, adimplere præceptum, mentaliter recitando, quos retulimus *sup. disp. 4. quæst. 43.*

Sed ego ex ibidem dictis, Respondeo, vt certum: Non teneri. Quia præceptum est de recitando vocaliter ergo qui loqui non potest, aut non loquitur, propter aliquam legitimam causam, verè excusatur à substantia præcepti: ergo non tenetur ad recitandum mentaliter. Sic Palud. *in 4. dist. 15. quæstio. 5. numer. 19.* Nauar. *de Orat. capit. 11. numer. 6.* Siluest. Innocent. & Panormit. quos affert, & sequitur Suarez *libro 4. capit. 28. numer. 11.* Filliuc. *numer. 288.* Trullench. *dub. 28. num. 7.* & alij mox citandi.

Qvæstio VI.

An saltem, qui non potest dicere Horas, potest tamen eas ab alio audire; ad id teneatur?

Affirmauit Girardus *in tract. de assiduitate orandi quæst. 4.* vt refert Nauarr. *num. 6. cit.* Quid (inquit) hoc potest; licèt illud non.

Sed, vt quid certum, Respondeo. Non teneri ad audiendum Horas. Quia Clericis non est præceptum, vt audiant Horas, sed vt dicant: ergo qui dicere nequit, non tenetur audire. Sic Nauar. *loco citat.* Qui ad rationem Girardi, optime respondet, quod licèt possit audire, non tamen ad id teneatur; quia non obligamur ad omnia, quæ possumus, sed ad ea, quæ nobis iubentur. Siluest. Palud. Suarez *loco citat.* Sanchez *lib. 7. consil. capit. 2. dubit. 49.* Filliuc. *loco citat. numero* 288. Trullench. *numero 7. citato,* & alij. Qui, ob eandem recitationem excusantur ob onere recitandi per alium, qui non possunt per se.

Qvæstio VII.

An, qui tenetur ad Horas, & nequit illas dicere; teneatur dicere aliquid loco earum?

Affirmant, apud Sanchez, Siluest. Angel. Armilla, Tabiena, *verb. Horæ.* D. Anton. Viguer. Turrecrem. & Palud. Necnon & Nauar. *cap. Quando capite* 11. *Hispan. numero* 15. & 16. docens teneri toties repetere Orationem Dominicam, vel aliam, quoties vir prudens arbitratur. Tenent & alij citati à nobis 2. *p. tract. 6. disp. 13. qu.* 12.

Sed vt quid longe probabilius, imò & fere certum, Respondeo. Non teneri ad dicendum aliquid loco Horarum. Quia Ecclesia solum obligat Clericos ad dicendas Horas Canonicas. Sic Nauar. *de Orat. capite* 11. *numero* 19. & 39. vbi fatetur se aliquando oppositum dixisse; non tamen iam, nisi de consilio. Sanchez *capite 2. citat. dubitat.* 50. Pellizarius *tom. 1. tract. 5. capite 8. sectio. 2. quæst. 26. num.* 109. lege me ipsum *loco citat.* & Acacium *verb. Beneficiados. Resol.* 117. Bonac. & Machado apud ipsum.

Qvæstio VIII.

An, Qui non potest recitare solus, si cum socio, possit; ad id teneatur?

Affirmant aliqui Doctores. Quia hic potest commodè implere præceptum recitandi; cum illi satisfiat recitando adiuncto socio: ergo tenetur. Ita Nauar. *Sum. capit. 25. numero* 100. & *de Orat. cap.* 11. *numero 6. & capit. 21. numer.* 14. & Palac. *in 4. dist. 15. disputat. 9.* & alij iuniores, quos citat, & sequitur Sanchez *libro 7. consil. capit. 2. dubitat.* 48. Quibus addi possunt Philiarcus *libro 1. capite 10. concl. 1.* Aragon. *2. 2. quæstio. 83. artic. 12. causa 1. prætermittendi Officium.* Graffis *lib. 2. capite 54. num.* 13. Rodriguez *in Sum. capite 144. numero 1.* Vega *capite 128. casu 16.* Valentia *tom. 3. disputat. 6. quæstio. 2. punct. 10. §. septimo.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 13. quæst. 3. & 6.* Petr. Ledesma *tract. 9. capit. 4. concl. 9. diff. 4.* Palaus *tom. 2. disput. 2. punct. 6. numer.* 13. Bonac. *disput. 1. quæst. 6. punct. 2. numer. 8.* Layman *libro 4. tractat. 1. capite 6. numero 2.* Suarez *libro 4. cap. 28. à num.* 13. Filliuc. *loc. cit. num.* 289. Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 54.* Garcia *de Benef. 3. p. cap. 1. numer.* 215. Bassæus *verb. Horæ. 6. num. 5.* Leander de Murcia *cap 1. num. 3. Reg. num.* 21. Tamburin. *cap. 5. §. 8. num.* 11. & alij. Ex his autem, quidam dicunt teneri recitare cum Socio, si hoc vti consueuerit, aliàs non. Sic Lessius, & Garcia. Alij dicunt, teneri, si commodè possit adhibere, & non sit surdus, aut surdaster, cuius defectu audire non posset socium absque magna vociferatione. Sic Suarez, Leander, Tamburin. Bonac. & Bassæus. Alij tandem dicunt teneri adhibere socium, etiam cum stipendio, si opus fuerit, hoc est, si beneficium habeat, &c. Sic Palaus, & Suarez.

Sed æque probabiliter Respondeo, Non teneri ad adhibendum Socium; etiamsi antea, illo vsus fuerat: & minus ad conducendum illum pro officio recitando, quamuis Beneficiarius sit. Ratio est: quia Clerico etiã Beneficiario, non est impositum præceptum, vt dicat Horas cum Socio; sed potius illas recitet per se: ergo si per se solùm non potest, ad quærendum Socium non tenebitur. Quæ ratio militat etiam contra Suarium, Bonac: & alios, qui docent, teneri Clericum habentem beneficium pinguem conducere Socium ad recitandum. Quia præceptum ad recitandum obligat per se, non ad adhibendum Socium; ergo si non potest per se, ad nil aliud tenetur. Nec facit teneri adhibere media necessaria ad adimplendum præceptum recitandi; quia hoc intelligitur, de mediis ordinariis, vt est emere Breuiarium, non de extraordinariis, vt est, adhibere, aut conducere Socium, ad quod præceptum non obligat.

Deinde: quia, *vt 3.p.tract.2. disp.2.quæst.19.* cum communi diximus, nemo tenetur quærere Sacerdotem, quamtumuis commodè, & sine stipendio possit, vt festiuis diebus, Sacrum audiat: ergo similiter, nec tenebitur quis quærere Socium, quamuis commodè, & sine stipendio id adispisci possit, vt cum illo recitet. Ideo hanc nostram sententiam tenent, apud Garciam, Henriquez *tract.de Orat* Silues. *verb. Hora, num.5.* Nauar. *cap.11.num.6.& 7.* Cuchus *lib.5. tit.7.num.24.* Rodrig. *in quæstion. Regul.1. tom.q.42. art.10.* & Toletus *lib.2.cap.14.vers.1.causa.* Sed ex iis Nauarrus, malè citatur, cum oppositum, vt vidimus, teneat, nec *num.6.aut.7.* tractat *de hac quæst.* Sed de *quæst.6.* superius habita. Et de illa solum etiam agit Toletus: imo & Siluester. Tenent igitur nostram sententiam Ioan. Sanchez *in select. disp.15. numer.2.* Oliuerius Bonartius *de Horis Canon. lib.2. capit.38. num.12.* quem citat, & eius sententiam, vt probabilem sequitur Diana *tom.1.tract.12.Resol.43.§. Imo & part.4.tract.4.Resol.221.* & hunc, Verricell. *in quæst. moral. tract.5. quæst.6. num.130.* vbi ita dicit: *Infirmus, qui potest commodè recitare cum Socio, non tenetur; etiamsi Socius se offerat; hoc enim est priuilegium, quo vti liberum est; vnde neque tenetur cæcus cum Socio se offerente recitare.* Sic ille. Et ego antea *1.p.tract.5. disp.9.quæst 71.* Sic etiam, tenet vt probabilem, hanc partem Martin. à S. Ioseph *tom.1. lib.1. tract.11. de Orat. num.4.* quem etiam sequitur nouissime Diana *p.10. tract.16. Resol.45.* & apud illum, Rocafull. & Mendoza. Quibus addo Acacium *Resol. 117. verb. Beneficiados, numer.2. in fine & v. Horas Canonicas Resol.59.* num.3.

Qvæstio IX.

An, cæcus ex toto, aut ex parte, qui legere minimè potest; excusetur à recitatione Officij?

Respondeo vt quid certum: Excusari. Quia nemo ad impossibile tenetur. Sic omnes DD. Legantur Sanchez *libro 7. capit. 2. dubitatio. 46.* Trullench *lib.1.in Decal. cap.7.dub.28. num.8.* & alij *supra citati.*

Qvæstio X.

An saltem, teneatur cæcus obligatus ad Horas, eas memoriæ mandare; vt illas memoriter dicat?

Affirmare videtur Nauar. *de Orat. capit. 19. num.82.* quatenus ait: cæcum beneficiarium non excusari à Choro; quia potest addiscere Horas: vnde videtur obligare ad addiscendum. Deinde Palud. *in 4.dist.15.quæst.5.* dicit, carentem Breuiario, teneri addiscere Horas, vt memoriter dicat. Denique Bonacina, *disp.1. quæst.6. punct.2. num.14.* & Trullench *lib.1.in Decal. capit.7. dub.28. num.8.* docent, Teneri cæcum, si commodè potest, assumere Socium, vt paulatim Psalmos memoriæ mandet.

Sed vt certum mihi Respondeo, Non teneri cœcum memoriæ mandare Officium, vt illud memoriter dicat. Quia mihi certum est, quod Ecclesia (vt ait idem Bonacina) suo generali præcepto, non obligat ad extraordinariam, & valde difficilem diligentiam adhibendam. Sic Sotus *lib.10. de Iust.qu.5. art.3.vers. Addiscere.* vbi ita ait: *Addiscere verò Officium, vt memoriter dici possit, nemo lege cogitur, quia res est non omnibus bene possibilis; satis enim est, legere sciat. Quare si quis esset, aut inter infideles, aut in Prouincia, vbi Breuiarium neutiquam reperiretur, legitima obtegeretur excusatione. Eadem ratione excusantur & cæci, aut ita oculis caliginantes, vt legere nequeant. Tametsi dum aliquas Horas memoriter proferre possent, fortasse tenerentur. Quamuis nec omnino sim certus, an essent rigore cogendi: quandoquidem tenacitas illa memoriæ accidentaria sit: licèt tutius esset, vt se obligatos censerent.* Hæc Sotus. Quem citat & sequitur Sanchez *lib.7.consil. capit.2. dubit.46. concl.1.* Macignus *cap.14.num.9.*

Qvæstio XI.

An saltem teneatur ad recitandum cæcus, qui memoriter scit Officium totum, aut fere totum?

Negatiuam partem esse probabilem clarè innuunt aliqui Doctores, inter quos adest Pellizarius *tom.1.tract.5.cap.8.sect.2.quæst.27.numer.111.* hæc dicens verba: *Absolute loquendo, non videtur improbabile, quod docent Sancius* in selectis disput.15. *n.2. Sanchez* lib.7 consil.c.2.dub.46.n.5. (*quamquam dicat oppositum esse probabilius*) *Sotus* lib.10. de Iust. quæst.5. art.3. *aliique Docti Magistri apud Sanchez* num.3. *Cæcum obligatum ad Horas, ex Professione, aut Ordine Sacro, non teneri eas recitare, etiamsi memoriter sciat Psalmos, cum adhuc lectiones legere non possit, & alioqui non teneatur admittere Socium, quamtumuis se offerentem ad recitandum: cum facultas recitandi cum Socio, sit priuilegium, & fauor, quo quilibet potest liberè non vti: idque etsi solitus fuisset eo vti: semper enim priuilegiatus potest renunciare priuilegio, vt patet.* Hæc omnia Pellizarius.

Sed longe multò probabilius Respondeo, Teneri Officium memoriter dicere. Quia reuera potest ille commodè, ac per se ipsum solum, implere præceptum recitandi: ergo tenetur. Nec obstat quod ait Sotus, *vbi supra*, quod illa tenacitas memoriæ sit accidentaria: Tum quia ex hoc solum colligitur, quod per accidens obliget; sicut obligaret illum, cui non habenti

habenti Breuiarium, offerretur miraculosè; hunc namque absque dubio teneretur recitare, licèt medium fuerit per accidens. Sic Nauarrus *capit. 11. de Orat. num. 16. & 17. & cap. 21. numer. 14.* Et ex illo, Sanchez *dub. 46. cit. numer. 5. concl. 2.* & Mendosa *in Theol. Morali tract. 5. examin. 6. cap. 2. numer. 61.* licèt id cum limitatione, vt statim dicam. Diana ex illo *p. 4. tract. 4. Resol. 11. & p. 5. tract. 6. Resol. 16. & p. 10. tract. 16. Resol. 45.* Suarez *lib. 4. de Horis capit. 28. num. 10.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 13. quæstion. 5.* Palaus *tom. 2. disp. 2. punct. 6. num. 11.* Corro, *quæst. 6. de Horis, num. 32. & 49.*

Qvæstio XII.

An saltem excusetur cæcus, qui nescit memoriter Officium huius diei; sed solùm commune, aut speciale Officium, v.g. Sanctissimæ Trinitatis, aut Corporis Christi &c?

Affirmat Mendosa, *loco nuper citato* per hæc verba: *Cæcus non tenetur Horam integram, quam memoria tenet, recitare; imo nec integrum commune, aut speciale Officium; quia Ecclesia præscribit variationem per Ferias, ac Sanctorum solemnitates. Possum cæcus Psalmos recitare, & à Socio exorare vti legat, me audiente, lectiones? Potes quidem, sed non teneris. Adest dies, cuius integrum Officium memoria teneo. Istud solummodo teneris recitare.* Hucvsque Mendosa. Cuius verba refert Diana *Resol. 45. cit.* nec approbans, nec reprobans. Affirmat tamen expresse Thom. Tamburin. *lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 8. numer. 10.* his verbis: *Si cæcus nesciat, vel tu non habeas hodierni Officij maiorem partem, sciat vero ille; vel habeas tu maiorem partem Officij alterius diei, non obligamini ad recitandum hoc alterius diei Officium, imo neque ad alias preces. Ratio est: quia non tenemur ex vllo præcepto, aliud supponere loco Officij diurni.* Hæc Tamburinus, & antea Diana *tom. 1. tract. 12. Resol. 30. fine.* Escobar à Corro, *de Horis quæst. 6. n. 35. versu qui ob defectum.*

Sed ego probabilius Respondeo, Nondum excusari; sed teneri ad recitandum Officium speciale, seu commune, quod memoriter scit. Ratio est, quia, vt alias diximus *2. p. tract. 6. disp. 13. quæst. 27.* substantia præcepti recitandi Officium, solùm consistit in recitatione quotidiana septem Horarum Canonicarum; & ideo, quod Officium sit de Dominica, vel de Sancto, vel de Feria, solùm pertinet ad modum, qui non cadit sub præcepto: atqui Cæcus tenetur ad recitandum Officium, quod memoriter tenet: ergo ad commune, vel speciale, quod ita scit, tenebitur. Patet; quia sic verè adimplet substantiam præcepti: ergo, si aliàs Officium hodiernum nescit, propter quod ad illud dicendum excusatur, non excusatur ad dicendum, quod scit, cum sic adimpleat substantiam præcepti. Sic Nauarr. *de Orat. capit. 11. à numer. 17.* Sanchez *lib. 7. consil. capit. 2. dubitatio. 47. numero octano.* Et certe ita debent tenere omnes, qui nobiscum dixere, quod illis, qui Breuiario carent Romano, teneantur recitare per aliud quodcumque approbatum, quod præ manibus habent; cum eadem sit ratio. Sunt autem Diana, Crousers, Escobar, Pellizarius, & alij citati à me *sup. disp. 3. q. 21.*

Qvæstio XIII.

An, sit melius Cæco, recitare maiorem partem Officij diei, quam memoriter scit; quàm recitare integrum alterius diei Officium, quod nouit memoriter?

Affirmat Nauarrus *cap. 11. de Orat. num. 23.* his verbis: *Decimo quinto: quod Cæcus, vel Cæcutiens, vel aliter impeditus, qui non potest recitare totum Officium diei occurrentis, sed maiorem partem eius sic, videtur consultius acturus, si recitet omnes partes, quas potest, proprij Officij diei, quàm totum Officium alterius, quod fortè nouit memoriter dicere, vt aliqui norunt Officium maius Beatæ Mariæ, & Officium commune Sanctorum, exceptis paucis.* Ita Nauarrus. Quem citat, & sequitur Sanchez *loco cit. n. 8.*

Sed ego probabilius Respondeo dicendum, quod melius sit Cæco, in casu nostræ quæstionis, recitare Officium alterius diei integrum; quam solum partem hodierni. Quia absolute, melius est adimplere quod ius præceptum integre; quam solum, diminute, aut quoad partem. Sic Corro, *de Horis q. 6. sub. n. 34. vers. Nono.*

Qvæstio XIV.

An, Cæcus habens præbendam; teneatur Choro assistere?

Negant Moneta *de Distribut. part. 2. quæstion. 6. num. 18.* Cened. *in qq. Canon. quæst. 1. num. 13.* & Barbosa *de Canon. cap. 24. numer. 30.* vbi affert pro se duas Declarationes Sacræ Congregationis. Diana *part. 5. tract. 6. Resol. 14.* asserentes, prædictum Cæcum lucrari distributiones quotidianas, etiamsi Choro non assistat.

Sed probabilius Respondeo, Teneri Choro assistere, si distributiones quotidianas lucrari velit. Sic Suarez *lib. 4. cap. 28. numer. 15.* vbi affert etiam, quandam declarationem Cardinal. ad Concil. Tridentin. *sess. 24. cap. 12.* Ita dicentem: *Cæcus non excusatur à recitatione suarum Horarum, si beneficium obtineat, licet in aliis sit priuilegiatus. Quæ verba.* (addit Suarez) *magis intelliguntur de recitatione in Choro, quam de recitatione priuata. Nam præbendatus Cæcus, si aliud impedimentum non habet, non est cur excusetur à residentia, seu assistentia in Choro, quia ad illam tenetur ex vi sui beneficij, & illam potest facile exhibere, cur ergo excusabitur? Vnde etiam fit, vt teneatur* ibi *recitare, provt potuerit, quia beneficium obligat illum ad recitandum: satisfaciet autem huiusmodi Cæcus, attendendo ad ea, quæ alij dicunt, & dicendo cum suo Choro, si potuerit: quod si fortasse non potuerit, quia vel memoriam non habet, vel alios canentes in suo Choro non intelligit, neque eos sequi potest, non tenetur iterum postea priuate recitare, sed proferendo versus Psalmorum, quos potuerit, satisfaciet; quia per illum non stat, sed facit, quod in ipso est, neque sunt tot onera illi imponenda.* Hucvsque sapientissimus Suarez. Sic etiam, & antea Nauar. *de Orat. cap. 19. num. 81.* Filliuc. *cap. 6. quæst. 6. & cap. 9. quæst. 3.* Carol. Macignus, *de Horis cap. 71. num. 59.* Bonac. *d. 1. quæstion. 6. punct. 2. num. 12.* Sanchez *tom. 1. Consil. lib. 2. capit. 2. dub. 90. num. 7.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 7. dub. 28. sub. num. 8.*

QVÆSTIO XV.

An, surdus teneatur ad Horas Canonicas?

RESpondeo vt certum: Teneri. Quia potest legere illas. Nec obstat, quod non se audiat: nam sufficit, quod mente attendat, & cognoscat quid dicat. Sic omnes. Legantur Suarez *lib.4.cap.28.nu.17.* Diana *p.5.tract.6.Resol.15.* Trullench *loc.cit.numer.9.* Pellizar. *tract.5.cap.8.sect.2.quæst.17.nn.113.* Filliuc. *num.291.* & omnes.

QVÆSTIO XVI.

An saltem, surdus, simul & cæcus, excusetur à recitandis Horis?

RESpondeo, Non excusari absolutè; sed potius teneri ad recitandas Horas, quantum iuuari potest ex memoria, modo supradicto de Cæco. Sic communis. Legantur Suarez, & Trullench *loco citato.*

QVÆSTIO XVII.

An, Qui citra culpam suam, caret Breuiario, excusetur ab Horis?

RESpondeo vt certum: Excusari. Quia nemo tenetur ad impossibile. Verum est, quod non excusabitur ab horis, si forte eas scit memoriter, iuxta supradicta *quæstion.11.* Legantur Suarez *tom.2. de Relig. libro 4. capit. 28. numero 7.* Azor. *libro 10. capit.13. quæstion. 18.* Garcias *de Benef.3.p. capit.1. numer.97.* Filliuc. *tract.23. capit.9. quæstion.3.* Sotus *lib.10.de Iust.quæstion.5.art.3.* Nauar. *de Orat.cap.11. numer.38.* Bonacina *disp.1.quæstion.6.punct.2. num.4.* Trullench *lib.1. in Decalog. cap.7.dubit.28. numer.6.* Sanchez *lib.7. consil. capit.2. dubitatio.51.* Escobar à Corro, *de Horis quæst.6.à numer.25.* Basseus *V. Horæ Canon.6.num.5.* & alij.

QVÆSTIO XVIII.

An, Qui è domo discessit, nil cogitans de Breuiario, aut putans illud alibi reperturum; peccet non recitans, & ad restitutionem teneatur?

RESpondeo vt quid certum: Nec peccare, nec ad restitutionem teneri, si postea non inueniens Breuiarium, prætermittat Officium. Ratio est: Quia hic, nec peccauit in causa, cum eum, inaduertentia, seu obliuio, aut bona fides, excuset: nec rursus peccauit in actuali Officij omissione, ob impotentiam, & carentiam Breuiarij: ergo. Sic Suarez *lib.4.cap.28.* (non 27. vt citant Bonacina & Trullench) *numer.9.* Nauarr. *de Orat. capit.11. numer.38.* Azor. *lib.10.cap.13.quæstion.16.* Tolet. *lib.2. cap.14.num.5.* Bonac. *punct.2. cit. num.10.* Trullench *num.6.* Corro, *num.27.* & omnes. An autem in eo casu, teneatur quis recitare Officium memoriter, si potest, constat ex dictis *q.11.*

QVÆSTIO XIX.

An, excusetur ab Horis, qui Breuiarium non habet, nec ob paupertatem, illud emere possit?

NEgat Sotus *lib.10. de Iust. quæstion.5. art.3. col. mihi 4.§. Petrus de Palude. Quia cum nemo* (inquit) *sit in Clericalem Ordinem admittendus, qui non habeat vnde viuat, nemo Clericorum excusatur, si Breuiarium non habeat: Imo antequam haberet non esset promouendus. Eo potissimum quod Palude loquebatur, antequam essent impressiones. Modo namque vilius emuntur.* Ita Sotus.

Sed clarius Respondeo dicendum, quod, siue bene, siue male fecerit, dum promotus est in Clericatum, carens numis ad Breuiarium emendum (de quo egimus *2.p.tract.6.disp.13.quæst.11.*) hoc tamen est certum, quod si hunc postea pœniteat, excusatur ab Horis, dum manet dicta impossibilitas: quia nemo tenetur ad impossibile. Sic omnino Sanchez *lib.7.consil.cap.2.dub.51.numer.6.* & antea Nauarr. *de Orat.cap.21. num.13.* Turrecrem, *in cap. Eleutherius dist.19.num.4.* D. Anton. *3.p.tit.13.cap.4.§.5.* Viguer. *lib.Institut.Theol.c.5.§.5.vers.4.* Paludan. *in 4.dist.15. quæst.5.* & Trullench, *dub 28.cit.sub num.6.*

QVÆSTIO XX.

An, Qui aduertenter Breuiarium proiecit in mare, aut sua culpa perdidit; immunis sit à culpa, non recitando, si nequeat?

RESpondeo dicendum, quod huiusmodi proiiciens, non solum peccauit, dum proiecit Breuiarium in mare, aut sua culpa perdidit, eo quod tali actione impotens ad recitandum fuit factus: verum etiam postea, toties quoties perseuerando in eadem voluntate non recitandi, recitare omisit: secus vero, si voluntatem mutet, & pœniteat: quia tunc, si non habet medium ad recitandum, non peccabit, non recitando, quia iam sibi est impossibile recitare. Sic Nauar. *in sum. cap.25. num.102.* Maior, & Sandoual, quos citat, & sequitur Sanchez *dubit.51. cit. num.2.* Bartho. à S. Fausto, *de Horis quæst.244.* Suarez *cap.28.cit.num.8. & 9.* Filliuc. *num.284. & 286.* Pellizarius *tom.1.tract.5. cap.8.sect.2.q.30. num.122.* Corro, *q.6.n.29.* & omnes.

QVÆSTIO XXI.

An, excusetur ab Horis, qui beneficium impetrat, antequam sciat legere?

RESpondeo Dicendum ex dictis, quod licet acceptando beneficium peccauerit, eo quod non erat tunc ab beneficium idoneus: at supposito quod acceperit, excusetur ab Horis, toto tempore quo durat ignorantia in modo recitandi. Debet tamen iste, statim, diligentia adhibita, curare addiscere latine legere, si ad discendum fuerit aptus, aut debet beneficium obtentum deponere; quia est beneficio indignus, vtpotè illiteratus. Sic Nauar. *de Orat. cap.20. & 38.* Azor. *lib.10.cap.13.quæstion.18.* Suarez *lib.4.cap.28.num.6.* Bonacina *disp.1.quæst.6.punct.3. num.10.*

numer. 10. *& punct. 2. numer.* 16. Macignus, *de Horis cap.* 19. *num.* 3. Trullench *loco cit.* & Sanchez *loco cit. num.* 3. & communis.

§. II.

De Infirmitate.

QVÆSTIO XXII.

An, Infirmitas grauis, non leuis, excuset à recitatione diuini Officij?

RESpondeo vt certum, dicendum quod infirmitas grauis, verè excuset à recitatione Horarum: non verò leuis. Ratio est: quia infirmitas grauis ægrotum reddit moraliter impotentem ad recitationem Horarum; & ideo pro tunc suspendit obligationem præcepti: infirmitas vero leuis, minime; & ideo hæc non suspendit dictam obligationem præcepti. Sic omnes DD. docent *ex cap. Clericus dist.* 91. *& ex cap. vnico, de Cleric. non resident. in* 6. Legantur Nauar. *de Orat. cap.* 11. *numer.* 6. Sotus *lib.* 10. *de Iust. quæst.* 5. *art.* 3. Suarez *lib.* 4. *cap.* 28. (non 24. vt citat Corro) *à num.* 19. (non 11. vt ait Bonacina) Azor. *lib.* 10. *cap.* 13. *quæst.* 1. Vazquez *de Benef. capit.* 4. §. 1. *art.* 1. *dub.* 12. Aragon. 2. 2 *quæst.* 83. *art.* 12. & Faustus, *de Horis Canon. à quæstion.* 217. Bonacina, *de Horis disp.* 1. *quæst.* 6. *punct.* 1. Sanchez *lib.* 7. *consil. capit.* 2. *dub.* 45. Trullench *lib.* 1. *in Decal. capit.* 7. *dubit.* 27. Pellizar. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *à quæst.* 18. *num.* 114. Corro, *quæst.* 6. *de Horis à num.* 54. Thom. Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 5. §. 8. *à num.* 13. Basseus *v. Horæ Canon.* 6. *numer.* 1. Raphael de la Torre 2. 2. *de Horis contr.* 7. *num.* 1.

QVÆSTIO XXIII.

An Febris tertiana excuset quem à recitatione Horarum?

NEgant communiter Doctores, docentes, huiusmodi febrim, non excusare quem à recitatione Horarum; eo quod non affligat tota die, sed vsque ad meridiem, aut ad vesperas. Ita sentire videntur Nauarr. *de Orat. capit.* 11. *numer.* 3. Azor. *libro* 10. *capit.* 13. *numero primo* Bonacina *disputatio.* 1. *quæst.* 6. *punct.* 1. *numer.* 2. Trullench *dub.* 27. *cit. numer.* 2. Pat. Hermanus, *in Medulla Theologiæ Moralis lib.* 4. *dub.* 2. *art.* 3. *n.* 1. Basseus *loc. cit.*

Sed ego absolutè probabilius Respondeo Excusare. Quia revera huiusmodi febris moraliter reddit impotentem ægrum ad Horas Canonicas recitandas, etiam illo die, quo desinit febris, vt experientia constat. Et certe (vt bene notat Sanchez *dubitatio.* 45 *cit. numero tertio*) cum damna, quæ in corpore valido sunt leuia, in ægroto sint grauia mala, & omnia præcepta Ecclesiæ ordinentur ad Charitatem, quæ erga infirmos admodum benigna est, non est verisimile, quod Ecclesia quæ est piissima mater, velit hominibus morbo affectis, addere molestiam orandi, etiamsi ab ea non multum lædantur.

QVÆSTIO XXIV.

An Item, febris quartana excuset ægrotum ab obligatione recitandi Officium?

NEgant Doctores nuper adducti, & à fortiori, quidem, cum inter febrem, & febrem quartanæ, duorum dierum interuallum mediet: Tertianæ vero, vnius.

Alij autem dicunt, quod de huiusmodi quartario non possit dari certa regula, vtrum teneatur ad Horas, necne, sed iudicandum esse arbitrio Medici superioris, aut alterius boni viri: quia potest dari casus, in quo quartana sit adeo grauis, & secum talia accidentia afferat: vt merito censeatur grauis infirmitas, & consequenter excuset à recitatione Officij. Ita Siluester. *verb. Hora, quæstion.* 4. *dicto* 1. Sanchez *lib.* 7. *consil. capit.* 2. *dubitatio.* 45. *numero* 6. Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *quæst.* 18. *num.* 117. Escobar à Corro, *quæst.* 6. *de Horis num.* 63. Trullench *dub.* 27. *sub num.* 2.

Sed ego clarius Respondeo, *Primò.* Probabile est mihi, & valdè, quod febris quartana excuset ægrotum ab obligatione recitandi Officium, pro illa die, qua febris illum vexat: siue hoc faciat à mane vsque ad meridiem, aut ad vesperas, & statim cesset: siue à meridie, vel à vesperis, vsque ad mane diei sequentis. Nam si primo modo contingat, constat non teneri infirmum ad recitandum eo die: quia non statim quod febris cessat, manet potens ad recitandum, cum adhuc maneat defessus, ac debilitatus: & ideo valdè molestum esset illi Horas tunc dicere. Si verò contingat secundo modo, etiam constat, non teneri infirmum totum Officium recitare mane; quia iam ab illo tempore adest inæqualitas corporis, eiusque indispositio, quæ est legitima causa non orandi, vt habetur *in cap. Clericus, dist.* 91. lege Tamburinum *loco citato numer.* 13. *vers. Hinc ex Pellizario*, vbi saltem hoc vltimum docentem inuenies,

Respondeo, *Secundò*, etiam probabile est mihi, quod nec tenetur ad Officium dicendum. Quartanarius, adhuc illis duobus diebus, in quibus à quartana febri est liber. Quia re vera, si quartana est grauis, etiam illis duobus diebus intercedentibus inter febrem, & febrem, ita manet defatigatus, vt perdifficile sit illi Horas recitare. Imo, vt bene ex experientia ductus, notat Escobar à Corro, *numer.* 63. multoties, medio tempore inter febrem, & febrem magis defessus, & defatigatus inuenitur ægrotus, quam tempore ipsius febris: atqui hoc tempore non obligatur ad Horas, ergo neque illo alio intermedio. Confirmo hanc meam opinionem, ex alia satis probabili, quam tradidi 3. *p. tract.* 5. *de Ieiunio disputatio.* 8. *quæstion.* 64. vbi cum communi dixi, quod laborantes, minime teneantur ad ieiunium, illis diebus in quibus non laborant (nempe quando vno aut altero die, propter festum occurrens, cessant à labore,) eo quod durum esset, illos ad hoc obligare; cum ex labore præterito satis debiles ac fatigati maneant, vel futuri sint debiles ad laborandum sequenti die: ergo ob eamdemmet rationem, manebit liber ab onere recitandi quartanarius, illis duobus diebus, in quibus non laborat febri: si quidem, primo die, satis debilitatus manet ex præterita febri, & secundo, futurus esset debilior ad morbo laborandum, die sequenti.

QVÆSTIO XXV.

An, dolor capitis, stomachi, aut pectoris eximat quem ab onere recitandi?

NEgant communiter Doctores, præcipue Azor, Bonac. Trullench, Bassæus, citati supra *qu.* 23. Corro, *qu.* 6. *n.* 63. & alij.

Sed clarius Respondeo vere non eximere, si prædictus dolor sit leuis, & pertransiens; secus verò si grauis sit & permanens: nam tunc vere excusabit; cum tunc verè infirmitas, grauis reputetur. Sic intelligendi sunt Authores citati, & à fortiori docebunt Sanchez *libro* 7. *consil. capit.* 2. *dubitatio.* 45. Tamburin. *numero* 13. & Trullench, citatus vbi dicunt, quod æger, qui ex recitatione Horarum verisimiliter credit, aut timet futuram stomachi cruditatem, vel capitis grauedinem, vel virium lassitudinem, vel tardiorem febris remissionem, excusetur à recitatione Officij.

QVÆSTIO XXVI.

An, imbellicitas eius, quem febris deseruit; eumdem excuset à recitatione per aliquot dies?

REspondeo vt certum. Excusare. Quia illa imbecillitas infirmitas adhuc est; & Mater Ecclesia conualescenti per aliquod tempus requiem ab Officio concedere putanda est. Sic Sanchez *dubitatio.* 45. *cit. numero quinto.* Qui bene addit, quod possit quis celebrare Missam, etiamsi non recitet illis diebus: nam hoc tribuere debemus benignitati Ecclesiæ. Tamburinus *libro* 2. *in Decalogum capit.* 5. §. 8. *numero* 13. vbi notat, quod dies prædicti per quos vacare debet conualescens ab Officio, numerari debent arbitrio prudentis, proportione habita ad grauitatem præteritæ infirmitatis, & præsentis difficultatis. Trullench *libro* 1. *in Decalogum. capit* 7. *dubitatio* 27. *sub numero secundo* Pellizar. *tomo* 1. *tract.* 5. *capit.* 8. *sect.* 2. *quæstion.* 18. *numer.* 116. *vers. Addit. Sanc. num.* 5.

QVÆSTIO XXVII.

An item, excusetur ab Horis, qui oculorum infirmitate laborat?

REspondeo, Excusari ab horis legendis, si timet videndi vim paulatim deperdere: non tamen excusabitur ab obligatione illas memoriter dicendas, si memoriter eas retineat, iuxta dicta supra *q.* 11. Sic Tambur. *n.* 13. *cit. in fine*, & Pesantius 2. 2. *qu.* 72. *art.* 2. *disp.* 6. vbi inter infirmitates graues, dolorem oculorum enumerat.

QVÆSTIO XXVIII.

An rursus; excusetur ab Horis, qui, ita oculorum infirmitate, aut febri alia, laborat; vt tamen per notabilem diei partem legat voluntarie fabulas, vel historias, aut vacet confabulationibus familiaribus?

NEgat excusari Nauarr. *de Orat. cap.* 11. *numer.* 4. (non 11. vt citat Pellizarius) per hæc verba: *Quarto, illum ægrotum, qui potest serio loqui, & alia negotia profana tractare cum suis amicis, ab Horarum recitatione minime excusari; quia hoc non est illo facilius.* Ita ille ibi: & postea *in Man. cap.* 25. *num.* 100. Ioan. de Cruce, *in sum. in* 3. *præcep. Decal. art.* 3. *dub.* 5. *num.* 1. *in fine.* Faustus, *de Horis lib.* 2. *q.* 217.

Sed probabilius Respondeo, Excusari etiam. Quia sermones illi, & lectiones voluptatem ægris afferunt, nec morbus inde ingrauescit; sed potius decrescit; at vero recitatio Horarum, est res seria, & requirit attentionem, ac suapte natura grauat caput, ac mœrorem, & molestiam infert. Sic Sanchez *lib.* 7. *consil. cap.* 2. *dub.* 45. *num.* 4. & penes illum, alij valde docti Magistri. Sancius *in selectis disp.* 15. *num.* 2. Pellizar. *tom.* 1. *Regul. tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *quæst.* 18. *numer.* 116. (non 176. vt inuenies apud Tamburin.) Trullench *dub.* 27. *cit. sub num.* 2. Tambutinus *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 5. §. 8. *num.* 14. vbi docet, præfatum ægrum non peccaturum, contra obligationem recitandi Officium: quia ab illo iam excusatur. Sicuti non peccat contra præceptum ieiunij, qui ex infirmitate comedit carnes, sed ex gulæ concupiscentia comedit pisces. *Verùm quemadmodum hic peccat contra Charitatem in se ipsum, si multum ei noceant pisces; ita peccaturum* (inquit) *non ambigo illum, qui fabulas cum sanitatis detrimento legit: quod tamen detrimentum, saltem notabile, raro eueniet: quia hisce lectionibus, quantum est ex hoc capite, recreatur animus, non multum opprimitur.* Sic ille. Et Diana *tom.* 1. *tract.* 12. *de Horis. Resol.* 43. Verricellus, *in qq. moral. tract.* 5. *quæstion.* 6. *numer.* 129. Escobar à Corro, *quæstion.* 6. *de Horis numer.* 60.

QVÆSTIO XXIX.

An, eo ipso quod quis, ratione infirmitatis, excusetur à recitatione Horarum in Choro; excusetur à recitatione etiam priuata?

REspondeo vt certum: Non eo ipso excusari. Quia potest infirmitas esse talis, vt recitationi in choro impedimentum afferat; non vero priuatæ. v. g. infirmitas pedum, qua quis ita laborat, vt Ecclesiam adire nequeat, quamuis alioquin bene valeat, vere impedit primum; non vero secundum; cum possit Horas domi pronunciare. Sic omnes. Nauarr. *de Orat. cap.* 11. *num.* 2. Reginald. *ad* 2. *præcep. Decal. lib.* 18. *cap.* 13. *sub num.* 181. *quæst.* 1. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 6. *punct.* 1. *num.* 3. Trullench *dub.* 27. *cit. num.* 4. Corro, *quæst.* 6. *citata, numer.* 66. *limit.* 4. Bassæus, *Horæ Canon.* 6. *num.* 1.

QVÆSTIO XXX.

An, qui dubius est, an recitatio Officij valde nocitura sit eis; teneatur ad Officium?

NEgat Caietanus verb. Ieiunium, quem sequi videtur Thom. Delbene *tract.* 3. *de conscientia dubia, dubit.* 28. *num.* 4. & 5. Sed, Respondeo dicendum; quod vt non teneatur, debeat Medici, aut Superioris consilium expectare: illius quidem, quia ratione Officij, & peritiæ in arte ad eum spectat tale iudicium: huius vero; quia ob iurisdictionem potest per modum dispensationis aliquid remittere. Quod si nec Medicus, nec superior haberi possit, tunc infirmus debet vti arbitrio prudentis viri. Quod si hic adhuc deficiat, standum credo arbitrio ipsius-

met

met dubitantis, si timoratus sit; licet Suarez, & Pellizarius sentiant tunc teneri, eo quod in dubio inclinandum sit in fauorem præcepti. Sic Nauar. *loco cit.* Sotus *de Iust. lib.* 10. *quæst.* 5. *art.* 3. Siluest. *verb. Hora quæst.* 4. Armilla *numer.* 16. Sandoual *tract. de Offic. Eccles.* 5. *p. cap.* 3. Sanchez *lib.* 7. *consil. capit.* 2. *dub.* 45. *num.* 2. Bonacina *quæst.* 6. *cit. punct.* 1. *num.* 4. Corro, *num.* 59. & ego item 3. *p. tract.* 5. *disp.* 10. *qu.* 17. *& disp.* 8. *quæst.* 141. loquendo de Ieiunio, & communis. Quid si Medicus sit dubius, mox dicemus: sit ergo,

QVÆSTIO XXXI.

An rursus, si Medicus sit dubius, an recitatio nocitura sit ægroto; tunc teneatur iste Horas persoluere?

AFfirmatiuam sententiam videntur tenere Suarez *lib.* 4. *de Horis cap.* 28. *num.* 21. & Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *quæst.* 18. *numer.* 115. & esse probabile affirmat Tambur. mox citandus.

Alij vero, dicunt, teneri ægrotum, eo in casu, occurrere ad superiorem pro dispensatione. Ita Filliuc. *tract.* 23. *capit.* 9. *numer.* 393. Malder. *in.* 2. 2. *tract.* 10. *capit.* 2. *dubitatio.* 5. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 24. *diff.* 16. *num.* 2.

Alij denique probabiliter æque Respondent tunc non teneri ægrotum ad recitandas Horas. Quia non tenetur se periculo grauis damni exponere. Ita Bonacina *loco cit. num.* 5. quem citat & sequitur Diana *tom.* 1. *tract.* 12. *Resol.* 28. Quibus addo Escobar. à Corro, *quæst.* 6. *numer.* 59. & penes ipsum, Cabreros *de metu* 2. *p. capit.* 42. *numer.* 2. S. Paustus *lib.* 2. *de Horis quæst.* 219. *&* 221. Paulum *tom.* 2. *tract.* 2. *disputatio.* 2. *punct.* 6. *num.* 10. Caram. *lib.* 3. *Theolog. moral. nu.* 1396. Basseus *loco cit.* Quorum doctrinam esse probabilem clare, ait Tamburin. *lib.* 1. *in Decaleg. capit.* 3. §. 7. *V. Horæ Canonicæ numer.* 2. & tenet Thom. Del bene *loco cit. num.* 8.

Sed ego probabilius Respondeo, Teneri Horas persoluere; nisi aliàs recurrat ad superiorem, vt secum dispenset, vel dubium aliqua ratione deponat. *Prima pars* probatur. Quia probabilius est, quod in hoc casu, possessio stat pro præcepto recitandi; cum non sit dubium de præcepto, sed de excusatione illius: ideoque sicut ægrotus possidet ius tuendi salutem, corporis, sic & Ecclesia possidet ius exigendi recitationem Horarum: quod ius, cum sit grauius, vtpote magis respiciens bonum commune, propterea cæteris paribus præferri debet. Sic Authores primi modi dicendi.

Secunda pars de se patet, & constat ex dictis quæst. antecedenti; & docent authores secundi dicendi modi.

Tertiò vero, etiam liquet, nam deponendo prudenter dubium, manet à præcepto liber: vt bene notat ex Suario, Pellizarius his verbis: *Addit Suarez, dubium in isto casu posse deponi, si vel dubium non sit æquale, sed occurrant plura, quæ faueant excusationi, vel non sit tam purum dubium, quin admittat probabile iudicium, quod causa illa sufficiat ad excusandum.* Sic illi. Qui licet loquantur de dubio ipsius infirmi, (non medici) de quo quæst. antecedenti egimus: eadem est certe vtriusque dubitantis ratio. Legantur dicta à nobis 3. *p. tract.* 5. *disp.* 8. *quæst.* 141. vbi, in simili, de dubitante, an habeat iustam causam non ieiunandi idem docuimus.

QVÆSTIO XXXII.

An, Infirmus, transacta infirmitate; teneatur recitare Officia, quæ in infirmitate omisit?

REspondeo vt certum. Non teneri. Quia quotidianum Horarum pensum, est institutum, ob singulorum dierum honorem, & cultum: ergo transacto die, quicumque sit ille, lex eius pensi soluendi extinguitur; ac proinde non amplius reuiuiscit. Sic Azor. *lib.* 10. *cap.* 13. *q.* 7. ex Siluestro *v. Hora, quæst.* 4. Bonac. *disp.* 1. *de Horis q.* 6. *pun.* 1. *n.* 6. Trullench *lib.* 1. *in Decal. c.* 7. *dub.* 27. *nu.* 3. Escobar à Corro, *de Horis qu.* 6. *n.* 58. Qui tres citant pro hac parte Nauarrum *de Orat. c.* 11. *nu.* 32. Sed omnes male: nam nihil de hac quæstione tractat. Suarez *lib.* 4. *de Horis cap.* 29. (non 28. vt leges apud Bonac. & Trullench) *num.* 11. & omnes.

§. III.

De Occupatione graui.

QVÆSTIO XXXIII.

An grauis aliqua occupatio, quæ solet interdum accidere, excuset à recitando Officio?

REspondeo, vt certum: Excusare, dummodo occupatio sit grauis, honesta, necessaria, & quæ differri non possit commode in aliud tempus, sine scandalo, peccato, aut notabile damno suæ, aut proximi animæ, vitæ, honoris, aut diuitiarum. Ratio est. Quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto onere. Sic omnes. Legantur Nauar. *de Orat. cap.* 11. *à n.* 36. Suarez *lib.* 4. *de Horis c.* 28. *n.* 32. Vazquez, *de Benef. c.* 4. §. 1. *art.* 1. *n.* 12. Azor. *lib.* 10. *c.* 13. *q.* 15. Bonac. *disp.* 1. *q.* 6. *pun.* 2. Pellizar. *tom.* 1. *tra.* 5. *c.* 8. *sect.* 2. *qu.* 29. *num.* 120. Sanchez *lib.* 7. *consil. c.* 2. *dub.* 52. Trullench *lib.* 1. *in Decal. c.* 7. *dub.* 28. Thom. Tamburin. *lib.* 2. *in Decal. c.* 5. §. 8. *à n.* 16. & alij apud Bassæum *V. Horæ* 6. *num.* 4. & Acacium *V. Beneficiados Resol.* 118.

QVÆSTIO XXXIV.

An, à recitatione excusentur, qui recitaturi sunt publicam lectionem, ad Cathedram, vel Doctoris lauream, acquirendam?

REspondeo vt certum: Excusari, si simul cum tali actione recitare nequeant. Ratio est: quia vt huiusmodi actiones debite fiant, plurimum, vel Reipublicæ, vel ipsorum met priuatim, interest: ergo si cum studio ad id necessariò Officij recitatio non compatitur, minime ad illam tenerentur. Sic Doctus, ac pius Doctor Nauar. *cap.* 11. *de Orat. num.* 34. Qui gratias agit Deo, quod nunquam Horarum recitationem, post eiusmodi actus omiserit. Sanchez *dub.* 52. *cit. num.* 4. Pellizar. *num.* 120. *vers. Hinc patet.* Trullench *dub.* 28. *num.* 2. Tamburin. *num.* 16. *vers. Ex ergo capite* Suarez *cap.* 28. *cit. num.* 35. Bonacina *punct.* 2. *cit. num.* 3. Filliucius *tract.* 23. *num.* 299. Ioan. Sanc. *in select. disput.* 54. *numer.* 17. Escobar à Corro, *quæstion.* 6. *num.* 14. Diana *part.* 10. *tract.* 11. *Resol.* 32. Raphael de la Torre *de Horis controuer.* 7. *numer.* 10.

& apud illum noſter Henricus de Gandauo, Maior, & Siluester.

QVÆSTIO XXXV.

An etiam, excuſetur à recitando, qui per integrum diem publice defenſurus eſt actum literarium?

REſpondeo vt certum, Etiam excuſari. Quia etiam plurimum intereſt ſua, doctum ſe præbere: ergo ſi ſimul recitare non poteſt, non tenebitur. Sic Nauarr. Suarez, Sanchez, Pellizar. Trullench, Azor. Raphael, Filliuc. Bonac. Diana Sancius, Corro, *loc.cit.*

QVÆSTIO XXXVI.

An, Canonicator, qui repentinè, & quaſi per occaſionem, inuitatur ad concionandum, excuſetur à recitatione?

REſpondeo cum communi, Excuſari, ſi nequeat concionem, abſque nota, vel ſcandalo omittere; nec ſimul cum concione recitare. Quia in hoc caſu adeſt neceſſaria occupatio, ac prouide excuſatio Officij. Sic communis. Suarez *n.*33. Tamburin. Diana *loc.cit.* Raphael *numer.*10. *cit.* Palao *diſp.*2. *punct.*6. *num.*2. & alij.

QVÆSTIO XXXVII.

An, etiam Concionator quotidianus, tempore Quadrageſimæ, excuſetur ab Horis?

NEgat Diana *part.*10. *tract.*11. *Reſol.*32. citans pro ſe Suarium, *lib.*4. *cap.*28. *numer.*33. Filliuc. *tract.*23. *cap.*9. *num.*248. Garçiam, *in ſum. Theolog. Moral. tract.*2. *diff.*7. *dub.*2. *num.*15. & 16. Raphaelem de la Torre 2.2. *tom.*1. *contr.*7. *num.*9. & Perſicum, *de Horis Canon. cap.*12. *cauſa* 3. *dub.*1. *num.*5. ita ſcribentem: *Quæres, an ſi neceſſitas actionis iuſtæ non ſit repentina, ſed continua, excuſet? vt ſi actio docendi publice, concionandi, vel audiendi Confeſſiones, ad quas quis ex iuſtitia obligaretur frequenter recitationem diuini Officij impediret? Reſpondeo negatiue. Ratio eſt, quia tunc ſignum eſſet, illud exercitium non eſſe accommodatum tali Clerico, Religioſo, aut Beneficiario: & ideo, qui voluntarie illud ſuſciperet, vel ſuſceptum retineret, non poſſet excuſari; quia non neceſſitate, ſed voluntate impeditur: nam licet Officium docendi, concionandi, & audiendi Confeſſiones, non ſit alienum à Sacerdote, vel Religioſo: ſi tamen propter incapacitatem perſonæ, non poſſit Officium recitare, vt illi muneri ſatisfaciat, peccaret mortaliter, illud voluntarie ſuſcipiendo. In hoc conueniunt omnes Doctores, qui dicunt, repentinam occupationem excuſare; quia cum rara ſit, tunc eſt vera neceſſitas; & ideo præceptum humanum affirmatiuum non obligat cum tanto rigore, quin per epicheiam excuſationem admittat. Sicut per ſimilem cauſam, poteſt omitti præceptum audiendi Sacrum.* Hucvſque Perſicus, vti refert Diana.

Affirmant contra, apud eundem Dianam, Bordonus *in conſil. Regular. tom.*2. *Reſol.*70. *quæſt.*6. *nu.*18. vbi docet, *Quod concionator quotidianus excuſandus ſit à recitatione diuini Officij; niſi eſſet tam felicis memoriæ, vt facili negotio, modicum temporis inſumeret in ediſcendis concionibus. Ratio* (*inquit*) *eſt; quia commune bonum prefertur priuato.* Ita Bordonus.

Sed ego clarius, Reſpondeo, *Primò.* Probabilius eſt, quod concionator quotidianus, qui ex Officio, obedientia, aut voto, concionatur, eximatur à recitatione Officij; caſu, quo hæc incompatibilis ſit (vt fere ſemper contingit) cum labore quotidiano concionandi. Ratio eſt, tum, quia, quod pro Charitate inſtitutum eſt, non debet contra Charitatem militare. Tum etiam; quia multum intereſt vel ſua, vel Reipublicæ in his Charitatis operibus exercere. Tum rurſus; quia non omnino voluntarie, ſed quaſi neceſſariò à recitatione impeditur, qui ex Officio, Obedientia, aut voto concionatur. Tum denique, quia, vt cum communi Doctorum omnium diximus, 3. *p. tra.*5. *diſp.*8. *q.*109. concionatores prædicti vere eximuntur à Ieiunio: ergo & à recitatione Horarum, vt in ſimili, infert Sancius *in ſelect. diſp.*54. *n.*17.

Reſpondeo *Secundò*, etiam probabilius, quod etiam concionator quotidianus, qui ſolum voluntarie, aut ex mercede concionatur quotidie in quadrageſima, excuſetur ab Horis quotidianis dicendis: ſi commode illas recitare non poſſit. Tum Quia probabilius eſt vt diximus 3. *p. loc. cit. q.*110. quod etiam hi excuſentur à Ieiunio. Tum etiam, quia pro iſtis faciunt, ferè omnes rationes nuper adductæ: & etiam ratio Bordonij. Sic iſte Author, necnon, meo videri, Eſcobar à Corro, *q.*6. *n.*31. vbi ait, *Quod excuſentur ab Horis Canonicatores, qui pluries in die concionaturi ſunt, & deficit tempus ſtudendi, & in Veſpere, ita manent defatigati, vt non valeant, ſine magno labore Horas recitare; adeſt enim iuſta excuſatio, & impedimentum.* Sic ille. Cuius ratio etiam probat noſtram ſententiam, vt videnti conſtat: nam etiam concionatoribus quotidianis deficit tempus ſtudendi, & in veſpere ita manent defatigati, vt non, niſi magno incommodo, recitare poſſint. Et certè ſi hæc noſtra ſententia non eſſet probabilis, ac in praxi tuta, ve ve Prædicatoribus Quadrageſimalibus, ve millies illis!

QVÆSTIO XXXVIII.

An, excuſetur ab Horis, qui per totum diem Occupatus manet in audienda confeſſione exiſtentis in articulo mortis?

REſpondeo vt certum: Excuſari, ſi aliàs non ſuperſit tempus recitandi, aut non valeat, ſine labore magno. Ratio eſt. Quia opus minus omitti debet pro maiori: atqui opus audiendi Confeſſionem exiſtentis in articulo mortis, maius abſque dubio eſt, magiſque vrget, quam recitatio diuini Officij, quæ pro Charitate inſtituta fuit, & non debet contra Charitatem militare: ergo. Sic omnes. Nauarr. *capit.*11. *numer.*34. & 35. Sanchez *lib.*7. *conſil. capit.*2. *dub.*52. *num.*1. Azor. *lib.*10. *cap.*13. *quæſt.*7. Trullench *lib.*1. *in Decal. cap.*7. *dub.*28. *num.*2. Diana *part.*10. *tract.*11. *Reſol.*32.

QVÆSTIO XXXIX.

An etiam, excuſetur ab Horis, qui ita circa infirmos eſt impeditus, vt nullatenus ei ſuperſit tempus ad commode eas dicendas?

REſpondeo vt certum: Excuſari etiam: ob rationem nuper datam. Sic Sotus *lib.*10. *de Iuſt. quæſt.*5. *art.*3. *verſ. Pari modo.* Sanchez, Trullench & Diana

Diana *loc. cit.* Faustus *qu.* 247. & Escobar à Corro, *quæst. 6. nu. 16.* Qui bene notat, hunc casum euenire posse, tempore pestis, vel magnarum febrium.

Quæstio XL.

An rursus, ab Officio excusetur diuino, qui toto die deoccupatur in componendis grauibus inimicitiis, vel rixis, vel populi seditionibus?

Respondeo vt quid certum: Etiam excusari, si tantum tempus consumpserit, vt non maneat sufficiens ad commode recitandum; vel ita defessus, ob laborem, aut altercationem, sit; vt absque magna molestia nequeat recitare, quia iustam habet, & necessariam causam ad Officium omittendum. Sic Azor, Nauar. Sanchez, Trullench, Diana, *loc. cit.* & alij communiter.

Quæstio XLI.

An, Audientes Confessiones, septimana Sancta, aut tempore Iubilæi, quando est magna pœnitentium copia, possint licite dimittere Horas, si non possunt recitare, nisi omittendo aliquas confessiones quorundam, qui non consequentur Iubilæum, aut non adimplebunt præceptum Ecclesiæ?

Negant aliqui Doctores, existimantes rarò posse occurrere hanc occupationem, quæ excuset à recitatione, eo quod diuinum Officium possit anticipari in his casibus, vel postponi. Ita Villalob. 1. *p. tract. 24. diff. 16. n. 11.* Trullench *lib. 1. c. 7. dub. 28. num. 2. in fine.* Diana *p. 10. tra. 11. Resol. 32.*

Sed clarius, ac probabilius Respondeo excusari quidem ex se, quia sufficientem ad id causam habent, nempe, magnum fructum spiritualem proximorum, quem certè impedirent, si eorum confessiones non audirent. Verum est, quod non excusarentur, si facile Officium possent præuenire, aut post tot auditas Confessiones, sine labore recitare: sed id esset per accidens. Sic Sanchez *dub. 42. cit. n. 3.* & penes illum, Nauar, Armilla & Tabiena. & Tambur. *n. 16. cit.* vbi loquendo de Iubilei tempore id concedit. Corro, *q. 6. num. 12.* vbi absolute nostram sententiam docet.

Quæstio XLII.

An, Confessarij omnes, tam, qui ex Officio, quàm, qui voluntarie audiunt per totam diem Confessiones, excusentur ab Officio diuino, si nequeant illud facile præuenire?

Negant excusari, Confessarios qui non ex debito, seu ex Officio, sed voluntarie audiunt Confessiones, omnes qui negant, excusari per hoc, à ieiunio. Sunt autem Caiet. Tolet. Angles, Maure, & alij, quos adduximus 3 *p. tract. 5. disp. 8. q. 109. 110. & 114.* Negant & alij, qui docent, non posse quem assumere occupationem voluntariam incompatibilem cum recitatione Officij; eo quod sic implicite vellet omissionem Horarum. Ita Trullench, Machado, Bassæus, Moneta, Bonartius, & Suarez, quos affert, & sequitur Diana *par. 7. tra. 11. Res. 1. & p. 11. tra. 1. Res. 25.* & Bordonus, citatus à Diana *p. 10. tra. 11. Res. 22.* qui quæst. propositæ clare negatiue respondet.

Sed ego clarius, ac probabilius. Respondeo excusari omnes prædictos Confessarios ab Officio diuino recitando, si nequeant facile illud anticipare. Ratio est. *Primò*; quia omnes Confessarij, qui per totum diem, etiam voluntarie, audiunt Confessiones, eximuntur à Ieiunio, vt diximus *3. p. tra. 5. disp. 8. q. 114. & 115.* ergo etiam eximentur ab Officio. *Secundò.* Quia labor magnus, etiam voluntarie susceptus, extinguit ieiunandi obligationem, vt diximus 3. *p. loco cit. 98. & quæst. 154. & 155.* ergo & labor magnus in Confessionibus, etiam voluntarie, excipiendis, extinguet recitandi pensum.

Tertiò, quia licet demus contrariis, quod nequeat Sacerdos quis admittere Officium, cui Ordinariè annexa sit talis occupatio, quæ Horarum recitationem excludat; tamen, admisso iam Officio, licite, absque dubio, libere admittere poterit occupationem honestam, & vtilem, sibi, vel Reipublicæ, quæ à recitatione Horarum liberare possit. Quod solum contingit in casu nostræ quæst. Sic expresè tenet Caramuel *in Regul. D. Bened. disp. 116. n. 1438. & in Theol. Mor. fundam. 53. §. 1. & 3. citatus* à Diana *par. 7. tra. 11. Res. 1. & p. 10. Resol. 22. cit.* Qui nostram conclusionē hoc modo explicatam admittit, 7. *p. loc. cit.*

Quæstio XLIII.

An, si quis Confessarius remisisset Officium ad vnam horam, ante mediam noctem, & tunc ad Confessionem, vel communionem moribundo conferendam vocaretur, posset omisso Officio, ad morientem euolare?

Respondeo vt certum, quod non solum possit vt ait Tamburin. *loc. cit. nu. 17.* verum etiam, quod teneatur, etiamsi non sit Parochus. Quia hic Charitas proximi vrget: cum eius necessitas instet maxime. Sic Tamburinus. Qui *n. 19.* refert facetum casum, his verbis: *Remisit bona fide quidam Parochus recitationem minorum Horarum in vltimam horam ante mediam noctem (forte autem erat dies Iouis) quando reuersus domum incœnatus, voluit, hac intentione, cibo se reficere, vt absoluta per mediam horam cœna, Officium recitaret alia media hora, quæ ante initium diei sequentis, iam superfutura erat. Vix sedit ad mensam, cum vocatur ad audiendam confessionem cuiusdam grauiter vulnerati. Adnolat, audit rite confessionem, domumque redit sub eam temporis angustiam, vt semihorula, quæ supererat ante noctem intempestam non sufficeret ad vtrumque, quod ipsi erat præstandum; nempe ad cœnandum, & ce te cum carnibus, (impendente enim die Veneris expirab t dies Iouis) & ad Officium persoluendum. Quid ergo faciet Parochus, præsertim volens die sequenti Sacrificium rite ieiunus celebrare?*

Si de Consilio (pergit Tamburinus) *hic ageretur, facile illi hoc consilium deres; vt ieiunus, & incœnatus horas illas solito Deo gratiores persolueret: sed de obligatione agimus, non de consilio. Obstrigamne hunc ieiunare nolentem? Ius cœnandi, quo homo fame, & negotiis oppressus gaudet, dixerimne necessitatem leuem, an potius grauem? Deinde, Quid melius, recitatio hæc Officij, an Sacrificium diei sequentis, quod omittere absq; dubio deberet Parochus, si propter recitationem, comedere ante mediam noctem non posset, facile enim comedet, si non carnes, certe pisces post mediam noctem, ac propterea indispositus euadet ad Sacrificium peragendum. Hæc & similia expende, & prudens rē decernito: ego enim ad vtiliora progredior.* Hucvsq; Tābur. Qui vt vides; anceps manet, & te decernere linquit. Ego pro te id faciam. & ergo, quod Parochus cœnet (cum opus Charitatis,

quod exercuit,non abſtulerit ius , quod ad canendum habebat) & omittat Officij reliquum.Vel ſi maius, cœnet per quadrantem horæ,& in alio , incipiat recitare quod ei ſupererat , & continuet vſque ad finem , etiamſi media nox accedat : & ſic vtrumque præſtabit. Quod certe poteſt , iuxta probabilem doctrinam à nobis traditam *ſupra diſp.4.q.108.*

QVÆSTIO XLIV.

An,Sacerdos pauper, quem ita grauis neceſsitas victum quærendi,illum opprimit, vt nequeat vitæ neceſſaria inuenire , & Officium perſoluere;poſsit licite hoc omittere ?

REſpondeo. Poſſe. Quia hic vrget occupatio honeſta , & neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, quæ differri non poteſt , abſque detrimento ſalutis magno : ergo ſufficiens cauſa ad eximendum illum ab Officio. Sic Tamburinus *lib.2. in Decal.c.5.* §.8. *num.*18. licet putet,raro hunc poſſe caſum accidere; cum Sacerdotes patrimonio communiter fruantur.

QVÆSTIO XLV.

An, propter contemplationem altiſsimam , poſsit quis diuinum Officium dimittere ?

NEgant multi Doctores vt certum. Quia melior ſt inquiunt,obedientia,quàm victimæ : & certe contemplatio illa , non eſt opus neceſſarium , ſed voluntarium : recitatio autem eſt opus præcepti , & ideo neceſſarium , quod omitti non debet ob illud voluntarium. Sic Suarez *lib.4. cap.28. numer.31.* S. Fauſtus,*de Horis 2.de Horis q.247.ver.Hic errant.* Eſcobar à Corro,*quæſt.6.de Horis,nu.23.* Ludouicus de S.Iuan.*in ſum.vbi de Offic.diuino,art.11.diff.6.concl.5.* Qui id limitat , *Caſo , que la contemplacion viniesſe à ſer tal , que ſe quedaſſe arrobado por todo el dia, que en tal caſo,como el arrobo no es obra natural , ſino ſobre natural , y diuina , Dios que le hizo aquella merced, diſpenſa con el en aquella obligacion por entonces.* Sic ille.

Sed ego adhuc clarius Reſpondeo. *Primò.* Certiſſimum eſt,quod nemo,propria auctoritate , poſſit commutare Officium diuinum , in contemplationem altiſſimam , & propter hanc , illud omittere. Quia nec in opus maius , ac perfectius , etiamſi non eſſet voluntarium , ſed ex præcepto , aut voto,poſſe, diximus *3.p.tract.5.diſp.8. q.135.* loquendo de Peregrinatione ad loca Sancta , & de ſe patet , ac tenent omnes Doctores,præcipue citati.

Reſpondeo *Secundò* , optimè poteſt quis ſe exercere , & occupare in contemplatione diuinorum, etiamſi ex illa,ita in extaſim rapiatur , vt poſtea minime recitare queat ; vel quia raptus eſt per totum diem;vel quia ex illo , manet ita fatigatus , ac defeſſus,quod facile non valeat. Quia in hoc euentu non commutat Officium in contemplationem ; ſed aſſumit hanc exercendam , vt pote rem grauiſſimam Deo , ex qua per accidens , ac præter intentionem reſultat impotentia ad recitandum. Nec fundamentum Authorum primæ ſententiæ , videlicet, quod opus præcepti , ſemper debeat præferri operi voluntario,eſt firmum,vt diximus *3.p.qu.135.cit.* & ex dictis *ſuprà*,conſtat.

QVÆSTIO XLVI.

An , Peregrinatio ad loca pia,iuſte , & legitime ſuſcepta,excuſet à recitatione Officij ?

NEgant etiam communiter DD.præcipue Azor. *lib.10.cap.13.qu.14.* (non 13.vt offendes apud Corrum) Nauar. *de Orat.cap.11. num.33.* Bonacina *diſp.1. quæſt.6.punct.1. numer.9.* Trullench *cap.7.cit. dub.27.ſub num.3.*Corro,*loc.cit.num.24.*Qui addunt, id eſſe verum , etiam caſu , quo Peregrinus alium in ſui locum ſubſtituerit.Quia (inquiunt)Onus Officij eſt perſonale , & alias peregrinatio eſt voluntaria : ergo.

Sed ego clarius Reſpondeo *Primò* , tanquam certiſſimum, quod nullus Peregrinus poſſit ex ſe , commutare Officium in peregrinationem ad loca Sancta. Quia ad id non habet poteſtatem , vt conſtat ex dictis.

Reſpondeo.*Secundò*, optime poteſt quis ſuſcipere peregrinationem voluntariam ad loca Sancta;quamuis timeat,quod ex illius labore , reſultare poſſit impotentia moralis ad ſoluendum onus Officij. Quia Peregrinatio dicta , eſt actus religionis , ac proinde licitus,honeſtus,ac maximè meritorius:ergo etiamſi ſit voluntaria,apprehendi à quocunque poteſt. Rurſus , non eſt ex ſe incompatibilis cum recitatione Officij : ergo per accidens erit , quod hic & nunc, ratione laboris ex peregrinatione conſurgentis , Peregrinus ab Officio eximatur. Legantur dicta à nobis *3.p.tract.5.diſp.8.q.134. & ſeq.*

QVÆSTIO XLVII.

An,ille , qui omiſit recitare Matutinum , vſque ad prandium;abſque vrgente cauſa ; eximatur poſtea à recitatione illius ?

AFfirmant quidam DD. aſſerentes , quod licèt huiuſmodi omittens, peccarit mortaliter , in dilatione Matutini , vſque ad meridiem , eo quod eo tempore finiatur tempus Matutini , non tamen teneatur amplius illud recitare;quia finitum fuit tempus aptum ad illud dicendum. Ita ſenſere Turrecremata in cap.*Preſbyter.91.q.5.* & *ibidem* Cardin. *n.5.* vt refert Suarez *lib.4. de Horis cap.27. n.6.* & antea Nauar.mox citandus.

Negat tamen,contra noſter Ludouicus à Concep. *1.p.ſui examin.tract.vltimo,illatione 1.poſt.5. concl.n.7. pag.*484. docens,peccare quidem mortaliter in dilatione Matutini ; non tamen propterea eximi à recitandis Matutinis. Vtrumque docet *loc. cit..n.*11. his verbis : *Secundò dico:(quod etiam alij affirmant Doctores) peccare mortaliter illum , qui abſque iuſta cauſa, omittit vſque ad meridiem Matutinas laudes recitare; & non ob id ab obligatione in poſterum liberant recitandi : ergo ſignum eſt,quod peccare, non recitando ante meridiem,non arguit , tempus præfixum ad recitandum Matutinum , non eſſe ad finiendam obligationem , ſed ad licite non differendam* Ita Ludouicus.

Sed pro veritatis reſolutione Reſpondeo *Primò*, certum eſt , quod dilatio Matutini , vſque ad meridiem , vel noctem non ſit peccatum mortale,etiamſi ſine cauſa fiat. Quia certum eſt , quod non ſit conſummata omiſſio præcepti , quoad ſubſtantiam eius , cum præceptum pro toto die latum , & præfixum ſit : ergo. Sic Suarez *numero ſexto cit* vocatis oppoſitum falſum. Nauarrum *de Oratio. cap.10.*

cap. 10. *num.* 50. & omnes DD. Quare miror nostrum Ludouicum oppositum scripsisse.

Respondeo *Secundò*. Etiam est certum, quod qui omisit recitare Matutinum vsque ad prandium, teneatur postea illud recitare: quia, vt habitum est, etiam post prandium vrget, & manet præceptum, cum sit latum pro toto die; ergo potest impleri, & debet. Sic Suarez dicens, quod opposita sententia sit improbabilis, & contineat errorem moralem. Nauarr. *num.* 50. & 51. vbi narrat, *Quod stulte duo Beneficiarij, quodam die latabantur, & alter, quia lapsus erat meridies; & alter, quia iam sol occiderat, & necdum recitarent Matutinas feriales prolixas, nec aliud quicquam vsque ad Vesperas; putantes iam præteritum esse tempus Officij Matutini, & quod non erant iam obligati illud dicere, sed duntaxat facere, quod in dicto sequenti dicetur de eo, qui omisit recitare integro die. Sic enim duplici ratione aberrabant, altera quidem, quod gaudebant, præteritum esse tempus, in quo poterant excusari à peccato mortali; altera vero, quia minoris faciebant mortifere Deum offendisse, ob quod æternæ pœnæ rei fiebant quàm laborem laudandi aliquantulo tempore diuinam eius Maiestatem.* Sic pius Doctor, & sic omnes.

QVÆSTIO XLVIII.

An saltem, qui vrgente aliqua occupatione, omisit Matutinum vsque ad meridiem; excusetur postea ab illo recitando?

AFfirmauit Emman. Sà in impressione genuina (nam in expurgata, expunctum est) his verbis: *Nec tenetur ad Horas, qui vrgente negotio est impeditus, huic enim sufficit recitare Horas tēporis non impediti.* Sic ille. Qui, vt vides, non solum de Matutinis, sed de omnibus aliis Horis cum proportione, id affirmat. Huius Doctoris, iam expunctam sententiam per Mag. Sacri & Apostolici Palatij, non audet adhuc improbare noster Ludouicus *loc. cit. num.* 9. quin potius, illam probare intendit, *num.* 10. assignando differentiam inter sententiam Emmanuelis Sà, & Turrecrematæ, & Cardinalis. *Quia in casu* (ait) *sententia Sà, nulla est culpa in dilatione, & sic interpretari possumus Ecclesiæ voluntatem, nolentis extra tempus designatum ad licitè recitandum, obligare. Nam si Ecclesia, in ea sententia, præcipit sub mortali, vt absque iusta causa excusante, ante meridiem recitetur Matutinum; implicitè velle videtur, in posterum à tali obligatione recitandi liberare. Et cum tempus vnius diei, in sententia Sà, sit partibile in ordine ad Horas Canonicas recitandas, dicendum videtur in eius sententia, velle Ecclesiam ab onere recitandi Matutinum post meridiem excusare illum, qui, vrgente occupatus negotio, illud distulit: nolle autem illum excusare, qui negligentia illud omisit tali tempore recitare; ne sic ex iniquitate sua (quæ in sententia Sà, adhuc non est mortalis) commodum subeundi in recitando laboris reportet.* Hucvsque noster Ludouicus. Qui poterat citare pro se Caramuelem *in Regul. D. Bened. disp.* 116. *num.* 1442. vbi ait, *Quod, qui morbo, vel occupatione ineuitabili impeditur, tempore, quo Hora aliqua solet legi, excusari possit à lectione illius Horæ.* Ita ille. Quem refert Diana *p.* 7. *tra.* 11. *Resol.* 14.

Sed, vt certum etiam, Respondeo adhuc non excusari à Matutino dicendo, qui vrgente aliquo negotio, aut occupatione, omisit illud recitare vsque ad meridiem. Quia, etiam loquendo in hoc casu (de quo loquitur Sà) est efficax ratio Suarij, posita quæst. antecedenti, *respon.* 2. quia, videlicet, præceptum de Officio dicendo, non tenet, aut vrget solùm suis correspondentibus horis; sed tota die, est vnicum præceptum totius diei: ergo in qualibet eius hora potest, & debet impleri.

Nec obstat, quod Officium sit diuisum, aut distinctum per diuersas horas, quia id solum est factum, propter significationem, non vero, propter obligationem, quasi partis Officij recitatio sit addicta vni horæ. *Si enim* (ait Tamburinus) *ita esset, transacta illa hora, non obligaretur quis partem Officij illi horæ respondentem, recitare: sicuti transacta die Dominica, non obligamur amplius Missæ interesse, quod nullus dixit.* Sic, contra sententiam Emmanuelis Sà, tenet Tamburin. *lib.* 2. *in Decal. c.* 5. §. 8. *sum n.* 20. & 21. dicens, se illam admittere, nequaquam posse.

QVÆSTIO XLIX.

An, Qui præuidet aliquod impedimentum à se postea, voluntarie apponendum; teneatur Officium præuenire, & totum mane recitare?

NEgatiuam sententiam esse probabilem affirmat expresse Caramuel *num.* 1442. *cit.* dicens, probabile esse, quod non solum ægrotus, sed etiam iter acturus, aut alio negotio ineuitabili impeditus, qui tempore, quo Hora aliqua dici solet, est occupatus, excusetur à recitatione illius Horæ.

Sed vt mihi certum Respondeo, teneri, Officium præuenire; & totum mane recitare. Quia, ex vna parte, præceptum recitandi vrget toto die, & in qualibet eius parte; & ex alia parte, impedimentum est voluntarium: ergo, qui id præuidet, obligabitur mane, si serò non potest, ad totum Officium dicendum. *Confirmatur:* nam qui præuidet die festo, se non posse adesse Sacro, circa meridiem, posse autem mane diluculo obligabitur adesse mane, vt diximus *3. p. tract.* 1. *disp.* 3. *quæst.* 9. ergo similiter in nostro casu est dicendum. Sic communiter DD. Siluest. & Nauar. quos sequitur Suarez *lib.* 4. *de Horis cap.* 28. *n.* 32. & 36. Azor. *lib.* 10. *cap.* 13. *quæst.* 14. Graffius, Valentia, Macignus, & Naldus, quos sectatur Bonacina *d. p.* 1. *quæst.* 6. *punct.* 2. *numer.* 2. Castro Palao, *tom.* 2. *tract.* 7. *disp.* 2. *punct.* 6. *num.* 15. & 16. Escobar à Corro, *de Horis quæst.* 6. *numer.* 21. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 5. *disp.* 8. *sect.* 2. *q.* 18. *n.* 118. Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. c.* 5. §. 8. *n.* 20. Trullench *lib.* 1. *in Decal. c.* 7. *dub.* 27. *n.* 5. (non *dub.* 17. *n.* 5. vt offendes apud Dianam *p.* 7. *mox citandum*) Caramuel *loc. cit.* Diana *par.* 4. *tra.* 4. *Res.* 10. & *p.* 7. *tract.* 11. *Resol.* 14. Candidus mox citandus & alij apud ipsum Lege etiam me ipsum, *p.* 2. *tract.* 7. *de* Euchar. *disp.* 3. *q.* 30. & 32.

QVÆSTIO L.

An etiam teneatur præuenire Officium, & totum mane recitare; si præuideat impedimentum superuenturum, à natura, vel violentia; non autem à voluntate?

NEgant tunc teneri plures Authores, opponentes exemplum in infirmo, qui præuidet febrim quartanam v. g. superuenturam sibi sub meridiem, & duraturam, vltra mediam noctem sequentem; tunc dicunt isti DD. non teneri infirmum præuenire Officium, & recitare totum illud mane. Ratio eorum est: quia facultas, quæ conceditur ab Ecclesia anteponendi, aut postponendi Horas, intra diem naturalem, est priuilegium

fauoris, non vinculum neceſſitatis: ergo licèt poſſimus præuenire, non tamen tenemur, cum nemo cogendus ſit vti proprio priuilegio. Ita ſentiunt Cano *in Relect. de Pœnit. par. 5. dub. 31.* Henriquez *lib. 4. cap. 4. num. 7.* vbi ita ait: Febricitans non tenetur præuenire proprium tempus recitandi Horas. Caramuel *diſp. 116. in Regul. D. Bened. num. 2442.* Oliuer. Bornatius, *de Horis Canon. lib. 2. cap. 38. n. 8.* Quos ſequitur Diana *par. 4. tract. 4. Reſol. 10. & p. 7. tract. 11. Reſol. 14.* & Candidus, apud ipſum, *tom. 2. diſquis. 14. art. 28. dubit. 34.* ita dicens: *Qui præuidet, vt veſperi nequeat recitare veſperas, aut Completorium, ob febrim, aut grauem infirmitatem; ob impedimentum non voluntarium; non tenetur illas Horas manè recitare: quia licèt totus dies ſignetur tanquam tempus omnium Horarum illius diei, atque adeo, ſi ſolum attendamus ad ſubſtantiam præcepti, poſſent omnes Horæ manè recitari; tamen quantum ad conuenientiam, & vt deuotius, & melius adimpleatur præceptum, quædam Horæ ſignantur ab Eccleſia manè recitandæ, quædam vero veſperi: ergo eſſet nimis rigoroſum obligare homines ad recitandas omnes preces horarias mane, quando futurum impedimentum, quod præuidetur, ex ratione alicuius infirmitatis: quod ſi impedimentum præuiſum eſſet omnino voluntarium, etiamſi eſſet legitimum, & neceſſarium, tenetur tunc homo præuenire recitando mane omnes Horas Canonicas: quia tunc impedimentum non recitandi eſſet omnino voluntarium.* Hucvſque Candidus, & horum Authorum ſententiam eſſe probabilem, plane affirmant Sanchez, Trullench, Pellizar. Leſſius, & alij mox citandi. Imo Tamburinus *lib. 2. in Decal. c. 5. §. 8. n. 13. verſ. Hinc ex Pellizario, & num. 20. verſ. Scio item:* hanc vt probabilem ſequitur: Necnon Prado *tom. 2. c. 30. q. 8. §. 8. nu. 73.* Qui tamen non citat bene Sanchez pro ſe, cũ oppoſitũ vt probabilius ſequatur.

Sed nihilominus alij contra, adhuc in dicto caſu, affirmant teneri præuenire Officium, & totum illud manè recitare. Quapropter (aiunt,) infirmus quartana, aut tertiana laborans; quando expectat veſpertinam febris acceſſionem, debet mane omnes Horas vſque ad Completorium incluſiue recitare. Ratio eſt nuper aſſignata. Quia, videlicet, terminus obligationis Officij eſt dies integer naturalis, & eſt circunſtantia accidentalis, quod tali, vel tali hora: ergo tenetur quis, quando ſcit impedimentum venturum, qualecumque illud ſit, præponere Officium. Sic Nauar. *de Orat. cap. 11. n. 3. & in Man. c. 25. n. 100.* Maior *in 4. diſt. 12. q. 3.* Sanchez *lib. 7. conſil. c. 2. dub. 43. n. 4.* licèt *n. 7.* dicat, primam ſententiam eſſe probabilem. Pellizarius *tom. 1. tra. 5. c. 8. ſect. 2. q. 28. n. 119.* vbi citat Leſſium *lib. 2. de Iuſt. c. 37. n. 43.* & bene, quamuis dicat oppoſitum eſſe ſatis probabile. Trullench *lib. 1. in Decal. c. 7. dub. 27. n. 5. in fine.* (non 17. *n. 6.* vt offendi apud Dianam 7. *par. loc. cit.*) Palaus *tom. 2. diſp. 2. punct. 6. n. 16.* Villalob. *in ſum. to. 1. tra. 24. diff. 16. n. 7.* Luyſius de Torres, *in ſum. 1. p. c. 120. dub. 14.* Leander de Murcia *c. 1. ſuper. 3. Reg. S. Franciſci, §. 2. n. 20.*

Sed ego clarius Reſpondeo dicendum *Primò*, quod longe probabilius ſit, quod prædictus præuidens futurum impedimentum, etiam à natura, vel violentia; teneatur ex vi præcepti ad præueniendam, & recitandum mane totum Officium: vt conuincitur ratione facta ab Authoribus ſecundæ ſententiæ.

Reſpondeo, *Secundò*, dicendum quod prædictus præuidens, optime poſſit excuſari à præcepto, quod vrget mane recitandi, ſi ipſe in illa parte diei, non inueniatur fortis, & validus ad recitandum Officium. Qua de cauſa non teneri ad Officium illum, qui quartana, aut Tertiana febri laborat abſolute diximus ſupra *q. 23. & 24.* & docet Sanchez *loc. cit. n. 5.* his verbis: *Nota, concluſionem eſſe intelligendam quando in illa parte diei, in qua illũ obligamus, eſt fortis, & validus ad recitandum.* Sic ille. Et bene. Et ſic intelligendi ſunt authores ſecundæ ſententiæ.

QVÆSTIO LI.

An, Infirmus, vel alius impeditus, qui nequit dicere totum Officium; teneatur ad partem?

NEgant teneri aliqui, quos, ſuppreſſis nominibus, referunt Caſtro Palaus *tom. 2. tra. 7. diſp. 2. punct. 6. n. 4.* S. Fauſto, *de Horis Canon. lib. 2. qu. 227.* & Eſcobar de Corro, *qu. 6. num. 34. verſ. 1. Qui totum.* Et probari poteſt *Primò*, quia, vt diximus *2. p. tract. 6. diſp. 13. quæſt. 10.* omnes Horæ, vnicum Officium diuinum reputantur; & de illis omnibus, vnicum datur præceptum: ergo ſi totum impleri non poteſt, ceſſat eius obligatio, etiam quoad partem; quia obligatio ad partem, non eſt diſtincta ab obligatione ad totum; aliàs eſſent præcepta diſtincta.

Secundò. Quia vt habitum eſt *3. p. tract. 2. diſp. 1. quæſt. 61.* Qui non poteſt totam Miſſam integram audire, non tenetur ad eius partem, v.g. ad audiendum Euangelium, vel vſque ad Præfationem; & qui non poteſt toto die ieiunare, non tenetur mane, aut veſpere ſeruare ieiunium, vt conſtat ex dictis *3. p. tract. 5. diſp. 8. quæſt. 147. & ſequenti* & hoc, non alia ratione, niſi quia obligatio ad partem, non eſt diſtincta ab obligatione ad totum: atqui in præſenti, vnica eſt obligatio ad omnes Horas: ergo qui hanc obligationem adimplere non poteſt, non tenebitur ad partem. Propter hoc, ita tenuit Caramuel in *Reg. D. Bened. diſp. 115. n. 1435.* vt refert Diana *p. 7. tra. 11. Reſol. 13.* nec reiicit expreſſe.

Sed, vt quid certum Reſpondeo, Teneri ad partem licèt non ad quamlibet, vt *infrà.* Quia aliàs ſequeretur, quod infirmus (aut alius impeditus, occupatione præciſa) qui poteſt recitare Matutinum cum Laudibus, & Horas quatuor minores, excuſaretur ab illarum recitatione, ex eo quod impotens eſſet ad recitandas veſperas, vel completorium: patet, nam ex harum Horarum omiſſione, clare infertur præceptum impleri non poſſe: quod certe videtur abſurdum. Sic omnino Palaus *loc. cit.* Eſcobar, & S. Fauſtus, citati Sanchez *lib. 7. conſil. cap. 2. dub. 47.* Nauarrus latè & optimè, vt ſolet, *de Orat. c. 11. à num. 9.* præcipuè *num. 15.* & alij mox citandi, & communis apud Pellizar *tom. 1. tra. 5. c. 8. ſect. 2. q. 26. n. 110.*

QVÆSTIO LII.

An, Infirmus, aut aliàs impeditus, qui non poteſt maiorem partem Officij recitare, poteſt autem minorem; ad hanc teneatur?

AFfirmant aliqui Doctores. Quia hoc præceptum recitandi eſt de materia diuidua, & quæ plures habet partes inter ſe non connexas: ergo obligatio recitandi vnam Horam, impleri poteſt, etiamſi eidem obligationi quoad alteram Horam fieri ſatis non poſſit. Ita ſentiunt Suarez *lib. 4. de Horis, c. 28. à n. 21. & 27.* Valentia *diſp. 6. q. 2. pun. 10. §. 7.* Bonac. *diſp. 1. quæſt. 6. punct. 2. num. 7.* Petr. Ledeſma *tract. 9. cap. 49.* Vega *cap. 128. caſu 1.* Graff. *lib. 2. cap. 54. num. 3. & 4.* citat etiam Palaus pro hac parte Garciam *de Benefic. 3. p. c. 1. num. 226.* Sed male: quia *in dicto num.* nihil

de

de hac quæst. tractat, & in antecedentibus oppositum tenet vt *infra*. Affirmat tamen Lezana, *in Sum. qq. Regul. tom. 1. cap. 12. num. 27.*

Sed probabilius, Respondeo. Non teneri ad recitandam minorem partem Officij, illum, qui non potest recitare maiorem, (aut saltem æqualem, de quo infra.) Ratio est. Tum quia sic consuetudine receptum est à prudentibus, ne infirmi, aut debiles, vel aliàs impediti, scrupulis, & perplexitatibus vexentur. Tum, quia maior pars trahit ad se minorem; non verò contra. Tum denique; quia sic suauius redditur onus Officij, & scrupulis, vt diximus, minus obnoxium. Sic Palaus *disp. 2. cit. punct. 6. num. 9.* & apud ipsum, loquendo de infirmis, Rodriguez *1. tom. Summæ cap. 144. & tom. 1. qq. Regul. qu. 42. art. 10.* Garcia *num. 226. cit.* & Suarez *cap. 28. num. 22.* His addi possunt Filliuc. *tract. 23. numer. 294.* Nauarr. *de Orat. cap. 11. num. 15.* Azor. *lib. 10. cap. 13. qu. 4. & 5.* Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 37. num. 54.* Sanchez *libr. 7. consil. cap. 2. dub. 47. num. 5.* Raphael de la Torre, *de Horis Canon. controu. 7. num. 6.* S. Faustus, *de Horis Canon. qu. 227.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 7. dub. 27. num. 5.* Tamburinus *lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 8. num. 3.* Escobar à Corro, *qu. 6 de Horis Canon. num. 34. vers. Qui potest persoluere.* Pellizar. *tom. 1. Regul. tractat. 5. cap. 8. sect. 2. qu. 26. num. 110.* Sancius *in select. disp. 15. num. 2.* Prado me citato, *tom. 2. de Iust. cap. 30. qu. 6. numer. 18.* Diana *tom. 1. tract. 12. Resol. 29. & par. 4. tract. 11. Resol. 13. & par. 10. tract. 16. Resol. 47.* Quintanaduen. *instruct. Ordin. par. 5. §. 2. num. 22.* Bassæus, *verb. Horæ Canon. 6. num. 5.* Martin. de S. Iosepho. *to. 1. Sum. tract. 6. num. 6.* Hieron. Garcia, *in Sum. tract. 2. diff. 7. dub. 2. num. 14.* Villalob. *tract. 24. diff. 16. nu. 5.* & antea *egomet 2. p. tract. 6. disp. 13. qu. 10.*

Qvæstio LIII.

An saltem, Qui non potest recitare minorem partem Officij, potest autem maiorem; ad hanc (omissa licite minore) teneatur?

Negabunt Caramuel & alij citati *supra quæst. 50.* cum doceant non teneri ad partem quancumque Officij illos, qui nequeunt totum recitare.

Sed probabilius, Respondeo teneri. Quia maior pars trahit ad se minorem, & ideo qui potest recitare maiorem, etiamsi licite omittat minorem, censetur totum Officium. Sic Thom. Tamburinus *loc. cit.* & debent tenere omnes DD. nostræ sententiæ quæst. antecedentis, & præcipue Palaus *num. 8.* vbi ait, *Quod ille, qui potest recitare Laudes cum sequentibus Horis, etiamsi Matutinum recitare non possit, teneatur Laudes cum reliquis Horis recitare.*

Qvæstio LIV.

An, qui potest dimidiam partem Officij dicere; obligetur ad illam; omissa dimidia parte, quam non potest?

Affirmant multi ex DD. relati pro nostra sententia *quæst. 51.* Quia cum dimidia pars Officij, sit planè pars notabilis, nemo poterit ab illa excusari. Ita Thom. Tamburinus *lib. 2. in Decalog. c. 5. §. 8. num. 4.* & antea Garcia *de Benef. 3. p. cap. 1. n. 217. & 222.* S. Faustus *quæst. 227.* Philiarcus *lib. 1. cap. 10.* Graff. *lib. 2. cap. 54. num. 3. & 4.* Vega *cap. 128. casu. 1.* Corro, *qu. 6. de Horis Canon. num. 34. §. 5.* vbi ita scribit. *V. Qui potest recitare mediam partem Officij, siue æqualem, aut ferè æqualem, ad id tenetur, secus si ad minorem tantum,* Trullench. *loc. cit. num. 5.* qui non bene in hac parte citat Nauarrum. Ita etiam tenet Pellizarius *loc. cit. num. 110.* citans Filliucium, Azorium, Nauarrum, sed ex iis solùm ad Filliucius docet, *num. 294.* non alij.

Sed certè probabiliter, Respondeo. Non obligari ad dicendam dimidiam partem Officij, quam potest, omissa altera dimidia, quam recitare non potest. Quia certè solùm tenetur, quando quis maiorem partem potest recitare, non minorem; eo quod illa trahat ad se istam: æqualis verò non trahit ad se æqualem? cum non sit ratio quare ista dimidia aliam æqualem trahat ad se quàm altera: nulla igitur trahit: & ideo ad nullam recitandam obligabitur quis, casu, quo solùm dimidiam possit. Sic Nauar. *cap. 11. cit. à numer. 15.* Azor. *lib. 10. capit. 13. quæst. 4.* Sanchez *lib. 7. consil. cap. 2. dub. 47. numer. 5.* Palaus, *loc. cit. numer. 9.* Quintanaduennas, Lessius, Bassæus, Martin. de S. Ioseph, quos refert & sequitur Diana *1. p. tract. 11. Res. 47. vers. sed obiter hic.*

Sed difficultas non parua est inter hos Authores, quænam censenda sit maior pars Officij, quænam minor: pro qua enodanda, & verior pars ad praxim reducenda, sit,

Qvæstio LV.

An, Qui potest recitare Laudes cum sequentibus Horis, non tamen Matutinum; teneatur illas recitare, omisso Matutino?

Respondeo, Teneri. Quia certum est, quod tot Horæ sunt maior Officij pars Ex quo sequitur, quod si contrà potest quis Matutinum recitare tantum, non autem dictas Horas, ad nihil obligabitur ex *dictis quæst. 52.* quia nimirum solùm Matutinum est minor Officij pars. Sic omnes Authores citati pro nostra sententia relata *quæstio. 51.* & præcipuè Thomas Tamburin. *lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 8. nu. 6.* Palaus *loco citat. num. 8.* Nauar. Azor. Lessius, Suarez, Garcia, & alij apud ipsum.

Qvæstio LVI.

An; Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest tamen Primam, & cæteras Horas, vsque ad Completorium inclusiue; teneatur has, (omisso Matutino cum Laudibus) recitare?

Affirmabunt Suarez, Valentia, Bonac. Petr. Ledesma, & alij adducti *quæstio. 51.* pro prima sententia.

Sed probabilius, Respondeo. Ad nihil teneri. Quia regulariter loquendo, Matutinum, & Laudes, sunt maior, & certe potior Officij pars: atqui, vt habitum est, *sup. quæst. 51.* qui non potest recitare maiorem Officij partem, non tenetur ad minorem: ergo, qui non potest recitare Matutinum & Laudes, ad nihil tenebitur. Sic Palaus *num. 9.* Tamburin. *num. 7.* Diana *2. p. tractat. 12. Resol. 30. & par. 4. tract. 4. Resol. 225.* Corro, *quæst. 5. sub num. 34. vers. 4. & 6.* Necnon Rodriguez, Molfess. Garcias, & alij apud Bonac. *nu. 6.* Quamuis hi Authores id doceant, non eo quod sint maior pars, Officij, sed ex eo quod sint pars eius prima, & præcipua Leander de

Murcia, *super 3. cap. Regulæ S. Franc. capit. 1. §. 2. numero 31.* & communis.

QVÆSTIO LVII.

An, Qui contra, potest recitare Matutinum cum Laudibus, non potest tamen cæteras Horas; teneatur, his omissis, recitare illud?

NEgabunt Authores citati pro prima sententia *quæstio. 50.*

Sed probabilius, Respondeo. Teneri ad recitandum Matutinum cum Laudibus, omissis cæteris Horis: quia hæ sunt minor pars Officij diuini; illud, maior, vt diximus: ergo. Sic Tamburinus *loc. citat.* & alij nuper adducti.

QVÆSTIO LVIII.

An, Qui potest recitare solas Vesperas, & Completorium, non verò cæteras Horas, teneatur ad illas (his relictis) recitandas?

AFfirmabunt Suarez, Valentia, Bonac. & alij citati pro prima sententia *quæstio. 51.*

Sed probabilius, Respondeo. Ad nil recitandum teneri. Quia Vesperæ & Completorium, cum sint pars minor, trahunt ab excusatione aliarum, quæ sunt maior. Sic Tamburin. *lib. 2. in Decalog. capit. 5. §. 8. num. 8.* & confirmatur hæc pars ex dictis à nobis *tom. 2. tract. 6. disp. 13. quæstio. 10.*

QVÆSTIO LIX.

An, teneatur quis recitare illam Horam, cuius maiorem partem, necesse habet omittere?

REspondeo, ex dictis: Non teneri. Quia vt *supra quæstio. 51.* est habitum. Qui non valet recitare partem maiorem, minime ad maiorem tenetur. Sic communis.

QVÆSTIO LX.

An, Qui habet Diurnum solùm, teneatur Psalmos Matutini recitare, absque lectionibus, & Responsoriis?

NEgant communiter DD. eo quod illi Psalmi, absque lectionibus, & Responsoriis, non sunt Hora Canonica ad quam Sacerdos obligatur: ergo. Ita Filliuc. *tract. 23. cap. 9. num. 287.* ex Suario *lib. 4. de Horis cap. 28.* (sic lege, non 27.) *num. 10.* & Nauarro *de Orat. cap. 11. numer. 15.* Garcia, *de Benefic. p. 3. cap. 1. num. 221.* Sancius *in select. disp. 15. num. 2.* S. Faustus *de Horis. lib. 2. q. 227.* Raphael de la Torre, *de Horis controu. 7. art. 6.* Palao, *disput. 2. punct. 6. num. 7.* Escobar à Corro, *quæst. 6. sub numer. 34. vers. Nono.* Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 8. sect. 2. numer. 111.* Thom. Tamburin. *lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 8. num. 10.* Diana *par. 2. tract. 12. Resol. 30. & 43. & par. 4. tract. 4. Resol. 225. & par. 10. tr. 16. Resol. 47.* vbi citat pro se Hieronym. Garciã, *in Sum. tr. 2. diff. 7. dub. 2. n. 7.* Escobarem à Corro, *loc. cit. n. 27.* vers. *subamplia* 11. Martinum de S. Ioseph, *in Monit. Confessor. tom. 1. lib. 2. tract. 12. de Orat. n. 3.* & Leandrum de Murcia *sup. 3. cap. Regul. S. Francisci cap. 1. §. 2. num. 26. Porque solos los Salmos* (ait) *no hazen las Horas Canonicas, ni el Officio Diuino, el Clerigo ò Religioso no està obligado, sino solo à rezar el Officio Diuino; luego no pudiendo rezar, no estara obligado à dezir los Salmos solos: y lo mismo se ha de entender, aunque el tal supiera de memoria las Leciones, y Capitulos del Officio del otro dia: porque ninguno està obligado à dezir otro Officio, sino el del dia corriente. Los Capitulos, y Leciones del otro dia, no hazen Officio del dia corriente: luego no ay obligacion à rezar, aunque se sepan de memoria.* Hæc Leander de Murcia.

Alij affirmant, teneri, in dicto casu, recitare Matutini Psalmos absque Lectionibus, & Responsoriis. Quia Lectiones, & Responsoria (inquiunt) modica reputatur materia, quæ sufficiens non est ad integritatem Matutini tollendam. Ita Trullench. *libro 1. in Decalog. cap. 7. dub. 28. sub num. 6.* citans Thomam Sanchez *lib. 1. Summæ cap. 19. nu. 8. & lib. 7 consil. c. 2. dub. 47. num. 7.* & Villalob. *tract. 24. diff. 16. num. 12.* Sed non omnino benè. Melius poterat citare Nauarrum *de Orat. cap. 11. num. 17. & 18.* vbi ait: *Ridendos fuisse quosdam, qui facientes iter excusabant se, ob defectum Breuiarij ab omnibus Horis; cum possent omnia præter Lectiones, & Responsoria, maiora, memoriter dicere. Et multo magis eum, quem memini excusare se à dicendo Vespertinam, eo quod ignoraret Antiphonam, & Orationem illius diei propriam. Quoniam omnes prafati tenebantur de præcepto, recitare omnia, quæ poterant memoriter, & de consilio pro aliis aliqua, quæ viderentur eis aptiora, substituere.* Hæc meus Nauarrus. Ita etiam Rocafull. *tom. 1. par. 2. lib. 3. de Orat. vocali cap. 4. num. 309.* Hermanus *in Medulla Theolog. Moral. libro 4. de statib. capite 2. dub. 2. artic. 3. num. 4. in fine.*

Alij denique, quasi media via incedentes, dicunt teneri ad recitandos Psalmos, simul cum lectionibus, capitulis, & orationibus, quas sciret, etiam alterius Officij. Ita Villalob. (citatus à Diana) *tom. 1. tract. 24. diff. 16. num. 12.* (non 11. vt leges apud Dianam) per hæc verba: *Y si este* (nempe, qui proiecit Breuiarium in mare) *sabe de memoria los salmos de las Laudes, y Horas menores, puede, y debe rezarlas, poniendo qualesquier Capitulos, y Oraciones, que se le acordaren: porque con esso comple con la substantia del rezo. Y si tubiesse Diurnal deue tambien rezar las Maitines, si estan alli los salmos de las Ferias, y dezir Las leciones de Nuestra Señora, ò de los Difuntos, que aunque la mudança es mucha, no es sustancial.* Hæc ille.

Respondeo, *Primo.* Qui diurnum tantum habet, verè tenetur recitare Psalmos Matutini, si hoc sit Feriæ, vel sancti simplicis. *Primo.* Quia Psalmi, verè sunt Matutini huiusmodi, maior pars: ergo tenetur clericus, vel Religiosus ad illam recitandam. Patet, quia sicut impotentia dicendi maiorem partem tollit excusationem, ita dictio maioris partis quam dicere potest, satisfacit obligationi. *Secundo.* Quia omissio trium lectionum, & earum Responsorium, quæ ad integritatem formalem (vt ita dicam) desideratur, est materia parua, ac proinde moralem Matutini integritatem non tollit. Sic Sanchez expressè, *lib. 1. Summæ cap. 19. num. 8.* Quem citat, & sequitur Diana *par. 4. citat. tractat. 4. Resolut. 225. in fine.* Et sic à fortiori Trullenc. Rocaful. & Nauar. citati supra.

Respondeo, *Secundo.* Si Matutinum esset festi duplicis, vel semiduplicis, & non posset quis recitare, nisi Psalmos, absque Lectionibus, & Responsoriis, tunc non teneretur recitare Psalmos tantum;

quia

quia hi sunt minor Matutini pars ; maior verò , ac præcipua , nouem lectiones & earum Absolutiones Benedictiones,ac octo Responsoria : at sic est,quod qui non tenetur ad partem maiorem , ad minorem non tenetur , vt supra est habitum : ergo. Sic Sanchez , & Diana *loc. cit.* & à fortiori omnes Doctores pro prima sententia huius quæstionis citati.

Respondeo , *Tertio.* In dicto casu , si quis possit recitare memoriter Officium alicuius festi duplicis, vel semiduplicis , v.g. Sanctissimæ Trinitatis , vel Sanctissimi Sacramenti ; aut Immaculatæ Conceptionis Mariæ ; tunc credo , quod non solùm possit, verum quod teneatur ; cum sic satisfaciat suæ obligationi. Hæc responsio , quamuis negetur à multis doctoribus primæ sententiæ , constat tamen eius probabilitas ex dictis *supra, quæstio.* 12.§.1. & à fortiori eam doceret Villalobos ; cum conuenientius esset hac forma recitare , quam Psalmos feriales, & lectiones Defunctorum dicere vt ipse monet.

Qvæstio LXI.

An etiam , teneatur ad Horas minores recitandas , qui scit Psalmos earum ; nescit tamen Capitula , & Orationes ?

NEgant, adhuc ad istas teneri , quidam Doctores. Quia illi Psalmi , sine Capitulis , & Orationibus , non sunt substantialiter Horæ Canonicæ, iuxta formam à Pio V. præscriptam : ergo præceptum sit de recitatione Horarum iuxta formam præscriptam à Pio V.& hocsi ne Capitulis,& Orationibus impleri non possit, efficitur sanè illum esse obligatum ad Horarum recitationē ita expresè Tamburinus *loco citato.*§.8. *num.* 10. & ita , si consequenter velint agere , debent tenere omnes Authores relati pro prima sententia *quæstio.* 59.

Sed probabilius longè , imò, vt mihi certum,Respondeo. Teneri ad prædictas Horas recitandas ; etiamsi nesciat Orationes,& Capitula earum. *Primo.* Quia hæc sunt materia parua quæ moralem integritatem Horarum non tollit. *Secundo.* Quia Psalmi sunt maior pars harum Horarum , & trahunt ad se minorem. *Tertio.* Quia huiusmodi Capitula , & eorum versiculi, seu breuia Responsoria formaliter loquendo,non sunt de substantia Horarum minorum ; cum , etiam iuxta formam præscriptam à Pio V. aliquando , nempe per totam Octauam Dominicæ Resurrectionis , illis non vtatur Ecclesia. *Quarto.* Quia alias sequeretur , quod , qui omitteret Capitulum, & Orationem Tertiæ v.g. non adimpleret præceptum recitandi illam , ac proinde peccaret mortaliter ; quod nullus dicet : sequella constat ; quia,iuxta Doctrinam Contrariorum , non diceret tunc Horam Canonicam. Sic igitur tenebunt , & à fortiori, Nauar.Trullench. Rocafull. & alij *supra* citati.

Qvæstio LXII.

An , Qui ex prauo habitu magnam habet difficultatem Officium recitandi , excusetur ab illo recitando ?

NEgatiuam sententiā tenere Filliuc.*tr.*27.*c.*6.*q.*9. *n.*125.ait Thom. Tamburin. mox citandus.Sed fallitur profecto,quia ibi solū agit Filliuc.de illo,qui magnam difficultatem in ieiunando,de quo ait,quod non ob id excusetur,nisi simul etiam noceat sanitati.

Pro affirmatiua verò parte posset quis citare Bonacinam , quatenus *disput.vltim.de Præcep. Eccles.in noua edit. quæst.*1. *punct. vlt. num.*16. ait contra Filliucium , excusari à Ieiunij præcepto , qui magnam difficultatem sentiunt in ieiunando , vtriusque sententiam retulimus *3.p.tract.5.disp.*8.*q.*140.

Sed clarius , Respondeo. Non quidem excusari ab Officio , nisi aliàs tanta sit difficultas,vt impossibilitas moralis reputetur ; qualis inueniri solet in viro nimis scrupuloso ; & qualis esset , si quis timeret futuram febrim , vel grauem dolorem capitis, &c. Sic Tamburin. *libro secundo, in Decalog. capit.*5. §.8. *num.*2.*vers.Filliucius.* Legantur dicta à nobis de Ieiunio *loco citato.*

Qvæstio LXIII.

An , excusetur ab Officio diuino , qui , si illud recitet ; magnam timet iacturam fortunarum , vitæ , vel honoris ?

REspondeo, vt certum : Excusari. Quia Officij Diuini præceptum cum tanto incommodo non obligat,vt loquendo de aliis Ecclesiæ præceptis sæpe diximus. Sic Tamburin.*loco citato numer.*2.Qui bene notat , quod licet id rarò inter Catholicos euenire soleat ; solet tamen in locis Hæreticorum , vel infidelium , etiam præscindendo à contemptu Religionis. Sic etiam antea Suarez *libro* 4. *de Horis cap.*28. *numer.*30. Bonacin. *quæstio.*6.*citat. de Horis punct.*3. *numero* 12. S.Faust.2. *de Horis quæstio.*250. Corro, *de Horis quæstio.*6.*numer.*52.

§. IV.

De Dispensatione.

Qvæstio LXIV.

An , Dispensatio à Summo Pontifice concessa, excuset Clericum ab Horarum solutione ?

REspondeo , vt quid certum : Excusare , etiamsi concessa sit, sine causa. Quia certum est , quod Sum. Pontifex potest valide dispensare in iis , quæ sunt de iure positiuo Ecclesiastico , quale est hoc de quo agimus , vt *sup.disp.*1. *quæst.*3. est habitum. Sic omnes. Legantur Nauarr. *de Orat.cap.*11.*numer.*31. Tolet. *lib.*2.*cap.*14.*num.*6. Suarez *lib.*4.*cap.*28.*n.*38. Bonac.*disp.*1.*de Horis qu. st.*6.*punct.*3.Sanchez *lib.*7. *consil.capit.*2.*dubitat.*53. Castro Palao, *tom.*2.*tract.*7, *disp.*2. *pun.*6 *num.*3. Trullench. *lib.*1.*in Decal.cap.*7. *dub.*29.Thom.Tamburin. *lib.*2.*in Decalog.cap.*5.§.8. *num.*23. & alij.

Qvæstio LXV.

An item , excuset Beneficiarium ?

NEgarunt aliqui antiqui , qui existimarunt,obligationem Beneficiatorum ad persoluendum Officium , esse de iure naturali , in quo Pontifex non potest dispensare. Ita Angel. *verb. Horæ qū* 6. & *ibi* Rosella *numer.*13.Abbas *in cap.*1. *de Celebrat. Miss.* & Turrecrem. *in capit. Eleutherius dist.*91. *quæstio.*5.

Sed etiam vt quid certum , Respondeo. Excusare Beneficia

Beneficiatum ab onere recitandi Horas, & consequenter à peccato, & restitutione fructuum beneficij. Quia certum est etiam quod obligatio Beneficiati ad soluendum Officium, sit etiam de iure Ecclesiastico, in quo Papa dispensare potest, vt diximus *vbi supra.* Sic communiter DD. præcipuè *nuper relati quæst.63.*

QVÆSTIO LXVI.

An deinde, possit Episcopus dispensare cum Clerico, aut Beneficiato, vt in perpetuum non recitent?

REspondeo, vt certum. Non posse. Quia Episcopus non potest dispensare in lege Superioris (qualis est lex præcipiens clericis, aut Beneficiatis recitationem Horarum) nisi quando superior ei positiuè concessit, aut consuetudine est ei permissum, neutrum in hoc casu reperitur: ergo. Sic communis. Præcipuè Nauar. Suarez, Bonac. Sanchez, Tamburin. *locis citat.*

QVÆSTIO LXVII.

An, si non in perpetuum, saltem in casibus occurrentibus, possit Episcopus dispensare cum prædictis, vt officium non recitent?

REspondeo, Posse, si adsit rationabilis causa, aut necessitas occurrat, nec commodè adiri possit Pontifex. Quia in his casibus, censetur Pontifex potestatem Episcopis concessisse, ad dispensandum in lege superioris; ne in rebus sic frequenter occurrẽ ibus, cogantur ad Pontificem Fideles concurrere: sed ita est in nostro casu: ergo. Sic Sanchez *dub.53. cit. concl.2. num.3.* vbi citat Manuelem Rodriguez *in Sum. cap.142.* Sic etiam Tamburinus *num.24. cit.* Qui *num.25.* aduertit hanc facultatem dispensandi in Officio intelligendam esse quoad culpam, quia quoad restitutionem fructus non potest Episcopus dispensare. *Quia, quoad hos, qui ex iustitia restituì à negligente Officium debent apparet posse adesse rationabilem causam dispensandi, & applicandi fructus alienos alteri.* Sic ille. Qui tamen male citat Pellizarium *tom.1. tractat.5. capit.8. numer.125.* quia ibi solùm tractat de potestate, quam habent Prælati regulares ad dispensandum cum suis subditis, super recitatione Horarum. Sic etiam Ioan. de Cruce *in Epitome priuileg. lib.1. capit.6. dubit.21.*

QVÆSTIO LXVIII.

An non solùm Episcopus, verum etiam eius Vicarius, possit dispensare cum prædictis super recitatione Officij?

REspondeo, Posse, in casibus, in quibus diximus posse Episcopum; sed non nisi ex speciali mandato Episcopi. Sic Merolla, quem citat, & sequitur Tamburinus *loc. cit.* qui id ampliat ad Vicarium Capituli, sede vacante.

QVÆSTIO LXIX.

An, Prælatus Regularis possit dispensare suos subditos non initiatos Sacris, ab Officio Diuino?

NEgatiuam sententiam tenere Suarium *tract.4. de Horis cap.28. num.41.* Reginaldum *lib.18. num.141.* & 186. Vazquium *dub.12.* Graffium *1.p. lib.2. cap.54. num.9.* Macignum, *capit.22. numer.8.* Molfesium *cap.3. num.21.* & Filliucium *cap.9. qu.10. ad finem*, ait Martinus Bonacina *disput.1. quæstio.2. punct.2. num.9.* His adde Pellizarium *tom.1. tract.5. cap.8. sect.2. quæst.31. num.124.* Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.7. dub.29. num.1.* (quamuis dicat, oppositum esse probabile) Raphael. de la Torre. *2.2.to.1. contron.7. disp.7. num.14.* & ibi Tannerum, *disput.5. qu.1. dub.5. n.175.*

Sed certè probabilius, Respondeo, Posse dispensare cum dictis Religiosis, si causa rationabilis subsit. Quia cum illis non dispensat in iure communi, sed in iure religioso, circa quod Prælati Religionis magis authoritatis habent. Et certe sicut hi possunt in aliis præceptis Religionis dispensare (nisi prohibeantur) sic poterunt in hoc, quod vel est inductum consuetudine, vel instituto proprio stabilitum. Sic tenent Lessius *lib.2. de Iust. cap.37. dub.9. num.51.* vbi dicit, posse Superiorem cum suis subditis in Officij obligatione dispensare, ratione studiorum, vel negotiorum. Bonac. *loc. cit. numer.9.* Palaus *disput.2. cit. punct.6. num.3.* Tamburin. *lib.2. in Decalog. cap.5. §.8. num.27.* Villalob. *tract.24. diff.9. num.12.* Diana *2.par. tract.12. Resol.19.* Gauant. *in Rubr. Breuiarij* (non Missalis vt offendes apud Dianam) *tom.2. sectio.1. cap.5. sub num.6.* ibi: *Potest autem Religiosus, vt Religiosus, non teneri ex dispensatione Superioris, vt ex causa studiorum, vel alia iusta: quia potest Superior in legibus Religionis dispensare.* Sic tenent & alij. Nec oppositum sentit Vazquez *de Benefic. cap.4. §.1. artic.1. dub.12.* vt putat Bonacina, potius enim nobis cum esse videtur, dum dicit: soluere à Superioribus Religionis obligationem Horarum, in aliquas Dominicas, & Angelicas Orationes recitandas commutare. Imò neque Suarez, nec Filliuc. contrarium, sine limitatione docent. Legantur. Tenet etiam hanc sententiam Leander de Murcia *quæst.7. supra cap.3. Reg. num.6.* dicens illam esse verissimam, & citat pro ea Caiet. Siluestrum, Medinam Nauarr. Angles, Palacios, & Thom. Sanchez *tom.2. consil. lib.5. capite 1. dubitat.5. numer.19.*

QVÆSTIO LXX.

An, non solùm cum dictis non initiatis Sacris; verùm cum Religiosis Sacris initiatis, aut Beneficium possidentibus, possit Prælatus Regularis in recitatione Horarum dispensare?

NEgant Authores primæ sententiæ, licèt non omnes, sed quidam vt Trullench. *loco citato.*

Sed clarius, ac probabilius, Respondeo. *Primo* Prælati Regulares, attento iure communi, possunt dispensare suos subditos etiam in Sacris constitutos, vel beneficium habentes, super recitatione Horarum, eo modo, & ratione, qua potest Episcopus suos subditos. Quia Prælati Regulares, se habent in hisce casibus frequentibus, sicut Episcopi atqui

Episcopi

Episcopi possunt dispensare suos subditos in casu necessitatis, vt *supra* est habitum: ergo & Prælati in suos. Sic Suarez quem citat, & sequitur Tamburinus §.8.*cit.num.*26. Ioan. de Cruce *in Epitome de priuileg.lib.*1.*cap.*6.*dub.*21.*concl.*1. *&* *dub.*22. *concl.*1.

Respondeo, *Secundo.* Prælati Regulares possunt optimè ex vi suorum priuilegiorum, dispensare cum suis subditis senibus, vel infirmis, vt in tempore infirmitatis, vel conualescentiæ, recitent loco Horarum aliquid ad arbitrium ipsorum Prælatorum. Sic concessit Eugenius IV. Benedictinis existentibus in Hispaniarum partibus, vt referunt Ioan. de Cruce *loco citato,* Pellizarius *tom.*1. *tract.*5. *capit.*8. *sectio.*2. *num.*121.& Miranda 1.*p.Man. quæst.*37.*artic.*16.his verbis: *Vt, scilicet, quilibet pro tempore Abbas, Prior, siue Prælatus quorumlibet præfatorum Monasteriorum huiusmodi, qui sine tædio non possunt dicere Horas Canonicas: & quod tempore infirmitatis vel postquam conualuerint, loco Horarum, ac Officiorum, ad quæ aliàs tenebantur, dicunt aliquid certum ad arbitrium ipsorum Ministrorum & non teneantur ad illud Officium Canonicum, ac cum Prælatis ipsis simili modo, quilibet Præsbyter Monachus per quemuis eorum eligendus, etiam dispensare possit.* Idem priuilegium concessit Patrib. S. Hieronymi, Martinus V. vt habetur *in Compend. Mendican. verb. Infirmi Fratres n.*11. *&* 12.De quo Man.Rodrig.*in qq.Regul.tom.*1.*qu.*42. *art.*7. Ioan. de Cruce *dub.*22. *cit.* Pellizar. *num.*127. demum extat aliud priuilegium Clem. VII. de quo egimus 2. *p. tract.*6. *disput.*13. *quæstio.*28. *vers. Quod si hic inquiras.*de quo etiam agunt DD.citati. Legantur *ibi* dicta *&* 3. *p. tract.*5.*disp.*10. *à quæstio.*13. vbi agimus de Dispensatione in Ieiunio.

Qvæstio LXXI.

An, Non solum Prælati superiores, vt sunt Generales, & Prouinciales; verum Conuentuales, possint in dictis dispensare?

NEgat Bonacina *punct.*2.*citat.num.*9.existimans, non posse nisi Generalem, secluso priuilegio. Sed probabilius, Respondeo. Posse etiam conuentualem, adhuc secluso priuilegio; nisi aliàs si à Superiori limitetur. Constat ex dictis de Dispensat. Ieiunij *loco citat. quæstio.*13. *&* 14. & in specie, de nostro casu loquendo, sic sentiunt Suarez, quem citat, & sequitur Tamburinus *vbi supra num.*28.

DISPVTATIO VI.

De obligatione recitandi Officium in Choro.

Qvæstio Prima.

An, vsus recitandi Horas publicè in Choro, sit laudabilis?

RESPONDEO, vt quid certissimum: Esse laudabilem, & valde commendabilem. Quia Spiritus Sancti instinctu, inductus est in Ecclesia, & ab ea communi assensu probatus. Sic omnes Catholici. Legãtur Suarez *to.*2.*de Relig.lib.*4.*c.*1. præcipuè *à n.*5. qui id ex variis testimoniis Scripturæ, & Patrum latè probat. Bonac. *disput.*2. *de Horis quæst.*1. *punct.*1. Trullenc. *lib.*1. *in Decalog.cap.*7. *dub.*30.Tamburin. *lib.*2.*in Decalog.cap.*5.§.4.Castro Palaus, *disput.*3. *de Orat. punct.*1. Pellizar. *tom.*1. *tractat.*5. *capite* 8. *sectio.*1.

Qvæstio II.

An etiam sit laudabilis modus dicendi Horas in Choro, psallendo, & cantando eas, præsertim cantu figurato?

NEgant hæretici Vualdenses, Vuiclephus, & alij, eo quod indecorum videatur, Ecclesiasticas personas in Ecclesiis publicè canere, præcipuè cantu figurato, aut firmo.

Sed vt quid certissimum, Respondeo. Etiam esse laudabilem, & sanctissimum talem vsum. Quia ita definiuit Concil. Trident. *sess.*23.*cap.*28. & constat ex variis locis Scripturæ Sacræ, quos adducit Suarez *loc.cit. num.*9. Et ex vsu vniuersalis Ecclesiæ. Legantur Suarez *capit.*7. *per totum.* Pellizar. *loc. citat.quæstio.*2.*numero* 2.Bassæus *tom.*2.*v. Horæ Can.*3. *numero* 3. & præcipuè D.Thom. 2.2.*quæst.*91. *art.*3. & *ibi* eius interpretes.

Qvæstio III.

An rursus, sit laudabilis vsus dicendi Horas in Choro, cum instrumentis musicis?

NEgandum videtur. Nam S.Thom.2.2.*quæst.*31. *art.*2.*ad* 4. dicit, vsum musicalium instrumentorum in templo veteri pertinuisse ad imperfectionem, & vmbram legis antiquæ: ergo. *Confirmatur,* nam in Capella Papali non admittitur talis vsus.

Sed, Respondeo adhuc vt certum; Esse Laudabilem vsum cantandi Horas, cum instrumentis musicis; si horum vsus sit grauis, ac moderatus. Quia vniuersaliter in Ecclesia, etiam Romana, est vsitatus. Quod si in Capella Papali non admittitur, ideo est, vel quia, vt ait Suarius, fortasse non iudicatur adeo grauis, ac necessarius; vel, vt ego existimo, ne Officium valde protrahatur, ne sit molestum senioribus ibi cum Papa assistentibus. Sic Suarez *lot. cit. cap.*8. *per totum*, præcipuè *num.*5. Pellizar. *quæst.*2. *num.*3. Bassæus *num.*3. *cit. vers. Ex quibus.* Vide Caiet. *in Sum. verb. Organorum vsus.* Valentiam *tom.*3. *disput.*6.*quæst.*9. & Bonacin. *de Horis disp.*2.*quæst.*1. *punct.*3. *numer.*1. *&* 2.

Qvæstio IV.

An saltem sit illicitus vsus cantandi in die Natalis Domini, aut aliis, cantiones profanas, durante Officio Diuino?

RESpondeo, vt quid certum: Esse illicitum, ac peccaminosum. Quia cantus seu cantiones huiusmodi, licèt de se non sint inhonestæ, aut vanæ, distrahunt tamen ab attentione, & deuotione, Officio Diuino debita. Et licèt intentio pia solemnizandi festum illud extenuet peccatum, non tamen tollit, vt docuit Caiet.2.2.*quæst.*91.*art.*1.loquendo de sono. Et à fortiori idem dicendum est, de vsu cantandi res impuras,

impuras, & inhoneſtas, hic enim expreſsè eſt prohibitus nouiſſimè à Concil. Tridentino *ſeſſ.22. cap. de Obſeruand. in Celebr. Miſſæ.* per hæc verba: *Ab Eccleſiis verò muſicas eas, vbi ſiue organo, ſiue cantu laſciuum, aut impurum aliquid miſcetur, &c. prohibet Sancta Synodus.* Sic Concilium Legantur Nauarr. *de Orat. capite 16. à numero 30.* Suarez *libro 4. de Horis cap.8. per totum.* Valentia, Bonacina, & Baſſæus *locis citatis.*

QVÆSTIO V.

An ſit præceptum recitandi Horas Canonicas in Choro?

REſpondeo, vt quid certum: Quod ſic. Id enim clare colligitur ex *cap.vltimo diſt.92.* & *capite 1. de Celebrat. Miſſar.* Et ratio huius præcepti fuit: quod Eccleſia non ſolùm intendit deuotionem Eccleſiaſticorum promouere, ſed etiam totius populi: atqui Eccleſia id obtinere non poterat, niſi Officium publicè diceretur in Choro: ergo. Sic omnes. Legantur Suarez *lib.4. citat. capit.10. numer.2.* Bonac. *diſputat.2. quæſtio.1. punct.1. numero 1.* Filliuc. *tom.2. tractat.23. capite 4. quæſtio.4.* Palao *diſput.3. punct.1. numer.3.* Trullench. *libro 1. in Decal. cap.7. dubitat.30.numer.3.*

QVÆSTIO VI.

An huiuſmodi præceptum recitandi Horas in Choro, obliget omnes Eccleſias Cathedrales, Collegiatas, Regulares, & Parochiales?

REſpondeo, vt certum, quod omnes has obliget, ſpectato iure communi. Quia ſic habetur expreſsè in Clem.1.*de Celebrat. Miſſ.* vbi dicitur: *In Eccleſiis Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis deuotè pſallatur; in aliis verò, cõuenienter, & debitè celebretur Diuinum Officium diurnũ pariter, & nocturnum.* Deinde id colligitur, ex *cap. vltimo, diſt.92. & ex cap. Dolentes de Celebrat. Miſſar.* Et ratio eſt, quia hæ ſunt digniores, & principaliores Eccleſiæ in hunc finem inſtitutæ. Legantur Suarez *citat.cap.10. à numero 2.* Bonac. *numero 2.* Palaus *numer.4.* Trullench. *numero 4.* Pellizar. *quæſtio.3. nume.4.* Baſſæus *tom.2. Horæ Canon.3.numero 4.& 5.* Filliuc. *tract.23. numer.129.* & alij.

QVÆSTIO VII.

An, non ſolùm, vi iuris communis, ſed etiam conſuetudinis, omnes præfatas Eccleſias præceptum recitandi in Choro obliget?

REſpondeo, vt certum: Quod non. Quia ex conſuetudine introducta, in pluribus Eccleſiis eſt temperatum hoc præceptum, itavt ſolùm pro diebus Dominicis, vel feſtiuis ſit. In aliis ex toto eſt ſublatum; tum, ob tenuitatem ſtipendij; tum etiam, ob paucitatem Miniſtrorum, & demum in aliis aliquarum Religionum non extat tale præceptum pſallendi in Choro; quia ſic fuit introductum à principio ſuæ Inſtitutionis. Legantur Suarez, Bonac. Baſſæus, Pellizarius, & Palao *loc.citatis.*

QVÆSTIO VIII.

An, ſit Laudabilis Religio illa, quæ, ex peculari ſuo inſtituto, non habet vſum Chori, vt eſt Societas Ieſu?

NEgat Sotus, *de Iuſt.lib.10 quæſt.5.art.3.§. Arguitur ergo:* vbi dixit, quod ſi quæ Religio ſine obligatione recitandi Officium in Choro de nouo inſtitueretur, vix nomen Religionis mereretur; quippe quæ maximo ſplendore Religionis careret.

Sed vt quid certiſſimum, Reſpondeo. Eſſe laudabilem, & valdè. Quia Societas Ieſu, eſt vera Religio, & per totum vniuerſum mundum, nimis laudabilis; & tamen non habet vſum Chori: ergo. Antecedens probat, imò & approbat Gregor. XIII. in Bulla, *Ex ſedis.* Vbi loquens de Societate Ieſu, hæc verba profert: *Nos conſiderantes Religionem prædictam Vberrimos fructus ad Dei Laudem, & Sanctæ Catholicæ Fidei propagationem per vniuerſum orbem dediſſe, meritóque in ſuis piis inſtitutis confouendam eſſe: Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ſociis prædictis, vt Horas Canonicas ſinguli, & priuatim, iuxta vſum Romanæ Eccleſiæ, non autem communiter, ſeu in Choro, recitare teneantur; quo acrius ſtudiis, Lectionibus, & prædicationibus intendere poſſint.* Hæc Sum. Pontifex. Quod ſufficit. Legantur Suarez, huius Societatis Illuſtriſſimæ ac Religioſiſſimæ filius verè, *to.4. de Relig. lib. 1. cap.8.* Pellizar. *tom.1. tract.5. capit.8. ſectio.1. quæſtio.3. per totum.* & alij.

QVÆSTIO IX.

An, conuentus omnes, ſeu Eccleſiæ Regularium habentium vſum Chori, teneantur recitare Horas in Choro, ſub mortali?

NEgat Marcus Vidal *in Arca Theolog. Moral.tit. de Horis. In.quiſit.1. num.31.* docens, non teneri ſub mortali communitatem Religioſorum ad dicendas quotidie Horas in Choro. Reſpondeo, vt certum: Teneri dictos conuentus, ſeu Eccleſias, ſub mortali recitare in communi Horas in Choro. *Primo*: Quia magnum eſſet ſcandalum ſi recitare in Choro omitteretur. *Secundo.* Quia tale onus recitandi in Choro, ſaltem per conſuetudinem, eſt ſub mortali receptum: ergo. Sic communis. Pellizar. *tom.1. tractat.5. capit.8. quæſtio.4. numer.7.* Diana *par.10. tractat.14. Reſolut.3.* vbi opinionem Marci, tanquam ſingularem reiicit. Caramuel *in Theolog. Regul. diſputat.101. numer.1320.* Suarez *lib.4. capit.10. numer.7.* Angel. Tabiena, Armilla, Sotus, Aragon. Filliuc. Bonac. & alij apud Dianam. Sic etiam Baſſæus *tom.2. Horæ 3. numer.5.*

QVÆSTIO X.

An, paucitas Religioſorum degentium in Monaſterio, excuſet ab obligatione dicendi Horas in Choro?

REſpondeo, vt certum: Excuſare: Quia, vt nuper *quæſt.7.* eſt habitum, multæ Eccleſiæ, præcipuè Parochiales, excuſantur ab obligatione dicendi Horas in communi, ſeu in Choro, ob paucitatem Miniſtrorum, ob quam non poteſt debite, ac

decenter

decenter Officium Diuinum celebrari: ergo, ob eandem causam, excusari possunt Ecclesiæ Regularium. Sic communis, præcipuè Authores mox citandi.

Qvæstio XI.

An, vt instet obligatio canendi publicè in Choro, requirantur ad minus quatuor Religiosi?

NEgat (apud Pellizarium) Naldus *in Annot. practi. ad dist. 5. cap. Non mediocriter.* vbi resoluit, duos Choristas non sufficere ad vsum Chori, sed requiri ad minus tres: id ipsum docuit Diana *par. 7. tr. 11. Resol. 5.* Leander *quæst. 2. sup. capit. 3. Regulæ Sancti Francisci*, & alij.

Negant & alij docentes sufficere duos Religiosos, vt instet obligatio Chori. Ita tenent Graffis *lib. 2. decis. cap. 53.* & alij, apud Leandrum, *locoo citat*, qui dicit id esse probabile.

Sed ego probabilius, Respondeo. Requiri ad minus quatuor Religiosos. Quia ex praxi constat, nec duos, nec tres tantum Religiosos, assistentes Choro, posse commodè, ac debite, implere seruitium illius: requirentur ergo ad minus quatuor. Sic Diana *par. 6. tr. 8. Resol. 12. in fine* vbi refert Franciscum Bordonũ, *in Constitis Regular. Resol. 30. n. 8.* dicentem, in paruis conuentibus ad minus requiri quatuor pro cantandis Horis Canonicis. Imò addit, se vt plurimum excusaturum ab obligatione Chori, conuentũ quatuor, aut quinq; Religiosorum, ibi residentium; cum talis obligatio non adeo stricte afficiat Religiosos, ac Beneficiarios Collegiatos. Pellizarius etiam *tr. 5. cap. 8. sect. 1. quæst. 23. num. 50.* Tamburin. *lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 1. num. 12.* vbi docet, *Excusari Communitatem à Choro, si constet solùm ex quatuor, aut quinque. Quia tametsi quatuor, vel quinque, imò & duo sufficiant ad rigorem Chori, tamen cum sit probabilis opinio, plures requiri ad constituendum Chorum ex obligatione, vt scilicet, cum aliquo decore alternatim cantetur, & ne tantum onus quotidianum, tam paucis ex obligatione imponatur, potest communitas Religiosorum hanc opinionem sequendo, à dicto onere, se tunc liberare.* Sic ille.

Qvæstio XII.

An, impleatur prædicta obligatio Chori, si ad illum, etiam soli quatuor, aut quinque Nouitij concurrant?

NEgant quidam, apud Caramuelem *in Regul. D. Benedicti disp. 101. dub. 6.* vt refert Diana *par. 7. tract. 11. Resol. 5.* dicens, eorum sententiam esse æque probabilem, ac contrariam. Probat Quia obligatio persoluendi Horas in Choro, est imposita Communitati Professorum; vt patet: ergo.

Sed probabilius, Respondeo. Impleri. Quia Nouitij gaudent priuilegiis Professorum: ergo possunt concurrere ad illorum onera implenda. Sic Thom. Tamburin. §. 1. *cit. num. 9.* vbi id certum sibi videri, iis verbis fatetur: *Certum præterea semper mihi visum est, per solos Nouitios posse Choro satisfieri. Ratio est, quia in fauorabilius, vt reputantur, vt Professi: quare sicuti iisdem datur participatio priuilegiorum Religionis, ita erit rationabile, vt possint eiusdem onera Professis annexa subleuare. Sanè si Religiosi alicuius conuentus Missas per se, & non per sæculares, celebrandas pro aliquo, ex legato debeant, quis vnquam illis scrupulum iniecit, si suis Nouitiis celebrandas cõmiserint? Et tamen onus illud Communitati cõuentus annexũ esse supponimus.* Sic Tamburin. secutus Pellizar. *to. 1. Man. Regul. tr. 5. c. 8. sect. 1. q. 22. n. 49.* Et dicit probabile æque Diana *loc. cit.* & tenet Bassæus *to. 2. florum. Horæ Canonicæ. 2. num. 12.* citans pro hac parte Dianam *vbi supra.*

Qvæstio XIII.

An, Præceptum impositum conuentui, aut communitati, dicendi Horas in Choro; afficiat singulos Religiosos in particulari?

REspondeo, dicendum: quod licèt dictum præceptum afficiat singulos in communi, (cum aliàs non posset impleri à tota Communitate) non tamen obligat singulos in particulari, sub mortali. Quia, neque ex iure scripto; neq; ex consuetudine, neq; ex accepto stipendio, sub mortali ad id tenentur; vt probat bene Palaus mox citandus: ergo ex nullo capite. Sic ipse *disp. 3. pun. 1. num. 12.* Pellizar. *loc. cit. quæst. 4. num. 7.* Suarez *lib. 4. de Horis cap. 10. num. 15.* Bonac. *disp. 2. de Horis. qu. 1. punct. 1. num. 9.*

Qvæstio XIV.

An saltem, sub veniali culpa, teneatur quilibet Religiosus in particulari, ad dicendas Horas in Choro?

AFfirmant nonnulli Doctores, docentes, teneri sub veniali regulariter loquendo, nisi aliqua honesta causa occurrat. Sic Pellizar. *loco citat. num. 7.* vbi ita ait: *Licet practicè, ac moraliter absentia à Choro vix excusetur à culpa veniali: si tamen aliqua moderata causa occurrat, excusabit ab omni culpa, si aliàs Horas priuatim recitentur. Quo pacto* Caiet. *v. Horæ Can.* ait: *Vbi contemptus deest, & propter meam absentiam, non notabiliter læditur diuini cultus Officij, & Prælati dissimulant, parum de his, quæ Dei sunt, curantes, non incurrunt mortale peccatum ex hoc, quod desunt Horis Canonicis in Ecclesia mea; quia contra præceptum iuris positiui propriè venio, nec notabile damnum infero diuino cultui.* Sic Pellizar. ex Caietano.

Sed clarius, ac probabilius, Respondeo: Non teneri ex se, aut ex vi iuris, aut consuetudinis, aut stipendij, ac dicendas, sub veniali, Horas in Choro, vt ex dictis constat: quia Religiosus in particulari, solùm adstringitur ad Chorũ ex vi suæ Regulæ, aut instituti, quod regulariter ad nullã culpã obligat Religiosum; sed ad pœnam subeundam, si deficiat: secus est dicendum, si in aliqua Religione adsit particularis consuetudo in contrarium, aut extet specialis aliqua constitutio declarans expressè, & imponens hoc onus singulis Religiosis sub culpa aliqua, quia tunc sub illa, qualiscumque esset, teneretur. Sic Palaus *num. 12. cit.*

Qvæstio XV.

An, Prælati Regulares maiori obligatione astringantur ad assistendum Choro, quàm alij Religiosi subditi?

AFfirmandum videtur: quia, ob circunstantiam personæ, & ob aliorum exemplium fortius adstringuntur à Regulæ, vel instituti obligatione. Ita videtur sentire March. *to. 2. v Horas Canonicas Resol. 60. num. 3.*

Sed absolute, Respondeo. Non adstringi maiori, sed æquali obligatione ad Choro assistendum: quia licèt, ob qualitatem personę, & ob aliorum exemplum, intra obligationem Regulę magis videantur adstringi; attamen, ob frequentiores sui muneris occupationes occurrentes, facilius quàm alij à Chori assistentia excusari possunt. Sic Suarez *lib.4.cap.10.n.18.* Palaus *disp.3.pun.1.n.12.* Bonac. *disp.2.qu.1.pun.1.n.9.* Pellizar. *to.1.tr.5.c.8.sect.1.n.8.* Diana *to.1.tr.12. Resol.38.* Bassæus *tom.2.v. Horæ Canon.3.num.6.*

Qvæstio XVI.

An Prælati Regulares teneantur sub mortali, curare, vt recitatio Horarum in Choro nunquam omittatur?

NEgabit forsan Marcus Vidal; cum neget (vt vidimus *q.9.*) consuetudinem canendi in Choro Horas receptam à conuentibus, non obligare ad mortale.

Sed vt certum, Respondeo. Teneri curare sub mortali. Quia sic colligitur ex Clement. *1.de Celebr. Missar.* vbi ordinariis Rectoribus, & Superioribus præcipitur, vt sollicitam adhibeant diligentiam, vt debitis horis conuenienter Officium in Choro psallatur, vel celebretur, *si Dei, & Apostolicæ Sedis indignationem, euitare voluerint*: quæ verba aperte indicant tale præceptum esse graue: vt bene aduertit Suarez *lib.4. c.10.n.8.* Addens, *Id ipsum constare ex natura rei: nam quoties obligatio aliqua cadit in mysticum corpus alicuius Communitatis, caput talis corporis, ratione sui muneris, tenetur curare, vt obligatio illa impleatur: ergo cum Superior huiusmodi grauem obligationem recitandi Horas in Choro, se solo implere nequeat, debet sub culpa graui curare, vt etiam alii Religiosi illam exequantur.* Sic Suarez. Et apud Dianam, Tabiena, *verb. Hora qu.23. n.29.* Armilla *n.21.* Sotus, *lib.10.de Iust.q.5.art.3.prope finem.* Nauar. *de Orat.c.3.n.61.* Aragon. *2.2.qu.83. art.12.dub.4.concl.1.* Layman *lib.4.tr.1.c.4.nu.1.* Filliuc. *tr.23.c.4.q.7.n.135.* & Bonac. *to.1.disp.2.de Horis q.1.pun.1. num.9.* quos omnes sic citat, & sequitur Diana *par.10.tract.14. Resol.3. vers. Quæres an prædicta,* & bene, Pellizar. *loc.cit.n.8.* Acacius March. *to.2. ver. Horas Canon. Resol.60.num.5.*

Qvæstio XVII.

An, non solùm Prælati, verum etiam subditi, teneantur curare, vt Horarum recitatio non omittatur in Choro?

REspondeo: Teneri, & sub eadem graui culpa; casu tamen solùm, quo Prælatus esset ita negligens, vt omitteretur publica Diuini Offici recitatio in Choro. Quia tunc præceptum commune, singulos obligaret; eo quod deficiente Prælato, obligatio Officiorum communitatis ad particulares descendit. Sic Suarez, *lib.4.de Horis c.10.n.15.* (non 10. vt leges in Pellizar.) Filliuc. *tr.23.c.4.q.9.nu.139.* Diana, *par.10. tr.14. Resol.3. in fine.* Qui & citat Bonac. *tom.1.tr. de Officio disp.1. qu.2. punct.2.nu.8.* § *dixi regulariter & disp.291.* (lege, *disp.2.q.1.*) *pun.1.n.9. fine.* Angel Tabien. Siluestr. Armill. & Caiet. Pellizar *to.1.tract.5. c.8. sect.1.q.4.n.9.* Acacius March. *loc.cit.n.5.*

Qvæstio XVIII.

An, Prælati possint aliquo casu imponere præceptum subditis, vt non desint Choro?

REspondeo, vt certum: Posse, & debere, si nimia esset negligentia subditorum in frequentando Choro. Sic Suarez *lib.4. de Horis c.10.n.15.* Pellizar. *loc.cit.* Qui bene aduertunt, superiores, sine causa, non debere subditis suis imponere tale præceptū; quando publicæ obligationi ex vi Regulæ fit satis, & non desunt, qui Religiosè, ac voluntariè Chorum frequentent. Sic etiam Acacius *loco citato.*

Qvæstio XIX.

An, Prælati Regulares possin liberè dispensare super frequentia Chori, cum aliquibus Religiosis?

REspondeo, *Primo.* Prælati liberè ac licite possunt dispensare cum aliquibus Religiosis, ne frequẽtent Chorum, si solùm ius commune attendamus. Patet. Quia obligatio frequentandi Chorum, quam habent particulares Religiosi, solùm oritur ex vi Regulæ, aut constitutionis, & consequenter ex re dispensabili à Prælatis: ergo. Sic Pellizar. *tom.1.tr.5. c.8.sect.1.q.5.n.10.*

Respondeo, *Secundo.* Si attendamus Decretū Clemen. VIII. relatum in Bullar. *to.3.constit.6* & confirmatū à Sacra Congreg. iussu Vrbani VIII. anno 1624. dicendū est, non posse Prælatos cum vllo subdito dispensare, sed solùm cum iis, qui specialiter exprimuntur in Decreto, cuius verba sunt hæc. *Nullus omnino prætextu cuiuscumq; priuilegij, vel Superioritatus, etiam Generalatus, à seruitio Chori censeatur immunis; nisi pro tempore, quo quis in proprij Officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores iis tantū diebus, quibus eos legere, aut concionari contigerit, dispensare possunt: idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorū causa, legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animaduertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.* Sic Pellizar. *loc.cit.* Qui ex Lezana *tom.1. c.10.n.20. per ægrotos,* intelligit, tam tẽperaneos, quàm perpetuos, & Religiosos, valde senes. Per eos verò, *qui studiorum causa sunt impediti,* illos etiam, qui imprimendis libris pro bono Religionis, ac Ecclesiæ occupantur. Nota tamen quod hæc secunda responsio habet locum, vbi decretum Clementis est in vsu.

Qvæstio XX.

An, peccent mortaliter Religiosi, qui ex consuetudine omittunt frequenter Chorum, ad dicendas ibi Horas?

AFfirmat Peregrinus *1.p. Constitut.c.1.lit.B.§.3.* docens, Religiosos ex consuetudine non recitantes in Choro Horas, peccare mortaliter, si id sine iusta causa faciant, ita ille (vt refert Diana) citans Siluestrum, & Angelum, sed non loca, vbi id doceant. Accipe ergo illa. Angelus enim, id docet, *verb. Hora Canonica n.26.* vbi inquirens: *An peccet toties mortaliter, quoties non conuenit Clericus Beneficiatus, vel Religiosus ad Chorū, sine rationabili causa. Respondet, quod*

non;

non ; qui materia (ait) *non videtur ita ponderosa : sed quando duceret in consuetudinem , vel quando Officium Ecclesiæ pateretur iacturam , in Celebratione, tunc non excusarem à mortali* : ita Angelus.Et eisdem fere verbis,Silvest.*v. Horæ,n.*12.*q.*10.

Sed probabilius , Respondeo. Non peccare mortaliter. Quia (vt supra *quæst.*13. est habitum)obligatio recitandi Horas in Choro , non afficit per se, & directe singillatim singulos Religiosos ; sed totam communitatem:ergo ij non peccant mortaliter,non assistendo Choro ; sive aliquando , sive ex consuetudine , id faciant : nam frangere Regulam,non obligantem ad culpam (qualis est obligatio singularis Religiosi frequentandi Chorũ,vt supponimus)seclusa contemptu , non est mortale ; iuxta communem Doctorum sententiam,vt bene Sanchez *lib.6. moral. cap.*4.*num.*21.Sic Pellizar.*tom.*1.*tract.*5.*c.*8.*sect.*1.*q.*7. *nu.*15.ex Diana *par.*3.*tr.*2.*Resol.*18. & antea Suarez *lib.*4.*cap.*10.*num.*15. Raphael de Torre *in* 2.2.*tom.*1. *controuersia* 10. *de Horis.disp.*1.*nu.*6. Filliuc.*tract.*23. *cap.*4.*num.*139.Bonac.*disp.*2.*quæst.*1. *punct.*1. *num.*9. S. Faust. *de Horis lib.*2. *qu.*186. Leander de Murcia *qu.*5.*super cap.*3.*Regulæ S.Franc.num.*4.

Qvæstio XXI.

An , Communitas regularis , quæ , sine iusta causa , recitat Horas Canonicas, extra horas præscriptas , peccet mortaliter?

Affirmant quidam DD.docentes , peccare quidem mortaliter, si sæpe id faciat:secus verò , si vna,vel altera vice.Ita Pellizar.*to.*1.*tr.*5.*c.*8.*sect.*1.*q.*6. *nu.*12. Qui id probat ex *Clement.*1.*de Celebr. Missar.* vbi (vt supra vidimus)iubentur Prælati,vt Horæ Canoincæ,debitis horis publicè dicantur:ergo cum hoc præceptum sit graue , eius violatio non potest non esse mortalis , si dictum præceptum sæpius violetur: secus si vna,vel altera vice;nam tunc non consurget scandalum.Ita ille,citans pro se Suarium *lib.*4. *c.*15. *n.*12.Sanchez *lib.*7. *consil.c.*2. *dub.*42.*n.*1.2.3.4.& 5. (sed non bene vt infra)Lezanam *to.*1.*c.*12.*n.*15.Quibus Diana addit Azor. *p.*1.*lib.*10.*c.*9.*qu.*1. & Filliuc. *tract.*26.*c.*6.*n.*217. sed non ita bene;nam ille, minime docet esse mortale ; sed debere recitari Officium temporibus debitis:sic autem,solùm dicit,esse ex genere suo mortale; regulariter tamen esse tantum veniale.Citari melius posset Nauar. *de Orat. c.*3. *n.*63. & 71.& Tamburin.*c.*5.*cit.*§.5.*n.*1.Sotus,Sandoual.& Angles apud Sanchez. Rocafull. *tom.*1. *par.*2. *lib.*3. *cap.*18. *num.*111. & apud ipsum , Villalob. *tract.*24. *diff.*12.*num.*2.

Sed ego probabilius,Respondeo.Non peccare(secluso scandalo) mortaliter.Communitates,quæ, etiã sine causa legitima,Horas extra tempus præscriptum, recitant. Quia circunstantia temporis , non pertinet ad substantiam materiæ præceptæ in dicta Clem.cit. Sic Valentia *to.*3.*disp.*6.*q.*2.*pun.*10.Bonac.*disp.*1.*q.*3. *pun.*3.*n.*7.Gauant.*in Comment.Rubr.Breuiarij sectio.*1. *c.*5.*tit.*6.*n.*9.Layman *lib.*4.[non 8. vt leges apud Dianam)*tr.*1.*c.*3.*n.*6.*vers. Atque hæc dicta,* quamuis non ita firmiter:ait enim sic: *Quamquam,secluso scandalo, rarò peccatum mortale committi censendum est , si etiam in publico Choro Horarij Officij tempus interdum mutetur:eo quod hæc temporis circunstantia ad substantiã materiæ præceptæ non pertineat* , teste *Caiet.* verb. Horæ Canonicæ c.4. *Ratione scandali verò , facilius in ea re mortaliter peccari poterit.* Hæc Layman. & sic etiam Caramuel *in Theolog. Regul.disp.*101.*nn.*1320. Quos omnes citat,& sequitur Diana *to.*1.*tr.*12.*Resol.*14.& *p.*7.*tr.*11.*Resol.*12.*in fine. & par.*10.*tract.*14. *Resol.*3. *vers. sed Hæc opinio.* vbi refert Caramuelem *loc. cit.* aduertentem, *vix in hac materia scandalum dari posse, quod sit mortale : Quia nulla Communitas censenda est, sine causa alterare Officij tempora,quæ propter honestam recreationem, hora vna,vel altera , Officium differt,aut anteponit. Recreatio enim honesta,actus etiam Regularis est,& cum ferrei non sint Monachi, necessarius , vt melius aliis obligationibus satisfacere possint, quod quidem apud Sanct issimos Monachos,in vsu est.* Sic Caramuel. Et bene. Tenet etiam nostram sententiam Sanchez (*loc.cit.* pro sua à Pellizario,) *n.*4.vbi expressè dicit hanc sententiam esse probabiliorem,Trullench.*lib.*1. *in Decal.c.*7.*dub.*18. *nu.*5. vbi citat pro se Sancium. *loc.cit.*

Qvæstio XXII.

An saltem peccet mortaliter Communitas , quæ sine iusta causa , inuertit ordinem Officij?

Affirmant,& à fortiori certè,Suarez *lib.*4.*de Horis cap.*11.*num.*10.Macignus, *tract.de Horis Can. cap.*45.*n.*5.Molfes. *tract.*2.*cap.*2.*n.*29. & 42. Filliuc. Sotus,& Toletus, apud ipsos.Trullench.*nu.*5.*cit.* Qui secus dicit,dicendum , secluso scandalo , & intercedente iusta causa.

Sed, consequenter probabilius, Respondeo. Nec peccare adhuc mortaliter , secluso scandalo , & aliis circunstantiis. Quia variatio, aut inuersio Horarum, accidentalis etiam est materiæ præceptæ ; & ideo ex suo genere leuis. Sic Bonac. *de Horis disp.*1. *quæst.*3. *punct.*4.*num.*5.Caramuel *n.*1320.*cit.* & Diana *tom.*1. *tract.*12.*Resol.*16.& *p.*10 *tract.*14.*Resol.*3.*vers. sed hæc opinio.* Qui ambo citant pro hac parte Gauantum *in Rubric.Breuiarij sect.*1.*c.*5.*tit.*8.*n.*3. sed certè hic Author, vtramque sententiam referendo,nil resoluit:ait enim sic : *Grauior autem erit culpa si in Choro perturbatur ordo. Suarez* lib.4.c.11. n.10. *& alij putant esse ex suo genere culpam lethalem.* Negat Bonacina *ibidem num.*5.Hæc Gauantus.

Qvæstio XXIII.

An , transacto notabiliter tempore , quo debebat recitari in Choro Hora aliqua ; possit hæc omitti , & ibi non recitari?

Affirmant, debere omitti ad cauendum scandalum , quod aliàs inde sequeretur , Nauarr. *de Orat.cap.*3.*num.*8. Sanchez,ex illo, *lib.*7.*consil.cap.*2. *dub.*43.*num.*6. quos citat,& sequitur Pellizar.*tom.*1. *Man.Regular.tract.*5.*cap.*8.*sectio* 1. *quæst.*6. *num.*14. Quibus addi possunt,(vt innuit Sanchez) Turrecremata & alij citati supra *disp* 5. *quæst.*46. loquendo de priuatim recitante.

Sed probabilius , seu clarius,Respondeo.Nec debere,nec posse,omitti talem Horam, ablato scandalo,quod vix,saltem inter Regulares,dari potest. Ratio est : quia præceptum formaliter,aut sustantialiter est de Hora in Choro dicenda; quod vetò sit tali,vel tali tempore , est quid accidentale , vt nuper est habitum:non igitur propter omissionem huius , illud relinqui debet, nec potest.

QVÆSTIO XXIV.

Quæ sint tempora pro singulis Horis Canonicis præscripta, pro publico Officio Chori?

RESpondeo, *Primo* dicendum, quod attento iure antiquo, *Matutinum* debeat dici, proximè post mediam noctem; Laudes initio Auroræ. *Prima*, vna Hora ante, vel post ortũ Solis. *Tertia*, hora tertia à Solis ortu. *Sexta*, hora meridiana. *Nona*, tertia post meridiem. *Vesperæ*, hora duodecima à Solis ortu. *Completorium* verò, hora post solis abcessum, apparente iam nocte. Sic communis Doctorum. Legantur Azor. *to.1. lib.10.cap.8.q.2.* Villalob. *tr.24. diff.12. n.1.* Rocafull. *tom.1. par.2. lib.3. c.18.* Suarez *lib.3. c.15.*

Respondeo, *Secundo*, quod nunc attenta iam consuetudine, legitime introducta, *Matutinum* simul cum Laudibus, possunt dici à Vespere precedentis diei, post recitationem Completorij, vsq; ad vnam horam plus minusve post ortum solis diei sequentis. *Prima, Tertia, Sexta, & Nona*, ab aurora, vsque ad meridiem, vel vsq; ad horã vnam pomeridianam. *Vesperæ, & Completorium* à meridie, vsque ad semihoram circiter post solis occasum. Sic Doctores communiter. Legatur Tamburin. *lib.2. in Decal. c.5. §.5. n.1.* & alij citati. Qui tamen bene aduertunt standum sit vsui, & consuetudini legitimè introductæ, in vnoquoque ordine, seu Religione, Prouincia, aut Monasterio.

QVÆSTIO XXV.

An Clericus omnis, ex vi suæ ordinationis, teneatur Horas Canonicas publicè in Choro celebrare?

AFfirmarunt olim Glossa *in cap. vltim. dist.92.* loquendo generaliter de omnibus Clericis, Archidiacon. & Hugon, loquendo solùm de initiatis Sacris, vt refert Suarez *lib.4. de Horis c.10. n.9. & 10.*

Sed, vt certum, Respondeo. Nullum Clericum, etiã Sacris initiatum, teneri, ex vi suæ ordinationis, ad dicendas Horas in Choro Ecclesiæ. Quia nullus est textus hanc obligationem inducens Clericis ratione ordinis, sed solùm ratione beneficij. Deinde, id constat, ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ. Sic omnes Suarez *loc.cit.* Azor. *lib.10. c.11. q.8.* Valentia *2.2. disp.6. q.2. pun.10. §.6.* Bonac. *disp.1. q.3. pun.5. n.5.* Palao *disp.3. pun.1. n.7.* Qui duo vltimi citant Nauarrum *de Oratione c.4.* sed hic Doctor, ibi nil de hac re dicit.

QVÆSTIO XXVI.

An, Episcopus teneatur Officium in Ecclesia persoluere quotidie?

AFfirmant aliqui; tum ex *c. Episcopus dist.41. cap. Peruenit. 7. q.1. & c.1. de Celebr. Miss.* Tum etiam, Quia Canonici, & Præbendati habent obligationem assistendi Choro: ergo à fortiori Episcopus, qui pinguiores redditus habet. Ita Angel. *verb. Hora nu.26.* (non 28. vt leges apud Palaũ) & Siluest. *eod. verb. n.10.* idem docet iisdemmet verbis. Nauarr. *de Orat. cap.5. n.14. in princip* (nõ fine, vt ait Bonac.) *& n.16. & 17.*

Sed probabilius, Respondeo: Non teneri Episcopum, ex vi sui muneris, seu beneficij, quotidie Choro interesse, & ibi Officium persoluere. Quia licèt Episcopus strictius, quàm alij Canonici, & Præbendati, Ecclesiæ deputatus sit, & ob id strictius videbatur obligãdus Choro, interesse: at quia alia munera exercet, quæ non exercent Canonici, aut Præbẽdati, aliisque grauioribus ministeriis docendi populum, prædicandi Euangelium, gubernandi subditos, visitandi Ecclesias, occupatus sit, merito ab obligatione quotidie assistendi Choro censetur exemptus, iuxta text. *in c. Sancta Romana dist.92.* Sic D. Thom. *2.2. q.91. art.2. ad 3.* Suar. *lib.4. c.10. n.13. & 14.* Valent. *2.2. disp.10. q.6. pun.2. ad finem.* Garç a, *de Benef 3 p. cap 2. n.181. & 480.* Filliuc. *tract.23. c.4. qu.8.* Carolus Macign. *de Horis c.57.* Bonac. *de Horis disp.1. q.3. pun.5. n.8.* Palaus *disp.3. pun.1. nu.9.* vbi bene respondet Textibus pro contraria parte adductis. Trullenc. *lib.1. in Decal. cap.7. dub.20. num.3. & dub.30. n.6.* Sanchez *lib.2. consil. cap.2. dub.103.* & alij.

QVÆSTIO XXVII.

An saltem teneatur Episcopus, si non quotidie, saltem diebus festis, & præcipuè solemnioribus, Choro interesse?

AFfirmabunt à fortiori Angel. Siluest. & Nauarr. nuper adducti.

Sed adhuc probabilius, Respondeo. Nec, dictis diebus, teneri Episcopum interesse (Choro, ex vi sui muneris, ob rationem supra habitam: Tenebitur tamen aliquando, nempe, quando, ob occurrentem casum, tum exempli, tum scandali vitandi, tum sui muneris præstandi, iudicauerit expedire: quod eius prudenti arbitrio relinquendum videtur. Optimum autem consilium erit, vt nisi causa vrgens impediat, adsit Choro, Dominicis diebus, & festis, & præcipuè solemnioribus, in quibus (vt ait Suarez) fortasse poterit interuenire obligatio, saltem pro tempore Missæ, Vesperarum, vel etiam Matutino. Sic Suarez & Palao *loc.cit.* & alij.

QVÆSTIO XXVIII.

An, Parochi teneantur ratione sui Officij recitare publicè in Choro, Horas Canonicas?

AFfirmant Angel. *verb. Hora, n.25.* Siluest. *q.10.* & Turrecremenata *in c. vlt. dist.92.* & Innocent. *in c.1. de Celebr. Miss.* Armilla & Tabiena, apud Suarium *vbi infra c.10. n.3.* Qui & probant ex *Clemen.1. de Celebr. Miss.* vbi postquam Pontifex dixerat, *In Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, deuotè psallendum esse*; subdit: *In aliis verò Ecclesiis* (quæ non possunt esse aliæ, quàm Parochiales) *conuenienter, & debitè celebretur Diuinum Officium, diurnum pariter, & nocturnum.* ergo debet per Parochum, aliosque Beneficiatos, celebrari: ergo per se habent hanc obligationem.

Sed ego clarius, & probabilius, Respondeo. *Primo*: attento iure communi antiquo, certum est, Parochos teneri, publicè in Choro, recitare Horas Canonicas. Quia id conuincitur ex *Clement.1. citata*: & ex *c. fin. dist.92. & c.1. de Celebrat. Miss.* & docent Suarez *cap.10. cit. num.4.* Filliuc. *tract.23. cap.4. qu.6. nu.131.* Palao *num.10.* Bonac. *num.12.* Trullench. *dub.20. cit. num.4.* & communis.

Respondeo, *Secundo*, attenta consuetudine, vniuersaliter ferè iam recepta, minimè tenentur Parochi, neque per se, neque per alios, quotidie recitare in Choro Officium. Quia ita inductum est, eo quod Parochi pluribus aliis negotiis, & curis detinentur. Sic Suarez, Bonac. Trullench. & Palao. *loc. citatis.*

Respondeo, *Tertio*. Si in aliquibus Ecclesiis Parochialibus viget consuetudo dicendi Officiũ, vel quotidie,

tidie,vel in aliquibus diebus Dominicis,aut festiuis; tunc Parochus obligatur adesse Choro; nisi causa legitima impediatur;quia tunc sufficit substitutum apponere.Sic Suarez & Palao,*loc.cit.*Qui idem docent, casu,quo in aliquibus Ecclesiis prædictis,solùm Vesperæ,aut alia Hora tantum dicantur.

QVÆSTIO XXIX.

An onus Canonici seu Prabendati, teneantur Horas in Choro recitare?

REspondeo,vt certum:Teneri recitare in Choro, iuxta suarum Ecclesiarum vsum.Quia proprium Canonicorum est, Choro inseruire, ac assistere, & Laudes diuinas decantare, aut alta voce proferre: vt colligitur ex *c.fin.dist.*92. & ex Trident.*sess.*24.*c.*12. & docent omnes. Legantur Sot. *lib.*10. *de Iust. qu.*5. *art.*4.Suar.*lib.*4.*de Horis.c.*12.*à n.*8.Garcia,*de Benef. 3.p.c.*2.*nu.*513.Lessius,*lib.*2.*c.*34.*dub.*33.*n.*184. Bonac.*disp.*2.*qu.*1.*pun.*3.*in fine. & pun.*4. Palao *disp.*3. *pun.*3.*n.*1.*&* 4. *& pun.*1.*n.*13. Pellizar.*to.*1.*c.*8.*sect.*3. *à num.*130. Trullenc. *libr.*1. *in Decalog. capit.*7.*dubit.*30.Tamburin. *libro* 2. *in Decalog. capit.*5. §. 4. & omnes. Qui idem dicunt de aliis Beneficiariis, & Collegiatis.

QVÆSTIO XXX.

An, vt communitas Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, excusetur à Choro, sufficiat, quod solùm sint duntaxat duo, vel tres Canonici?

AFfirmat Carolus Macignus,*de Horis c.*56.*n.*24. & 28.docens, Canonicos,nec peccare, nec teneri ad restitutionem fructuum, si non sint saltem quatuor,qui Choro assistere possint. Confirmarique potest hæc sententia,quia(vt *supra q.*11.est habitum) communitas Religiosorum excusatur à Choro casu, quo tantum sint quatuor,vel quinque Religiosi:ergo similiter excusabitur Communitas Canonicorum,ob paucitatem eandem.Ita etiam Bonac. *disp.*2.*qusst.*1. *pun.*2.*n.*1. secutus Macignũ.Diana *to.*1.*tr.*12.*Resol.*31.

Negat contra Thomas Tamburin.*lib.*2.*in Decal. cap.*5.§.1.*num.*12. vbi; postquam id concessit Communitati Regularium,negat id ipsum Communitati Canonicorum: quia strictius est (inquit) ius, quo vrgentur Beneficiarij, & Collegiati, quos certè obligo, etiamsi essent duo duntaxat (non autem obligo si solùm vnus.) Ratio est,quia pactum inter Fundatores, & Beneficiarios, saltem implicite initum,requirit ex iustitia, vt seruetur Chorus quoties alternitas canentium seruari aliqua tandem ratione potest. Hæc Tamburinus.

Sed ego clarius,Respondeo.Non excusari quidem ad assistendum Choro,& ad recitandum ibi alta voce Horas: bene tamen excusari ad canendas illas: quia hoc cum debito decore nequit fieri; bene tamen illud.Ex quo vtriusque sententiæ fundamentum manet solutum. Legantur. *quæstio.*11. *citata.*

QVÆSTIO XXXI.

An,sine vlla culpa,& pœna,possint Canonici,seu Prabendati abesse à Choro per tres menses?

REspondeo, vt certum: posse.Quia id tempus est eis permissum à Trident.Concil.*sess.*24.*de Reformat.* c.12.his verbis: *Præterea,obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis, dignitates, Canonicatus, Prabendas, aut Portiones,non libeat, vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis, vltra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: saluis nihilominus earum Ecclesiarũ Constitutionibus, quæ longius seruitij tempus requirunt,&c.*Sic Concilio.Legantur Garcia, *de Benefic.*3.*p.c.*2.*n.*180.vbi declarat (ex declaratione Sac. Congreg.)prædictos tres menses,posse esse cõtinuos, vel interruptos,ad libitum. Quod certè etiam colligi potest ex eodem Concil.Trident.*sess.*23.*c.*1.*de Reformat.*ibi: *Sacra Sancta Synodus vult,illud absentiæ spatium singulis annis,siue continuum,siue interruptum,&c.* Suar.Bonac.Trullenc.& alij *cit.*Tamburin. *lib.*2.*c.*5. §.4.*n.*2.

QVÆSTIO XXXII.

An,Canonici,seu Prabendati (& alij,qui distributiones habent) peccent mortaliter,si à Choro absint(vltra tempus à iure sibi concessum,) & distributiones recipiant?

REspondeo, Tanquam quid certissimum: Peccare mortaliter, & cum obligatione restituendi,si distributiones recipiant. *Primo.* Quia distributiones huiusmodi,seu redditus, conceduntur ea lege, vt Diuinum Officium,à Canonicis, & ab aliis, illos recipientibus, publicè in Choro dicatur. *Secundo.* Quia contra iustitiam vsurpant, aut recipiunt distributiones, assistentibus Choro, vel legitime impeditis solùm concessas;ac per consequens, quod suum non est: ergo. Sic vt certum tenent omnes.Castro Palao *disp.*3.*pun.*1.*n.*13.*&* *pun.*2.*n.*1.Tamburin.*loc.cit.n.*3. Trullench.*lib.*1.*in Decal.c.*7.*dub* 30.*n.*8.

QVÆSTIO XXXIII.

An etiam dicti Canonici & alij,peccent mortaliter,si absque causa,absint à Choro(vltra tempus permissum) animo cedendi distributionibus,tempori absentiæ correspondentibus?

NEgant multi. *Primo.* Quia nullus est textus vnde huiusmodi obligatio,sub mortali colligatur. *Secundo.*Quia tota obligatio in Canonicis,& Præbendatis assistendi Choro, nascitur ex distributionibus, quas recipiunt:ergo,qui his cedunt, à se totã obligationem excludunt.Ob id ita sentiunt Silvest.*verb.Hora.q.*2.Caiet.§.5.Angel.*n.*21.Nauar.*de Orat.c.*5.*n.*14. Valentia 2.2.*disp* 6.*q.*2.*pun.*10.§.6.Reginald. *lib.*18. *n.*176.Macig.*de Horis c.*56.*n.*34.& August. Barbos. *de Potest.Episcopi* 3.*p.allegat.*53. *n.*182. Quos omnes refert pro hac parte Castro Palaus mox citãdus.Quibus ego addo Tãburin. *lib.*2.*in Decal.c.*5.§.4.*n.*7.qui hanc opinionem libentius,vt benigniorem,admittit. Pellizar. *to.*1. *Man.Regul.tr.*5.*c.*8.*sect.*2.*q.*1.*n.*130.*&* 131. vbi ait, solùm peccare mortaliter, casu,quo illi deficerent ab hac obligatione per contemptum; aut contra præceptum proprij Prælati; aut ex ipsorum defectu Diuinũ Officiũ,vel simpliciter omitteretur in Ecclesia;aut non diceretur cũ solẽnitate debita:secus exclusis iis casibus;quia tunc,(inquit)non peccarent, nisi venialiter.Ægidium Trullench. *lib.*1.*in Decalog. c.*7.*dub.*30.*n.*8. Qui id confirmat vsu multorum prudentum, qui nullum sibi scrupulum faciunt, dum à Choro adsunt animo amittendi distributiones.Et citat Thomam Sanchez *in Consil.*1.*p.lib.*2.*cap.*2.*dubit.*112.& Dianam *to.*1.*tract.*12.*Resol.*31. sed hunc,

malè: cum oppoſitũ, ſibi expreſsè videatur probabilius verum eſt quod poſtea *p.4.tract.4.Reſol.149. in fine.* hanc teneat ſententiam. Ioſephum Rocafull. *tom.1. par.2. lib.3. de Oratione vocali cap.13.* vbi id docet cum Silueſtro, loquendo de Beneficiariis.

Sed ego probabilius, Reſpondeo: Peccare mortaliter (niſi paruitas materiæ excuſet) Canonicos, Præbendatos, & alios, qui diſtributiones percipiunt, ſi abſque legitima cauſa abſint à Choro; etiamſi diſtributiones remittant. *Primo.* Quia ſic colligitur ex *cap. Relatis. diſt.91. & ex c. ſi quis Presbyter. diſt.92. ex cap. Dolentes. de Celebr. Miſſar. & ex Clement.1. eodem tit.* vbi aſtringuntur Præbendati ad aſſiſtentiam Chori, ſub pœnis excommunicationis ferendæ, & depoſitionis: atqui huiuſmodi pœnæ, non niſi ob grauem culpam imponuntur: ergo.

Secundo. Quia ſupradicti Præbendati, aut Beneficiati, obligantur ſub graui culpa ad reſidendum in propria Eccleſia (præter tres illos vacationis menſes) vt colligitur ex Trident. *& ſeſſ.6. cit.1. & ſeſſ.20. cap.3. & ſeſſ.22. cap.3. & ſeſſ 23. cap.1.* atqui hæc reſidentia ad nil aliud deſeruire poteſt, niſi ad Chorum frequentandum: ergo. Sic Garçia *de Benefic. par 3.cap.2. num.322.* vbi pro hac ſententia tres declarationes Cardinalium adducit, & *num.323.* quinque. Suarez *lib.4.de Horis cap.10.num.17. & cap.13. num.5. & ſequent.* Bonac. *de Horis diſput.2. quæſt.1. punct 2.num.1.* Vazquez *de Benefic.cap.3.art.2.dub.1. nu.18.* Quos omnes citat, & ſequitur Palaus *tom.2. diſp.3. de Orat. punct.2. numer.3.* Quibus addi poſſunt, Filliuc. *tract.23. cap.7.numer.207.* Squillante, *de obligat. Cleric. par.2. dubit.28. numer.57.* Diana *loco cit.* & alij. Qui idem dicere debent de Beneficiariis Eccleſiarum Collegiatarum, ſeu etiam aliarum Eccleſiarum non Collegiatarum, quando tenentur conuenire, & ſimul dicere Matutinum, aut Veſperas, vel omnes, aut aliquas Horas, recitare, vel Miſſam canere: vt notant Nauar. Reginald. & Trullench. *ſupra.*

QVÆSTIO XXXIV.

An ſaltem excuſentur à mortali Canonici, Præbendati, aut Beneficiati prædicti, quando ſemel, aut iterum, in anno, abſunt ſine cauſa à Choro?

NEgatiuam ſententiam, adhuc ſuſtinendam eſſe ab Authoribus noſtræ, clarè innuit Suarez *lib.4.cap.13.* quatenus *num.8.* ait, non eſſe certè improbabile, quod ait Graffis, nempe, ſemel, aut bis deeſſe in Choro, non eſſe mortale; quo, haud obſcure monſtrat, oppoſitum eſſe probabilius. Quod confirmat *num.9.* dum dicit, ſe nolle eſſe fautorem huius licentiæ.

Probaríque poteſt hæc pars. Nam certum eſt in noſtra ſententia, quod, qui abſque cauſa graui, recitare, adhuc ſemel, aut vna die, omittunt, peccent mortaliter: ergo pariter peccabunt, qui, adhuc ſemel, aut iterum, abſunt ſine cauſa à Choro.

Sed certe æque probabiliter, Reſpondeo. Excuſari à mortali prædictos, caſu, quo ſemel, aut iterum, aut tribus, vel quatuor diebus, ſine cauſa à Choro abſint. *Primo.* Quia in hac materia, hæc eſt parua. *Secundo. Quia ſic* (ait Palaus) *videtur vſu receptum, apud timoratos. Cum enim à iure concedatur iis Præbendatis abſentia à Choro tribus menſibus in anno, & pro nullo die obligatio recitandi priuatim, relaxetur; efficitur ſane, ex huius obligatione, ad obligationem abſentiæ, non poſſe argumentum deduci; ſed potius ex tam lata remiſſione in abſentia, & tam ſtricta obligatione in priuata recitatione, deduci poteſt, tres, vel quatuor dies in anno abſentiæ à Choro non conſtituere culpam grauem, & ſi vnius diei, recitationis omiſſio illam conſtituat.* Hæc Palaus *loc. citat. num.4.* Ex cuius verbis, ſolutum manet argumentum a paritate deductum. Graffis *loc.citat.* Vazquez *numer.182. citato & dub.4. num.192.* Couarru. *3. variar. cap.13. in fine.* Bonac. *quæſt.2. cit.punct.2.numer.2.* & approbat Pellizarius *loc. cit. numer.134.*

QVÆSTIO XXXV.

An, etiam excuſentur à mortali dicti Canonici, & Præbendati, &c. qui abſunt, ſine cauſa, à Choro, tempore vnius integræ Horæ Canonicæ?

REſpondeo, Quod etiam excuſentur, dummodo illam amittant, cum onere amittendi partem diſtributionum, & priuatim eam recitent. Sic Suarez *cap.13. cit. numer.8.* licet timide. Palao *numer.4. cit.fine.* dicens, oppoſitum eſſe nimis durum.

QVÆSTIO XXXVI

An, Canonici Beneficiati, qui nihil in Choro dicunt, ſed ad omnia attendunt ſolùm; ſatisfaciant ſuæ obligationi?

REſpondeo, vt certum: Per ſe loquendo, & ex vi iuris Canonici, non ſatisfacere Eccleſiæ ſeruitio, ac proinde nec ſuæ obligationi. *Primo.* Quia dicti Canonici, tunc non dicerentur recitare in Choro, aut orare vocaliter, ad quod obligatos ſub mortali, eſſe, conſtat ex ſupra dictis. *Secundo.* Quia (vt conſtat ex Trudent. *ſeſſ.24. cap.12.*) Canonici inſtituti ſunt, non ſolùm, vt aſſiſtant Choro, ſed vt canendo aſſiſtant, & ob hoc ſibi dantur diſtributiones: ergo. Sic abſolute & per ſe loquendo, tenent communiter DD. Suarez, Leſſius, Bonac. Tuſcus, & Garçia, quos ſequitur Palao *diſp.3. punct.4. num.4.* Soto, Nauarro, Torre Lopez, & Rodrig. quos amplectitur Cruz *in Sum. in 3. præcep. artic.3. de Orat. dub.7. concl.5.* Tamburin. *libro 2. in Decalog. cap.5. §.4. numer.17.* & alij.

QVÆSTIO XXXVII.

An ſaltem ſatisfaciant dicti Canonici Beneficiati præcepto recitandi, ſi partem ſuam, ſubmiſſa voce ita proferant, vt audiri à Choro non poſsit?

NEgatiuam ſententiam tenuiſſe Caiet. diximus *p.2. tractat.6. diſputat.13. quæſtio.16.*

Sed nunc, contra iterum æque probabiliter, imò & probabilius, Reſpondeo. Satisfacere. Quia verè ponunt quod debent, quoad præceptum recitandi. Sic Tabiena, Aragon. Rodriguez, Suarez, S. Fauſtus, Bonac. Marchinus, & alij *loco citato*, citati. Quibus nouiſſimè addo Tamburinum *lib.2. in Decalog. cap.5. §.4. num.5.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An item satisfaciant seruitio Chori dicti Canonici, si ita submissa voce canant, aut suam recitent partem, quod ab altero Choro audiri nequeat?

AFfirmant, non solùm præcepto (vt diximus) recitandi; sed etiam seruitio Chori, satisfacere, & ideo posse licitè distributiones accipere, nonnulli graues Doctores. Quia, inquiunt, Sacri Canones, & Pontificia Decreta solum exigunt præsentiam Canonici in Choro, concedunt enim distributiones quotidianas interessentibus Choro: neque vnquam requirunt cantum, tanquam ad illas recipiendas necessarium: ergo. Ita Sanchez *tom.2. Consil.lib.2. cap.2. dub.100. num.2.* Nico. Garçias, *de Benef.p.3.cap.2.n.512.* Diana *par.4.tract.4.Resol.149.* vbi hanc, vt probabilem valde, sequitur sententiam; quamuis *tom.1.tract.12.de Horis. Resol.7.* contrariam prorsus tenendam affirmet. Tentent etiam hanc opinionem, apud ipsum Dianam. *Resol.7.cit.* Alphons. Madriq. Corduba, & Zequio.

Sed probabilius, Respondeo. Nec satisfacere præcepto Choro assistendi, aut seruitio eius; nec posse consequenter recipere distributiones quotidianas. Quia probabilius est, quod quotidianæ distributiones conceduntur iis, qui Choro inseruiunt: sed qui submissa voce ita canunt, vt non audiatur, Choro non inseruiunt; cum ita se habeant, ac si priuatim diuinas preces recitarent: ergo. Sic Azor. *tom.1.lib.10. capit.11.quæstio.5.* Lessius *lib.2. de Iust. cap.39.dub.33.num.184.* Reginald. *lib 28. num.175.* Ludouic. de Beja *1.p.casu 55.* Paulus Squillantes *de obligat. Clericor. num.6.* quos omnes citat, & sequitur Philibert. Marchin. *tractat.2. de Ordine par.6. cap.12.diff.7.num.8.* Quibus addi possunt Suarez *to.2. de Relig. lib.4. de Horis capit.12. à numer.8.* & apud ipsum, *num.10.* Nauarr. Bonac. *de Horis disp.1.qu.3. punct.2.§.1.num.17.* Sotus *lib.10.de Iust.quæst.5.art.4.* Graffius *1.p. capit.51.* Macignus, *de Horis capit.66. num.3.* Filliuc. *tract.23.cap.6. quæst.5. num.196.* Pellizar. *tom.1. tract.5. cap.8. sect.2.quæst.6. numer.139.* Tamburin. *num.5. cit.* Palaus *disp.3. punct.4. num.3.* Trullench. *lib.1.cap.7.dubitat.16.numer.8.& dub.31. numero 8.*

QVÆSTIO XXXIX.

An saltem supra dicti Canonici, seu præbendati submissa voce suam partem recitantes; recipere possint mediam partem distributionum, si attendant ad partem, quam canit alius Chorus?

AFfirmant multi; quia dimidiatè suum Officium exequuntur; quatenus ad partem, quam alius Chorus recitat, attendunt: ergo accipere debent dimidium stipendium. Ita Suarez *lib.4.cit.c.12. num.18.* Petr. Nauarra *lib.1. de Restit. cap.2. n.222.* Cenedo *Collectan.15. ad 6. num.6.* Filliuc. *cap.6. cit. quæst.5. num.196.* Carol. Macignus, *de Horis cap.68. num.3.* Pellizarius *cap.8. cit. sect.2.quæst.6. num.140.* vbi citat Bonacinam *punct.2. cit. §. 1. numer.17.* sed malè, cum hic Author, oppositum colligat ex Bulla quadam Pij V.

Sed probabilius, Respondeo. Nec dimidiam partem distributionum posse recipere. Quia Pius V. Bulla 135. vt refertur *in Bullario tom.2.* expresè prohibet dari distributiones interessenti, & non recitanti Officium publicè, & itavt fideles ad deuotionem excitare possit: atqui submisse recitat, licèt ad aliam partem attendat, non dicitur absolutè recitare publicè in Choro: ergo talis recitatio non est digna vlla distributione. Sic Palaus *disp.3. cit. punct.4.n.5.* & Tamburin. *lib.2. in Decalog. cap.5.§.4. numer.16.* Bonac. *loc. cit.* vnde hic male citatur pro opposito etiam ab aliis duobus Authoribus.

QVÆSTIO XL.

An, Canonicus qui partem suam canit; sed percipere non potest partem; quam alius Chorus canit; possit tunc distributiones ingras percipere?

AFfirmant quidam posse tunc distributiones integras percipere, dummodo postea priuatim suppleat, quæ non percipit: alias non. Sic Pellizar. *quæst.5. num.142.* Qui vtramque partem sic probat. *Quia videlicet, ex vna parte in proposito casu, per Beneficiarium non stat, quominus percipiat, & cum aliis communicet in recitatione: ex alia parte, is non potest dici recitare partem, quam non percipit: vtpote quam sola auditione suam facere potest: cum tamen attenta supra dicta Constitutione Pij V. non recitans Diuinum Officium, hoc ipso priuetur omnibus distributionibus, quantumuis Choro interfit; ergo.* Ita ille. Et antea Palaus *disp.3. punct.4. num.6.* Qui & citat Nauarrum *de Orat. cap.11. num.41.* Monetam *de Distribut.2.p. quæst.2. num.47.* Suarium *lib.4. cap.30. numer.15.* & Bonacinam *disp.1.quæst.3. punct.2. §.1. num.20.* Sed ex iis male pro hac parte citatur Nauar. saltim quoad locum: quia ibi, de hac quæstione nil agit. Item male Suarez; quia nec hic de hac quæst. *ibi* agit. Et oppositum docet, loquendo de cæco, (non de Surdo, vt ait Bonacina) *cap.28. num.15.* vt notauit ipse & nos *2.p.tract.6. disp.13. quæst.15* licèt, vt verum fatear, vtramque sententiam iuuet.

Sed probabilius, Respondeo: Posse in dicto casu distributiones integras percipere; etiamsi postea priuatim non suppleat, quæ non percipit. Quia probabilius est, dictum Canonicum satisfacere tunc præcepto recitandi, & Choro seruiendi. Nam verè Choro assistit, & communicat suam partem aliis, & per ipsum non stat, quominus alia perciperet. *Quod autem non debeat Canonicus repetere, aut supplere ea, quæ non percepit, colligi potest ex eo quod* (vt ait Suarez) *esset illi magnum onus denuò, post tot onera, quæ habet.* Lege me ipsum *2. p. loc. cit.* & Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.7.* (non 5. vt errore Typographi, leges apud me) *dub.16. numer.9.* Addo nunc ex Pellizario *quod Bulla Pij V. vtpotè odiosa, minimè extendatur ad hunc nostrum casum, in quo Beneficiarius facit, quod in se est; sed potius benigne interpretandum esse, vt extendatur solùm ad casum, in quo Canonicus omittat omnino recitare.* Sic ille. Qui antea *sect.1. quæst.16. numer.39.* citauerat pro nostra sententia Suarium, & dicit esse probabilem & merito, nam præter citatos Authores illam nouissimè docent Diana *par.7.tract.11. Resol.6.* & Pascalig. *in decis. moralib. decis.407.* vbi loquendo de Surdo id late docet, & probat hac ratione, *num.6. Qui dum surdus assistit, & cantat ex vna parte; facit suos versiculos, qui cantantur ex altera parte. Non enim, vt faciat suos, requiritur, quod illos audiat; sed sufficit, si*

quod ab altera parte recitatur, sit moraliter etiam Oratio ipsius; hoc autem habetur, per id quod assistat, & canat ex vna parte: quia per hoc communicat cum aliis in Choro, vnde absolute est de Choro. Quia autem quidquid in Choro recitatur est oratio totius Chori, ideo quod ab alia parte recitatur est Oratio ipsius quoque, etiamsi illam auditu non percipiat &c. Imo (prosequitur *num.7.*) *moraliter dici potest, quod percipiat, quod cantatur ab altera parte Chori: nam partes Chori ita sibi inuicem communicant quod cantant, vt communicatio non fiat singulis seorsim alterius partis, sed coniunctim toti parti: & proinde eo ipso, quod altera pars physice percipit, censentur singuli illius partis percipere. Quia quod est totius Communitatis, est etiam singulorum, qui sunt in illa.* Hucvsque, & doctè, Pasqualigus. Ex cuius doctrina solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ.

Rursus tenebunt & à fortiori, nostram, Caramuel *in Reg. D. Bened. disp.* 108. *numer.* 1383. *concl.* 5. & Syluius apud ipsum, 2.2. *quæstion.* 82. *art.* 13. *concl.* 5. qui asserunt, recitantem minime teneri audire partem Socij, aut Chori, sed solum suos versus correctè legere, & non incipere antequam altera pars desierit. Quia nullum est (inquiunt) præceptum de auscultatione: ergo nulla obligatio. Ita illi. Quorum sententiam refert Diana *p.7. loc.cit.* Et illam merito reiicit.

QVÆSTIO XLI.

An, Quando totus Chorus canit aliquem Psalmum alternatim cum Organo, aliove instrumento musico, sit opus, vt versus qui Organo pulsantur, alta voce ab aliquo proferantur, vel à singulis submissa voce dicantur?

NEgat esse opus, Sanchez citatus à nobis 2. *p. tract.6. disp.* 13. *quæst.* 17. Quia, existimat, quod sonus ille instrumentorum accipiatur ab Ecclesia, loco vocis, & pro parte diuini Officij. Ita Sanchez, cuius opinionem dicit Trullench esse valde probabilem.

Sed iterum, vt longe probabilius, & mihi vt certum Respondeo: opus esse versus illos, qui ab Organo pulsantur, supplere, vel alta voce, ab aliquo, vel à singulis submissa voce. Quia alias, cum Organum verba non proferat, diuinum Officium integrè non diceretur. Sic Nauar. Soto, Suarez, Bonacina. Villalob. Trullench, Palaus, Reginald. & alij citati à nobis, *vbi supra.* Quibus addo Pellizarium *tom.1. tract.5. cap.8. sect.1. q.17. n.41.* Tamburin. *lib.2. in Decal. c.5. §.4. num.14.*

Lege meipsum 2. *p. quæst.17. citata*, vbi ex Nauarro diximus esse valde probabilem sententiam Thomæ Sanchez, si intelligatur de pulsante Organo.

QVÆSTIO XLII.

An, casu, quo Canonicam aliquam Horam ipsi Musici musico cantu, canant; tunc sufficiat ad satisfaciendum præcepto recitandi, & seruiendi Choro, assistentia personalis, etsi non attendatur ad ea, quæ canuntur?

AFfirmant aliqui DD. vt fatetur Pellizar. *tom.1. tract.5. cap.8. sect.1. quæst.17. num.42.* his verbis: *Addo, non videri aliquibus Recentioribus improbabile, quod dum musico cantu, Officium canitur in Choro, deputati ad seruitium Chori solum tenentur assistere, non autem recitare; adeoque satisfaciunt personaliter assistendo, absque eo quod attendant, ad ea, quæ canuntur: modo assistentia sit talis, vt adstantes iudicent, illos assistere Orationi: ad quod sufficit eos assistere in loco designato, habitu, & forma ad id destinatis, sicque stent, quando standum est, sedeant quando sedendum est, & caput tegant, aut detegant, quando tegendum, aut detegendum est.* Ita ille.

Et ex illo Tamburinus *lib.2. in Decal. cap.5. §.4. num.14.* ita dicens: *Quod si totam Horam Canonicam ipsi Musici canerent, vt fieri in solemnioribus festis consueuit, aliquibus probabile est, satisfieri à Præbendatis, & Religiosis suæ obligationi, si solum externa deuotione ibi assistant, non notabiliter confabulando, vel legendo &c. etiamsi interne non attendant. Ratio potest esse: quia in iis circunstantiis, nihil aliud requirit ab iis Ecclesia, nisi modestè assistere: secus magnum onus esset, illos Præbendatos, seu Religiosos, vel debere eam domi repetere, vel debere tam longum tempus, quo per voces musicas, ea Hora Canonica canitur, internam attentionem adhibere.* Ita ille. Et eodem modo antea loquuti sunt Lessius *lib.2. de Iust. cap.34. dub.33. num.185.* Bonac. *disp.2.* (non 1. vt legi apud Palaum) *quæst.1. punct.3. num.4.* Trullench *lib.1. in Decal. cap.31. fine*, qui & citat Petr. Nauarrum *de Restit. lib.4. cap.2. nu.105.* & Barbos. *de Canonicis, & Dignitatib. c.34. num.14.* Ita etiam Palaus *disp.3. pun.3. n.2.*

Sed ego distinctius, & probabilius Respondeo *Primò.* In casu nostræ quæstionis, vere satisfaciunt seruitio Chori Canonici, & Præbendati cum sola assistentia personali (modo sit modesta, vti explicat Pellizarius) & ideo licite possunt distributiones percipere. Quia in dicto casu, nil amplius petit Ecclesia. Sic praxis illius. Et omnes.

Respondeo, *Secundò.* Probabilius iudico, quod dicti Canonici, seu Præbendati, minime satisfaciant præcepto dicendi Horas, cum sola assistentia Chori; sed necessum sit, vel quod ipsi (submissa voce) singulariter recitent, ibi; aut postea, aut antea domi. Ratio est, Quia in dicto casu Canonici non recitant, neque ex parte, Horam, quam Musici canunt; sed solùm audiunt illam: atqui præceptum non est de auditione, sed de recitatione: ergo. Sic colligitur ex dictis supra *quæst.36. 39. & 40.* Et credo sic tenere Pellizarium & Tamburinum; cum solum dicant, oppositum aliquibus non videri improbabile.

QVÆSTIO XLIII.

An, vbi viget consuetudo, vt Canonici solùm præsentes adsint Choro, nec canunt nisi per Mansionarios, Capellanos, aut substitutos; possint licite distributiones recipere?

NEgant aliqui, eo quod putent, id minime posse consuetudine introduci. Quia est, (inquiunt) contraria iuri naturali; & ideo nec iure fieri potest, vt quod datur, ob aliquam causam, sibi quis lucrifaciat, ea causa non secuta. Ita aliqui, quos, suppressis nominibus, refert Azor. 1. *p. lib.10. cap.11. q.6.* & esse probabile innuit Garzia, mox citandus.

Sed longe probabilius, imo ex praxi, vt certum, Respondeo: Posse tales distributiones recipere, ac retinere, vbi viget talis consuetudo, vt certe viget in omnibus fere Hispaniæ Ecclesiis Cathedralibus. Ratio est: Quia obligatio canendi Canonici, aut

Præbendati

Præbendati per se ipsos, est de iure positiuo ; atqui hoc potest derogari per legitimam consuetudinem, iuxta cap. fin. *de Consuetud.* ergo. Sic optime, & latè, Suarez *lib.* 4. *de Horis cap.* 12. *à num.* 11. Azor. *loc. cit.* Lessius *lib.* 2. *de Iust. cap.* 34. *dub.* 33. *numer.* 184. Petr. Nauarra *lib.* 2. *de Restit. cap.* 2. *numer.* 114. Garzia, *de benefic.* 3. *p. cap.* 2. *num.* 517. *& seqq.* quamuis *num.* 523. dicat, id habere difficultatem in sua Ecclesia Abulensi, eo quod *statuto* 16. statuatur, quod Canonici, & Beneficiati adiuuent ad canendum ; & *statuto vltimo* damnatur, & reprobatur omnis vsus, & consuetudo contra statuta, in illo libro contenta, recopilata *anno* 1513. itavt non valeat, nec possit introduci, Bonac. *disp.* 1. *de Horis quæst.* 3. *punct.* 2. §. 1. *n.* 18. & penes ipsum, Nauarr. *de Orat. cap.* 22. *numer.* 101. Macignus, *cap.* 66. *num.* 4. Filliuc. *num.* 197. Molfesius *cap.* 2. *num.* 25. Moneta, Pesantius, & Naldus. Sic etiam Palaus *tom.* 2. *disp.* 3. *de Orat. punct.* 3. *numer.* 5. Trullench *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 7. *dub.* 31. *in fine.* Tamburin. *lib.* 2. *in Decal cap.* 5. §. 4. *num.* 18. vbi postquam absolute dixerat, non satisfacere Choro illum, qui nihil in Choro dicit ; ait : *Excipe item eos Canonicos, seu Beneficiatos, quibus vel ex consuetudine, vel ex priuilegio conceditur solum interesse Choro; aliis Clericis Chori omnes partes persoluentibus : iis enim modeste attendentibus, neque confabulantibus, non puto, siue Pium V. siue Tridentinum, suum acquisitum ius, vel priuilegium ademisse.* Sic ille.

Qvæstio XLV.

An, Canonici possint recipere distributiones, si per alium assistant Choro ?

Respondeo vt certum : Non posse : Quia assistentia Chori, ad lucrandas distributiones, sufficiens, debet esse personalis ; vt habetur *in cap. vnico, de Cler. non resident. in* 6. & Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* vbi cauetur, vt omnes compellantur, diuina, per se, & non per substitutos obire Officia. Sic communiter omnes. Legantur Bonacina *de Horis disp.* 2. *q.* 1. *pun.* 4. Palaus *disp.* 3. *pun.* 3. *in fine.* Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 3. *quæst.* 15. *num.* 172. & alij mox referendi,

Qvæstio XLV.

An, saltem consuetudine induci possit, vt quis per alium Choro inseruiat, & sic distributiones lucretur ?

Respondeo vt certum : Posse. *Primò.* Quia regulariter loquendo, per consuetudinem induci potest, quod potest per priuilegium : sed per priuilegium summi Pontificis concedi potest, vt vnus per alium Choro inseruiat : ergo. *Secundò.* Quia sic in aliquibus Ecclesiis vsu receptum est, vt fatetur Bonacina *infrà.* Sic ille, *de Horis disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 5. *& quæst.* 5. *punct.* 6. *num.* 17. & penes illum, Rota Romana in vna Zamorensi, Canonicatus de Toro 18. *Maij* 1598. Azorius *lib.* 10. *cap.* 11. *quæst.* 6. Macignus, *de Horis cap.* 67. *num.* 8. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de de Restit. cap.* 2. *num.* 217. Lessius *lib.* 2. *de Iust. cap.* 34. *dubitatio.* 33. *numer.* 185. Layman, Moneta, & Boerius. Quibus addi possunt Palaus, & Pellizar. *loco citato.* Qui idem omnino docent, loquendo de statuto, aut priuilegio, per hæc enim rectè fit, vt quis per alium Choro assistat, & lucretur stipendia, vt videre est in Coadiutoriis, quæ quotidiè conceduntur, vt per alios Choro seruiant.

Qvæstio XLVI.

An, Canonicus, seu Beneficiatus, qui dum diuinum Officium in Choro recitat, maxime à somno impetitur, itavt eo oppressus, nec ad verba attendat ; satisfaciat præcepto recitandi, & Choro inseruiendi ?

Respondeo circa primum, *Primò,* Non satisfacere præcepto recitandi, & sic obligari ad priuatam, & iteratam recitationem. Ratio est : quia huiusmodi sic recitans, nec deuote, nec attente, imo, nec per actionem humanam, & liberam, Officium persoluit. Sic Nauar. Sanchez, Rodrig. Philibert. & Trullench citati à nobis 2. *p. tra.* 6. *disp.* 13. *quæst.* 14. Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 5. §. 4. *num.* 19. *&* 20. lege me ipsum *loc. cit.*

Respondeo circa secundum, *Secundò.* Probabile. est omnino, quod dictus Canonicus satisfaciat seruitio Chori ; & sic possit consequenter recipere distributiones quotidianas illius Officij sic imperfecte recitati. Ratio est : Quia, (ait Tamburinus) *ad distributiones acquirendas, sufficit assistentia, quantam, sine culpa, potest quis afferre. Certe omnes docemus distributiones acquiri à legitime impedito, v. g. ab infirmo, qui Choro non assistat : at quod magis legitimum impedimentum, quam somnus ille pertinax, qui euinci moraliter non possit, quique si actuali infirmitati comparetur, non erit error ? Recitare autem postea ad finem acquirendi distributiones, eumdem frustra obligarem, si quidem hæ per Horas in Choro recitatas acquiruntur, non per recitatas extra Chorum.* Sic ille, *loc. cit. num.* 21. Et bene. Secus esset dicendum si omnino dictus Canonicus dormiret, nec somno quidquam resisteret ; sed potius ei acquiesceret.

Qvæstio XLVII.

An, Canonici confabulantes ; aut scribentes in Choro, aut exercentes similes actiones attentioni externæ repugnantes ; possint lucrari distributiones quotidianas, ac retinere ?

Affirmat Nicolaus Garçia, *de Benefic. part.* 3. *cap.* 2. *numer.* 514. per hæc verba : *Dico secundo nihilominus, ad lucrandos fructus, & distributiones, sufficere solam assistentiam in Choro, etiamsi non cantent, nec sint attenti, sed cum aliis loquantur, quamuis in hoc male faciant,* cap. *Dolentes, & Clemen.* 1. *de vita & honest. Clericor.* etsi excessus fuerit notabilis, peccent mortaliter. cap. *licet* 32. *de Præbend.* ibi : *Quæ tantum residentibus in Ecclesiis, & his, qui interfunt Horis Canonicis exhibentur.* Et cap. 11. *de Cleric. non resident. in* 6. ibi : *Qui eisdem Officiis in ipsis Ecclesiis abfuerint.* Abbas in cap. *Cum olim, num.* 6. *de re iudic.* qui ait, *quod distributiones dantur respectu interesse diuinorum, non præcisè respectu cantus, vel alterius Obsequij,* vt in d. *capit.* 11. Barthol. Medina *in sum. lib.* 1. *cap.* 14. §. 11. & Zechus, *suprà* ; & videtur Toletus *in sum. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 6. Et ita videtur esse consuetudo, & praxis Ecclesiarum. Ita Garçia. Cuius sententiam amplectitur Sanchez *tom.* 2. *consil. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 100. *n.* 2. & vt probabilem sequitur Diana *par.* 4. *tract.* 4. *Resol.* 149. licet antea 2. *p. tract.* 12. *Resol.* 7.

oppositam

oppositam prorsus esse tenendam affirmet. Citat etiam Pellizarius pro hac sententia, Suarium *lib.4. de Horis cap.14. num.12.* & Castrum Palaum *disp.3. punct.4. numer.2.* sed male, vt *infrà*. Tenet tamen illam, vt probabilem, Tamburin. *lib.2.cap.5.§.4.n.22.* quia (inquit) vere iste suo muneri non deficit assistendi in Choro; esto peccet contra Religionem, obligeturque, quod omisit, recitare priuatim.

Sed probabilius Respondeo: Nec posse licite lucrari distributiones quotidianas; nec retinere illas. Sic Castro Palao (*loco cit.* à Pellizario pro parte contraria) his verbis: *Probabilius censeo, hunc Canonicum corporaliter assistentem, neque diuinis Officiis attendentem; sed voluntarie distractum, maxime scribendo, confabulando, vel dormiendo nullo modo distributiones lucrari. Ratio est; quia distributiones conceduntur, ob præsentiam, & assistentiam humanam, & honorariam, cedentem in Dei cultum, & authoritatem diuinorum Officiorum: at, qui voluntarie distractus est, itavt ad Officia diuina nequaquam attendat, nullatenus dici potest ipsis moraliter & humano modo præsens*, ex l. *coram Titio, ff. de verb. signific.* ergo. Hcvsque Palaus. Qui & citat Suarium *cap.12. cit. num.9. & 10.* (*adde tu*) *& 20.* necnon Azorium, Petr. Ledesm. Lopezium, Vegam, Rodriguez Raphael. de la Torr, Bonacin. & Barbosam. Quibus, addit Garcia, *loc. cit. num.515.* Sandoualem, Ioannem Andr. Dominicum, Imolam, Nauarrum, Sotum, Bejam, Graffium, Summ. Coronam, Conradum, Petr. Nauarram, & Aragonium. Et ego addo Trullench *lib.1. in Decal. cap.7. dub.16. sub num.8.* qui & citat Dianam *2.p. tract.12. Resol.7. cit.* Pellizarium *tom.1. tract.5. cap.8. sect.3. quæstion.5. num.138.* vbi contra Garciam dicentem, in contrarium esse consuetudinem, & praxim Ecclesiarum; ait talem consuetudinem non adesse in Italia, vbi Beneficiarij non sunt ita parum timorati, vt in Choro non seruent saltem attentionem exteriorem, communiter loquendo. Credo ego Pellizario; quia hisce meis oculis vidi. Sed Obsecro, vt mihi credat, quod non minori modestia adsint Choro in Hispania, Canonici, & Beneficiati; quia certe non sunt ita indeuoti, vt non seruent saltem attentionem externam. Vide egomet in Hispania hanc esse praxim Ecclesiarum, præcipue, Toletanæ, Complutensis, Salmantinæ, & aliarum. Excessit ergo Garcia. Lege supra *quæst.38.* vbi plures adhuc Authores inuenies. Quibus addo Candidum *disquis.18. art.26. dub.1.* & Acacium March. *tom.2. V. Horas Canonicas Resol.61. numer.7.* Reginald. *tom.2. lib.18. c.12. n.175.*

Qvæstio XLVIII.

An deferentes thus, aut transferentes libros ex vna in aliam partem; teneantur recitare partem, quæ tunc temporis à Choro dissoluitur, ad satisfaciendum obligationi Officij, & assistentiæ Chori?

Affirmant teneri recitare talem partem ad satisfaciendum obligationi diuini Officij; non verò ad satisfaciendum Obligationi Chori; nonnulli Doctores, inter quos est Palaus *disp.3. punct.4. numer.7. vers. secundo infero.* vbi ait, quod *debeant prædicti ministri ad satisfaciendum obligationi, & assistentiæ in Choro, priuatim postea recitare, si ab illa munera* (inquit) *à recitatione tuæ partis, & ab attentione alterius impediaris.* Ita ille citans pro se Vazquium *de Benef. cap.4.§.1. dub.6. num.111.* & Bonacinam *disp.1. de Horis quæst.3. punct.2. num.13.* Sed non ita bene. Nam Bonacina, non docet id absolute; sed sub distinctione, dicendo, satisfacere quidem obligationi assistentiæ, & obligationi Chori; non tamen obligationi diuini Officij, nisi illud postea priuatim recitent; vel saltem, nisi attendant ad ea, quæ interim recitantur. Ratio (inquit) est: quia non dicitur recitare diuinum Officium, qui verba diuini Officij non profert, vel ad illa non attendi, *l. Coram Titio, ff. de verb. signific.* Hæc Bonacina qui citat pro se Nauarrum *capit.1. de Orat. numer.37.* Monetam *de Distribut.2.p. quæstion.2. numer.4.* Naldum V. *Diuinum Officium. nnmer.14.* Sà, *V. Horæ Canon. numer.8.* Vazquium *art.5. dub.6. num.111.* Filliuc. *cap.6. qu.3. num.191.* & Suarium *c.14. n.13.* Sed an bene omnes hos Authores citet, postea videbis.

Sed ego valde probabiliter Respondeo: Non teneri prædictos seruientes recitare; imo nec audire partem Officij, quæ tunc temporis à Choro dissoluitur, ad satisfaciendum vtrique obligationi, tam videlicet, Officij, quàm assistentiæ: Quia vtrique, inseruiendo Choro, vere satisfaciunt. Sic in primis tenet Sà *loco citato*, à Bonacina, his verbis: *Quod vero quis impeditus in seruiendo Officiis, non potuit in Choro dicere, aut audire, non tenetur supplere.* Sic ille. Et annuit Vazquez, *loco citato*, dum dicit, *Hoc videri verum, saltem quod sufficiat, si tenet memoria illud dicere, quod canitur in Choro submissa voce, aliàs autem non tenetur* (inquit) *præcipue quia in Religionibus forsan hæc est consuetudo.* Sic Vazquez. Nec Nauarr. nec Suarez qui de hac quæstion. agunt *locis* à Bonacina *citatis*, tenent etiam nostram sententiam Diana *tom.1. tract.11. Resol.13.* citans pro opposita sententia Suarium *loco citato, numer.13.* (sed male omnino) Et pro nostra, Laymanium *lib.4. tract.1. capit.5. numero septimo* Molfesium *tract.5. capit.22. numero 21.* Azorium *lib.10. capit.13. quæst.20.* Naldum *vers. Officium Diuinum, numero septimo* Aragonium *2.2. quæst.83. art.12. in fine.* Reginaldum *libro 18. capit.13. numer.188.* Villalob. *tract.24. diff.16. numer.14.* & Ioan. de Cruce *1. p. sum præcep.3. art.3. dubitatio.7. concl.1.* Et quidem Layman id docet *numero sexto cit. ver. simile dubium est*, sed citat Emmanuelem Sà, & Nauarrum *cap.11. numer.37.* pro contraria parte; sed primum, male, vt vidisti: secundum, bene ex parte; nam ex parte clarè nobiscum est, *loco citato, n.36.* & sic absolute pro nostra sententia citatur ab Azorio, *quæstion.20. cit.* Et certe *capit.21. numer.15.* non audet prædictos seruientes propter omissam suppletionem, quam monet, arguere peccati. Rursus id docet Reginald. *num.188. cit.* & etiam *n.160.* vt citat Bonacina. *Vers. septimum documentum.* Villalobos etiam non *num.14. sed 15.* vbi ita ait: *El que por razon del canto del Coro, se ocupò alli en registrar los Psalmos, traer los libros, o incensar, o otras cosas semejantes, que no se pueden hazer antes, està escusado justamente, y no tiene obligacion de suplir lo que dejò de rezar, como dise S. Antonino recebido de todos. Assi lo disen Nauarro y Azor que le siguen.* Sic ille. Idem docet Ioan. de la Cruz *cit. concl.1. in fine*, vbi citat pro se Sà, & Torre. Lege meipsum, *2.p. tract.6. disputatio.13. quæstion.17. & 3.p. tract.2. de Auditione Missa disputatio.1. quæstion.45. & 46.*

Qvæstio

QVÆSTIO XLIX.

An, Canonicus, seu Prabendatus, si, obtento beneficio, fiat cæcus, aut surdus; possit abesse à Choro, & lucrari distributiones quotidianas?

NEgat Sanchez *tom.1. consil.lib.2.cap.2.dubit.90. numer.7.* vbi ait cæcitatem, vel surditatem, non esse sufficientem morbum, vt Canonicus deficiens Choro lucretur distributiones. Quia adesse Choro (ait) non nocet huic morbo, & sua præsentia Chorus authorizatur. Ita ille. Qui & citat Nauarrum *de Orat.cap.19. num.81. & 82.* Et bene. Addo ego Suarium *lib.4. de Horis c.28. nu.18.*qui id docet,non solum de surdo sed de surdo,simul &cæco; quia hi tenentur ad residentiam Chori, ratione beneficij; & illam facile possunt exhibere, sin minus canendo, saltim assistendo, & authorizando Chorum sua præsentia. Trullench etiam *lib.1. in Decal. cap.7.dub.28.sub numero octauo.* Filliuc. & Bonacina apud ipsum. Ita etiam Corro, *de Horis quæstion.5. numer.91.*

Sed alij contra affirmant, posse prædictum cæcum,vel surdum, lucrari distributiones quotidianas, etiamsi absit à Choro. Probant; tum ex *l.1. C. Qui morbo se excusat.lib.10.*vbi qui vtriusque oculi aciem amisit leuamen sentit munerum personalium, eorum,videlicet, quæ corpore sunt implenda: vt *ibid.* Glossa *1.*explicat.Tum etiam,quia (vt testatur Barbosa mox citandus) Sà, Congregatio Concilij *sub die 20. Iulij 1629.* censuit, Canonicum, qui lumen oculorum amisit,& propterea Missas, & diuina Officia celebrare non potest, distributiones quotidianas, & cætera emolumenta lucrari, perinde ac si diuinis interesset. Et antea in eadem Congreg. *sub die 11. Augusti 1618.*fuit resolutum, prouisum de Canonicatu, si capta possessione, lumine orbetur, & non possit promoueri ad Ordinem requisitum, reputari præsentem, quoad fructus, sed non teneri assistere in Choro. Ita omnino Diana *p.5. tract.6. Resol.14.*qui & citat Barbosam de *Canon.cap.24.nu.30.* & Cenedum *in qq.Canon. quæstion.1. numer.13.* Quos omnes citat & sequitur Pellizar. *tom.1.tract.5.cap.8. sect.3. quæstion.6. numer.143.* & Riccius apud Trullench, *libro 1. capit.8. dubitatio.8. sub numero quinto* Menoch Moneta,& Cenedo apud Escobar à Corro, *loco citatis.*

Sed ego probabilius, ac distinctius, Respondeo dicendum *Primò.* Canonicus, qui obtento beneficio fit cæcus, optime, ac licitè potest lucrari distributiones quotidianas, etiamsi absit à Choro. Tum, quia cæcitas sufficiens morbus est ad non interessendum Choro; cum interesse illi nequeat sine labore magno, ac non parua multoties offensione aliorum.Tum etiam: quia Declarationes præfatæ Sac.Congregat.Concilij, cæcos altiori assistentia liberat, vt vidimus. Sic à fortiori Authores secundæ sententiæ.

Respondeo *Secundò.* Canonicus, qui obtento beneficio, fit surdus tenetur adesse Choro, ad lucrandas distributiones. Qui hic sine labore potest, & certe de solis cæcis loquutæ sunt declarationes Cardinalium, vt constat. Sic Authores primæ sententiæ.

QVÆSTIO L.

An Canonici, & Beneficiarij, qui ob morbum grauem corporalem, non valent Choro interesse,lucrentur distributiones?

NEgat Francus cap. *vnico de Cleric. non resident. in 6.§. Qui vero,num.1.* Qui existimat,distributiones non debere infirmis non interessentibus Choro;nisi aliàs id consuetudine obtentum sit,

Sed,vt quid certum, Respondeo lucrari, non solum fructus beneficij, sed etiam distributiones quotidianas, quæ interessentibus conceduntur. Quia sic habetur *in cap.vnico, de Cleric.non resident.in 6.* vbi Bonifac.VIII.tres assignat causas, quæ excusant Beneficiatum à Choro,ob quas, non obstante illius absentia,distributiones acquirat. *Infirmitatem,*videlicet, *iustam,& rationabilem corporis necessitatem; & euidentem Ecclesiæ vtilitatem.* Et ideo sic sentiunt communiter DD. Legantur Couarru.3. *variar.cap.8.num.8.* Gutierrez *lib.1. Canonic.qq.cap.1. num.140.* Vazquez *de Benefic.cap.4.§.3.dub.3.n.224.* Sanchez *to.1.lib.2. consil.cap.2.dub.90.n.2.* Barbosa *p.3.de potest.Episcopi alleg.53.num.166.*Bonac.*disp.2. quæst.5.punct.1. in princip.*Palaus *disp.3.de Orat.punct.9.n.1.* Trullench *lib.1.in Decal.c.8.dub.8.n.1.& 2.*Pellizar.*tom.1.tra.5. cap.8.sect.3.q.7.n.144.*

QVÆSTIO LI.

An, quilibet morbus sufficiat, ad hoc,vt illo laborans, lucretur distributiones, absens à Choro?

REspondeo vt certum, quod non; sed opus est, quod morbus sit grauis, iudicio prudentis viri, seu Medici periti, si res agatur extraiudicialiter, si vero iudicialiter,arbitrio Prælati,seu Iudicis.Sic omnes.Legantur citati, præcipue Bonac. Palaus, Trullench,& Pelizarius.

QVÆSTIO LII.

An, nihilominus, aliquando morbus leuis sufficiat, vt quis, ob illum, absens, acquirat distributiones?

REspondeo sufficere aliquando: nempe quando morbus est leuis,sed ex accessu ad Chorum,probabiliter timet patiens, fore augendum. *Tunc enim* (ait Palaus) *certum est,te excusatum à Choro manere, ac si morbo graui laborares:quia ille morbus leuis, ob periculum incrementi reputatur grauis.*Sic ille *loc.cit.n.2.* Bonac.*n.3.*Pellizar.*n.145.* Trullench *n.2.*

QVÆSTIO LIII.

An, Canonicus, qui sua culpa infirmitatem contraxit, acquirat etiam distributiones?

NEgarunt aliqui Authores, eo quod sua culpa non interest Horis Canonicis. Ita Probus cap. *vnico.de Cleric. non resident. in 6.numer.17. & ibidem* Hostiens.*num.2.*& Rosella *verb.Residentia num.3.* vt refert Sanchez.

Sed

Sed, vt longe multò probabilius, imo vt mihi certum, Respondeo acquirere distributiones quotidianas. Quia hic re ipsa dicitur abesse à Choro, propter infirmitatem; & cum ius non distinguat de infirmo ex propria culpa, vel sine illa, nec nos distinguere debemus: aliter enim via multis scrupulis aperiretur. Sic Garcia, *de Benefic. 3. p. cap. 2. num. 362. & 363.* vbi affert quamdam Declarationem Sac. Congreg. sic dicentem: *Senio confectis, si alias residere soliti sunt, distributiones debentur, ac etiam infirmis ex propria culpa, & peccato cum præcedenti occasione, nimius enim esset rigor &c.* Nauarr. *consil. 13. de celebrat. Missar.* Couarru. *lib. 3. Variar. cap. 13. num. 8. vers. 7.* Barbosa *lib. 3. de iure Vniuerso cap. 17. num. 63.* Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 7. quæst. 11.* & antea remissiue *1. p. lib. 10. cap. 14. quæst. 11.* Bonacina *disputatio. 5. quæst. 5. punct. 1. numer. 7.* & apud ipsum, Macignus, Moneta, Naldus, & Petr. Nauarra, Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 91.* Palaus *disp. 3. punct. 9. §. 1. num. 3.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 8. dub. 8. num. 4.* Pellizarius *tom. 1. tract. 5. capit. 8. sect. 3. quæstion. 7. vers. Illud quidem numer. 145.* Escobar à Corro, *de Horis Canon. quæst. 5. num. 93.*

Qvæstio LIV.

An etiam, acquirat distributiones dictus Canonicus, qui dedita opera in morbum incidit, vt eo impeditus; interesse Choro non posset?

NEgant Moneta *2. p. de Distribut. quæst. 6. nu. 11.* & Couarru. *loc. cit. vers. septimo.* Quia in hoc euentu, culpa fuit præordinata ad casum, & prodesse non debet. Negat etiam Corro, *num. 94.* quatenus ait, probabilius sibi videri, tunc teneri ad restitutionem distributionum.

Sed probabilius Respondeo, Etiam in hoc casu acquirere distributiones. Quia iura non respexerunt intentionem infirmi, sed eius infirmitatem. Sic Bonacina *loc. cit. num. 7.* Qui tamen bene addit, quod in foro externo posset huiusmodi, in pœnam sui delicti; priuari distributionibus. Sic etiam Trullench *loc. cit. n. 4.* Faust. *lib. 3. de Horis, q. 29.*

Qvæstio LV.

An, rursus acquirat distributiones infirmus ille, qui aliàs ante infirmitatem, Choro interesse non consueuerat?

AFfirmat adhuc Petr. Nauarra *lib. 2. de Restitut. cap. 2. dub. 3. num. 238. Quia infirmitas* (inquit) *in illo casu adhuc est causa, vt ea laborans absit à Choro, siquidem ex illa impediretur adesse, etiamsi voluntatem haberet interessendi.* Ita ille. Cuius sententiam esse satis probabilem, ingenue fatetur Palaus *punct. 9 cit. num. 5. vers. Fatcor.*

Sed probabilius longe Respondeo, tunc non acquirere distributiones. Ratio est: quia tunc infirmitas non est causa non interessendi Choro, siquidem illa cessante, adhuc non interesset: atqui *in d. cap. vnico, de Cler. non resi.* solum conceduntur distributiones illis, quibus infirmitas vnica est causa absentiæ, illaque cessante, adessent: ergo. Sic communis. Vazquez *cap. 4. cit. §. 3. num. 225.* Couarru *3. Variar, cap. 13. num. 8.* Azor. *p. 2. lib. 7. cap. 7.* Gutierrez *lib. 1. Canon. qq. cap. 1. num. 138.* Barbosa *3. p. de potest. Episcopi alleg. 53. num. 168.* Bonac. *loc. cit. num. 10.* vbi testatur à Rota sic esse decisum, 2. *Maij*, 1603. Trullench *loc. cit. num. 5.* Macignus *cap. 71. num. 56.* & alij, apud Escobarem à Corro, *quæst. 5. de Horis, num. 99.* Lege meipsum *p. 4. de censur, tract. 2. disp. 9. quæstion. 41.*

Qvæstio LVI.

An, si dictus infirmus, qui ante infirmitatem non consueuerat Choro adesse, mutata in ipsa infirmitate voluntate, efficaciter proponeret residere, si ab infirmitate liberaretur, tunc saltem acquireret distributiones?

NEgat adhuc Macignus, *loc. cit. num. 56.* apud Bonac. *loc. cit. n. 11.* & quidem probabiliter.

Sed probabilius adhuc Respondeo, tunc posse distributiones acquirere. Quia tunc iam infirmitas est vera causa absentiæ; cum per illam iam stet, quod Choro non interfit. Sic Bonac. Quem sequitur Palaus *loc. cit. vers. Adde.* Quamuis (vt notat Bonacina) non facile crederetur infirmo, in foro externo, cum efficax propositum postea assistendi, difficulter probari posset; & contra ipsum, sit præsumptio. Casus enim superueniens interpretationem recipit, secundum statutum præcedentem. cap. *Maiores, de Baptismo, in fine.* Ita etiam Corro, *loc. cit. num. 99. in fine*, dicens id esse citra dubium.

Qvæstio LVII.

An item, distributiones posset recipere, qui habebat consuetudinem Choro interessendi; sed elicito efficaci proposito non interessendi in morbum incidit?

AFfirmat etiam Petr. Nauarra *lib. 2. de Restitut. cap. 2. dubitatio. 3.*

Sed probabilius, & consequenter ad dicta, Respondeo tunc non posse distributiones recipere in foro conscientiæ. Quia tunc non diceretur abesse Choro, ob infirmitatem formaliter; sed ob nolitionem propriam. Verum est quod in foro externo de facto reciperet, eo quod præsumeretur, ob infirmitatem defuisse. Sic Macignus, *c. 71. n. 56.* Bonac. *n. 11. cit. vers. Dices,* Trullench *sub n. 4. cit.*

Qvæstio LVIII.

An ad minus, infirmus, qui dum esset sanus ad aliquas Horas Canonicas ire consueuerat possit illarum distributiones percipere?

AFfirmat, non solum illarum Horarum, sed etiam earum; quibus assistere non solebat, posse distributiones recipere, Petr. Nauarra citatus *q. 55.*

Sed ego iuxta nuper dicta, Respondeo posse recipere distributiones illarum Horarum, ad quas ire consueuerat; non vero aliarum, quibus assistere non solebat. Quia morbus in hac parte præsumitur causa absentiæ, quoad illam distributionum partem, quam infirmus lucratus fuisset. Sic Nauarr. *de Orat. cap. 11. num. 10.* Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 90. numer. 4.* Bonacina *disputatio. 2. de Horis quæstion. 5. punct. 1. numer. 12.* Trullench *libro 1. in Decalog. capit. 8. dubitatio. 8. numer. 5.*

QVÆSTIO LIX.

An, si Canonicus, tempore grauis infirmitatis, in loco beneficij non existat; sit distributionum capax?

NEgant aliqui, moti ex textu in cap. *Cum non deceat, de elect. in 6.* vbi absentibus à loco Ecclesiarum, ob illarum vtilitatem, fructus conceduntur, non distributiones: ergo. Ita Garcia, *de Benef. 3.p.c.2.nu.360. & 364.* apud Palaum, sed apud me, *num.361.& 363.*& antea *359.*& penes ipsum, Dominic. Ripa, Couarru. D.Anton. Ocon.Gutierrez, Zerola,& Zechus,Vazquez *n.225.*

Affirmat contra, apud Escobar, à Corro,Bonac. *punct.1.citato num.6.*docens, esse capacem distributionum, si alioquin interesse Choro consueuerat. Quia vere impeditur infirmitate; etiamsi absens, absque iusta causa esset. Sic refert Corro sententiam Bonacinæ.Sed non bene.Quare,

Probabilius, Respondeo sub distinctione dicendo, quod vere sit distributionum capax, si tempore infirmitatis absens erat à loco beneficij,ex legitima, & iusta causa;secus verò si absque illa.Quia quando abest ex legitima causa à loco beneficij, & ibi infirmatur,tunc infirmitas vera causa iudicatur absentiæ: ergo tunc lucrari debet distributiones; nisi stet in contrarium consuetudo. Quando verò abest ex causa iniusta, tunc non tam ex infirmitate,quam ex malitia censetur abesse,sicut ille, qui absque causa, solitus erat ante infirmitatem abesse: & ideo tunc non fit capax distributionum.Sic Palaus *punct.9.cit. §.1.num.6.*& penes illum,Bonac.*num.6.cit.* Barbosa, & Moneta. Corro etiam *quæst.5. de Horis num.95.* Trullench *dub.8. cit. num.3.* Qui citat Sanchez pro opposito:*lib.2 consil.cap.2.dub.90. numer.4.* Sed non bene. Nam ibi nihil, sed *num.5.* vbi solum loquitur de Canonico,qui absens fuit,non ex iusta causa &c.

QVÆSTIO LX.

An, Qui podagra laborat, excusetur ab assistentia in Choro, & possit lucrari distributiones?

REspondeo vt certum: Excusari, & posse consequenter lucrari distributiones. Quia hic verè abest à Choro, ob infirmitatem, quæ (vt supponimus) accessum ad Ecclesiam impedit. Sic omnes. Barbosa *de Canonic.cap.24.num.31.*& ad Tridentin. *cap.12.num.108. & de iure Eccles.3. p. cap.12. n.58.* Moneta *2.de distribut.quæst.6. num.1.* Bonac. *disp.2. de Horis quæst.5.punct.1. num.12.* Trullench *lib.1. in Decal.cap.8. dub.8.num.6.* Escobar à Corro,*de Horis Canon.quæst.5. sub num.91.* Qui idem dicunt,de illis, qui ad Ecclesiam se conferre non possunt, ob similem morbum, nempe, ob debilitatem crurium,seu tibiarum,&c.

QVÆSTIO LXI.

An etiam senes excusentur ab assistentia Chori, & possint distributiones recipere?

NEgant aliqui apud Azorium, vbi infra, eo quod senectus non sit infirmitas.

Sed vt fere certum Respondeo,Excusari,& posse distributiones recipere;dummodo, sine periculo grauis incommodi ad Chorum accedere nequeant, & dum valerent,Choro interesse consueuissent. Quia senectus ipsa est morbus. Sic communis.Bonac. & Trullench *loc.cit.*Corro *n.103.*Azor.*tom.2.lib.7.c.7.q.12.* Cenedo *quæst.1.num.15.* Menochio,Barbosa,Faustus & alij apud Corrum. Garcia *3.p. de Benef. capit.2. num.362.* vbi decisum esse à Sac. Congreg. Cardin. his verbis, fatetur: *Senio Confectis, si aliàs residere soliti sunt, distributiones debentur &c.* Senio autem confectos, intelligendos esse septuagenarios, mox videbis.

QVÆSTIO LXII.

An, Senes septuagenarij communiter excusentur à Choro, & possint distributiones percipere?

REspondeo excusari communiter loquendo.Quia huiusmodi senes, ratione ætatis grauioris, nequeunt commode assistere Choro. Nam, ob decrescentes corporis vires, tot ærumnis, & doloribus premuntur, vt ipsorum vita dolorum plena iudicetur,iuxta illud Psalmi 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus* (idest, robustioribus) *octuaginta anni, & amplius eorum labor & dolor.*Sic Bonac. *disp.2.quæst.5.punct.2.* & penes ipsum, Menochius, Hoieda, Moneta, & Azor. Palaus *disp.3.punct.9.§.2.num.2. vers. Quarto debentur.*Pellizar.*tom.1. tract.5.cap.8. sect.3.quæst.8.n.147.* Lede Didacum Narbonam *de ætate ad actus humanos requis.anno 70.quæst.1.num.5.6. & quæst.2.num.7.* vbi senio confectos,septuagenarios esse,optime probat,ex Menochio,Accio,& Velasco.

QVÆSTIO LXIII.

An, Canonino absenti, ob aliquam iustam corporalem necessitatem, distributiones quotidianas conferri debeant?

REspondeo vt certum: Conferri debere. Quia hæc est vna ex tribus causis, quæ excusant Canonicum,seu Beneficiatum à Choro, & stante illa, distributiones acquirit,vt habetur cap.*vnico,de Cler. non resident. in 6.* vt vidimus *supra quæst.50.* Et ideo sic docent omnes, solúmque est difficultas in explicando, quando contingat hæc iusta, & rationabilis corporalis necessitas,de quo *in sequentibus.*

QVÆSTIO LXIV.

An, debeantur distributiones Canonico, seu Beneficiato, qui à Choro abest:eo quod ex ipsius assistentia, immineat ei graue damnum vitæ, honoris,vel fortunæ?

REspondeo vt certum: Deberi. Quia re vera, quodcumque graue damnum in quolibet horum bonorum genere, reputatur iusta, ac rationabilis necessitas, Sic omnes DD. sed præcipue Palaus *de Orat. disp.3. punct.9. §.2. num.1. &* Pellizar. *tom.1.tract.5.cap.8.sect.3.q.8.n.146.*

QVÆSTIO LXV.

An, acquirat distributiones ille, qui ex iudicio Medici, domi se continet vel ad sumendam medicinam, qua corpus expurgatur; vel quia eo die sanguine minuendus est?

RESpondeo vt certum: Acquirere. Quia certum est hunc abesse, à Choro, ob iustam, & rationabilem causam. Sic Archidiac. & Francus *in cap. vnico, de Cleric. non residen.* Azor. *tom. 2. lib. 7. c. 7. q. 11.* Graffius 2 *p. decis. lib. 3. c. 15. num. 10.* Moneta *2. p. de Distribut. quæst. 6. n. 8.* Barbosa *3. p. de potest. Episcop. alleg. 53. n. 169.* Macignus, *c. 61. n. 60.* Escobar à Corro *de Horis q. 5. n. 89.* Bonac. *disp. 2. q. 5. punct. 4. n. 4.* Palaus *loc. cit. n. 2.* Pellizar. *num. 147.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 8. dub. 9. num. 2.* & alij, Qui idem dicunt de Valetudinariis, qui iudicio Medici, domo non egrediuntur, ob valetudinis periculum.

QVÆSTIO LXVI.

An etiam debeantur distributiones Canonico, qui ex Consilio Medici, ad balnea, vel ad celebrem aliquem Medicum, vel ad euitandam cœli inclementiam, aliò se confert?

RESpondeo vt certum: Deberi etiam. Quia etiam in iis omnibus casibus, abest à Choro, ob rationabilem, & iustam causam; vt constat. Sic Moneta *num. 10.* Barbo. *n. 169.* Palao *n. 2. vers. Secundo.* Bonac. *num. 4.* Pellizar *n. 147. cit.* Qui idem dicunt, de eo, qui causa recuperandi vires in infirmitate amissas, aliò se transfert.

QVÆSTIO LXVII.

An item, distributiones capere possit, qui, ob cantum nimis defatigatus, aliquantulum se retrahit à Choro, vt spiritus assumet, & recreet?

RESpondeo, Etiam posse capere. Quia etiam abest hic à Choro, ob rationabilem causam. Sic Bonac. *num. 5.* citans Nauarrum *de Orat. cap. 69.* sub finem & Monetam *p. 2. quæst. 5. num. 50.* Sed ex his, male citat Nauarrum *dicto loco*: quia dictus tractatus non continet nisi viginti duo capita. Innuit tamen *cap. 5. n. 21.* Trullench *loc. cit. n. 4.* & Palaus *n. 2. vers. Tertio.* Escobar à Corro, *q. 5. n. 89.*

QVÆSTIO LXVIII.

An deinde, qui abest à Choro, & à loco beneficij, ob timorem pestis grassantis in illo loco; possit recipere distributiones?

NEgat Couarru. *lib. 3. variar. cap. 13. n. 8.* his verbis: *Nono hinc deducitur, quod absens à loco beneficij tempore pestis, licet fructus præcipuos, & principales percipiat, non tamen habebit quotidianas distributiones: nisi consuetudine obtentum sit, eas absenti ex iusta causa dari,* quod in specie respondit Ripa *in d. 2. par. nu. 145.* Ita ille. Quem citat, & sequitur Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 92. n. 2.* Et ratio eius est, quia nullus, inquit, textus est id probans. Ita etiam Barbosa *lib. 3 de iure vniuerso cap. 17. num. 67. & de Canonic. c. 24. n. 40. & 41.*

Sed probabilius Respondeo, Posse tunc distributiones recipere. Quia vere censetur abesse ob rationabilem corporis necessitatem: ergo *ex cap. vnico,* sæpe citato, recipere potest distributiones quotidianas. Ecce textus, quem inuenit Sanchez. Sic communis. Bonac. *loc. cit. num. 9.* Trullench *n. 4.* Qui idem dicunt de illo, qui cum velit ad Vrbem redire, & ad Chorum accedere, metu pestis, aut alterius morbi, quo cæteros infecturos timetur, tanquam morbo infectus repellitur, & abesse cogitur. Moneta *q. 6. n. 11.* Palaus *punct. 9. §. 2. num. 2. vers. Quinto.* Menochius *lib. 2. casu 153. n. 11.* Pellizar. *tract. 5. disp. 8. sect. 3. q. 8. num. 147.* Escobar à Corro, *q. 5. de Horis n. 86.* vbi citat pro se, Couuarrub. Sanchez, Barbosam (sed omnino male hos tres) Faustum *lib. 3. de Horis qu. 35.* & alios à nobis citatos. Qui & limitant hanc responsionem, vt non procedat de illo, qui curam habet animarum, vt Parochus; quia hic nec ob pestem, nec ob aliam contagiosam infirmitatem, potest deserere suum gregem: & ideo non habet iustam causam absentiæ. Quod verum est, casu, quo non sit alius, qui in eius locum substituatur, vt limitant Palaus, & Trullench. Legatur Barbosa *de Officio Parochi c. 17. à num. 12.*

QVÆSTIO LXIX.

An, si Canonicus vi detineatur, aut aliquo alio modo impediatur, quo minus ad Ecclesiam suam, se conferat; tunc distributiones acquirat?

RESpondeo, Ex nuper dictis. Quod sic, si vim, quã illi faciunt, vincere nequaquam possit. Quia tunc vere habet iustam, & rationabilem causam absentiæ. Nam sicut corporalis infirmitas est sufficiens causa acquirendi stipendia; quia reddit infirmum impotentem ad assistendum: ita quodcumque impedimentum alicui impositum, quod facile excutere non potest, est sufficiens causa absentiæ. Sic Azor. *tom. 2. lib. 7.* (non 5. vt leges apud Trullench, & Palaum) *c. 7. qu. 10.* Bonac. & Trullench, *vbi supra,* Palaus *loco cit. n. 2. vers. septimo.* Qui & citat Monetam, *2. p. de distribut. q. 5. n. 55.* Vazquez *de Benefic. c. 4 §. 3. dub. 3. n. 226.* & Couarrub. *3. variar. c. 13. n. 8.* Sed hunc male; quia oppositum omnino sentit, nisi vbi consuetudo definiuit; quod absentibus ex iusta causa dentur quotidianæ distributiones. Audi eius verba. *Decimo, eadem ratione verus intellectus constat, ad id, quod scribit Calderin.* Cons. 17. tit. de Præbend. *asseuerans, quod Canonicus expulsus à Ciuitate, propter seditiones, absq; eius culpa à contrariæ factionis hominibus, percipere debet distributiones quotidianas, quem sequuti sunt Felin.* in dicto cap. Cum omnes, n. 22. *& Philippus Probus* in d. cap. vnico, n. 22. *Etenim hoc verum est, vbi consuetudo definiuit, quod absentibus ex iusta causa dentur quotidianæ distributiones.* Sic ille. Et ex illo Sanchez *dubit. 92. cit. num. 5.*

QVÆSTIO LXX.

An, possit recipere distributiones Canonicus, qui iniuste in carcerem coniectus est, & propterea non potest interesse Horis?

RESpondeo vt certum: Posse ex iure, & secluſa omni cõsuetudine, distributiones recipere. Quia, citra suam culpam Choro abest, ab eiusque assistẽtia impeditur, ob corporalẽ necessitatem, seu (quod perinde

inde est, teste Sãchez vbi supra *dub.92.n.1.* cum aliis) ob legitimum impedimentum, ipsi tunc moraliter ineuitabile: ergo ex iure, ac priuilegio Bonifacij VIII. debentur illi distributiones. Sic Nauar. *Consil. 10.& 11. de Cleric. non resident.* Garçia, *de Beneficiis 3. p.c.2.n.362.& 363.* vbi duas affert declarationes Cõgreg. Sacræ. Couarr. *3.variar.c.13.n.8. vers. vndecimo,* Moneta, Macignus, & alij, quos citat, & sequitur Bonac. *de Horis disp.2.q.5.pun.2.n.10.* Palao *disp.3.pun.9.§.2.n.3.* Trullench *lib.1.in Decal.c.8. dub.9. fine & dub.10.n.2.* Pellizar. *to.1.tract.5. c.8.sect.3.q.8. n.148.* Sanchez *lib.2.consil.c.2.dub.92. n.3.* & alij qui idem dicũt, de Canonico, qui iniustè pulsus est in exilium.

Qvæstio LXXI.

An, etiam possit recipere distributiones, si iustè dictus Canonicus in Carcere detinetur?

Respondeo vt certum: Non posse, si iustè detinetur in carcere, ob crimen patratum, & probatũ: quia tunc huiusmodi, sua culpa abesse ab Ecclesia dicitur; nec potest dici abesse, ob corporalem necessitatem; sed ob suam malitiam sic omnes: præcipuè Bonac. *pun.2.cit.§.1. n.1.* Palaus *n.3.* vbi dicit, id esse apud omnes indubitatum. Trullench *dub.10.n.1.* Pellizar. *n.148. cit.* legantur.

Qvæstio LXXII.

An, Canonicus, qui in Carcere detinetur, non ob crimen probatum, sed ob illius suspicionem; possit distributiones capere, si per sententiam iudicis, innocens euaserit?

Respondeo, Posse. Tum quia per ipsum non stetit, quin Choro interesset; sed iniusto carcere, detentus fuit. Tum etiam: quia Sic declarauit Sacra Congreg. Cardinalium, vt refert Garçia, *num.362.cit.* per hæc verba: *Quoad Carceratum, Congregatio censuit, eum non priuari distributionibus, vsque ad primam sententiam: quod si condemnatus appellet, interim non percipiet; sed si in secunda instantia obtinuerit omnia recuperabit, sub die 27. 1570.* Sic Garçia *loc.cit.* Naldus *verb. distributiones num.10.* Bonac. *punct.2.cit.§.1. num.1.* Trullench, *n.2.* & alij penes ipsos.

Qvæstio LXXIII.

An, Canonicus iniuste excommunicatus, & ob hanc causam non assistens Choro, acquirat distributiones?

Respondeo vt certum: Quod sic, si alias, solitus erat assistere diuinis Officiis. Ratio est: quia tunc corporali necessitate impeditur, ne Officiis assistat, timore, scilicet, maioris nocumenti, afficeretur enim grauioribus pœnis, si assisteret. Sic Garçia *p.7. de Benefic. cap.13. à num.116.* Gutierr. *lib.1. can.qq. cap.1.num.135.& 137.* Sà, *verb. Beneficium, numer.48.* Vazquez *de Benef.cap.4.§.3.dub.4.n.230.* Henriquez *lib.13.cap.13.num.4.* Bonac. *disp.2. de Horis quæst.5. punct.2.§.2.num.4. alias 3.* Petr. Nauarra, *lib.2.de Restit.cap.2.num.238.* Barbosa *de potest. Episcop.5.p.alleg.53.num.174.* Palaus *disp.3. punct.9.§.2.n.4.* Trullench *lib.1. in Decal. cap.8. dub.11. num.2.* Pellizar. *tom.1.tract.5.cap.8.sect.3.quæst.8. numer.149.* Corro,

quæst.5.num.61. & alij; ex quibus bene aliqui notant, quod, vt iniuste excommunicatus acquirat distributiones, teneatur, si commode possit, procurare absolutionem: quia aliàs, sua culpa diceretur abesse, non autem necessitate astrictus. Sic ex Nauarro *cap.25. num.124.* Moneta, Garçia, & alij, notat Palaus. Lege meipsum *de Censur. part.4. tract.2. disp.9. quæst.37. & 40.& 41.*

Qvæstio LXXIV.

An etiam iuste excommunicatus, & ob eam causam Choro non assistens, distributiones lucretur?

Affirmant lucrari; casu tamen duntaxat, quo per ipsum excommunicatum non stet, quo minus absoluatur ab excommunicatione iuste contracta; cum sic per ipsum non stet, quod impedimentum tollat, & assistat, Petr. Nauarra *lib.2.de Restitut.cap.2. num.238. & 239.* Sanchez *lib.2.consil.c.2. dub.92. num.4. concl.3.* & dicit probabile, Trullench *cap.11.cit.sub num.1.* & tenent Candidus, & penes illum Nauarrus, Sayrus, Sà, citati à nobis *p.4.tract.2. disp.9.quæst.43.*

Sed probabilius Respondeo, Non lucrari distributiones, quamdiu Diuinis Officiis cum aliis non assistit; etiam casu, quo absolutionem petat, & iuste denegetur. Ratio est. Quia excommunicatus iuste, pro eo tempore priuatur assistentia Chori, & consequenter distributionibus assistentiæ correspondentibus: & ideo sibi, suæque culpæ imputare debet eiusmodi priuationem: quia per ipsum stat, quominus Diuinis assistere nequeat, quamuis per ipsum non stet, quominus impedimentum remouetur. Et hoc verum est, etiamsi absolutio petat, &, non iniuste, denegetur: quia denegatio absolutionis non tollit effectum excommunicationis. Sic Gonzalez *ad regul.8. Glossa 5.§.9.num.123.* Suarez *disp.3. de Censur. notab.2. num.4.& 5.* Garçia *de Benef. part.7. cap.13. num.93.* Bonac. *de Horis disp.2.quæst.5. punct.2.§.2. num.1.* Palaus *numer.4.cit. vers. si vero iuste.* Pellizar. *num.149.cit.* Trullench *loc. cit.num.1.* Lege meipsum *de Censur.p.4.tract.2.disp.9.q.29.37.& 43.*

Qvæstio LXXV.

An, saltem casu, quo iuste excommunicato, iniuste denegetur absolutio, lucretur distributiones, & consequenter possit illas post absolutionem recuperare?

Respondeo tunc lucrari distributiones; ac proinde posse illas post absolutionem recuperare. Quia casu, quo iniuste, & per iniuriam denegetur excommunicato excommunicationis absolutio, tunc vere datur ei actio recuperandi distributiones illius diuturni temporis, quo denegata ei iniuste absolutio fuit, cum iam tanquam iniuste excommunicatus pro illo tempore sit habendus. Sic Suarez, Bonac. Gonzalez, & Palao citati à nobis *part.4. quæst.43. supra citata.* Trullench etiam *num.1. cit.* & à fortiori DD. pro prima sententia quæst. antecedentis.

A quibus autem personis debeant iniuste excommunicati recuperare distributiones, diximus *part.4. tract.2.disp.9.q.45.* ibi vide.

QVÆSTIO LXXVI.

An, si iustè excommunicatus Horis diuinis interſit; poſsit lucrari fructus, & diſtributiones illis correſpondentes?

AFfirmant plures Doctores, eo quod licet in tali aſſiſtentia peccet, & ob peccatum merito debeat fructibus, & diſtributionibus priuari, iuxta *cap. Paſtoralis. §. verum, de Apellat.* ipſo tamen iure non eſt priuatus: quia nullibi conſtat hanc priuationem eſſe impoſitam. Ita Gloſſa *in d. §. verum in verb. ſubtrahuntur* Petr. Nauarra *lib. 1. de reſtitut. cap. 2. n. 243.* Vazquez, *de Benefic. c. 4. §. 3. dub. 4. n. 229.* Auila, *de cenſur. 2. p. c. 6. diſp. 6. dub. 1.* Bonac. *diſp. 2. de excommun. q. 2. pun. 4. §. 2. n. 2. & diſp. 2. de Horis Canon. q. 5. pun. 2. §. 2.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 51. n. 12.* Ægidius Coninch. *diſp. 14. de excommun. dub. 9. n. 80.* Quos omnes ſic citatos ſequitur Palao *tom. 2. tract. de Orat. diſput. 3. punct. 9. §. 2. num. 4. verſ. quod ſi iuſte.* Quibus addi poſſunt, Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 8. ſect. 3. quæſt. 8. num. 150.* & alij plures, quos citauimus *p. 4. de cenſur. tract. 2. diſput. 9. quæſt. 28.* vbi diximus, hanc ſententiam eſſe ſatis probabilem, & in conſcientia tutam.

Sed iterum probabilius Reſpondeo Nec poſſe lucrari fructus, neque diſtributiones; eo quod probabilius exiſtimem, quod dictus iuſte excommunicatus, priuatus ſit ex vi iuris, aut ipſo facto, non expectata iudicis ſententia, fructibus, & diſtributionibus quotidianis: quia ſic habetur *in d. c. Paſtoralis cit. §. verum*, vt communis tenet Canoniſtrarum opinio. Sic Abbas, Innocent Couarr. Vgolin. Moneta, Sayrus Suarez, Alterius, Garcias, Tolet. Hoſtiens. Put. Palud. Sylueſt. Ioan. de Lign. Decius, Armilla, Summa Confeſſor. Mercer. Filliucius Bauny, Cornejo, Baſſeus, Villalob. Reginaldus necnon & Nauarrus, quos omnes citatos habes *par. 4. tractat. 2. diſput. 9. quæſtion. 28. citat.* Et loquendo de excommunicato vitando, nobiſcum ſentit Bonac. *loc. cit. numer. 2.*

QVÆSTIO LXXVII.

An ſaltem, excommunicatus maiori excommunicatione, (de qua loquuti ſumus) acquirat fructus, & diſtributiones, vbi conſuetudo eſt, vt eos non amittat?

REſpondeo vt certum: Acquirere. Quia, cum ius amittendi fructus, & diſtributiones, ſit poſitiuum, non eſt dubium, quin poſſit per contrariam conſuetudinem derogari. Sic Rebuff. & Vgolin. quos ſequitur Suarez, & his, relatis Garcia *de Benefic. cap. 14. num. 128. vbi num. 129.* dicit talem conſuetudinem eſſe in Hiſpania, & in illis ita obſeruari. *Videmus enim* (ait) *frequenter, Clericos habentes beneficia excommunicatos, tam à iure, quàm ab homine, & nunquam viſum eſt, nec auditum, nec intellectum, aliquem reſtituere fructus temporis, quo fuit excommunicatus; nec ab eorum perceptione, & adminiſtratione, ſe abſtinere; nec ad id cogi per ſuperiores. Et ſolum in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ſeu quaſi, eſt in vſu non computare, ſeu numerare Canonicos, & Beneficiatos excommunicatos, quoad diſtributiones, & fructus, quos habent in menſa, ſeu maſſa communi, ſed illos ponere extra calendarium, Hiſpanè*, en diſcuento, *quando excommunicatio, ſeu declaratoria, eſt intimata Punctatoribus, Hiſpanè*, Contadores. *Quod etiam videtur faciendum quando eſſet excommunicatus notorius, ſeu manifeſtus, maximè, ſi eſſet notorius Clerici percuſſor.* Sic ille *numer. 130.* vnde *numer. 131.* colligit, quod ſtante illa conſuetudine, Beneficiatus excommunicatus, non teneatur reſtituere fructus temporis, quo fuit excommunicatus; ſed illos lucrari, nec poſſe illis priuari. Legatur etiam Palaus, *loc. cit. n. 6.* qui ex eodem Garcia aduertit, eſſe dictam conſuetudinem in Hiſpania, in Eccleſiis Catheralibus, & Collegiatis, iuxta quam, non cenſetur (inquit) excommunicatus, fructibus, & diſtributionibus priuatus, quoad vſque hæc notificatio excommunicationis Punctatoribus facta ſit: illa vero notificatione facta, priuatus cenſetur; Corro etiam, *de Horis quæſtion. 5. numero 64.* Qui idem ex Garcia, & Caſtro aduertit.

QVÆSTIO LXXVIII.

An, Canonicus ſeu Beneficiatus, ſuſpenſus à Beneficio; priuatus maneat, non ſolum fructibus beneficij, ſed & diſtributionibus quotidianis?

NEgant Auila, Nauarr. Lopez, Præpoſitus, & ex parte Palaus citati à nobis *p. 4. de cenſur. tract. 4. de ſuſpenſ. diſp. 3. q. 34.*

Sed iterum probabilius Reſpondeo, Manere etiam à diſtributionibus priuatum. Sic Suarez, Alterius, Filliuc. Zabarella, Anchar. Felin. & Vgolin. quos *loco citato* adduximus: vbi fundamentum huius reſponſionis leges.

QVÆSTIO LXXIX.

An ſaltem Canonicus, ſeu Beneficiatus iuſte ſuſpenſus à Beneficio; poſsit licitè percipere fructus eius, & diſtributiones, ſi Horis interſit Canonicis?

AFfirmant Auila, Petr. Nauarra, Tanner. Præpoſitus, Diana, & Palaus adducti à nobis *par. 4. tract. 4. diſp. 3. q. 28.*

Sed probabilius Reſpondeo Non poſſe. Quia probabilius eſt, talem ſuſpenſum, ipſo iure, & facto ipſo, manere his rebus omnibus priuatum. Sic Rebuff. Couarru. & Viuald. *ibidem* citati, & alij adducti, ſi conſequenter ire volunt, *de excommunicat. diſputation. 9. quæſtion. 30. citat. & ſupra quæſt. 76.*

QVÆSTIO LXXX.

An ſaltem iniuſtè ſuſpenſus à Beneficio, vel à diſtributionibus; poſsit illas licite acquirere ſi à Choro abeſſe cogatur?

REſpondeo, vt certum: Poſſe. Quia iniuſta ſuſpenſio, non importat amiſſionem diſtributionum: & merito

merito quidem; quia vbi non est culpa, par est, vt non sit pœna. Sic Nauarr. *to. 1. consil. 11. de Cleric. non resident.* Felin. Sayrus Vgolin. Moneta, & Panormitan. quos citat, & sequitur Bonac. *disp. 2. q. 5. punct. 2. §. 3. n. 1.* Barbosa *3. p. de potest. Epis. alleg. 58. n. 175.* Gutierrez *lib. 1. Can. qq. c. 1. num. 237.* Palaus *disp. 3. de Orat. punct. 9. §. 2. nu. 9.* Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 8. sect. 3. num. 151. vers. Hinc patet.* Trullenc. *lib. 1. in Decal. c. 8. dub. 11. num. 3.* & Corrusa *loc. cit. num. 65.* & alij.

QVÆSTIO LXXXI.

An Beneficiatus iniustè interdictus à Diuinis Officiis, ob quod illis non assistit; priuetur distributionibus?

REspondeo, vt certum: Non priuari: Tum ob rationem nuper dictam. Tum etiam; quia ille, iusta, & rationabili causa omittit assistere, nempe, timore maioris nocumenti, si contempta illa censura iniusta, diuinis interfit. Sic omnes præcipuè citati nuper. Qui secus dicunt de iustè interdicto, hic enim re vera priuatur distributionibus. Quia cum Interdictus priuetur Diuinis Officiis, & distributiones conferantur interessentibus illis, consequenter illis priuatur. Sic omnes Bonac. *punct. 2. cit. §. 4. num. 1. & 2.* Palao *num. 10.* Pellizar. *num. 152.* Trullench. *num. 5.* Corro *num. 67.*

QVÆSTIO LXXXII.

An, Canonici, seu Beneficiati, non solùm quando ipsi sunt specialiter interdicti: verum etiam, quando ipsa Ecclesia specialiter interdicta est, priuentur distributionibus?

REspondeo, Non priuari eodem modo. Quia quando Ecclesia est specialiter interdicta, non stat per Beneficiatum, ne Diuinis interfit; cum in ea Ecclesia celebrare nequeat: quod enim culpa caret, in damnum vocari non debet. *cap. 2. de Constit.* Sic omnes DD. Qui benè id limitant, dummodo talis Beneficiarius interdicto causam non dederit, quia tunc, ob eius culpam priuatur. Legantur Bonac. *loc. cit. num. 5.* Palaus *num. 10. vers. At si Ecclesia.* Pellizar. *num. 152.* Trullench. *num. 6.* Qui secus dicunt, si interdicto generali, Ecclesia est interdicta; tunc enim, si Beneficiatus non dedit causam interdicto, verè priuatur distributionibus, nisi Diuinis Officiis interfit: nam tempore interdicti generalis, celebrari possunt diuina, sicut antea, seruatis conditionibus præscriptis, *in cap. Alma mater. de sent. excommunic. in 6.* ergo si illis non interfit, cum possit, priuabitur distributionibus, astantibus diuinis concessis.

QVÆSTIO LXXXIII.

An, Canonici percipere possint distributiones, tempore cessationis à diuinis, in quo Officia celebrare nequeunt?

AFfirmandum videtur. Quia, vt nuper est habitum, illas possunt percipere, tempore interdicti specialis; eò quod per illos non stet diuinis assistere: ergo pari ratione illas possunt percipere, tempore cessationis.

R. P. Leand. in Decalogum.

Sed omnino, Respondeo. Non posse. Quia sic decreuit Greg. X. *in cap. si Canonici §. scituri.* (non; *sciscitari*, vt leges in Palao.) *De offic. Ordin. in 6.* vbi habetur; quod; qui causam dedit cessationi, debeat restituere Canonicis omne interesse, quod amittunt ex omissa assistentia Diuinis Officiis: at interesse amissum solùm sunt distributiones: ergo. Ex quo iam patet ad rationem dubitandi, dicendum enim, non esse eandem rationem, de cessatione, ac Interdicto: quia in illa datur specialis iuris prohibitio. Sic communis. Couarr. Moneta Sayrus, Suarez, Henriquez, & Ægidius, quos sequitur Bonac. *de Horis disp. 2. q. 5. pun. 2. §. 5.* Palaus *disp. 3. pun. 9. §. 2. n. 11.* Trullenc. *lib. 1. in Decalog. cap. 8. dub. 11. n. 7.* Pellizar. *tom. 1. tract. 5. cap. 8. sect. 3. quæst. 8. numer. 153. vers. Quod autem.* Corro, *de Horis quæst. 5. n. 68.* Barbosa *tract. de Canonic. & dignit. cap. 24. num. 50.* & alij penes ipsos.

QVÆSTIO LXXXIV.

An; Canonici distributiones capiant, eo tempore, quo polluta manet Ecclesia?

REspondeo, vt certum: Quod sic. Quia per ipsos non stat, ne Diuina Officia in Choro, modo consueto, celebrentur. Sic omnes. Moneta 2. *p. de distribut. quæst. 16. num. 29.* Barbosa *cap. 24. cit. n. 48.* Bonacina *punct. 2. cit. §. 6.* Trullench. *num. 8.* Palao *num. 11.* Pellizar. *num. 154.* & alij. In quibus autem casibus Ecclesia polluatur, itavt in ea Officia Diuina celebrari nequeant, habes *par. 5. tract. 5. disputat. 1. quæstio. 2.*

QVÆSTIO LXXXV.

An Beneficiarius, qui fit Irregularis, priuetur distributionibus?

REspondeo, vt certum: Quod non priuetur, si Choro adsit: Quia irregularitas, non impedit Diuini Officij celebrationem; ac proinde, nec assistentiam. Sic omnes Bonac. *punct. 2. cit. §. 7.* Trullench *dub. 12. n. 9.* Corro *q. 5. num. 69.* quamuis satis confusè.

QVÆSTIO LXXXVI.

An, saltem, Beneficiarius, qui ante beneficij collationem, seu obtentionem, contraxit irregularitatem, priuetur distributionibus?

NEgabunt, qui putant collationem beneficij factam irregulari, solùm esse illicitam, & irritandam; non verò irritam de facto, aut ipso iure, ante iudicis sententiam: sunt autem Siluest. Innocent. Felin. Layman, Bauny, Cornejo, Diana, Hurtado, & Palaus, citati à nobis *p. 5. tractat. primo de Irregularit. disputat. 3. quæstio. 12.* Quorum sententiam in foro interno, & loquendo in rigore iuris, diximus esse probabiliorem, & in praxi securam: oppositam tamen tenendam, eo quod in foro externo, sit probabilior, ac securior. Ideo,

Probabilius consequenter Respondeo, Priuari distributionibus quotidianis. Quia si probabilius est, quod non valeat beneficij collatio, vt sentiunt Nauar. Couarru. Auila, Suarez, Sayrus, Bonac. Ric-

cius, Leſſius, Reginald. Sanchez, Ægidius, Luyſius, Ægidius, Villalob. & alij adducti à nobis, *p.5. q.12. cit.* conſequenter erit probabilius, talem beneficiarium, non habere ius ad diſtributiones; vt conſequenter docent, Bonac. *de Horis diſput.2.q.5. punct.2.§.7. num.3.* Trullench *dub. 12. cit. numer.9.* Corro, *quæſt.5.num.69.*

QVÆSTIO LXXXVII.

An, Canonicus, qui per ſententiam Iudicis, beneficio priuatus eſt, adhuc lucretur diſtributiones?

AFfirmant, adhuc lucrari; caſu tamen ſolùm, quo iniuſte expoliatus, ac priuatus beneficio fuerit, apud Corrum *num.17.* quos ipſe ſequitur, Moneta *quæſt.17. num.25.* Barboſa *cap.22. de Canonic. num.15. & cap.24.n.49.* Fauſtus *de Horis lib.3.q.46.* & Caſtro Palao *pun.9 cit.§.2.n.12.*

Negant verò alij, dicentes, minimè lucrari diſtributiones illum, qui per ſententiam Iudicis, etiam iniuſtam, beneficio priuatus eſt, & alteri collatum; quia conſtat iam ius ad illas minimè habere. Ita Bonacina *punct.2.cit §.9 num.5.* & penes ipſum, Innocent. Panormit. Valentia Leſſius, Aragon. & alij. Et Trullench *num.9.cit.*

Sed ego clarius Reſpondeo cum Palao, ſub diſtinctione dicendo, *quod Canonicus, qui beneficio eſt priuatus ſi ita eſt priuatus illo, vt nullo modo illud retineat, ſed alteri collatum ſit; etiam ſi hoc iniuſte factum fuerit, diſtributiones non lucratur: quia non habet fundamentnm ad illarum acquiſitionem. Tenetur tamen, qui iniuſtitiam commiſit omnia damna reparare. Si autem ita priuatus eſt beneficio, vt poſſit illud retinere, quouſque ſententia criminis accedat, vt regulariter in omni priuatione delicto annexa contingit, omnes fructus, & diſtributiones, medio illo tempore contingentes, lucratur, ſi Diuinis aſſiſtat. Cum hoc tamen onere, vt prolata ſententia declaratoria criminis, omnes fructus, & diſtributiones à die commiſſi criminis debeat reſtituere.* Sic Palaus. Qui & citat Bonacinam, & credo hanc eſſe eius mentem, & forte aliorum.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An, Canonicus actualiter, ſeu realiter degradatus; acquirat diſtributiones.

REſpondeo vt certum: quod non. Quia hic priuatur omni beneficio, officio & priuilegio Clericali in perpetuum: ergo & à fructibus, & diſtributionibus ab illis prouenientibus. Sic communis. Henriq. Couarub. & Moneta, quos ſequitur Bonacina *punct.2. cit.* §.8. Trullench *n.9.* Vgolin. Fauſt. & Barboſa, quæ amplectitur Corro, *quæſt.5. n.70.* vbi de Degradato verbaliter agit. De quo idem docent iidem DD. citati & Palaus *loc.cit.num.12. in fine.* lege me ipſum *par.5. tract.4.de degradat. diſput. vnica, q.1. & 2. & q.9. & 10.* vbi agimus, de expenſis aſſignandis degradatis verbaliter.

QVÆSTIO LXXXIX.

An, abſens in vtilitatem euidentem propriæ Eccleſiæ, lucrari diſtributiones poſſit?

REſpondeo vt certum: quod lucrari poſſit, ac ſi præſens eſſet. Quia ſic habetur vt vidimus, *in cap. conſuetudinem de Cler. non reſident. in 6. & cap. vnico ſup. cit.* Et merito: quia non eſt æquum, vt Canonicus, ſeu Beneficiarius, damnum reportet ex ſeruitio, quod præſtat propriæ Eccleſiæ, qua is eſt Cathedralis, vel Collegialis. Quæ reſponſio intelligenda eſt, caſu, quo abſens Choro intereſſe conſueuiſſet, & præciſa conſuetudine in contrarium, poteſt enim induci, vt diſtributiones non conferantur abſentibus etiamſi abſint ex cauſa, vt nuper diximus. Sic omnes legantur Moneta *2.p diſtribut.q.11.n.23.* Bonac. *diſp.2.de Horis Can.q.5.pun.3.* Palaus *diſp.3. punct.9.§.3.* Trullench *lib.1. in Decal. cap 8. dub.12. num.1.* Pellizar. *tom.1.tractat.5. cap.8. ſect.3.quæſt.9. numero 155.*

QVÆSTIO XC.

An etiam Canonicus, ſeu Beneficiarius, qui abeſt in euidentem vtilitatem alius Eccleſiæ, diſtributionibus gaudeat?

REſpondeo vt certum: quod non. Tum, quia ſic videtur colligi *ex cap. de cætero, & cap. Ad audientiam de Cleric. non reſident.* Tum etiam: quia hic abſens, ab iis debet ſtipendium recipere, in quorum vtilitatem abeſt: atqui abeſt in vtilitatem alienæ Eccleſiæ: ergo. Sic communiter omnes legantur nuper citati.

QVÆSTIO XCI.

An ſaltem, ſi quis abſit in vtilitatem vniuerſalis Eccleſiæ, ideſt, in vtilitatem omnium fidelium Eccleſiarum, poſſit diſtributiones recipere?

NEgant aliqui, ex nuper citatis, Authores; quia non eſt æquum, vt Canonici (aut Beneficiarij) ob abſentiam alterius Canonici in vtilitatem vniuerſalis Eccleſiæ, damnum diſtributionum patiantur, quæ alioquin ipſis accreſcerent, & obuenirent. Ita Bonac. *diſput.2.de Horis q.5.punct.3.num.6. & 7.* qui dicit, ſic ſentire communiter Doctores.

Sed æque probabiliter Reſpondeo. Poſſe tunc diſtributiones recipere. Quia in hoc caſu, cenſetur abeſſe, in euidentem Eccleſiæ propriæ vtilitatem: cum vtilitas communis, propria ſit cuiuſque. Et ideo (vt fatetur ipſemet Bonac. *in noua impreſſione*) Sacra Cõgregatio declarauit, quòd ſi quis Beneficiarius abſit à propria Eccleſia, ad impediendum, ne Beneficiarij illius Diœceſis onere tributorum grauentur, tunc poſſit diſtributiones Eccleſiæ ſuæ recipere. Sic tenent Pellizar. *tract.5.cap.8. ſect.3 q.9. n.155.* Carol. Macign. *de Horis cap.71. numer.102.* Palao quoque *diſput.3. de Orat. pun.9 §.3.n.2.verſ. Item debet eſſe.* & Trullench. *lib.1. in Decal. cap.8. dub.12. n.1.* dicentes, id eſſe probabile.

QVÆSTIO XCII.

An, si quis Canonicus absit à proprias Ecclesia, non solùm, ob euidentem, sed etiam, ob dubiam vtilitatem eius; acquirat distributiones quotidianas?

REspondeo vt certum, quod non. Quia cum absentia sit certa, & distributiones certæ, necessario debet etiam esse causa certa, & euidens ad lucrandas illas in absentia. Igitur dubia vtilitas (nisi forte adsit contraria consuetudo) non concedit ius lucrandi distributiones. Sic communis. Bonacina Palaus, Trullench. *loc. cit.*

QVÆSTIO XCIII.

An, Canonicus acquirat distributiones, si absit, etiam, ob leuem, aut exiguam, Ecclesiæ suæ vtilitatem?

REspondeo vt certum: quod non. Quia obligatio assistendi Ecclesiæ propriæ, est grauis: ergo vtilitas Ecclesiæ, quæ à tali obligatione excusat, grauis debet esse, non leuis, aut exigui momenti. Sic Moneta 2. *p. q.* 11. *num.* 33. Macignus, *cap.* 71. *num.* 99. Bonac. *disput.* 2. *q.* 5. *punct.* 3. *num.* 5. Palao *disput.* 3. *punct.* 9. §. 3. *numero* 1. Trullench *lib.* 1. *in Decal. cap.* 8. *dub.* 12. *num.* 1. Escobar. à Corro, *de Horis q.* 5. *num.* 111.

Quod si hic inquiras, vnde cognoscet quis, suam absentiam cedere in euidentem, & magnam Ecclesiæ suæ vtilitatem? Respondeo ex Palao, *loc. cit. num.* 3. quod regulariter cognoscet ex eo, quod à Capitulo electus fuerit ad aliquod negotium peragendum, quod quidem ab ipso iudicatum fuit vtile Ecclesiæ. Rursus, ex eo quod ita viri graues, ac timoratæ conscientiæ affirment, & confirment suam absentiam esse vtilem Ecclesiæ. Quia tunc iudicare optimè poterit, esse vtilem, Ecclesiæ, & consequenter, securè acquirere, non solum fructus, sed & distributiones quotidianas.

QVÆSTIO XCIV.

An, Canonicus, qui à suo Episcopo ad visitanda limina Apostolorum mittitur; distributiones lucretur?

REspondeo vt certum: Lucrari. Quia tunc Canonicus agit Ecclesiæ suæ negotium, instruendo Pontificem de eius statu. Sic habetur *in Constitut.* 17. *Sixti V.* Et esse decisum à Sacra Congreg. Concilij his verbis, tradit Garcia, *de Benefic.* 3 *p. cap.* 2. *num.* 349. *Canonici missi ab ipsorum Episcopis ad limina Apostolorum, eorum nomine, vel comitantes ipsos Episcopos ad eadem limina, distributiones lucrantur ex Decreto S. D. N. Sixti V.* Sic Sacra Congreg. Et sic omnes Bonac. *disp.* 2. *de Horis q.* 5. *pun.* 3. *n.* 14. Riccius (sic lege, non *Rinig.* vt inueni apud Palaum) *dec.* 498. *n.* 3. Barbosa *de potest. Episcopi* 3. *p. allegat.* 53. *n.* 159. Palao *disput.* 3. *punct.* 9. §. 3. *num.* 4. Trullench *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 8. *dub.* 12. *num.* 8. Escobar à Corro *q.* 5. *de Horis num.* 112. Pellizar. *tract.* 5. *disp.* 8. *sect.* 3. *q.* 16. *num.* 173. *fine.*

QVÆSTIO XCV.

An etiam, Canonicus, qui comitatur suum Episcopum ad visitanda limina, lucretur similiter distributiones?

REspondeo etiam vt certum: Lucrari similiter. Quia sic decreuit Sixtus V. & Sacra Congregatio declarauit, vt nuper vidimus. Sic omnes, præcipue supra citati, præsertim Palaus ex quo aduerto, quod Episcopus non potest plures designare ad visenda, suo nomine, limina Apostolorum, sed vnum tantum: potest tamen, cum ipse vadit, secum duos deferre, etiamsi alij duo maneant in suo seruitio occupati: nisi aliàs (vt limitat Garçia *n.* 350. *in fine*) ex hoc Ecclesia patiatur magnum detrimentum, ob paucitatem ministrorum.

QVÆSTIO XCVI.

An item, Canonicus, qui missus esset ad limina Apostolorum ab Episcopo aliarum Ecclesiarum, aut ipsum comitaretur, acquireret easdem distributiones quotidianas?

REspondeo vt certum: quod non. Quia tunc non abesset, ob suæ, sed alienæ Ecclesiæ, vtilitatem: & sic adhuc nec fructus lucraretur. Sic Palaus *loc. cit. num.* 4. & latius, Garcia *num.* 350. *cit.* per hæc verba: *Non tamen procedit in Canonicis, seu Præbendatis, missis ab Episcopis aliarum Ecclesiarum, seu eos comitantibus ad limina Apostolorum; licèt aliàs sint sui Episcopi, ratione originis, seu aliorum beneficiorum: nam isti non lucrabuntur distributones, nec fructus Canonicatuum, seu Præbendarum, nec, ista causa, sunt iustè absentes, cum non absint causa Episcoporum suarum Ecclesiarum.* Sic Garcia *ibi.*

QVÆSTIO XCVII.

An deinde, Parochus missus ab Episcopo suo ad visitanda, suo nomine, limina Apostolorum; acquirat distributiones?

REspondeo quod non, nisi tempore bimestri visitatio fiat. Quia nullus Episcopus potest, vltra bimestre, Parochum, vel alium Sacerdotem habentem beneficium seruitorium, in vllo negotio occupare, etiam Vicario, seu substituto apposito. Sic Garcia 3. *p. de Beneficiis à num.* 40. Qui hanc responsionem pluribus Declarationibus Sacræ Congreg. exornat. Et præcipuè ista, *num.* 42. *Episcopus non potest vti opera Parochi, in visitatione, vel in alio seruitio suæ Diœcesis, nisi pro tempore hic permisso duorum mensium; & tunc pro tempoee idoneus Vicarius deputaretur.* Sic ibi & *n.* 350. & in Addit. ad hunc num. Sic absolute ait: *Non tamen poterit Episcopus occupare Parochum in hac visitatione liminum Apostolorum,* iuxta dicta supra *dub.* 5. *à n.* 40. *& declarationes* ibi *adductas: & ita respondi consultus à quodam Episcopo.* Sic Garcia. Et Palaus *num.* 4. *cit.*

QVÆSTIO XCVIII.

An Canonicus, seu Præbendatus missus à suo Capitulo ad Concilium Generale, vel Prouinciale, tanquam Theologus, suus, vel Canonista vel tanquam Procurator, distributiones capiat?

NEgant aliqui Doctores, existimantes, Canonicos, qui non intersunt officiis, eo quod absentes à loco beneficij, occupati sunt in negotiis Ecclesiæ suæ expediendis, minime lucrari distributiones quotidianas: ita & in terminis nostræ quæstionis tenet Sanchez *lib.2.consil.c.2.dub.94.* & apud ipsum, *dub.93.* Sylvest. D. Anton. Sandoual, Couarrub. & alij. Et licet hæc sententia fundetur in ea opinione, quæ ait, debere quem existere in eodem loco beneficij, vt distributiones lucretur, & hæc, attento iure, sit probabilior, vt nos aliquoties *par.4.* per trãsennam innuimus. Tamen, quia contraria iam in praxi communiter admittitur, ideo illam pro praxi sequendo, in solatium absentium.

Respondeo Distributiones capere, modo alias adesse Choro consueuerit, nec adsit consuetudo in contrarium. Quia in assignato casu, clarè cedit Canonici, aut Præbendati, absentia, in propriæ Ecclesiæ vtilitatem. Sic Rebuff. *in praxi benefic. de dispensat. de non residen. num.34.* Bonac. *disput.2. de Horis q.5. pun.3. num.13.* Decianus *tom.2. consil.69. num.9.* Moneta *2.p.de distribut. cap.11. num.91.* Palaus *disput.3.punct.9. §.3. num.5.* Barbos. *3.p.de offic. & potest. Episcopi, alleg.53. num.158. & de Canonic. cap.24. num.8. & seqq.* Trullench *lib.1.in Decal.c.8. dub.12.* Escobar à Corro, *q.5.de Horis num.115.* qui tamen male citat pro hac parte Thomam Sanchez *dub.94. cit.* cum oppositum expresse docet. Pasqualig. & Salzedo, quos sequitur Pellizzar. *loc.cit.n.173. vers. quod si Salzedo.*

QVÆSTIO XCIX.

An, etiam distributiones caperet, si, Canonicus, qui simul est, ex priuilegio, Episcopus, ad Concilium generale conuenire?

NEgabunt, à fortiori, Authores primæ sententiæ quæst. antecedentis. Sed quamuis satis probabiliter, vt diximus. Attenta tamen praxi.

Probabiliter æque Respondeo dicendum, quod si dictus, non vt Canonicus, sed vt Episcopus ad Concilium conueniat, tunc non recipiet distributiones; quia tunc non dicitur abesse in vtilitatem suæ Ecclesiæ, à qua distributiones accipit titulo Canonicatus, & non abest tanquam Canonicus; sed vt Episcopus. Sic Bonac. *loc. citato numero 13.* referens Garciam, Monetam, & alios Trullench. *loc. citato numero 7.* Qui bene id limitant, nisi ad Concilium generale Episcopus conueniret, vt ibi etiam pecularia negotia Ecclesiæ tractaret, nam tunc acquireret distributiones, quia tunc abesset, in suæ Ecclesiæ vtilitatem.

QVÆSTIO C.

An, Canonicus, qui à suo Capitulo mittitur tanquam legatus ad Pontificem, vel Principem aliquem; acquirat distributiones?

REspondeo probabiliter æquè, quod sic. Quia abesset in vtilitatem, & commodum suæ Ecclesiæ; nam hæc officia quodammodo sunt debita Capitulo. Sic Bonacina *num.12.* & Palao *num.5.vers. Tertio.* Qui dicunt etiam habere verum, quando hæc legatio titulo gratulationis, vt ad gratulandum de aliquo felici euentu, instituatur. Trullench. *lib.1.c.8. dub.12.n.6.* Corro, *q.5.n.114.*

QVÆSTIO CI.

An, Canonicus, qui tempore diuinorum officiorum, ex mandato Capituli, occupatur in subeundis rationibus, aut in assignandis cuique suis redditibus, acquirat distributiones?

NEgat Nicol. Garcia, *de Benefic.par.3.cap.2. numero 568.* (non 368. vt offendes apud Palaum) *& num.569.* vbi ita ait: *Infertur etiam non licere facere rationes, & computa bonorum, & reddituum mensæ, vel fabricæ, dum diuina fiunt, saltem manè. Et ideo merito in Concilio Prouinciali Toletano act.3. decreto 12. statuitur, quod Canonici, qui ad examinandas rationes reddituum, vel Ecclesiæ, vel Capituli, deputati fuerint, post meridiem, non ante, eidem muneri incumbant; ne à diuinis officiis abesse cogantur.* Sic ibi: *Et in additionib. eod.num 568.* hanc declarationem Congreg. adducit *Congregatio Concilij censuit (1.Februarij 1596.) neque Episcopũ, neque Capitulum, debere exigere rationum redditionem, tempore, quo recitantur Horæ Canonicæ, & diuina celebrantur.*

Sed probabilius Respondeo: Distributiones acquirere. Quia hoc officium est Ecclesiæ maximè necessarium. Sic Palaus *disput.3. de orat. punct.9. §.3. num.6.* Qui benè ad Declarationem Congregationis respondet, quod non loquatur de Canonicis signatis à Capitulo ad sumendas rationes; sed de Capitulo, & Episcopo: qui tempore diuinorum officiorum non possunt id facere: quia cederet in graue detrimentum diuini Cultus, Capituli à Choro absentia: quod tamen in vno, vel altero Canonico non procedit. Bonac. *loc. cit.num.11.* Trullench. *numer.5.* Corro *q.5.de Horis num.113.* Moneta, Cenedo, & Barbosa apud ipsum.

QVÆSTIO CII.

An, dictus Canonicus, adhuc distributiones acquirat, si ea computa facere, aut rationes sumere, rectè posit, extra tempus diuini Officij; & tamen non facit, nisi tempore illius?

NEgat Moneta *p.2.de Distribut. quæst.5.num.43. Quia impedimentum, etiam iustum, non excusat absentem, quando ortum est ex culpa impediti, ordinata ad casum: at sic contigit in nostro: ergo.* Ita ille. Cuius sententiam, non esse minus probabilem contraria, ait Corro, mox citandus.

Sed probabilius Respondeo Adhuc distributiones acquirere. Quia re vera, Canonicus est occupatus tempore

tempore officiorũ in euidenti vtilitate Ecclesiæ:ergo ei debentur distributiones, iuxta priuilegium contentum *in cap. Vnico de Cler. non resid. in 6.* Nam priuilegium esset sine dubio nullum, aut minimum, si occupati in euidenti vtilitate Ecclesiæ, tenerentur præuenire, aut postponere, vt possent se seruare indemnes: quin potius præ ceteris grauarentur; vtpotè, qui aliis vacantibus, tenerentur laborare in vtilitatem Ecclesiæ, & præterea Choro assistere. Sic omnino Pellizar. *tract. 5. c. 8. sect. 3. q. 9. n. 157.* Bonac. *disp. 2. de Horis q. 5. pun. 3. n. 16.* Palao *disp. 3. pun. 9. §. 3. n. 6.* ibi. *Nec obstat alio tempore posse hæc computa fieri, & rationes* (sic lege) *assumi. Quia illud est cum speciali grauamine illius, qui ad hoc officium assignaretur, quod subire non tenetur.* Sic Palaus. Corro etiam *n. 5. q. 119.* Barbosa *de Canonicis cap. 24. n. 21.*

QVÆSTIO CIII.

An rursus, capiat aliquas distributiones dictus Canonicus, casu adhuc, quo capitulum mandaret ei, vt negotia Ecclesiæ expediret Matutino tempore; si ipse tunc propria negotia expediat, dilato in vesperas negotio Ecclesiæ?

NEgat capere vllas distributiones Moneta *q. 5. cit. n. 44.* Quia licentia Canonico concessa non interessendi Choro, illo Matutino tempore, fuit sub ea conditione, vt negotia Ecclesiæ tunc expediret, alias nulla esset concessio. Ergo si tunc non expediat, cessabit concessio: ergo & priuilegium acquirendi distributiones, imo nec fructus.

Alij verò dicunt, in dicto casu, posse dictum Canonicum capere distributiones correspondentes Matutino tempori, in quo propria negotia expediuit: non vespertino, in quo negotia Ecclesię peregit; quia tunc contra Prælati voluntatem à Choro abfuit. Ita Bonac. *loc. cit. num. 21.* Qui pro se citat Nauarrum *de Orat. cap. 5. num. 21.* Quos videtur sequi Trullench *num. 11. in princip.* quamuis in fine, in oppositum videatur ire.

Sed probabilius Respondeo dicendum *primo*, contra Monetam, quod dictus Canonicus necessariò debeat capere aliquas distributiones. *Quia cum illi* (ait Palaus) *fuerit permissum à Choro abesse, & distributiones Matutinales lucrari, ob Ecclesiæ negotiorum expeditionem, & de facto tempore diuinorum officiorum; illa negotia expedierit, efficitur sanè legitimam causam habuisse non interessendi aliquibus negotiis diuinis, & ideo distributiones illis correspondentes illi debitas esse.* Sic ille. Et Pellizar. mox citandus.

Respondeo *secundo* (cõtra Bonacinam) quod dictus Canonic⁹ capiat distributiones correspõdẽtes tẽpori vespertino, in quo negotia Ecclesię expediuit. Quia tunc solum tẽporis, est verum dicere, in vtilitatẽ Ecclesiæ fuisse occupatum: & supposita priori negligentia, iam ex voluntate Ecclesiæ, tali tempore vespertino à Choro abest. Sic Palaus *disp. 3. pun. 9. §. 3. num. 15.* Pellizar. ex illo, *tract. 5. cap. 8. sect. 3. q. 9. vers. Dices quid. n. 158.* & Trullench *n. 11. cit.* dicens, id iuri & rationi videri magis conforme. Et Corro, *q. 5. cit. n. 119.* ait, in tali casu, posse Canonicum vnas distributiones, vel Matutinas, vel vespertinas percipere, quas maluerit, etiam maiores eligendo, vtrasque vero, nullo modo. Sic ampliat opinionem Palai, & nostram, contra Bonac. & Monetam. Sed sine fundamento ampliat.

QVÆSTIO CIV.

An, si quis Canonicus, sede Episcopali vacante, eligatur vicarius, seu Prouisor à Capitulo; tunc acquirat distributiones, dum abest ab Ecclesia, causa exercendi officium?

REspondeo vt certum: Acquirere non solùm fructus beneficij, seu Canonicatus; verum etiam distributiones. Quia in euidenti Ecclesiæ vtilitate occupatur. Nam magis commodum est Ecclesiæ, vt occupetur vnus Capituli, quàm totum Capitulum. Sic Garcia, *de Benefic. 3. p. c. 2. n. 358.* contra Alexand. Monetam *q. 11. n. 89.* vt notat ipse in Addit. ad hunc numerum. Bonac. *disp. 2. de Horis q. 5. pun. 3. num. 12.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 8. dub. 12. n. 6.* Barbosa *tract. de Canonic. & dignit. cap. 24. à n. 15.* Palao *disp. 3. punct. 9. §. 3. n. 7.* Qui secus dicunt, si dictus Canonicus eligatur vicarius Episcopi; quia iste tunc, non tam deseruit Ecclesiæ suæ propriæ, quàm Episcopo; & ideo solùm illi debentur fructus, non distributiones.

QVÆSTIO CV.

An, Archidiaconus visitans Ecclesiam, iura, vel redditus suæ Præbendæ; acquirat non solum fructus, sed & distributiones quotidianas?

NEgat Nicol. Garcia *de Benefic. 3. p. cap. 2. n. 333.* Vbi docet, non acquirere distributiones; nisi alias sit consuetudo acquirendi, vnde malè citatur ab Ægidio Trullench pro opposita parte.

Sed probabilius Respondeo: Acquirere non solum fructus, sed & distributiones illiusmet Præbendæ. Quia visitando prædicta iura, & loca, seruit in re vtili Ecclesiæ. Sic Moneta *2. p. de distribut. q. 11. n. 63.* Barbosa *alleg. 53. n. 163.* Palaus, *loc. cit. n. 9.* Trullench *dub. 12. num. 13.*

QVÆSTIO CVI.

An, acquirat distributiones, qui, tempore diuinorũ officiorũ, detinetur in confitendis suis peccatis?

REspondeo vt certum. Quod non. Quia non abest tunc à Choro, in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem; sed in commodum, & emolumentũ suæ animę. Sic Bonac. *disp. 2. q. 5. pun. 3. num. 8.* Trullench *loc. cit. n. 3.* Qui bene hoc limitat, modo aliud non sit in consuetudine positum, vt est in sua Diœcesi Valentina. Corro, *q. 5. de Horis n. 127.* Moneta *2. de distribut. q. 5. n. 53.* Faustus *lib. 3. q. 49.*

QVÆSTIO CVII.

An saltem qui abest ab Ecclesia, causa voti adimplendi; percipiat distributiones?

AFfirmat (apud Garciam) Gennuens. *in Man. Past. cap. 88. sub n. 6.* dum docet, quod tempore anni Sancti, per quadraginta, vel quinquaginta dies, dum Canonicus petit Romam, ad lucrandam Indulgentiam, possit lucrari distributiones. Cuius sententia potest confirmari ex traditis per Rebuffum *tit. de dispensat.*

dispensat. de non residendo nu. 50. Seluam 4. *p. quæst.* 6. *casu* 10. Boër. *decis.* 17. *num.* 6. Hoiedam *cap.* 17. *nu.* 29. *casu* 11. & Petrum Greg. *cap.* 7. *num.* 15. vt ait Garçia 3. *p. de Benef. cap.* 2. *num* 393. *& in Addit. n.* 394. & tenet nouissimè Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 5 *cap.* 8. *sect.* 3. *quæst.* 13. *num.* 165.

Sed vt longe multo probabilius, Respondeo. Non lucrari distributiones (imò nec fructus, si absit vltra tres menses à Concilio permissos.) Quia non censetur abesse in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem. Sic Garçia *n.* 394. vbi in confirmationem huius rei, adducit duplicem Sacræ Congreg. declarationem: quarum prima sic ait: *Canonici deuotionis causa peregrinantes, & visitantes aliquas Ecclesias, non lucrantur distributiones quotidinas, non obstante aliqua in contrarium consuetudine: fructus verò Præbendæ possunt, si intra tres menses à decreto Concilij his concessos, fecerint has peregrinationes.* Sic Congreg. Concilij, & sic etiam Bonac. *nu.* 9. Macignus, & alij apud ipsum. Trullench. *num.* 4. Escobar à Corro, *quæst.* 5. *num.* 128.

Qvæstio CXVIII.

An Canonicus, seu Beneficiarius, qui ex propria deuotione, tempore Officij Diuini, Missam celebrat, distributiones percipere valeat?

Respondeo, vt certum: Quod non valet; secluſa consuetudine in contrarium, aut Sum. Pontificis priuilegio. Quia tunc non abest in Ecclesiæ suæ vtilitatem. Quod verum tenet, etiamsi celebret ex onere suæ Capellaniæ, aut vt Capellanus mercenarius; (quid dicat Moneta 2. *p. quæst.* 11. *nu.* 52. Sic Garçia 3. *par. c.* 2. *n.* 397. *&* 398. Federic. Abbas, & Gigas apud ipsum. Bonac. *disp.* 2. *q.* 5. *pun.* 3. §. 4. *n.* 1 *& seqq.* & penes ipsum, Barbosa, Riccius, Gonzalez, Sà & alij Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 8. *dub.* 12. §. 4. Palaus *disp.* 3. *punct.* 9. §. 12 *num.* 6. Pellizar. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 3. *quæst.* 12. *num.* 164.

Qvæstio CIX.

An saltem, lucretur distributiones, si Missam, dicto tempore celebret, de consensu Superioris?

Affirmat Moneta 2. *p. cap.* 11. *num.* 52. & fortè Pellizarius.

Sed vt longe multo probabilius, Respondeo. Nec tunc lucrari, nisi superior, de cuius consensu celebrat, sit Summus Pontifex. Sic communis & docent omnes DD. citati præcipuè Bonac. *loc. citat. num.* 3.

Qvæstio CX.

An ad minus, si eo tempore Missam celebret, de mandato Superioris; acquirat distributiones?

Respondeo, vt certum: Quod tunc sic. Quia sic declarauit Sacra Congreg. Cardinal. his verbis: *An Canonici, vel alij Officiales Chori habentibus in Cathedralibus, vel Collegiatis, Capellanias in titulum, veluti Mercenarij; eo tempore, quo in dictis Capellaniis, celebrant, distributiones recipere debent, licèt absint in Choro? Et quid si deuotionis causa, vel à Superiore Ecclesiæ iniungatur eis, vt eo tempore celebrent? Sanctissimus Dominus noster, ex sententia Congregationis declarauit, non posse, nisi quando sic iussi essent à suo superiore, quem tamen admoneri voluit, vt ab huiusmodi iussu abstineat.* Sic declaratio Congreg. vt refert Garçia, *de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *numer.* 398. sic etiam Bonac. *disp.* 2. *qu.* 5. *pun.* 3. §. 4. *n.* 4. *versu limita secundo.* Trullench. §. 4. *cit. numero* 2. Palao *punct.* 9. §. 12. *numero* 6. *fine.* & alij penes ipsum.

Qvæstio CXI.

An iam ex vi consuetudinis, qui celebrat Missam, tempore Officiorum Diuinorum possit distributiones acquirere?

Respondeo, Iam posse in multis Ecclesiis: quia in illis, sic vsu receptum est: vt testatur Garçia *loc. cit. n.* 400. *&* 401. his verbis: *Contrarium tamen de consuetudine seruatur, in hac Ecclesia (Abulensi, videlicet) & aliis: nam celebrantes, etiam causa deuotionis, habentur pro præsentibus, & interessentibus in Choro. Quæ consuetudo, cum sit ex iusta causa, cum totus sit cultus diuinus in eadem Ecclesia, & vt Beneficiati inducantur ad celebrandum, videtur tolerabilis, iuxta tradita per Decium Couarru. Dueñas, & Hoiedam, supra citatos n.* 343. *& videtur approbari à Concilio Compostellano, actione* 2. *decreto* 16. Sic Garçias. lege Bonac. *loc. cit. num.* 1. Palao *num.* 6. *citato.*

Qvæstio CXII.

An, Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis, possit, spectato iure nouo, percipere distributiones, si tempore Diuinorum Officiorum, in propria Ecclesia, detineatur in audiendis Confessionibus?

Respondeo. vt certum: Posse, spectato iure nouo, distributiones percipere. Quia sic decreuit Concil. Trident. *sess.* 24. *c.* 8. *de reformat.* per hæc verba: *Pœnitentiarius aliquis cum vnione præbendæ, proximè vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut licentiatus in Theologia, vel iure Canonico, & annorum quadraginta, seu alias, qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur.* Sic Concilium, & sic omnes. Legantur mox citandi.

Qvæstio CXIII.

An, etiam distributiones capiat, si actu non audiat Confessiones, expectet tamen in Confessionario pœnitentes?

Negat Garçia, *de Benef. par.* 5. *cap.* 4. *num.* 124. per hæc verba: *Vnde infertur, solùm censeri præsentem in Choro, dum Confessiones actu in Ecclesia audit, & non dum est in Confessionario, etiamsi ibi priuatim Officium recitet; quia antea Confessiones audiuit, vel, postea opportunius illis incumbat, vt in Declarationibus sequentibus Sacræ Congreg. Præsens autem in Choro non censetur, dum Missam celebrat, aut priuatim Officium dicit, vt opportunius auditioni Confessionum incumbat, &c.* Ita ille. Quem videntur sequi Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 8. *dub.* 12. §. 5. *n.* 1. Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi alleg.* 55 *numer.* 30. Bonac. *disp.* 2. *de Horis qu.* 5. *pun.* 3. §. 5. *n.* 3. quamuis, cum aliqua restrictione id negent.

Sed probabilius, Respondeo. Etiam capere distributiones,

butiones,adhuc casu, quo actu confessiones non audiat; dummodo in Confessionario expectet pœnitentes, & ibi se præparet ad eos audiendos. Quia vtilitati Ecclesiæ prouidet,qui sic onera sui beneficij exequitur;& in specialem decorē,& splendorem Ecclesiæ cedit, qui sic est paratus ad Fidelium Confessiones audiendas. Facit ad hoc Cōgregatio Cardinal. relata ab August.Barbos. *de Officio Episcopi alleg.55. n.28.*& pro Ecclesia Abulensi in remissione Concilij *sess.24.c.8.de Reformat.* vbi mandatur Pœnitentiario assistere in sede,& loco ad Confessiones excipiendas deputato,ne pœnitentes perquirere eum cogantur,& ob verecundiam huius inquisitionis confessiones omittant.Sic Palaus *disp.3.pun.9.§.5.n.1.*Qui ait,non obstare Congregationis declarationem adductam à Garçia pro sua parte.*Quia aliud*,inquit,*est,Officia penè assumere, quæ ad confessionem non ordinantur; aliud assumere media ad Confessorem ordinata, vel quæ Confessionem complent. Præparare enim se ad Confessiones excipiendas expectando in loco Confessionarij pœnitentes, vt facilius confiteri possint, illosque ad Confessionē disponere,& de melioris vitæ fruge consilia præbere, Officium est Confessionarij; ac proinde,ob illud,præsens in Choro reputari debet.Secus verò,ob confabulationem aliam sæcularem, vel ob priuatam Horarum recitationem; quia non sunt Officia Confessarij.* Sic Palaus. Et ex illo Pellizar.*tract.5.cap.8.sect.3.q.17. n.174.* Addens Pœnitentiarium,non excusari ab assistentia Horarum, ob Confessiones auditas extra tempus Horarum; cum tunc temporis non sit occupatus in vtilitatem propriæ Ecclesiæ, sed fuerit: & aliàs in hac re non datur compensatio.

Qvæstio CXIV.

An item, Pœnitentiarius distributiones aquirat; si tempore Diuinorum Officiorum,& confessiones domi,aut alibi,extra Ecclesiam percipiat?

Respondeo, vt certum.Quod non.Quia vt constat ex verbis Tridentini *q.112.* adductis,vt præsens Choro censeatur,Confessiones in Ecclesia audire debet; siue in proprio,siue in alieno Confessionario.Sic Barbosa *lib.3.de iure vniuerso cap.18.num.42.* Bonac. *§.5.cit.n.2.vers. Præterea.* Trullench.*§.5.sub n.1.* Garçia, *in Addit. ad 5. p. de Benef. cap.4. num.125.* vbi ait id esse verum, quamuis audiat extra Ecclesiam Confessiones infirmorum.

Qvæstio CXV.

An, Pœnitentiarius, qui in Ecclesia Confessiones audit, non solùm censeatur præsens Choro, cum in illo Diuina Officia celebrantur: sed etiam,in Litaniis, & Processionibus, & exequiis defunctorum, quæ extra Ecclesiam habentur?

Negant Moneta *2.p.de distribut.quæst.11.num.65.* dicens, quod dum Concilium vult, quod Pœnitentiarius præsens Choro censeatur, non complectitur alias distributiones,quas,extra Chorum,Litaniarum, Processionumve, quæ per vrbem aguntur, nomine Canonici percipere solent.

Sed,vt ferè certum, Respondeo censendum etiam esse præsentem in Litaniis, &c. Quia Concilium, sub nomine Chori, omnia Officia Diuinia comprehendit;vbi enim est Capitulum,seu Cōgregatio Canonicorum aliquod Officium, seu Ministerium Diuinum exercens, ibi Chorus esse censetur:ergo. Sic Garçia, *de Benef.p. 5. capit.4. numer.125.* vbi adducit duas decisiones Congreg. Concilij. *& in addit. eod. num.* hanc tertiam: Congregatio Concilij censuit, *Pœnitentiarium, dum Confessiones audit in Ecclesia,censeri præsentem,& in Processionibus,& Orationibus.* Sic Congregatio in vna Genuens. *4. Septembris 1591.* sic etiam Bonacin. *disput.2. punct.3. §.5. num.13.* (non 4. vt leges apud Palaum) Barbosa *3.p.alleg.55. numer.31.* Palaus *disput.3.punct.9. §.5. numer.2.* Trullench. *lib.1. in Decalog.cap.8. dubit.12.§.5.sub num.1.*

Qvæstio CXVI.

An, Canonicus,qui subrogatur, loco Pœnitentiarij,ob illius absentiam,ve lmortem,ad Confessiones audiendas;lucretur easdem,distributiones,quas ipsemet Pœnitentiarius solebat?

Negandum videtur. Quia Tridentinum, vt vidimus, *qu.112.* id solùm concedit Pœnitentiario quadragenario, & Doctori,aut licentiato in Sacra Theologia,vel iure Canonico: ergo.

Sed vt certum fere, Respondeo. Easdem distributiones lucrari posse. Quia subrogatus sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur,cum omnibus suis qualitatibus,vt latè probat Tiraquell.*de retractu lign. §.32. Glossa 1.à nu.10.* atqui Pœnitentiario audienti Confessiones in Ecclesia,conceduntur distributiones: ergo etiam debent concedi illis,qui in eius locum est subrogatus.Sic Bonac.*loc.cit.n.4.* Palaus *num.3.*Trullench. *num.2.*

Qvæstio CXVII.

An etiam,alij Canonici, qui præsente Pœnitentiario, in adiutorium illius ad audiendas Confessiones,designantur à superiore, easdem lucrentur distributiones?

Affirmant aliqui Doctores. Quia occupantur,inquiunt, in euidenti Ecclesiæ vtilitate.Ita Palaus *n.4.*Moneta *q.11.cit.n.68.*Trullench.*n.2.cit.*& Pellizar.*tract.5.cap.8.sect.3.q.12.n.164.*

Negat contra Bonac. *n.4. vers. Addit Moneta.* Et Quia Tridentinum solùm loquitur de vno Pœnitentiario,qui verè talis sit.Et quia multiplicatis hoc pacto Pœnitentiariis, facile diminui posset cultus Diuini Officij in Choro:ergo Tridentini decretum,non est ad illos extendendum.

Sed clarius, Respondeo: Non lucrari quidem distributiones, vt ait Bonacina, nisi aliàs, consuetudine contrarium sit firmatum, vt fatetur Trullench. esse, in Diœcesi Valentina; in qua Confessarij non Parochi, nec Curati, censentur præsentes in Choro, dum audiunt Confessiones, aliis diuina celebrantibus; quia id præstant gratis,& cedit in consolationem Fidelium,& Ecclesiæ vtilitatem.Sic Trullench. & in hoc bene.Ex quo constat, à fortiori idem esse dicendum, de illis Canonicis, qui tempore Officiorum spontaneè audiunt Confessiones tunc namque minimè acquirent distributiones,vt concedunt etiam Palaus, Pellizar. & Trullench.

QVÆSTIO CXVIII.

An Canonicus Magistralis, aut Lectoralis, possit ex iure, percipere distributiones, etiamsi absit à Choro?

REspondeo, vt certum. Quod attento iure, non possit; etiamsi à Choro absit, prætextu parendæ lectionis, aut concionis, vel prætextu defatigationis ex studio consurgentis. Quia tunc non dicitur abesse in seruitium Ecclesiæ propriæ, nisi remotè. Sic declaratum fuit à Sacra Congregat. Concilij multoties, vt refert Garçia *3.p.de Benefic. cap.2.num.118.* Bonac. *de Horis disp.2.qu.5.pun.3.§.6.nu.1.* Palaus, id supponens, *disp.3.de Orat.pun.9.§.6.n.1.* Trullench. *lib.1.in Decal.cap.8.§.6.num.1.* Pellizar. *tract.5.cap.8. sect.3.quæst.18.num.175.*

QVÆSTIO CXIX.

An saltem, ex gratia, aut priuilegio, possit dictus Magistralis, etiam absens à Choro, capere distributiones omnibus illis diebus, in quibus concionatur, aut legit in propria Ecclesia?

AFfirmat capere distributiones, correspondentes duntaxat horis, quibus legit, aut concionatur, non vero correspondentes omnibus horis illorum dierum, Garçia *loc.cit.n.120.* iis verbis: *Id autem, quod dicitur in his vltimis declarationibus, Canonicum lecturæ, ex gratia habendum esse pro præsenti in Choro pro tota die, & ei deberi omnes distributiones quotidianas diebus, quibus legit ex declaratione Gregorij XIII. intelligendum est, quoad horas, quibus non legit, procedere solùm in illis, qui gratiam istam specialiter petierint, & impetrauerint, non in omnibus indiscriminatim, vt mihi dixit Auditor Illustrissimi Cardin. Matthæi, Præfecti Sacræ Congregationis Concilij.* Hæc Garçia.

Sed probabilius, Respõdeo: Posse ex gratia, & priuilegio, capere omnes distributiones correspondentes, non solùm horis, quibus concionator, aut legit, sed omnibus horis illius diei; quia in iis omnibus reputatur Choro præsens: & merito; quia exercet actionem magis laboriosam, quàm alij Præbendati, & quæ specialem præparationem requirit. Sic constat ex tribus Declarationibus Sacræ Congreg. Concilij, quas adducit Garçia *loc.cit.nu.118.& 119.* & tenent communiter DD. Gonzalez *ad Regul.8.Cancellar.§.7. præmij num.180.* Moneta *de distribut.2.p.q.10.n.27.* Bonac. *disp.2.q.5.punct.3.§.6.* Barbosa *3.p. de Potest Episcopi alleg.56.n.8.* Palaus *§.6.cit.nu.1.* Qui tamen non citat bene pro hac parte Garçiam, vt vidisti, Trullench. *§.6.cit.n.1.* Pellizar. *tract.5.c.8.sect.3.q.18. num.175.* & (in simili casu) Sanchez *lib.2. consil.c.2. dub.95.num.5.* & alij.

QVÆSTIO CXX.

An dicta gratia lucrandi distributiones pro tota die, qua legit, aut concionatur Magistralis; extendi debeat ad Matutinum diei sequentis, quod alicubi solet dici vesperè præcedenti?

REspondeo, vt certum: Quod non. Quia re vera non est hora illius diei, qui legit, aut concionatur: ergo quoad distributiones, non est censendus præsens pro Matutino. Sic declaratũ fuisse à Sacra Congreg. refert Garçia *n.118.* per hæc verba: *An Theologus, vt qui diuinis pro præsente habeatur diebus, quibus legit, censendus etiam sit præsens Matutinis, qui ex antiqua Ecclesiæ consuetudine dicuntur serò præcedenti, pro sequenti? Congregatio respondit: Non censeri.* Sic Congreg. & sic Garçia, Bonac. Barbosa, Trullench. & Pellizar. *loc.cit.*

QVÆSTIO CXXI.

An, consuetudo aliquarum Ecclesiarum quod Canonicus Magistralis, qui prædicaturus sit in ipsa Ecclesia, haheatur pro præsenti omnibus Horis, etiam per octo dies Connioci antecedentes, sit sustinenda?

NEgat esse sustinendam, nisi magna cum difficultate, Garçia *loc.cit.n.223.* Quia putat sufficere ad summum indulgentiam Horarum post meridiem, ad sermonem componendum.

Sed clarius, ac probabilius, Respondeo, sustinere posse talem consuetudinem, dummodo solùm extendatur ad lucrandos fructus Præbendæ: non vero quotidianas distributiones; nisi fortè in ipsis tota Præbenda consisteret. Ratio est. Quia, vt supra est habitum, Gregor. XIII. solùm dixit, distributiones quotidianas deberi Concionanti, & legenti, non solùm hora, qua legit; sed tota die, ex gratia: ergo hæc gratia minimè extendi potest, ad alios, & tantum dies. Sic Palaus *§.6.cit.n.2.* Pellizar. *q.18.cit.n.175.*

QVÆSTIO CXXII.

An, si Canonico Magistrali, ex priuilegio, aut gratia, concedantur octo, aut sex dies præcedentes concionem, vt possit abesse, lucrans distributiones; possit, illis diebus Choro assistere; & loco illorum, aliis octo, aut sex abesse, & lucrari distributiones, talibus diebus correspondentes?

REspondeo, Non posse. Quia gratia, aut priuilegiũ concessum dicto Canonico vacandi à Choro per octo, aut sex dies, est alligatum dictis diebus ante concionem, vt in illis posset facilè sermonem componere: ergo minimè possunt transferri ad alios, post sermonem, dies. Confirmatum, quia si Pontifex concederet alicui priuilegium, vt quatuor proximis diebus festis, non audiret Missam; minimè posset hos dies, in alios quatuor dies subsequentes commutare, ob rationem nuper allatam: ergo. Sic Sanchez *tom.1. consil.lib.2.cap 2.dub.107. num.1.* & ex illo Pellizar. *tract.5.cap.8.sect.3.quæst.18.num.176.*

QVÆSTIO CXXIII.

An, Canonicus Magistralis, possit vacare à Choro, ea die, qua alterum Canonicum substituit, vt pro ipso in Cathedra lectionem dictet?

REspondeo, Non posse à Choro vacare, nec distributione acquirere. Quia cessat finis, ob quem conceditur Canonico Magistrali, vacantia à Choro vt constat ex supra dictis. Sic Pellizar. *loc. cit.n.117.* Addens id ipsum dicendum, casu, quo Magistralis, alij Canonico substituto, ex fructibus suæ præbendæ, soluat stipendium lectionum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO CXXIV.

An, Canonici habentes curam animarum in suamet Ecclesia, percipiant distributiones, si tempore diuinorum Officiorum, absint, ob animarum curam exercendam?

REspondeo vt certum: Percipere. Quia sic habetur in Tridentino *sess.22. de Reformat. cap.3.* iis verbis: *Quod si alicui ex prædictis dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, de iure, seu consuetudine, iurisdictio, administratio, vel Officium non competat, sed extra Ciuitatem in Diœcesi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in curata Ecclesia resederit, ac ministrauerit, tanquam præsens sit, ac diuinis interfit, in Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis habeatur.* Sic Concilium. Et sic Congregatio Sacra Concilij pluribus decisionibus, quas affert Garcia *part.3.de Benef.cap.2.* Quorum vna hæc est: *Habentur tanquam præsentes in Choro, qui curam animarum exercent, quæ illi Ecclesiæ imminet; dum tamen sunt in actu administrandi Sacramenta, vel alia exercendi, quæ spectant ad ipsam curam.* Sic Congregatio Sacra. Et sic communis. Garcia *loc.cit.* Gonzalez & Moneta, quos sequitur Bonac. *disp.2.qu.5.punct.3.§.7. num.3.* Riccius & Barbosa, quos amplectitur Palao *disp.3. punct.9.§.3. num.8.* Trullench *lib.1.c.8.d.12.§.7.sub n.1.*

QVÆSTIO CXXV.

An etiam, Canonici, qui curam animarum habent in aliis Ecclesiis, extra Diœcesim, possint, dum in eis residentiam, ac ministrant, recipere distributiones, quas reciperent, si in Ecclesiis Cathedralibus, seu Collegiatis residerent?

AFfirmat Bonac. §.7. *cit. num.5.* his verbis: *Imo in Tridentino* sess.22. cap.3. de Reformat. *hoc priuilegium extenditur etiam ad habentes dignitatem, & simul curam animarum extra Diœcesim, tunc enim Sacro-Sancta Synodus, pro tempore quo in Ecclesia curata resederit, ac ministrauerit, tanquam præsentem, ac diuinis interessentem, in Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis haberi decernit.* Hæc ille.

Sed contra absolute docet Trullench *loc.cit. nu.1.* vbi sic absolute loquitur: *At si haberent curam animarum in aliis Ecclesiis, dum in eis residentiam, & Sacramenta administrant, non possunt percipere distributiones, quas reciperent, si in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, in qua habent Canonicatus, vel dignitates, residerent.* Ita Trullench, qui & citat pro se Monetam, & Barbosam.

Sed distinguendo, probabilius Respondeo dicendum, quod vere recipiat distributiones, sibi in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis contingentes, si in aliis Ecclesiis intra Diœcesim existentibus resideant: minime verò, si extra diœcesim. Quia id, & non aliud, colligitur ex verbis Tridentin. nuper adductis. Sic Zerola *in praxi Episcop.1.p. V. distributiones quotidianæ §. Ad tertium.* Vbi sic ait: *Secundo debentur, distributiones, alicui in Dignitate posito, & ratione illius dignitatis, habet curam animarum extra Ciuitatem, tamen intra Diœcesim: quia dum seruit* ibi *habetur pro præsenti. Concil. loc.cit.§. Quod si alicui. Similiter, & tantum magis, si cura esset intra Ciuitatem à maiori ad minus: secus si extra Diœcesim: secus etiam, vbi aliter habet consuetudo,* Concil. *loc.cit.§. Hæc in iis* Hucvsque Zerola.

QVÆSTIO CXXVI.

An etiam Parochi, aut alij curam animarum gerentes, possint capere distributiones, si absint, ob administranda munia parochialia?

REspondeo vt certum: Ex dictis: Posse. Quia eadem ratio est pro illis, ac pro Canonicis habentibus curam animarum. Sic Trullench §.7. *cit. num.2.* ex Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg.55. num.162. & lib.3. de iure vniuerso cap.18.n.46.*

QVÆSTIO CXXVII.

An, Examinatores Confessorum, qui dum examinant illos à Choro, absunt; non solum recipiant fructus, sed & distributiones?

AFfirmatiuam sententiam tenere Cenedo *practic.qq.lib.1.quæst.1.num.74.* ait Trullench mox citandus, addens, illam videri sequi Sacr. Congreg. Cardin. *sub die 22. Martij 1600.* vti refert Barbosa *de Canon. & dignit.cap.25.num.9.* Imo, & illam tenet hic Author ex Zecho, *in Remission. Concilij sess.22. cap.12.num.53.*

Sed probabilius Respondeo solum recipere fructus, eo quod legitimam habent causam absentiæ; non tamen distributiones, nisi aliud habeat præscripta consuetudo, vel adsit priuilegium Pontificis: quia non sunt occupati in seruitio propriæ Ecclesiæ, sed in seruitio Episcopi, & Diœcesis, in communi. Sic esse decisum à Sacra Cardin. Congreg. fatetur Barbosa *in Apostolicar. decision. summa, collect.258. verb. Distributiones quotidianæ, num.39.* his verbis: *Distributiones quotidianas non lucrantur Canonici examinatores, propter examen, nisi assistant in Choro Horis Canonicis.* Sac. Congreg. *Rit. in Lamacen.17. Maij, 1607.* quam adducit Sellius *d.cap.36.num.62.* Hæc Barbosa *loc.cit.* Et loquendo de Examinatoribus Synodalibus, de quibus eadem est ratio, tenent idem, Palaus *disp.3.punct.9.§.7. num.1.* & penes ipsum Garcia *de Benef.part.3.cap.2.num.354.* & Moneta, Trullench *lib.1. cap.8.dubit.10.§.8.num.2.* Bonacina *loco cit.§.8. per totum.*

QVÆSTIO CXXVIII.

An saltem, Canonici ab Episcopo instituti Visitatores Hospitalium, & Ecclesiarum Diœcesis, Vicarij foranei, aut Administratores piorum locorum, non solum fructus, sed etiam distributiones lucrentur?

REspondeo: solum fructus lucrari, non distributiones; nisi contrarium teneat consuetudo, aut adsit priuilegium. Ratio est nuper adducta; quia videlicet, non sunt occupati in seruitio Ecclesiæ propriæ, sed Episcopi, aut Ecclesiarum Diœcesis &c. Sic omnes Authores adducti. Legantur Barbosa in summa Apostol. *decis.34.* Bonac. §.8. *cit. per totum* Palaus *loc.cit.n.1.& 2.*

QVÆSTIO CXXIX.

An Canonici existentes in seruitio Episcopi, recipiant fructus, & distributiones, ac si præsentes Choro essent?

REspondeo vt certum: Recipere fructus, sed non distributiones. Vtraque pars habetur *in cap. de cætero, & cap. Ad audientiam de Cleric. non resident.* vbi dicitur: quod duo Canonici existentes in seruitio, seu obsequio sui Episcopi, habentur pro præsentibus, & percipiunt fructus Canonicatuum, præter distributiones quotidianas. Et sic decisum est etiam à Sacra Congreg. vt refert Garcia, *de Benefic. 3. p. c. 2. à nu. 145.* Barbosa *3. p. de potest. Episcopi alleg. 53. n. 142.* & in sum. Apostolic. *decis. collect. 258. n. 19.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancellar. Glossa 6. n. 225.* Sanchez *lib. 2. consil. c. 2. dub. 95. n. 3.* Panormitan. Sandoual. Siluest. Angel. Rosella, Armilla, S. Anton. & Couarru. apud ipsum Trullench *lib. in Decal. c. 8. dub. 12. §. 2. num. 2.* Palaus *disp. 3. punct. 9. §. 8. n. 1. vers. Item debentur.* Qui bene limitant, nisi consuetudo sit in contrarium; vel si Præbenda alios fructus non habeat, præter quotidianas distributiones; quia tunc eas lucratur, cum loco fructuum succedant, deducta tertia parte, vt censuit Sacra Congreg. his verbis: *Distributiones quotidianas debent percipere Canonici suo Episcopo inseruientes, si in eis omnes Canonicatus redditus consistant.* in vna Gallien. 29. *Iulij* 1628. *in Respons. ad dub. 4.* Sic referunt Sellius *c. 36. n. 49.* & Barbosa *in summ. Apostol. decis. loc. cit.*

QVÆSTIO CXXX.

An saltem accipiant, etiam distributiones quotidianas, Canonici assistentes Episcopo solemniter celebranti in Cathedrali, aut in alia Ecclesia?

REspondeo, Accipere, si solemniter celebranti assistant; secus si priuate celebranti, etiam in Cathedrali; nisi aliàs ex consuetudine assistere illi teneantur. Sic declarauit Sacra Rituum Congreg. teste Barbosa, *de Canon. & dignit. c. 25. à n. 12. & in summ. Apostol. decis. collect. 258. num. 31.* vbi decisum fuisse à Sacr. *Congreg. Concilij sub die 17. Martij* 1619. fatetur. Legatur Trullench *loc. cit. sub n. 2.*

QVÆSTIO CXXXI.

An Canonicus Vicarius generalis Episcopi, si absit à Choro percipiat fructus & distributiones?

AFfirmandum videtur. Quia Canonicus electus Vicarius capituli, sede Vacante, recipit fructus, & distributiones, vt habitum est supra *qu. 104.* ergo & vicarius Episcopi.

Sed vt certum Respondeo dicendum, quod percipiat fructus, sed non distributiones, illos percipit, quia in vtilitatẽ diœcesis, & in seruitio Episcopi, est occupatus. Has minimè; quia non est occupatus in seruitio propriæ Ecclesiæ, vti est Vicarius Capituli sede vacante. Ex quo fit satis ad rationem dubitandi. Sic Garcia *de Benef. 3. p. cap. 2. num. 357.* Rebuff. Hoieda, & Sbrotius penes ipsum. Moneta *2. p. quæst. 11. à num. 78.* Palaus *disp. 3. punct. 9. §. 7. numer. 2.* Et sic fuisse decisum à Sac. Congreg. Concilij in Bitecten. 18. *Decemb.* 1627. refert ex Sellio, Barbosa *in summa Apostolic. decis. collect. 258. n. 34.*

QVÆSTIO CXXXII.

An, Canonici, aut Præbendati, qui inseruiunt Pontifici, in Officiis Capellani, Camerarij, secretarij, & similium, acquirant fructus Præbendæ; necnon & distributiones, etiam dum absunt à Choro?

REspondeo vt certum: Acquirere fructus Præbendæ; non autem distributiones, nisi aliquo priuilegio aut consuetudine præscripta muniantur. *Primum* constat *ex cap. Cum dilectus, de Cleric. non resident. Secundum*, etiam: quia non dicuntur huiusmodi familiares, aut Officiales Papæ, abesse in vtilitatem propriæ Ecclesiæ. Sic Garcia *de Benef. 3. p. cap. 2. num. 283.* & apud ipsum, Abbas, Selua, Rebuff. Hoieda, Salzedo, Siluest. Zerola, Nauar. & Ludou. Lopez. Moneta *2. p. quæst. 9. num. 13.* Bonac. *disp. 2. de Horis, quæst. 5. punct. 3. §. 1. num. 1.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 8. dub. 12. §. 1. num. 2.* Palaus *disp. 3. de Orat. punct. 9. §. 8. n. 1.* Zerola *in praxi Episcop. V. distributiones §. ad tertium.*

QVÆSTIO CXXXIII.

An etiam inseruientes legato summi Pontificis, aut etiam Cardinali, percipiant fructus Præbendæ, quamuis absint à Choro?

AFfirmant aliqui, eo quod inseruientes Cardinalibus, & legatis reputentur Papæ inseruire. Ita apud Palaum, tenent Siluest. *verb. Residentia num. 7.* Zerola *praxi Episcop. 1. p. V. Residentia §. 4.* Selua *de Benefic. p. 4. q. 6. casu 21.* Villadiego *de Cardinal. n. 63.* & Azor. *2. p. Instit. moral. lib. 7. c. 4.* citat etiam Ægiduis Trullench pro hac parte, Garciam *de Benef. 3. p. cap. 2. n. 382.* & Monetam *2. p. de distribut q. 9. n. 2.* sed male, tenet etiam Diana *part. 5. tra. 2. Resol. 79.* citans pro se, Laudens. Ioan. Andream Butrium, & Albanum. Quia perfruuntur (inquit) priuilegio Cardinalium, qui in absentia gaudent fructibus suorum beneficiorum.

Sed probabilius Respondeo: Non percipere tales fructus in absentia. Nam in iure (ait Garcia) non est tale priuilegium, nec hodie (quidquid esset olim) est tale priuilegium particulare, & ita patet ex Declaratione Abulens. quam refert ipse Author. *num. 423. & sequenti.* Legatur. Sic etiam Palaus *disp. 3. pun. 9. §. 8. n. 4.* Qui & citat Monetam *q. 9. cit. n. 9.* Bonacin. *disp. 2. q. 5. punct. 3. §. 1. n. 4.* Trullench *dub. 12. cit. §. 1. num. 2.* Qui vterque negat, inseruientem legato, minime posse dici, inseruire Pontifici.

QVÆSTIO CXXXIV.

An ad minus, inseruientes Regi, aut supremo Principi, in Officiis ab ipso designatis; percipere possint fructus sui beneficij, aut Canonicatus, quamuis non resideant?

AFfirmant Selua *de benef. p. 4. quæstion. 6. casu 24.* Petr. Gregor. *de benef. cap. 7. n. 6.* Zeuallos *in suis comm.*

*comm. contra comm. quæst.*587. *num.*7. Ratio eorum potest esse: Quia ad id habent Reges priuilegia. Nam Capellanis Regis Hispaniæ fuit concessum à Paulo III. quod in absentia perciperent fructus. Et Regi Franciæ simile priuilegium fuisse concessum, testantur Boërius *decis.*17. & Rebuff. *in Concord. tit. de collation.*§.1.*vers.Residentia.*

Sed probabilius Respondeo, Non posse percipere dictos fructus. Tum; quia non absunt à Choro in euidentem Ecclesiæ vtilitatem. Tum quia dicta priuilegia, iam sunt reuocata per Concil. Tridentin. *sess.6.de Reform.cap.*2. & Bullam Pij IV. (non V. vt leges apud Palaum) vt probat Garçia *de Benefic.*3. *p.cap.*2.*num.*265. *& sequent. & num.*423. vbi refert sic decisum fuisse à Sac. Congreg. Cardin. Palaus *loc.cit.n.*5. Bonac.*n.*3. Trullench *n.*3.

QVÆSTIO CXXXV.

An, Auditores Romanæ Rotæ consequi possint fructus, necnon & distributiones suarum Præbendarum, in absentia?

REspondeo vt certum: Posse. Quia id eis concessit Clemens VII. in Bulla, quæ data est. *Non. Augusti* 1525. incipit: *Conuenit*, provt tradit Lelius Zechius *de Republ. Ecclesiast.p.*11.*num.*2. ex illoque Barbosa 3. *p. de potest. Episcopi alleg.*53.*n.*155. *& in remission. ad Concil.sess.*24.*de Reformat.cap.*12.*num.*48. Palaus *loc. cit.num.*3. Cenedo *qu.*1.*n.*63. Sanctarell. *var.Resol.*11.*n.*11. Trullench *lib.*1. *in Decal.capit.*8. *dub.*13.*sub num.*1. Escobar à Corro, *de Horis quæst.*5. *num.*166.

QVÆSTIO CXXXVI.

An, etiam inquisitores hæreticæ prauitatis acquirant fructus, & distributiones suarum Præbendarum, in absentia?

REspondeo vt certum: Etiam aquirere. Quia habentur pro præsentibus, ex priuilegio speciali fauore Fidei eis concesso à Paulo III. & Pio V. provt referunt Roi *de priuileg. Inquisit.num.*420. *& sing.*69. Spino *in speculo testamen. Glos.*3.*princip.n.*78. Garçia, *de Benef.p.*3.*c.*2.*n.*356. (non 336. vt leges apud Trullench) vbi affert declarationem Sacræ Congreg. Concilij, 6. *Iunij* 1594. Barbosa *in remiss. loc.cit.n.*46. *& de Canonic. & Dignit.cap.*24.*n.*12. Palaus & Trullench *loc.cit.* Corro, *num.*167. Qui ad Fiscales, & alios Ministros Inquisitionis hoc priuilegium extendunt. Lege Garçiam, & Palaum *loc.cit.*

QVÆSTIO CXXXVII.

An, etiam gaudeant præfato priuilegio inquisitores, qui habent beneficia Curata?

AFfirmant Spino *numer.*78. *citato*, vbi ait dictum priuilegium, non solum competere Inquisitoribus habentibus beneficia simplicia, aut dignitates, seu Præbendas, sed etiam habentibus beneficia curata, seu Parochialia.

Sed probabilius longe Respondeo, Non gaudere dicto priuilegio Inquisitores habentes beneficia curata. Quia sic decisum est à Sacra Congreg. vt refert Gonzalez *ad Regul.*8. *Cancellar. glossa* 6. *num.*266. & R.P. Leand. in Decalogum. docent Rubius *decis.*393. *num.*4. Barbosa *allegat.*53. *numer.*87. *&* 165. *& in Remission ad Concil.sess.*24.*de Reformat.cap.*12.*num.*46. Ceuallos, *comm. contra commune quæst.*585.*num.*12. Palaus §.8. *cit.n.*3. vbi dicit oppositam sententiam nullo niti fundamento.

QVÆSTIO CXXXVIII.

An, Collectores generales Cameræ Apostolicæ, subcollectores, & alij Officiales, acquirant fructus & distributiones in absentia?

REspondeo vt certum: Acquirere. Quia ad id habent priuilegium, vt testatur Barbosa, his verbis *Collector generalis, Cameræ Apostolicæ, subcollectores, Aduocati, Procuratores, Fiscales; & Notarij in causis spoliorum, & iurium præfatæ Cameræ, eorum Officio durante, lucrantur distributiones quotidianas in absentia, ex Bulla Sixti V. Data Romæ in monte Quirinali sub annullo Piscatoris die octaua Maij* 1590. *sui Pontificatus anno sexto.* Sic Barbosa, *in remission. ad Concil. sess.*24.*de Reformat.cap.*12.*num.*49. *&* 3. *p. de Potest. Episcop. allegat.*53.*num.*157. Moneta 2.*p. de distribut. quæst.*11.*num.*111. Castro Palao, *tom.*2.*disp.*3.*de Orat. punct.*9.§.8. *num.*3. Trullench *lib.*1. *in Decal. cap.*8. *dub.*13.*num.*1. (non *dub.*12.§.1. vt citat Corro) Sanctarellus; *var.Resol.*11.*num.*6. Escobar à Corro, *qu.*5. *de Horis numer.*168. Qui omnes docent, prædictos Officiales Papæ, non solum lucrari fructus, sed & quotidianas distributiones.

QVÆSTIO CXXXIX.

An, Præbendati, aut Canonici, docentes Theologiam publicè in aliqua Vniuersitate, seu studio generali, lucrentur fructus, & distributiones, in absentia?

REspondeo vt certum: lucrari fructus sed non distributiones. Quia tunc non absunt in euidentem Ecclesiarum suarum vtilitatem, & ideo distributionem non capiunt. Bene tamen fructus, vt habetur *in c. finali de Magistr.* Sic etiam habetur *in cap. licet, de Præbendis.* Et decisum esse à Sacra Congreg. Cardin. testatur Barbosa *in Remission. ad Concilium sess.*5.*cap.*1.*de Reformat. num.*8. *&* 9. Legantur Garçia *de Benef.*3.*p. cap.*2. *num.*54. & penes ipsum, Nauar. *in Man.cap.*25. *numer.*120. Rebuff. Hoieda, Salzedo, Ludouic. Lopez, Rodriguez, & alij plures. Bonacina *de Horis disp.*2.*quæst.*5.*punct.*3.§.9.*num.*1. Couarru. Riccius, Quaranta Macignus, & alij apud ipsum. Castro Palaus, *disp.*3.*punct.*9.§.9. *num.*1. Trullench *lib.*1. *in Decal.cap.*8.*dub.*12.§.9.*num.*1. Pellizar. *tom.*1.*tract.*5.*cap.*8.*sect.*3. *quæst.*14. *num.*167. Corro, *de Horis quæst.*5.*num.*189. & alij, quos sequitur Pasqualig. *decis.*460. *num.*4. Nota tamen quod in præsentiarum, solum loquimur de Præbendato, Canonico, aut Beneficiato docente, publice in scholis, non de Canonico Magistrali, aut Doctorali docente in Ecclesia propria; nam huiusmodi ex gratia, & priuilegio, habetur pro præsenti in Choro pro toto die quo legit & ideo acquirit distributiones, iuxta dicta *supra quæst.*118. *& sequent.*

QVÆSTIO CXL.

An item, lucrentur fructus suorum beneficiorum docentes ius Canonicum publice in aliqua Vniuersitate?

NEgandum videtur. Quia in cap.finali.*de Magistris*, solum de legente Theologiam fit sermo: ergo non debet extendi ad legentem ius Canonicum.Et ideo ita sentiunt Ioan. Andr. & Dominicus *in capit.2. de priuileg. in 6.* & Hostiens. *in dicto cap. finali,de Magistris,& in sum.eod.tit.§. finali, & glossa finali.*

Sed iam vt certum Respondeo etiam lucrari. Quia licet *in d. cap. fin.* solum de Theologia sermo habeatur; cum tamen Ecclesiæ æque prosit ius Canonicum,idem est de illo intelligendum. Et ita fuisse decisum à Sacra Congreg.Cardin. testatur Garçia *de benef.3.p.c.2.n.64.& n.559. anno* 1605. & tenent cum ipso omnes authores *supra quæst. antecedenti citati.*Bonac.*n.*4.Palaus *n.*3.Trullench *num.*4. Corro *num.*189. Barbosa & Pellizar. Pasqualig. *loc. cit.* & communis.

QVÆSTIO CXLI.

An deinde,fructus lucrentur, qui publice in Vniuersitate docent ius Ciuile?

AFfirmat Corro *num.* 189. *cit.* Qui & citat pro se Sanctarell.*var.Resol.q.3.n.*10. Bonac.*nu.*4.Trullench *numer.*4. & Barbosam *in Remiss.ad Concilium cap.*1.*num.*49.Sed male. Quia Barbosa *loc. cit.num.*8. (non 49.cum illud caput non habeat nisi 14.numerum) solum loquitur de docente Theologiam, aut ius Canonicum.Bonacina & Trullench,de addiscente ius ciuile.

Quare probabilius Respondeo, Non lucrari fructus. Quia ius ciuile non æque prodest Ecclesiæ, ac ius canonicum. Imo Ecclesia prohibet aliquibus personis Ecclesiasticis; sub pœna excommunicationis,studium iuris ciuilis: ergo hoc ius docentes non excusat Ecclesia ab assistentia Chori. Sic Palaus *loc. cit.num.*3.Pellizar.*n.*167.Garçia *loc.cit.*

QVÆSTIO CXLII.

An saltem fructus beneficij, aut Canonicatus acquirant,qui publice, in aliquo studio generali, seu Vniuersitate,Grammaticam docent?

NEgabunt,& à fortiori, Ioan.Andr. Dominicus, & Hostiens. *quæstio.*140. *citati.*

Sed probabilius, Respondeo. Acquirere. Quia sic colligitur ex *cap. Quia nonnullis. De Magistris.* Sic Palaus *loco citat. numero* 3. per hæc verba: *Legentes verò Grammaticam, quia ad Theologiam, & Ius ciuile* (lege, obsecro, *Ius Canonicum, necessaria est, poterunt ex licentia Prælati excusari, præcipuè cum non sit alius, qui doceat.* Sic ille. Et Pellizarius *oc.cit.num.*167.

QVÆSTIO CXLIII.

An Deinde, etiam Parochi, si publicè legant Theologiam, aut ius Canonicum, fructus suorum beneficiorum lucrentur?

NEgatiuam sententiam tenere Garçiam, *loco citat. numero* 80. Gonzalez *Glossa 6. num.*251. Sanctarell. *numero* 25. & Barbosam, *de Officio Parochi capit.*8. *numer.*27. ait Corro *num.*190. sed non bene. Quia hi Authores loquuntur de Parochis studentibus(de quibus postea)non de docentibus Theologiam, &c. Vnde.

Absolute, Respondeo lucrari fructus suorum beneficiorum,casu, quo doceant Theologiam, aut ius Canonicum;non vero si Grammaticam. *Prima pars* constat;tum;quia eius absentia in vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ cedit. Tum etiam; quia *in cap. fin. de Magistris*, nulla habetur limitatio. Sic tenet, & multis exemplis comprobat Garçia *loc. cit. num.*62. *& sequent.*præcipue *num.*73.*&* 74.vbi affert Nauarrum,Hoiedam,Salzed.Sà, & alios plures.Palaus *n.*4. Pellizar.*num.*167.

Secunda vero pars, quod videlicet, ob Grammaticæ lecturam, non possint Parochi absentes fructus lucrari, constat ex Declaratione Sacræ Congreg. Cardinalium, quam affert Gonzalez *Regul.*8. *Cancellar. Glossa*6. *numer.* 254. Palaus *loco citato, numer.*3.

QVÆSTIO CXLIV.

An, vt præfati legentes Theologiam, seu ius Canonicum, acquirant in absentia fructus; docere has scientias publice in quocunque Collegio particulari?

REspondeo vt certum: Non sufficere, sed necessum esse, vt eas legant in aliquo studio generali, seu celebri Vniuersitate ad hunc finem erectum à Papa,Rege, seu Principe supremo. Sic habetur in *cap.2.de Priuileg.in 6.& in cap.Tuæ, de Cleric.non residen.*Sic Garçia *de Benef.3.p. cap.*2. *n.*56. & penes ipsum, Rebuff. Horat. Lucius, Perez, & Flores de Mena, necnon aliquæ Declarationes Sacræ Congreg.Cardin.quas refert ipse *num.*81.*&* 117.Barbosa *3.p.de potest.Episcop. alleg.*56. *num.*21. *&* 22.Palaus *num.*1.Pellizar.*num.*167.*cit.*& omnes.

QVÆSTIO CXLV.

An rursus, vt dicti legentes, fructus in absentia capiant, sit opus, vt doceant conducti seu salariati, aut ratione Cathedræ, quam habent?

AFfirmandum videtur. Quia si sufficeret spontè, & voluntarie in Vniuersitare legere, quilibet Canonicus, seu Beneficiatus posset se excusare à residentia suæ Ecclesiæ. Et ob id, ita fuisse practicatum in Ecclesia Abulensi, cum licentiato Rosales Canonico, antequam haberet Cathedram in Vniuersitate Salmantina, refert Garçia *cap.2.n.*59. vbi indicat id esse probabile.

Sed longe probabilius Respondeo,Non esse opus, vt conducti, seu salariati, aut ratione stipendij, aut Cathedræ,

Cathedræ, quam habent, doceant; sed sufficere, vt spontè, voluntarie, legant, sine stipendio, & Cathedra, dummodo legant cum licentia Vniuersitatis, seu Clausti, aut Collegij, Doctorum. Ratio est: quia *in d. cap. finali, de Magistris*, & Concil. Triden. *sess. 5. de Reformat. cap. 1.* & in priuilegiis ab Eugenio IV. concessis Salmantinæ Vniuersitati, quæ iam sunt Complutensi, & Vallesoletanæ communia; solum expostulatur, quod publice in Scholis doceant, seu legant: ergo siue spontè, siue voluntarie, sine mercede conducta doceant, hoc priuilegio gaudent. Verum, ne hac occasione inutiles, & infructuosi Magistri, hoc titulo, à residentia excusarentur, cautum est, neminem posse hoc munere legendi se tueri; nisi ab Vniuersitate, Clausto, seu Collegio Doctorum fuerit ad legendum approbatus. Sic tenet, & multis Declarationibus Sacræ Congreg. Cardin. comprobat Garcia, *loc. cit. num. 60. & 61.* vbi fatetur, ita fuisse multoties in Vniuersitate Salmantina practicatum. Barbosa *alleg. 56. cit. n. 27. & in Remiss. ad Concil. Trident. sess. 5. de Reform. c. 1. n. 14.* Castro Palaus *n. 2.* Pellizar. *num. 167. cit.*

QVÆSTIO CXLVI.

An item Canonici, seu Beneficiati qui absunt à Choro, eo quod studeant in aliquo studio generali, seu Vniuersitate; acquirant fructus suorum Canonicatuum, seu beneficiorum, licet non distributiones?

REspondeo vt certum. Acquirere duntaxat fructus: non distributiones. Quia sic colligitur ex *cap. 2. de Priuileg. in 6. ex cap. Tuæ de Cleric. non resident.* & constat ex dictis à *quæst. 139.* cum sequent. Et tenent omnes Authores, & præcipue *suprà* adducti.

QVÆSTIO CXLVII.

An dicti Canonici, & alij Beneficiati, gaudeant dicto priuilegio percipiendi fructus in absentia; si studeant in Ecclesiis Cathedralibus?

REspondeo vt certum: Non gaudere; sed opus esse vt studeant in aliqua vniuersitate, aut studio generali, vt constat ex dictis, & comprobat Garcia de *Benefic. 3. p. c. 2. n. 117.* ex sequenti Declaratione Sacræ Congreg. Concilij *super d. cap. 1. sess. 5. de Reformat.* ibi: *Scholares in Ecclesiis Cathedralibus, non gaudent iisdem priuilegiis, sicut studentes in studiis publicis, vel Academiis; interim tamen huiusmodi studentes in Academiis non percipiunt distributiones quotidianas* sic. Sacra Congreg. Quod etiam refert Barb. ad dictum *c. 1.* Concilij *n. 9.* Palaus etiam *disputat. 3. punct. 9. §. 9. n. 1.* Corro, *q. 5. de Horis n. 197.*

QVÆSTIO CXLVIII.

An, vt dicti capiant suorum beneficiorum fructus debeant necessario studere ius Canonicum aut Theologiam?

NEgant aliqui, existimantes, sufficere studere ius ciuile: eo quod *in cap. Tuæ fraternitati. De Cleric. non resident.* nulla est facta limitatio. Et ideo ita sentiunt Glossa *in cap. Cum ex eo, de elect. in 6.* Moneta *2. p. de distribut. qu. 10. n. 21* Barbosa *alleg. 56. n. 26.* Bonac. *disp. 2. q. 5. pun. 3. §. 9. n. 10.* & Trullench *lib. 1. in Decal. c. 8. dub. 12. §. 9. n. 4.* Et dicunt probabile Palaus, & Pellizarius, mox citandi, & tenet etiam Corro *qu. 5. n. 189*

Sed probabilius Respondeo, Debere necessario studere ius Canonicum, aut Theologiam, seu Scripturam Sacram; & ideo non sufficere studere ius ciuile. *Primò* Quia probabilius est, quod, vt docentes fructus capiant, non sufficiat, quod doceant ius Ciuile, vt habitum est *supra qu. 141.* ergo neque sufficiet, quod addiscentes, aut studentes illud studeant. *Secundò.* Quia expresè est prohibitum Sacerdotibus, Archidiaconis, Decanis, Præpositis, Cantoribus, & aliis personatum habentibus, ne audiant Phisycam, aut ius ciuile (nisi peculiarem ad id obtineant licentiam) sub pœna excommunicationis, vt constat ex *cap. fin. Ne Clerici, vel Monachi*, ergo ex hoc facile colligi potest, nolle Ecclesiam concedere priuilegium acquirendi fructus in absentia, illis Beneficiatis, aut Canonicis, qui Iuri Ciuili operam dant. Sic sentiunt Palaus *disp. 3. cit. punct. 9. .9. n. 6. in princ.* Pellizar. *tract. 5. c. 8. sect. 3. q. 14. n. 167.*

QVÆSTIO CXLIX.

An, vt studentes fructus capiant, debeant maiori anni parte in Vniuersitate commorari, & ibi diligenter studere?

REspondeo vt certum: Debere. Vnde Scholastici otiosi, qui non student, neque scholas cum debita diligentia frequentant, eo anni tempore, nullo modo gaudent priuilegio scholasticorum; nempe, vt absentes causa studij, fructus suorum beneficiorum percipiant: quia cessat finis, ob quem est concessum. Sic Tiraquel. Mascard. Rodriguez, & Prosper. de August. quos sequitur Barbosa *in Remission. ad Concil. sess. 5. cap. 1. nu. 12. & 3. p. de potest. Epis. alleg. 56. n. 4.* Moneta *2. p. q. 10. n. 19.* Bonac. *disp. 2. q. 5. punct. 3. §. 9. num. 9.* Palaus *disp. 3. punct. 9. §. 9. n. 5.* Trullench *lib. 1. in Decal. c. 8. dub. 12. §. 9. sub num. 5.* Escobar à Corro, *quæst. 5. n. 198.* Pellizar. *n. 167.* & alij id colligentes ex *cap. fin. de Magistris.*

QVÆSTIO CL.

An huiusmodi studentes, debeant necessario petere licentiam ab Ordinario, vt possint in absentia, tempore studij, fructus suorum beneficiorum lucrari?

NEgatiuam sententiam tenere multos Doctores relatos à Garcia *de benef. 3. p. c. 2. num. 85. cit.* Palaus, mox citandus, Sed certè non bene. Quia Doctores à Garcia relati *n. 86.* (non 85.) solum dicunt, teneri Ordinarium dare licentiam absentiæ, ratione studij, dummodo in petente concurrat ætas, & alia requisita &c. Non ergo negant, sed potius, supponunt talem licentiam necessario debere peti. Vnde melius posset citari pro hac parte Nauarr. *capit. 25. num. 121. notab. 2.* Silvest. *verb. Residentia, §. vltimo, §. Tertio*, & Astens. *lib. 6. tit. 34. q. 6.*

Sed vt longe probabilius Respondeo debere hodie de iure nouo, talem licentiam ab Ordinario petere, nec posse sine illa, se absentare, & fructus beneficiorum recipere. Quia sic habetur expresse in

Bulla Pij V. (non Pij IV. vt citat Pellizar.)quæ incipit *Ad cuius aures, edita* 24. *Nouemb.*1564. (non 1554. vt ait Zerola) Et loquendo de Parochis, est omnino certum, ex Tridentin. *sess.*23. *cap.*1. *de Reformat.* Et ratio est, quia ad Ordinarium pertinet examinare, an confluentes ad studia habeant qualitates à iure requisitas, nempe; an sint apti ad scientiam,an in ætate debita constituti? an, ob eorum absentiam in diuino cultu patiatur detrimentum? atqui hæc omnia non possunt fieri, si Ordinario irrequisito ad studia confluerent: ergo. Sic Garçia *loco cit.num.*87.docet, ex duplici declaratione Sacræ Congregationis Barbosa *de potest. Episcop.*3. *p.alleg.* 56.*num.*28. Castro Palaus *disp.*3.*punct.*9.§.9.*num.*7. Pellizar.*n.*167.*cit.*Trullench *loc.cit.*& Corro,Zerola in praxi Episcop.*verb.studium* §.1.

QVÆSTIO CLI.

An, Ordinarius teneatur ex iustitia, dictam licentiam concedere Canonicis, & aliis Beneficiariis non curatis,si in illis concurrant qualitates à iure requisitæ?

REspondeo vt certum: Teneri ex iustitia. Quia posito priuilegio à iure illis concesso, & concurrentibus qualitatibus in eis à iure requisitis, licentia Ordinarij danda, non est gratiæ, sed iustitiæ, & necessitatis. Et ideo si in hoc casu debitas qualitates habenti denegetur ab Ordinario, poterit appellare, & ad superiorem recurrere. Sic ex decisione Sacræ Congreg.tenet Garçia *loc. cit.num.*86. & penes illum,Abbas,Butrius,Felin. Selua, Zerola, & alij.Palaus,Trullench *loc.cit.*

QVÆSTIO CLII.

An, Parochialia beneficia habentes, possint etiam, cum licentia Ordinarij, à suis Ecclesiis, studiorum causa, abesse, & fructus lucrari?

AFfirmant multi DD. Quia de iure communi competit Ordinariis dare huiusmodi licentiam Parochis, cap. *Cum ex eo.de elect. in* 6. *& cap. fin.de Magistr.* atqui non est aliquod decretum, in quo istud priuilegium reuocetur: ergo. Ita tenent Nauar.*capit.*25.*numer.*118.Tolet.*lib.*3. *capit.*5. *numer.*4. Valentia 2.2.*disputatio.*10. *quæstion.*3.*punct.*2. Azor. 2. *p. lib.*7. *capit.*4. *quæstion.*3. Lessius *lib.*2. *capit.*34. *dubitatio.*29.*numer.*163. Zerola *in praxi Episcop.*1.*p. verb.studium*, §. *Ad septimum.* (non ad septennium, vt leges apud Palaum) Rodrig. *in sum. V. Beneficio capit.*3.*numer.*2. Sà, *verb. Residentia.numer.*8.Vega, Maiol. Hodeia, & alij relati à Garçia, *numer.*74. & à Palao *num.*9.Et licet hæc sententia sit satis probabilis; & vt talem sequatur Pellizar. *tom.*1. *tract.*5. *cap.*3 *sect.*3.*qu.*14.*n.*171.

Adhuc probabilius Respondeo, Nunc post Concilium Tridentinum, non posse obtinentes Parochialia beneficia, seu Ecclesias abesse ab eis, ob studij causam, & lucrari fructus. Quia probabilius est, dictum priuilegium iuris communi, quoad Parochos, esse reuocatum à Concil.Tridentino *sess.*23. *capit.*1. *de Reformat.* vbi non permittitur Episcopo dare licentiam Parochis,vt à propria Ecclesia absint vltra bimestre, nisi ex graui causa: atqui non reputatur grauis causa, studium in Parocho, vt constat ex Declarationibus Sacræ Congregat. Concilij, quas adducit Garçia *3.p.capit.*2.*à numer.*81.Quarum quarta sic se habet: Congregatio 22.*Februarij* 1590. censuit, Parocho causa studiorum non esse dandam licentiam, cum hodie per Concilium non admittantur, nisi qui per concursum magis idonei fuerint iudicati.Et ideo sic sentiunt Garçia *loc.cit.* Gonzalez *Regul.*8. *Cancellar. Glossa* 6. *numer.*249. Riccius *in Collectan. decis.p.*3. *collect.*563. *& in prax.fori Ecclesiast.decis.*502.Barbosa *de potest.Episcop.*3.*p.alleg.*56. *num.*3.*& in summa decis. Apost. V. Parochus quod residentiam numer.*18.*&* 20.Castrus Palaus *disputat.*3. *punct.*9.§.9.*numer.*8.Trullench *lib.*1.*cap.*8. *dubit.*12. §.9.*sub num.*3.

QVÆSTIO CLIII.

An, Episcopus solum possit dare licentiam Canonicis, aut aliis Beneficiariis non curatis,vt studeant per quinquennium?

AFfirmant solum posse per quinquennium, & non amplius, aliqui DD. qui mouentur ex cap. fin. de Magistr. tantum hoc tempore assignante. Et ex aliquibus Declarationibus Sacræ Congreg. Concilij,quas addunt Garçia *loco cit.numer.*102. quæ sic se habent. Prima. *Licentia, vt aliquis possit abesse causa studiorum à seruitio suæ Ecclesiæ, vel sui Canonicatus, non suffragatur vltra quinquennium, impetrata à die, quo studere cœpit.* Secunda. *Causa studiorum nemo abesse potest,vltra quinquennium, & hoc tempore distributiones quotidianas non lucratur.* Sic Igitur Garçia *à numer.*101. Moneta 2. *p. de distribut. quæstion.*10.*numer.*14.Barbosa *3.p.cit.allegat.*56. *num.*31. *& in summa Apostol. decis. verb. licentia, decis.*449. *numer.*25.

Sed æque probabiliter Respondeo, Posse dare, & extendere dictam licentiam ad septennium.Quia in cap. *Cum ex eo, de elect.in* 6. (quod posterius est capite fin. de Magistris) expressè habetur, quod possit dari licentia per septennium: ergo ad hoc tempus ex iure extendi licentia potest. Patet quia cum *cap. cum ex eo,*sit posterius, dicendum est per ipsum derogari cap. finali, de Magistris, quod est prius. Deinde quia hæc licentia extendi ad septennium refert decisum Salcedo ad Bernard. *in pract. crimin.in cap.*53.

Vnde sic tenent Zerola *in praxi Episcop. V. studium*, §. *Ad tertium* Zechus *de Republ. Ecclesiast. tract.de Clericis num.*7.*vers.*28. Palaus *disp.*3. *pun.*9. §.9. *num.*11. Trullench *num.*3. *cit.* Pellizar. *tract.*5. *capit.*8.*sect.*3.*quæstion.*14. *numer.*169. & alij imo, & Garçia *loco cit. numer.*104. *& sequent.* approbat nostram sententiam, loquendo de studentibus Theologiam in Vniuersitate Salmantina, dicens, posse virtute Bullæ Eugenianæ,abesse per septennium, & fructus percipere.

Aduerte autem hic, quod Docentibus Theologiam, aut Ius Canonicum, minime limitetur tempus, & ideo toto tempore quo occupati in docendo fuerint, possunt fructus in absentia capere, ex *cap.fin.de Magist.*& Tridentin.*sess.*5. Legatur Palaus *loco cit.*

QVÆSTIO CLIV.

An, si beneficium constat ex solis distributionibus quotidianis, eas lucrentur absentes ratione studij?

NEgat Bonacina *disp.2.qu.5.punct.3.§.9.num.2.* Quia solùm est facta concessio fructuum Præbendæ, aut Beneficij, demptis distributionibus, vt diximus *supra quæst.146.* ergo si Præbenda, aut Beneficium nullos habet fructus nulla erit concessio. Ita ille. Et antea, in simili Garçia, *de Benef. 3. p. cap.2.num.252.*

Sed probabilius, Respondeo. dicendum, quod tunc verè lucrentur distributiones omnes, dempta tertia parte. Quia tunc illæ distributiones, succedunt loco fructuum. Sicque declaratum esse à Sacra Congregat. Concilij testatur Garçia, *3. p. capit.2. num.113. & sequent.* & tenent apud ipsum, Rebuffus, Horatius, Lucius, Perez, Ocon, Gomez, Espino, & Zerola. Quibus adde Quarantam, *in sum. Bullar. v. Residentia* Piasecius *praxi Episc. 2. p. cap.3. num.10.* Tuschus *concl.514. lit.D.* Palaus *disp.3. punct.9.§.9. fine.* Barbosa *3. p. de potest. Episc. alleg.56. numer.19. & 20.* Pellizar. *tract.5.cap.8.sect.3.quæst.10.n.159.& quæstio.14.numer.168.*

QVÆSTIO CLV.

An, Canonici, aut alij Præbendati, possint abesse à Choro per tres menses, singulis annis; & fructus suorum Canonicatuum, aut Præbendarum recipere?

REspondeo, certum: Posse. Quia id tempus est eis concessum à Concil. Trident. *sess.23.de Reformat.cap.1.& sess.24.cap.12.* vt vidimus *supra q.31.* Legantur, & ibi DD.

QVÆSTIO CLVI.

An, non solùm fructus, sed etiam distributiones, Canonici possint recipere, per illos tres menses, absentes?

AFfirmant Ocon apud Garçiam, *in Rep. vnici, de Cleric. non residen. in 6.* vbi ait, in quampluribus Ecclesiis sic seruari. Cenedo *collect.15. ad 6. decret. num.7.* & id supponit Nauarr. *de Orat. capite 5. num.20. & cap.21. num.64.* & post illos, Thom. Sanchez *in Consil. lib.2.cap.2.dub.103.*

Sed probabilius, Respondeo solùm lucrari fructus. Quia ex *cap. vnico de Cleric. non resident. in 6.* distributiones quotidianæ solùm conceduntur, casu, quo infirmitas, necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ intercedat, solùm ergo lucrabuntur fructus. Sic Garçia *3. p.cap.2. num.249.* Qui id probat & ex *cap. vnico cit.* & decreto Concilij *d. capit.12.* & decisione Sacræ Congreg. quæ sic se habet: *Qui absentes sunt recreationis causa, non lucrantur nisi fructus Præbendarum, non autem distributiones quotidianas, siue sint antiquæ, siue nouæ, ex cap.3. sess.21. & 22. quæ sunt distinctæ à Præbendis.* Sic Congregatio præter quam, alias duas refert ibi, & alibi alias, & ita tenent apud ipsum, Flam. Paris. Zechus, & Gonzalez, Barbosa *3. p. de Potest. Episc. alleg.53. numer.123. & in Remission. ad Concil. sess.24. cap.12. num.32.* Castro Palao, *disp.3. punct.9. §.10. num.11.* Pellizar. *tract.5. cap.8. sect.3. qu.10. num.159.* & alij. Limitanda tamen est hæc responsio, ad casum, quo non sit statutum, aut consuetudo in contrarium, aut præbenda non habeat alios fructus, præter distributiones quotidianas; quia tunc probabilius iudico, absentes his mensibus tribus, lucrari illas, vt habitum est *supra quæst.154.*

QVÆSTIO CLVII.

An, vt Canonici possint hoc priuilegio absentiæ trium mensium, frui; teneantur per integrum annum Choro interesse, & possint distributiones lucrari?

REspondeo, vt certum: affimatiuè. Quia Concilium Tridentin. hoc priuilegium concedit Ecclesiis, quæ integro anno residentiam postulant. *sess.24. de Reformat. cap.12.* Sic Garçia, *de Benef. 3. p. cap.2. num.311.* his verbis: *Si tamen Constitutio, aut consuetudo Ecclesiæ requirit seruitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium à Concilio permissa: est enim nimis dura residentia totius anni, oportetque maximè, iuxta fragilitatem humanam, indulgeri aliquod tempus ad recreationem corporis, & animi.* Et ita Sac. Congreg. Concilij censuit in vna Astoricen. his verbis: *Decretum Concilij. cap.12. sess.24. concedit Canonicis absentiam trium mensium, si Constitutiones Ecclesiæ seruitium totius anni requirunt.* Hucvsque Garçia. Quem, citant, & sequuntur Barbosa *ad d. cap.12. Concilij. num.35.* & Palaus, *numer.10.* Pellizar. *numer.159.* Bonacin. *disputat.2. quæstio.5. punct.4.num.9.*

QVÆSTIO CLVIII.

An Canonicus qui Canonicatus possessionem accipit in medio anni, possit licite per dictos tres menses, illo anno abesse?

REspondeo, vt certum: Non posse. Quia non seruiuit Ecclesiæ per totum integrum annum nec per totum fuit ad residendum obligatus, nisi per dimidium solùm, ergo poterit abesse à Choro per vnum mensem cum dimidio, quia solùm per medium anni seruiuit aut ad residentiam obligatus fuit; & ideo potest frui medietate priuilegij concessi illis, qui obligati sunt toto anno residere: nam priuilegij vsum computari debet pro rata temporis obligationis. Sic Bonac. Palaus, & Pellizar. *loc.cit.*

QVÆSTIO CLIX.

An, Canonicus, qui per totum, aut maiorem partem anni, abest, sine legitima causa, à Choro; possit nihilominus, frui tribus dictis mensibus, quos vocant De Recle?

NEgandum videtur. Quia hi dies conceduntur ad residentiam, in seruitio Ecclesiæ per annum, requiem, & leuamen: ergo non illis, qui, necdum maiorem partem residere. Ita Moneta *lib.2. quæst.14.num.34.*

Sed probabilius Respondeo, Posse adhuc frui dictis tribus mensibus: nisi in Ecclesiæ statutis, vel consuetudine in ea recepta, sit declaratum opposi-

tum. Ratio est, quia hoc priuilegium non datur iis, qui actu residet; sed illis, qui obligati sunt ad residendum: aliàs Canonicus eo frui non posset, quo vsque nouem menses prius resideret, quod non est vsu receptum, cum possit in qualibet parte anni hos tres menses recreationis accipere. Sic Palaus *loc. cit.* Bonacina *disp. 2. de Horis quæst. 5. punct. 4. à numer. 11.* (non 22. vt offendes apud Palaum) Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 104. per tot.* Pellizar. *tract. 5. capit. 8. sect. 3. q. 10. n. 159. & 161.*

QVÆSTIO CLX.

An, Canonici, qui male, aut vane, expendunt illos tres recreationis menses; teneantur restituere fructus illis correspondentes?

AFfirmant Nauarrus, casus tamen solum, quo dicti Canonici principaliter prædictos menses acciperent ad vanè, & male illos expendendos, *quia tunc* (inquit) *peccarent coram Deo, & in foro conscientiæ restituere teneventur; licet in foro exteriori, suæ portiones non possent eis denegari.* Ita ille (ex Paludano *in 4. dist. 15. quæst. 5.*) *de Orat. cap. 5. num. 20. & cap. 21. nnm. 64.*

Sed probabilius, Respondeo. Non teneri ad restitutionem fructuum; quia licite eos, adhuc in casu posito, recipiunt. *Ratio est,* (ait Sanchez) *Quia prædicti tres menses* de Recle *absolutè conceduntur, vt aliquam requiem habeant Canonici, toto anno assistentes Horis: & vt iustum sit eam requiem eis concedere parum refert, quod hi malè, aut vane expendant illos menses. Item, quia sic vsus interpretatus est, sic nonnulli maximè docti Recentiores.* Hucvsque Sanchez *loco cit. dub. 103.* Et ex illo, Pellizar. *num. 161. cit.*

QVÆSTIO CLXI.

An, ad absentiam horum trium mensium, seu nonaginta dierum, requiratur specialis causa, & licentia Ordinarij?

AFfirmare videtur primam huius quæstionis partem, Nauarr. *de Orat. capit. 5. numer. 20.* ex Paludano, nuper citato. Et tenet Ocon, apud Garciam, mox citandum.

Sed probabilius longe, Respondeo. Nec requiri specialem causam, præter leuamen ab obligatione residentiæ; quæ sufficiens est ad hoc priuilegium concedendum: nec desiderari licentiam ordinarij. Sic pluribus de cessionibus Sac. Congregationis confirmat Garçia, *3. p. de Benefic. cap. 2. numer. 314.* (non 914. vt offendes apud Palaum) Zerola, *in praxi Episc. 1. p. verb. Priuatio. §. 2. dubitat. quarta.* Riccius *Resolut. 392. numero 4. & 5.* Barbosa *3. p. de potest. Episc. allegat. 53. numer. 118. & in Remiss. ad Concil. sess. 24. cap. 12. numero 33.* Palaus *disputat. 3. punct. 9. §. 10. num. 8.* Pellizar. *tract. 5. cap. 8. sect. 3. qu. 10. n. 160.*

Qui tamen addunt, quod licèt ad dictam absentiam, non requiratur Ordinarij facultas; nihilominus tamen, si is videat, ob multitudinem absentium diminui diuinum cultum, possit cogere, ne absint, iuxta *cap. cum ad hoc de Cleric. non residen.*

QVÆSTIO CLXII.

An, Canonici possint, quouis anni tempore ex vi dicti priuilegij, per tres menses abesse?

NEgant Zechus *de Republ. Ecclesiast. tit. de Beneficiatis num. 6. vers. Quod si beneficia.* & Zerola *in praxi Episcop. verb. Priuatio. §. 4. dicto 2. principale* (non, *præsentiali* vt leges apud Garçiam, & Barbosam) *dub. 3.* docentes, quod Canonici tribus mensibus abesse non debent tempore Paschæ Domini, & huiusmodi maximarum solemnitatum, ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij, quæ sic se habet apud Barbosam & Garçiam: *Archiepiscopus Gennensis prouideat, ne duos menses, quos habent vacantes Canonici sui Capituli, incurrant in Natale, aut Pascha Domini, aut huiusmodi maximas solemnitates.* Ita referunt Garçia *numer. 116.* & Barbosa *num. 34.*

Sed probabilius, Respondeo posse dictos Canonicos, quouis tempore anni indifferenter abesse per trium mensium spatium, præcipuè in Hispania, vbi regulariter remanet competens numerus Canonicorum; itavt propter dies absentiæ, & recreationis, Ecclesia non destituatur debito seruitio. Sic Garçia *loc. cit.* Bonac. *punct. 4. cit. numer. 15.* Palaus *num. 9.* Pellizar. *num. 159. fine.* Qui tamen bene aduertunt, procurari nihilominus deberi ab ordinario, ne absint Canonici, prædictis diebus à Congregatione exceptis, non tamen obligatione stricta.

QVÆSTIO CLXIII.

An, Canonicus, qui v. g anno 1658. abfuit à residentia, mensibus Octobris, Nouembris, & Decembris; possit anno sequenti 1659. abesse Ianuario, Februario, & Martio; itavt absit à residentia sex mensibus continuatis, pro duobus præfatis annis?

AFfirmat Pellizar. *tr. 5. cap. 8. sect. 3. q. 10. n. 162. vers. illud præterea,* his verbis: *Respondeo videri posse abesse totis sex illis mensibus continuatis. Et probatur: Tum, quia Concil. Trident. concedit, vt Beneficiarius, quolibet anno, per tres menses abesse possit à residentia; nec vetat immediatam continuationem trimestris anni præcedentis, cum trimestri anni sequentis, non ergo apparet, cur in præsenti casu, absentia trimestris sequentis, non possit continuari cum absentia trimestris præcedentis: cum lex generaliter loquens, generaliter debeat intelligi: & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debeamus.* Ita ille. Qui, addit sic in facti contingentia respondisse, & approbasse responsionem viros valde doctos.

Sed ego clarius, Respondeo dicendum, quod verè possit abesse per illos sex menses continuatos; dummodo dictus Canonicus possessionem Canonicatus ante annum 1658. accepisset; secus verò si post inceptum dictum annum. Non id clare constat ex dictis *quæst. 157. & sequent.* & de se patet. Rursus requiritur, quod de hac sua noua absentia, det notitiam Decano, vel Præsidenti in Choro, quia ad illos curare pertinet, ne multis Canonici à Choro absint, vt constat ex nuper dictis. Quibus limitationibus positis probabilis mihi est, Pellizarij sententia.

QVÆSTIO CLXIV.

An, dicti tres menses absentiæ, quos Concilium dat Canonicis, debeant confici, ex horis, quibus Canonici residentes, à Choro absunt?

REspondeo, Quod non. Quia sic declarauit Congregatio Concilij: iis verbis: *Congregatio censuit, non posse confici ex horis, quibus Canonici residentes absunt à Choro, dies: & ex diebus, & Horis sic collectis confici menses absentiæ, de quibus in hoc decreto. Neque ad colligendum seruitium nouem mensium, colligendas esse punctaturas, quasi iis, qui nouem partes punctaturarum ex duodecim, quæ ex seruitio totius anni conflantur, deseruiendo tulerint, seruitio nouem mensium debito satisfecerint. Sed ipsos dies residentiæ & seruitij, siue continui fuerint, siue interpollati, numerandos esse, vt complementum dictorum nouem mensium.* Sic referunt, mutatis aliquibus verbis, Garçia *p.3.de Benef. cap.2. num.327.* & ex Barbosa, Palaus *disp.3.punct.9.§.10.num.9.vers. Adde.*

QVÆSTIO CLXV.

An, Canonicus licitè possit distributiones acquirere, si se à Choro excuset, propter recipiendum hospitem; vel vt radat barbam; casu, quo ea non faciat, tempore Chori, sed nocte?

NEgauit Nauarrus *de Orat. in Sum. Hispana c.5. num.19.* docens, teneri eo casu in foro conscientiæ restituere distributiones. Quia perinde est, ac si causa fuisset falsa: at causa existente falsa tenetur restituere: ergo.

Sed probabilius, Respondeo licitè posse distributiones acquirere, ac proinde, non teneri ad restitutionem. Sic idem Nauar. mutans sententiam, tenuit, *de Orat. cap.5. cit. numer.21. Tum*, inquiens, *quia parum, vel nihil detrahit cultui diuino, qui rasuram barbæ, ob quam potuit excusari ab aliqua Hora, si fecisset in ea radi, protrahit in noctem, vel aliam horam proximiorem, cum si protrahere non posset illa hora faceret eam radi: Tum quia benignior est, (hæc pars) & consuetudo ita videtur interpretari, quæ cum nil, vel parum noceat diuino cultui, satis potest probari.* Sic Nauarrus. Quem citat & sequitur. Sanchez *libro 2. consil. cap.2. dub.97.* Escobar à Corro, *quæstio.5. de Horis numer.80.*

QVÆSTIO CLXVI.

An, habens duplex beneficium, veluti Canonicatum, & Decanatum, si Choro assistat, duplicatas acquirat distributiones.

NEgant plures Doctores, eo quod distributiones dantur pro assistentia Diuinis Officiis: at iste non potest assistere, nisi vt vnus; ergo nec potest lucrari nisi vnicas distributiones. Ita Garçia, *de Benefic.3. p. cap.2. numer.185.* Azor. *2.p. lib.3.capit.11. quæst.19.* Macignus, Layman, Hoieda, & Cenedo quos citat, & sequitur Bonac. *disp.2.de Horis qu.4. punct.4. num.3.* Corro, *quæst.5.de Horis num.51.* vbi plures citat pro hac parte Doctores, sed plures malè, vt solet. Trullench. *lib.1.cap.8.dub.5.n.2.*

Sed probabilius, Respondeo. Duplices distributiones quotidianas acquirere, saltem vbi fuerit consuetudine receptum. Quia huiusmodi duplex beneficium habens, habet duplicem vocem in electionibus, ex *cap. cum olim. de senten. & re iud.* ergo pari ratione, si assistat Choro duplices distributiones habebit. Sic Couarru. *lib.3. variar.* (non 2. vt leges apud Bonac.) *capit.13. num.6.* & apud ipsum Ioan. Andr. Abbas, Felin. Baldus & Cardin. Sanchez *lib.2. consil.c.2.dub.106.n.3.* Barbosa *3.de iure Eccles. c.18. num.31.* & alij. Et quidem, vbi fuerit id legitima consuetudine introductum, nemini (nisi Curtio, apud Couarru.) potest esse dubium quin licitè possit duplicatas distributiones accipere.

DISPVTATIO VII.

De obligatione restituendi fructus beneficij, ex omissione recitandi Horas Canonicas.

QVÆSTIO PRIMA.

An Beneficiati non recitantes Officium, teneantur ad restitutionem fructuum perceptorum?

RESPONDEO, Tanquam quid certum. Teneri. Quia hæc pœna statuta est illis in Concil. Lateran. sub Leone X. *sess.9. §. statuimus.* Cuius constitutio postea declarata, innouataque fuit, ac aucta à Pio V. *in sua Constitut.* quæ incipit: *Ex proximo Lateranensi* edita *12. Kalend. Octobr.* 1571. Sic omnes Doctores. Legantur Nauarr. *de Orat. cap.7. num.31. & cap.21. num.61.* Garçia, *de Benefic. p.3. cap.1. à numer.1.* Suarez *lib.4. de Horis cap.29.* Carol. Macignus, *capit.28.* Bonac. *de Horis disp.1. quæst.5. punct.2.* Sanchez, *lib.2. consil. capit.2. dub.81. & seqq.* Castrus Palaus *tom.2. disp.2. punct.7.* Ægidius Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.7. dubit.24.* Pellizar. *tom.1. Man. Regul. cap.8. sect.4. quæstio.11. num.204.* Escobar à Corro, *de Horis Canon. quæst.4. §.4.* Azor. *tom.1. lib.10. cap.14.*

QVÆSTIO II.

An, præfatum Decretum Concilij Lateranensis, obliget omnino in foro conscientiæ?

NEgant aliqui, existimantes decretum istud, non esse vsu receptum, & sic ex vi illius non obligari Beneficiarios non recitãtes restituere fructus. Ita, apud Sanchez, nonnulli valde docti recentiores Magistri in suis scriptis. Et Simancas *lib. de Inst. 1. Catholic. tit.9. num.108.* ait dubitari probabiliter posse, an hæc pœna obliget omnino in foro conscientiæ; quia hoc decretum vsu non est receptum, & paucis innotuit. Et Sotus *lib.6. de iust. quæst.1. art.6. ad 1.* dicit, nondum planè sciri, an fuerit vsu receptum.

Sed vt certum, Respondeo. Præfatum decretum omnino obligare in foro conscientiæ. Quia illud confirmauit, innouauit, & auxit Pius V. *constit. citata.*

Sic

Sic Sanchez *lib.2.consil.cap.2.dub.82.num.8. concl.1.* per hæc verba: *Decretum Concilij Lateran. citatum, est seruandum, tanquam vsu receptum: & sic Beneficiarij non recitantes Horas Canonicas, sunt, secundum illud, obligandi ad fructuum restitutionem. Quod licèt ante Constitutionem Pij V. non esset adeò certum; iam tamen, post illā nequit sub dubium cadere.* Sic Sanchez. Et antea Nauarr. *cap.7.& 21.cit.* Diaz *pract.crimin.c.49.* Suarez *lib.4. de Horis capit.30. à num.2.* Garçia, *de Benef. p.3. cap.1. numer.2.* Pellizar. *tractat.5. capit.8. sectio.4. quæst.11. numer.204.* Corro, *numer.4.* Azor. *loc. cit. cap.14. quæst.2.*

Qvæstio III.

An, Beneficiarius non recitans Officium, teneatur fructus beneficiarij restituere, non solùm vi decreti Concilij Lateranen. sed etiam vi iuris naturalis?

Affirmant quidam Doctores, qui id probant: quia beneficium datur propter officium, vt habetur *in cap. finali de rescriptis in 6.* atqui Officium maximè proprium Clerici est recitare Horas Canonicas: ergo qui id non præstat, tenetur iure naturali restituere quidquid illi datum est propter hoc. Ita aliqui DD. apud Azorium *loc.cit.quæst.1.* & Thomam Sanchez, *lib.2.consil.cap.2.dub.81.*

Sed longè multo probabilius, Respondeo. Non teneri ad restitutionem fructuum, vi iuris naturalis. Quia vt *infra* dicemus, Beneficiatus, qui primis sex mēsibus, ab obtento pacificè beneficio, omittit recitare Officium, non tenetur ad restitutionem aliquam fructuum; vt decreuerunt Leo X. & Pius V. sed si ex iure naturali ad di teneretur, etiam primis sex mensibus, si omitteret Officium, teneretur fructus perceptos restituere: ergo. Sic Garçia, *de Beneficiariis 3.p.cap.1.num.7.* Sanchez *loc.cit num.2.* cum pluribus aliis Doctoribus mox referendis.

Qvæstio IV.

An, saltem. iure antiquo, & ante dictas Constitutiones Concilij Lateranen. & Pij V. Beneficiati non recitantes, tenerentur restituere fructus interim perceptos?

Affirmant, ob rationem, pro prima sententia, adductam, Calderin. Decius, Ripa, Angel. Tiraquel. Gam. Simancas, Baeza, & Rochus apud Garciam, *loc. cit. num.10.* Valentia *2.2.disp.6.qu.2. punct.10.§.8.* Gabr. Vazquez *1.2. disp.160. num.32. & disp.168. num.34.* Aragon. *2.2. quæst.83. art.13.* Petr. de Ledesma *tractat.9. capit.4. circa 11. conclusionem.*

Sed probabilius, Respondeo quod spectato iure antiquo, ante dictam Constitutionem Concilij, & Pij V. minimè tenebantur Beneficiarij non recitantes, ad restitutionem fructuum beneficiorum, quos interim percipiebant. Quia nullus textus id præcipiebat. Quod confirmat verbum; *Statuimus*, quo incipit Constitutio Concilij Lateranen. quod quidem verbum, est iuris noui inductiuum, vt cum aliis docet Garçia *num.9.* ergo. Sic ipse *num.8.* citans pro se Innocent. Ioan. Andr. Butrium, Cardin. Panormitanum & Felinum. Summ. Rosella, *Clericus 4. num.23.* Siluest. *eod. v. num.16.* Nauarr. *de Orat. cap.7. num.31. & cap.10. num.56. & cap.21. num.58. & 90.* Azorium *lib.10. cap.14. num.14.q.1.* tenent etiam Sanchez *loc. cit. dub.81.* Pellizar. *tr.5. cap.8. sect.4. quæst.11.* Lessius *lib.2. cap.14. dubit.30.* Filliuc. *tractat.23. numer.308.* Layman. *lib.4. tract.2. cap.5. num.1.*

Qvæstio V.

An, Beneficiatus non recitans, intra sex primos menses, non solùm peccet mortaliter; verum etiam, teneatur ad restituendos fructus perceptos?

Affirmant vtrumque quidam Doctores, existimantes non solùm peccare mortaliter, vt omnes fatentur, verum etiam teneri ad restitutionem fructuum; licèt non ita rigidam, ac habent post sex menses. Nam post hos (inquiunt) habent obligationem restituendi pro rata fructus perceptos, etiam si alia officia, & munera obeant: at illis primis sex mensibus, non ita rigidam obligationem habent, sed iuxta Officium positum mitigare possunt restitutionem. Quia solùm obligantur ex iure naturali, quod intactum videtur relictum, quia beneficium datur propter Officium. Ita refert horum sententiam Palaus, pro qua citat Suarium *lib.4. de Horis Canon. cap.29.n.7.* Vazquium *1.2. disp.160. num.32. & disput.168. num.34.* Azorium *lib.10.cap.14.* Valentiam *2.2. disp.6. quæst.2. punct.10. §.8.* Couarru. *3. variar. capit.13. numer.10.* & Menochium *de arbit. consil.2. casu 429.* Quibus addi possunt omnes authores citati pro prima sententia *quæst.4.* vt de facto à Suario citantur.

Sed probabilius, Respondeo dicendum, quod licèt dictus Beneficiarius omittentes Officium, primis sex mensibus, peccet mortaliter: non tamen teneatur ad restitutionem aliquam fructuum. Probatur vtraque pars. Quia Concilium Lateran. & Pius V. solùm affirmant sic Officium omittentem peccare mortaliter; & nil de restitutione dicunt: ergo tacitè insinuant nullam restituendi obligationem habere. *Confirmatur:* quia obligatio restituendi fructus, quam Beneficiarius omittens Officium, habet; nec nascitur ex iure naturali; nec ex iure communi antiquo; sed solùm ex Decreto Concilij, & Pij V. vt *supra* est habitum: atqui ex hoc decreto solùm colligitur prædictum Beneficiarium peccare mortaliter; non vero, quod teneatur ad restitutionem; cum solùm ad id obliget, casu quo post sex menses ab obtento beneficio, Officium non dicat: ergo. Sic Nauar. *cap.21. de Orat. num.38. & consil.19. de Celebrat. Missar.* Graff. *in decis. lib.2. cap.50. num.13. & cap.51. num.3.* Tolet. *lib.2. Sum. cap.2. versu Primum sit.* Azor. *lib.10. cap.14. quæst.4.* vnde male citatur à Palao pro opposita parte: expressè namque hanc nostram tenet. Garçias, *de Benefic. p.3. cap.1. num.7.& 19.* Lessius *lib.2. cap.34. dub.31. num.129.* Filliuc. *tract.23. cap.10. numer.308.* Bonac. *disput.1. quæst.5.punct.2. num.9.* Macignus, *cap.28.numer.11.* Malder. *tract.10.cap.2.dub 4.* Layman. *lib.4. tract.2. cap.5. num.1.* Palaus *disp.2. punct.7. num.2.* Sanchez *lib.2. concil. cap.2. dub.82. num.9. & 10.* Pellizar. *tom.1.tract.5.cap.8.sect.4. num.205.* Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.7. dub.14. num.2.* Diana *p.2.tract.12. Resol.25.* Corro, *de Horis q.5.§.4.n.25.& 26.*

QVÆSTIO VI.

An, Beneficiarius, qui infra sex menses à susceptο beneficio, non recitat, quia nescit; excusetur à culpa, & faciat fructus suos?

AFfirmat Zezola, *in praxi Episc. verb. Beneficia* §. 4. *dub.* 1 *pag. mihi* 47. quem sequitur Lælius Zechus *de Repub. Eccles. tractat. de Beneficiatis num* 7. Ratio eorum est: quia tam Concilium, quam Pius V. indulsit illius temporis spatium, ad hoc vt possit edoceri Officij celebrationem.

Sed ex dictis, Respondeo. Minimè excusari à culpa, si ex industria, aut omissione culpabili, omittat recitare Officium. Quia clare id colligitur ex Concilio, & Pio V. qui in suis Constitutionibus, aut Decretis minimè egerunt de indulgentia, sed solùm voluerunt obligare ad restitutionem Beneficiarium, qui post sex menses Officium non diceret. Sic Garçia 3. *p. de Benef. cap.* 1. *num.* 21. *& seqq.* secus esset si omitteret Officium, ob defectum directoris, vel ob aliam causam inculpabilem; quia tunc non peccaret actualiter, & à fortiori; nec post sex menses teneretur ad fructus restitutionem, vt docet ex Nauarro Sanchez *libro* 2. *consil. capite* 2. *dubitat.* 86. *numero* 2.

QVÆSTIO VII.

An, Beneficiarius teneatur ad restitutionem fructuum primo semestri, casu, quo, statim post acceptum beneficium, per aliquod tempus Horas, persoluat, & postea incipiat illas omittere?

AFfirmat, teneri in casu ad restitutionem dictum Beneficiarium, Summa Corona 1 *p. cap.* 1. *n.* 92. *vers. Tertio nota.* dicens, tunc non suffragari ei hoc tempus sex mensium, & ideo pro quolibet die quo Officium dimiserit, tatam beneficij amittere.

Sed oppositum omnino, Respondeo dicendum, quod adhuc in prædicto casu, minimè teneatur ad restitutionem vllam fructuum beneficij. Quia decretum Concilij, & Pij V. oppositum clare volunt. Et confirmatur, quia secundum sententiam Coronæ, melioris esset conditionis, qui, plus delinqueret. Sic Garçia *loc. cit. num.* 24.

QVÆSTIO VIII.

An, Beneficiarius, qui sine culpa mortali, omittit recitare, post sex menses, Officium; teneatur fructus restituere?

AFfirmant apud Sanchez, omnes Doctores, qui affirmant, teneri Beneficiarios non recitantes, iure naturali restituere fructus beneficij, quos *supra quæst.* 3. citatos habes. Et expresè id docet Petr. Ledesma non *tom.* 2. *Sum. tract.* 1. *quæst.* 4. *post* 10. *concl. difficult.* 2. vt citat Sanchez sed *tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 4. *post vigesimam primam concluf.*

Sed multo probabilius, Respondeo. Non teneri ad restitutionem fructuum, qui absque mortali omittit Officium. Ratio est. Tum: quia carentia fructuum inducta est à Pontifice in pœnam culpæ commissæ, in omissione Officij: ergo, vbi non adest culpa, non debetur hæc pœna. Tum etiam, id constat, ex constitut. Pij V. vbi dicitur, qui Diuinum Officium, *Legitimo cessante impedimento, non dixerit, &c.* quod est dicere; qui Diuinum Officium culpabiliter non dixerit. Et ideo sic docent Garçia 3. *p. cap.* 1. *cit. num.* 26. Azor. *lib.* 10. *cap.* 14. *quæstio.* 7. & apud ipsum, alij viri pij, & docti. Nauarr. *de Orat. cap.* 22. *fine.* Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 2. *dub.* 86. Suarez *lib.* 4. *cap.* 29. *num.* 16. Lessius *cap.* 34. *n.* 183. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 3. *num.* 44. Naldus *verb. Diuin. Officium. n.* 15. Molfess. *in Summa tract.* 5. *cap.* 5. *nu.* 14. Macignus *c.* 18. *&* 19. Bonac. *disp.* 2. *q.* 5. *pun.* 2. *num.* 4. *& qu.* 6. *pun.* 2. *n.* 3. Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 4. *qu.* 18. *n.* 217. Palaus *disp.* 2. *pun.* 7. *vers. secundo infertur.* Villalob. *tract.* 24. *diff.* 17. *num.* 12. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. c.* 7. *dub.* 24. *n.* 7. *&* 19. Escobar à Corro, *de Horis qu.* 5. §. 4. *n.* 27. S. Faustus *de Horis qu.* 282. Diana 3. *p. tract.* 6. *Resol.* 41. *in fine.* P. Hermanus *in Sum. lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 2. *art.* 2. *Resp.* 2. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 10. *quæst.* 8. *num.* 323.

QVÆSTIO IX.

An, Beneficiarij teneantur ad restitutionem fructuum; si intra totum annum omittant recitare per octo, aut decem dies?

NEgant aliqui Doctores, docentes, quod Beneficiarius, qui in toto anno omittit recitare, octo, aut decem diebus, siue interpolatè, siue successiuè, non teneatur ad aliquid restituendum. Quia nemo (inquiunt) prudens dominus priuat seruum suum mercede, si per octo, aut decem dies, cessauit illi seruire: ergo multo minus priuabit Dominus liberalissimus suum seruum Beneficiarium, fructibus beneficiorum, etiamsi per octo, aut decem dies prætermittat recitationem Officij. Ita tenent Medina *in Sum. lib.* 1. *cap.* 14. §. 11. *Regula* 4. *circa recitat. Officij.* Ludou. Lopez *tom.* 1. *cap.* 145. Ioan. de Cruce 1 *p. director. præc.* 3. *art.* 3. *dub.* 6. *concl.* 3. *in fine.* omnes ex Illustriss. Dominicana familia. Ioan. Henriquez *in Compend. Casuum Moral. cap.* 29. *n.* 30. Quibus aliqualiter fauent Diana 2 *p. tract.* 12. *Resol.* 34. & Pasqualig. *decis.* 454. dicens, hanc opinionem esse probabilem ab extrinseco. Tenet etiam Possevinus *cap.* 3. *numer.* 35. apud Escobarem à Corro.

Sed multo longe probabilius, Respondeo. Teneri ad restitutionem. Tum; quia sic clare colligitur ex Constitutione Pij V. vt *infra. Tum etiam; quia*, (vt bene redarguit Pasqualigus) *si seruus, absque vllo legitimo impedimento, & absque tacita, aut expressa licentia Domini, cesseret seruire per decem dies in anno, censeretur notabiliter violare seruitutem debitam, & dignus esset, qui reiiceretur à seruitio: quod multo magis videtur habere locum in eo, qui tenetur ratione Beneficij recitare Officium: quia in hoc insumitur modica pars diei cum magna vtilitate, quando Beneficium est pingue.* Sic Pasqualig. *loc. cit. num.* 6. vbi ait, hanc nostram sententiam valde admodū conformem videri menti Pij V. & obligationi, qua tenemur, erga Deum; cuius liberalitas, non debet esse fundamentum nostræ ingratitudinis. Sic Syluius 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. *concl.* 4. dicens, oppositum esse improbabile. Castro Palao *disput.* 2. *punct.* 7. *num.* 4. vbi ait non esse audiendos oppositæ sententiæ Doctores. Sic Suarez, Sanchez Vazquez, Garçia, & alij mox citandi.

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

An saltem esset liber à restitutione fructuum, Beneficiarius, qui intra annum, omitteret Officium vno, aut duobus diebus, non pluribus?

AFfirmabunt à fortiori Medina, Lopez, Cruz, & alij nuper pro prima sententia adducti; & ex amplectentibus nostram, affirmant Sotus *lib.* 10. *de Iust. quæst.* 5. *art.* 6. (non 5. vt legi apud Palaum) *post concl.* 4. *vers. Quod ergo Consilium.* Vega *in Sum.* 1. *p. c.* 36. *casu* 1. *& c.* 128. *casu* 18. Ortiz. *c.* 3. *Summæ.* §. *mihi* 11. *in fine.* (Pasqualigo *n.* 22.) Escobar à Corro *q.* 5. *de Horis* §. 4. *n.* 8. *in fine*, vbi ratione æquitatis, iudicat, quod omissio recitationis trium, vel quatuor dierum in anno, non obliget ad restitutionem Filliuc. *tr.* 23. *cap.* 10. *q.* 6. (non 8. vt inuenies apud Corrum) *nu.* 317. vbi ait, hanc sententiam, quoad vnum diem, vel alterum, ex benigna interpretatione iuris in praxi vsurpare posse. Imò Couarru. *lib.* 3. *variar. c.* 13. *in fine*, opinionem Soti approbat. Aragon. etiam 2. 2. *qu.* 83. *art.* 13. & Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 7. *dub.* 24. *n.* 9. *in fine.* Hermanus *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *art.* 2. *num.* 5. *vers. Restitutio hæc.*

Sed adhuc multo probabilius, Respondeo. Non esse liberum à restitutione fructuum, Beneficiatum omittentem Officium sine causa, vno, aut duobus diebus per annum. Quia expressè id voluit Pius V. qui pro qualibet die; imò, & pro qualibet Hora restitutionem fieri præcipit, his verbis: *Qui vno, vel pluribus diebus, omnes Horas Canonicas intermiserit, omnes fructus amittat, qui illi, vel illis diebus corresponderent, si quotidie diuiderentur.* Si igitur Pontifex restitutionem fructuum pro omissione vnius Horæ, nempe, partem proportionatam, quæ recitationis talis Horæ correspondet, fieri præcipit: multo magis, iuxta decretum ipsius, est restitutio facienda, si Officium omittatur per vnum, aut alterum diem. Nec obstat famulum omittentem vno, vel altero die in anno debitum seruitium, præsumi à Domino exemptum esse ab obligatione restitutionis, ex quadam benigna congruitate, ne videatur Dominus nimis rigidus exactor; quominus, omittentem recitationem vno, vel altero die, obligatum non esse restituere: quia in hoc casu expressit suam voluntatem Dominus, scilicet, Ecclesia. Dum autem hanc voluntatem satis non expressisset, poterat illud præsumi, vt bene notat Palaus. Sic communis Nauarrus *capit.* 21. *de Orat. num.* 60. *&* 61. vbi bene redarguit, & conuincit Sotum. Angles, Rodriguez, Viuald. Azor. & Petr. Ledesma cum aliis, quos citat, & sequitur Garcia 3. *p. capit.* 1. *numer.* 27. Lessius *libr.* 2. *cap.* 34. *numero* 176. Suarez *libro quarto de Horis capit.* 30. *à numero* 9. Vazquez *de Benef. capit.* 4. §. 1. *articul.* 1. *dubitat.* 8. *numero* 43. Sanchez *libro* 2. *consil. capit.* 2. *dubitat.* 82. *numero* 11. Bonacin. *disputat.* 1. *de Horis quæstio.* 5. *punct.* 2. *numero* 8. Layman. *libro quarto, tractat.* 1. *capite* 5. *numero* 1. Palaus *disputat.* 2. *pun.* 7. *numero* 4. Pellizar. *tractat.* 5. *capite* 8. *sectio.* 4. *quæstio.* 17. *num.* 216. quamuis dicat, oppositum non esse omnino improbabile. Villalob. *tractat.* 24. *diff.* 17. *num.* 8. Candidus *tom.* 1. *disquis.* 18. *art.* 25. *dub.* 1. Hermanus *in Sum. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *art.* 2.

QVÆSTIO XI.

An, ad minus sit liber à restitutione Beneficiarius, qui vnam tantum Horam Officij prætermittit?

AFfirmabunt, multo à fortiori, omnes Authores primæ sententiæ antecedentis quæstionis.

Sed probabilius adhuc, Respondeo. Non esse liberum, sed teneri ad restitutionem pro rata. Quia id clare expressit Pius V. in illa sua constitutione, ibi: *Qui vero Matutinum tantum, dimidiam, qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat.* Sic Pontifex. Et sic communiter Doctores omnes pro nostra sententia adducti præcipuè Nauar. Garçia, Bonac. Sanchez, & alij.

QVÆSTIO XII.

An item, teneatur ad restitutionem Beneficiarius, qui dimidium alicuius Horæ Canonicæ, omittit?

AFfirmat adhuc Bonac. *punct.* 2. *cit. numer.* 13. & 14. Quia sic omittens agit grauiter contra præceptum Ecclesiasticum, & violat iustitiam commutatiuam: ergo. Ita etiam Palao *loco citat. num.* 5. Corro *numero* 12. qui citant Garçiam *capite primo citat. numero* 27. sed male: quia hic, loquitur *ibi* de omissione integræ Horæ.

Sed probabiliter eque, &. Nõ teneri ad restitutionẽ. Quia decretũ Pij V. definite taxat pro omissione singularum Horarum, faciendam esse talem, & tantam restitutionem: ergo lex ista pœnalis, non est extendenda ad minorem omissionem: ergo licet aliquando Beneficiarius peccet mortaliter, in recitatione Diuini Officij, vt si omittat dimidiam Horam, aut, in opinione nostra, non integram, non tamen obligabitur ad restitutionem, nisi integram Horam omittat. Sic Candidus *tom.* 1. *disquis.* 18. *artic.* 25. *dubitat.* 1. Suarez *libro* 4. *capite* 30. *numer.* 9. Filliuc. *numero* 319. Tolet. *libro* 2. *capite* 12. *num.* 20. Bonarcius *libro* 2. *de Horis capite* 11. *numero* 10. Diana *p.* 4. *tractat.* 4. *Resol.* 220. Pellizar. *quæst.* 15. *numero* 211.

QVÆSTIO XIII.

An deinde, immunis sit à restitutione Beneficiarius, qui, eodem die, in singulis Horis, pauculos versus omittit; qui tamen simul sumpti vnam integram Horam efficiunt?

NEgant aliqui, existimantes, teneri ad restitutionem; quia sicut huiusmodi omissiones continuantur ad grauem culpam; ita etiam in ordine ad restitutionem. Ita Faustus *de Horis Canon. lib.* 2. *quæstio.* 286. quem pro hac parte refert Diana mox citandus. Cui addo Bonac. *disp.* 1. *qu.* 5. *pun.* 2. *nu.* 15. Corro, *q.* 5. §. 4. *n.* 13. *&* 14.

Sed probabilius, Respondeo, etiam esse immunem à restitutione. Quia Constitutio Pij V. solùm imponit obligationem restituendi pro singulis Horis integris. Sic Palaus *disputat.* 2. *de Orat. punct.* 7. *numero* 6. *vers. Maior autem difficultas.* Moneta *p.* 2. *cap.* 3.

cap.3.num.22. vbi sic ait: *Optime Nauarrus infert, non satisfacere præcepto recitandi Horas, eos, qui dum cantant, aut recitant, omittunt tantam partem Versuum, vel Psalmorum, etiam deglutiendo, corrumpendo, vel etiam syncopando verba, vel syllabas, vt ex ita omissis, vel corruptis, fiat notabilis pars. Quod tamen intelligendum est, non de omnibus Horis simul, sed de singulis Horis: nam quod in vna Hora omittitur, non est cum eo, quod in altera omittitur computandum, ad constituendam notabilem partem, cum qualibet Hora vnum totum integrum, & perfectũ per se constituat.* Sic xe Nauarro, Moneta. Sic etiam Diana *1.p. tract.12. Resol.26. & p.4. tractat.4. Resol.220. & p.5. tract.5. Resol.54. & tract.14. Resol.46.* Pellizar. *tract.5.cap.8. sect.4.q.15.n.213.*

Qvæstio XIV.

An, Beneficiarius, qui non recitauit laudes, teneatur ad aliquam fructuum restitutionem?

NEgat Diana *p.5. tractat. 14. Resol.46.* cuius ratio est, *Quod cum constitutio Pij V. obligans ad restitutionem omittentes Horas, loquatur de solis Horis integris, vt constat ex eius tenore, & ex habitis q.12. non debet extendi eius obligatio ad omissionem laudum, quæ non sunt Hora integra distincta; sed pars Matutini.* Ita ille. Cuius sententiam approbat Pellizar. *loco citato numero 211.* necnon alij viri docti, apud Dianam. Et licet satis sit probabilis.

Probabilius tamen Respondeo teneri ad restitutionem. Quia ad hunc finem, pro Hora integra reputatur. Sic expresse Bonartius *de Horis Canonic.lib. 2.cap.10. numero 12.* aut *cap.11. num.10.* (sic illum citat Diana *in diuersis locis*) cuius ratio est: quia laudes solent separatim à Nocturnis legi, aut recitari per modum Horæ diuersæ. Et debent à fortiori sic sentire Palaus *loc.cit. numero 5.* Suarez *cap.30. numero 12.* Faustus *lib. 2. quæst. 286.* Imo & pro hac parte citat Dianam, Ægidius Trullench *lib.1. in Decalog.cap.7.dub.24. numero 10. in fine:* eo quod *4. p. Resol. 220.* citata, referat Oliuerium Bonartium, & non impugnet.

Qvæstio XV.

An, Beneficiati maneant deobligati à restitutione fructuum pro rata, si alio die pro officio prætermisso, duplicatum recitent?

AFfirmant quidam; quia in tali casu rependent æquale. Ita Molfesius in *sum. tom.1. tractat.5. cap.5.num.17.* cuius sententiam probabilem existimat Bonacina *disput.1.q.5. punct.2. num.5.* citatque pro illa Maiorem, Palud. & Ledesmam, necnon & Suarium *lib.4. cap.29. numero 11.* & Filliucium *tractat.23.cap.10. quæst.2.num.307.* asserentes, non teneri dictos Beneficiarios ad restitutionem, supplendo alio die pensum Horarum, aut compensando aliis piis operibus. Rursus, citantur hic duo vltimi Doctores pro hac sententia, ab Ægidio Trullench, *vbi supra*, dicens etiam, eam esse probabilem.

Sed ego fere certum Respondeo, Minime manere deobligatos à restitutione; sed omnino teneri, etiamsi alio die suppleant quod recitare omisere, seu duplicatum officium dicant. *Primo*: quia sic colligitur ex ipsa Bulla Pij V. vbi clare dicit: *Eum, qui non recitat suo tempore officium, non facere fructus suos.* Et rursus: *Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & temporis, suos non facere.* ergo supposito hoc Pij V. decreto, quantumuis quis alio die suppleat defectum commissum in recitatione officij, minime liberabitur à restitutione fructuum diei omissi.

Secundo: Quia onus diuini Officij, est affixum diei, & transit cum ipso die; ergo alio die suppleri non potest. Sic Henriquez *lib.13. cap.13. numero 2.* Nauarra *de restitut. lib.1. cap.2. numero 180.* Aragon *2.2.q.83. art.3.* quos sequuntur Bonac. *num.5. cit.* & Trullench *lib.1. in Decal. cap.7. dub.24. numero 8.* Quibus addi possunt Diana *p.2. tractat. 12. de Horis Resol.24.* Faustus, *lib.2. de Horis quæst.280.* Escobar à Corro *quæst.5. de Horis*, §.4. *numero 10.* dicens, hanc sententiam esse verissimam. Pellizarius *tractat.5. cap.8. sect.4. quæst.20. numero 221.* vbi cum Diana notat, malè citari Suarium, & Filliucium, pro opposita parte: nam hi Authores loquuntur, non absolutè; sed attento præcise iure naturali, & secluso iure positiuo, videlicet, Decreto Concilij Lateranensis, & Bulla Pij V. statuentibus præfatam restitutionem debere fieri ex fructibus ipsorum beneficiorum. Sic etiam tenet Bassæus *to.2. verbo Horæ Canon. IV. num.1.* vbi addit, *Quod posita probabilitate oppositæ sententiæ non teneretur talis facere restitutionem in eadem specie actionis, idest, in recitatione eiusdem officij omissi: sed posset satisfacere per alias preces æquales arbitrio prudentis, vt per Rosarium sæpe repetitum, vel per Missas, & similia.* Sic ille.

Qvæstio XVI.

An, teneatur ad restitutionem fructus Canonicus, qui grossam Canonicatus verè, atque absolutè acquisiuit, antequam diuinum officium omitteret?

NEgat Salas, existimans, nihil tunc debere restituere. Quia pœna non est, vt fructus iam suos restituat; sed vt non faciat fructus suos. Ita ille *de legib.disp.15. sess.2. n.27.* Cuius sententiam referunt, nec impugnant, Diana *2.p.tract.12. Resol.8. in fine.* & Hermanus *loc.cit.n.7.* qui errore Typographi, malè citat Vazquium pro hac parte, cum oppositum expresse teneat.

Sed ego absolute Respondeo teneri ad restitutionem fructus pro rata officij omissi. Quia licet Decretum Pij V. dicat, *non faciat fructus suos*, sensus est, vt fructus beneficij, aut non acquirat, itavt faciat suos; aut si iam fecit suos, restituat eos tanquam iniustè perceptos, vt ait Leo X. & Pius V. in suis decretis sic Vazquez *tom.2. in 1.2. disp.168. cap.4. numer.35.* his verbis: *Præterea hanc fructuum priuationem non esse pœnam inhabilitatis quæ nullam executionem postulat, sed veram spoliationem fructuum quos Beneficiarius, antea iure possidebat, constat; quia etiamsi Beneficiarius, vt Canonicus, certis diebus anni ius adquisiuerit ad grossam, quam vocant, fructuum, & illam iam accepit, & iure possideat, postea tamen, aliquo die anni non recitet, debet restituere partem, quæ illi diei responderet, ac si grossa per singulos dies diuideretur, & adquireretur, spoliatur igitur fructibus, quos iam pacificè possidebat, ac proinde hæc non est pœ-*

na inhabilitatis, sed vere postulans executionem. Sic Doctissimus Vazquez. Quem non citatum sequitur Pellizar. *tractat.5. capite* 8. *sectio.* 4. *quæstio.* 22. *numero* 225. vbi aliter respondet fundamento Ioannis de Salas, scribens, *Quod dici possit, Beneficiarius recipiendo grossam prabendæ facere suos fructus, non absolutè, sed cum onere, vt si postea omiserit recitare tempore correspondente illis fructibus, teneatur illos restituere ad ratam, idque in pœnam talis omissionis: quod vtique potest habere locum etiamsi detur, Beneficiarium recipiendo grossam beneficij, suos faceret illos fructus, cum iuxta dicta quæstio.* 14. *illos faciat suos, sub conditione Officij recitandi, adeoque, hac non purificata ex defectu culpabili, beneficij fructus illi ad ratam desinant esse sui, idest, Beneficiarij. Illud certè puto omnino, requiri ad hoc, vt dicatur probabile, quod ait Salas, nimirum, vt Beneficiarius, bona fide recipiat grossam beneficij, hoc est, intendens recitare Officium tempore subsequenti correspondente fructibus grossæ, alioqui non videtur posse illos fructus facere suos, cum re vera, beneficium detur propter Officium.* Hucvsque Pellizarius. Cuius sententiam amplector, licèt eius, responsionis prima pars non placeat Vazquio; nec placet secunda mihi. Nam si opinio Ioannis de Salas, vt ab ipso edocta non est probabilis, nec erit ex eo quod bona fide recipiat grossam, & intendat recitare tempore subsequenti. Quid enim prodest bona fides, & intentio recitandi, si de facto culpabiliter non recitat tempore subsequenti? nihil sanè; cum ex omissione Officij culpabili, obligatio oriatur restituendi. Lege ipsummet Pellizarium *loc.cit.sect.3.quæst.22.num.*181. Palaum *disp.2.pun.7. num.*10. vbi aperte nostram sententiam tenet. Suarez *lib.4.cap.30.num.2.& sequent.*

QVÆSTIO XVII.

An, Beneficiati omittentes recitare Officium; teneantur ad restitutionem fructuum, ante Iudicis sententiam?

NEgant aliqui, eo quod pœna, quæ ad sui executionem, hominis actionem requirit; non est subeunda ante sententiam Iudicis: atqui ad restitutionem fructuum acquisitorum requiritur hominis actio: ergo. Propter hoc ita sentire Silvest. *verb. Clericus* 4. *quæst.*23. Petrus Sotus *lib. de Institut. Sacerdotum tract. vltimo, de vita Sacerdotum lect.*4. *fol. mihi* 385. *pag.*2. his verbis: *Nec illud opus est anxiè tractare, an omittens Officium, Diuinum, teneatur idcirco ad restitutionem fructuum, quos percipit in Ecclesia. Hæc magis videtur esse pœna, quæ iustè à Prælatis imponi potest, quam, vt quis ad eam per se teneatur.* Ita ille. Et Medina *lib.1. instruct. Confessor. capite* 14. §. 11. *fol. mihi* 105. clarè dicit constitutionem Pij V. esse pœnalem, & sic obligare post Iudicis sententiam. Ait enim sic: *Ni contra esto haze vn Motu proprio de Pio V. en el qual se manda, que el Beneficiado, que no reza las Horas, restituya a la fabrica del beneficio, y pobres, lo que vale el beneficio cada dia, la mitad por Maytines, y la mitad por las otras Horas; porque este mandato entiendo que es penal, quando el Iuez lo mandare.* Ita Medina. Quorum sententiam refert Sanchez *lib.2. consil. cap.2. dub.*82. *num.*3. nec reprobat.

Sed ego, vt certum mihi, Respondeo. Teneri ad restitutionem fructus ante iudicis sententiam; licèt omissio recitandi occultissima sit. Quia sic colligitur planè ex decreto Concilij Lateran. & Pij V. vbi dicitur, *Beneficiorum suorum fructus non faciant.* Et rursus: *sed eos tanquam iniuste perceptos erogare teneantur*, atqui nemo potest retinere, quod suum non est; sed in conscientia tenetur reddere, cui debetur, ante iudicis sententiam: ergo. Sic Nauarr. *capite* 7. *de Orat. num.*32. *& in Man. cap.*25. (non 21. vt legi apud Suarium) *numer.*122. (non 22. vt leges apud Palaum, Bonacinam, & Trullench.) Couarru. 3. *variar. capit.*13. *in fine.* Corduba, Durant. & Graffis, quos omnes citat, & sequitur Suarez *lib.*4. *de Horis capit.*30. *numero* 2. *&* 3. Petr. Nauarra *libro* 2. *de Restitut. capite* 2. *numero* 195. Lessius *lib.*2. *capit.*34. *dubit.*31. *&* 32. Aragon.2.2. *quæst.*83. *artic.*13. Macignus *capit.*28. *num.*10. Vazquez *de Benef. capit.*4. §.1. *dublt.*7. Filliuc. *tract.*23. *capit.*10. *numer.*311. vbi testatur, hanc esse. Sacræ Pœnitentiariæ praxim. Layman, Molfes. & Malderus, quos sequitur Bonac. *disput.*1. *de Horis qu.*5. *punct.*2. *num.*7. Palaus *disp.*2. *punct. vltimo, num.*10. vbi citat Garciam *de Benefic.* 3. *p. cap.*1. *numer.*32. sed male. Trullench. *lib.*1. *in Decalog. capit.*7. *dubit.*24. *numer.*9. vbi etiam citat malè Palaum pro opposita parte. Pellizar. *tom.*1. *tractat.*5. *capit.*8. *sectio.*3. *quæst.*22. *num.*181. *& sect.*4. *quæst.*14. *num.*210. Diana *tom.*1. *tract.*12. *Resol.*24. S. Faustus *lib.*2. *de Horis quæst.*290. Corro *quæst.*5. *de Horis* §.4. *num.*17. lege me ipsum *in simili* 4. *p. tract.*2. *disp.*9. *à q.*28.

QVÆSTIO XVIII.

An teneatur ad restitutionem Beneficiarij, si recitent Officium, aduertenter sine vllâ attentione interiori?

NEgant multi Doctores ducti: Qui Concilium Lateranense, & Pius V. solùm imponunt pœnam restitutionis fructuum illis, qui Officium Diuinum dicere omittunt: ergo huiusmedi pœna non debet extendi ad recitantes distractè, aut sine vlla attentione interiori. Deinde, quia probabile est, qui etiam data opera, recitat sine attentione interiori satisfaciat præcepto recitandi: ergo Beneficiatus sic recitans ad nullam restitutionem tenebitur. Ita tenent Ægidius, Valerus, Diana, Henriquez, Layman, & alij plures citati 2. *p. tract.*6. *disput.*13. *quæst.*13. *& supra disp.*4. *quæst.*2. & tenet, ob primam rationem, Sanchez *lib.*2. *consil. cap.*2. *dub.*85. *n.*2. cum Corduba, & certe probabiliter.

Sed probabilius adhuc, Respondeo. Teneri ad restitutionem, eo modo, quo tenetur qui recitare omittit. Quia paria sunt recitare, data operâ, sine vlla attentione interiori, & non recitare: cum ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas, aliqua interior attentio requiratur, vt *loc. cit.* diximus, cum Nauarro, Soto, Suario, Vazquio, Lessio, Sà, Bonacina, & Sanchez, & aliis. Et ideo in terminis hanc nostram sententiam tenent, Nauarr. Azor. Lessius, Petr. Nauarra, Bonac. Garcia, Suarez, quos citat, & sequitur Palaus *disput.*2. *punct.*-. *num.*7. Pellizar. *tract.*5. *cap.*8. *sect.*4. *quæst.*19. quamuis oppositam, esse probabilem sententiam, probet, vt etiam facit Trullench. *lib.*1. *in Decal. cap.*7. *dub.*24. *num.*14.

QVÆSTIO XIX.

An, Qui in peccato mortali recitat Officium, cum debita attentione; teneatur ad restitutionem?

AFfirmant aliqui apud Suarium, *lib.4. cap.30. nu.15.* eo quod putauerint, sic recitantem non implere præceptum, cum illa oratio non sit fructuosa Ecclesiæ. Et quidem de illo, qui recitat existens in peccato publico, sic sensit Angelus *v. Clericus.8. n.5.* vbi interroganti, An clericus teneatur restituere fructus, quos percipit de beneficio, existens in peccato mortali? Respondet, his verbis: *Si peccatum est notorium, ego habeo pro indubitato, quod teneatur restituere: quia cum sit suspensus, perinde est, ac si non resideret: quia nullum, & inutile, idem est.* Ita ille.

Sed, vt omnino certum, Respondeo. Non teneri Beneficiarium existentem in peccato, etiam publico, ad restitutionem fructuum, dummodo cum debita attentione reciter. Quia omnino certum est, quod ille sic recitando adimpleat Ecclesiasticum præceptum, sub quo non cadit, vt oratio sit satisfactoria, vt est opus operantis: quoad impetrationem verò, semper poterit esse impetratoria, præsertim in persona Ecclesiæ; & ipsum opus secundum se, placet deo, licèt particularis persona displiceat. Sic Suarez *nu.15. cit.* dicens, oppositum improbabile. Nauar. *de Orat. c.7. n.35.* & apud ipsum, Siluest. & Rosella. Bonac. *disp.1. qu.5. pun.9. nu.18.* Sà, Petr. Nauarra, Naldus, & Diaz, penes ipsum. Trullench. *num.14. cit.* Escobar à Corro *q.5. §.4. n.28.* Faustus *lib.2. de Horis q.274.*

QVÆSTIO XX.

An etiam Beneficiatus in excommunicatione recitans, possit licite retinere fructus beneficij, atque distributiones?

AFfirmant quamplures Doctores, quos retuli *par.4. tract.2. disp.9. quæst.28.* docentes; posse retinere fructus, aut distributiones, dummodo recitet Horas, & alia onera beneficij præstet. Ita Sanchez, Henriquez, Nauarra, Ægid. Vazquez, Auila, Hurtado, Bonac. Diana, & alij plures. Quibus addo Trullench. *lib.1. in Decal. cap.7. dub.24. num.15.* Corro, *loc. cit. num.29.* qui tamen malè citat Garciam pro se. Et licèt, vt *ibi* dixi, hæc sententia sit satis probabilis, & in conscientia tuta,

Iterum probabilius, Respondeo. Non posse licitè retinere fructus beneficij, aut distributiones, sed teneri in conscientia se ipsum spoliare iis fructibus, eósque restituere, ante sententiam declaratoriam Iudicis. Quæ quidem responsio, est verior attento rigore iuris, & vi præcisè censuræ: nam si alicubi contraria est legitimè introducta consuetudo, seruari omnino debet. Sic Abbas, Couarru. Sayrus, Suarez, Moneta, Alterius, Garcia Tolet. Filliuc. Bauny, Cornejo, Bassæus, & alij adducti à nobis *4. p. loco cit. quæst.28.* Legantur *ibi* à nobis dicta *qu.28. vsque ad 30.* nam latissimè de iis egimus.

QVÆSTIO XXI.

An Habens plura beneficia, teneatur fructus omnium beneficiorum, pro rata Officij, culpabiliter omissi, restituere?

REspondeo, vt certum. Teneri. Quia sic constat ex Bulla Pij V. Nam sicut ratione omnium beneficiorum tenetur quis recitare, ita etiam tenetur fructus omnium pro rata Officij dimissi restituere. Sic communis. Bonac. *disp.1. q.5. pun.2. n.16.* Trullench. *lib.1. in Decal. cap.7. dub.24. num.13.*

QVÆSTIO XXII.

An; Beneficiarius curatus non recitans, teneatur in integrum omnes fructus beneficij restituere; vel solùm fructus, qui correspondent recitationi, deductis fructibus, quos propter alia beneficij onera, seu ministeria, meretur?

AFfirmant permulti, teneri restituere integros fructus interim perceptos, etiamsi beneficium sit curatum; vel habens alia onera, vt Missarum, &c. *Probant.* Quia Concilium Lateran. expressè loquens etiam de beneficio curato, dicit non recitantem teneri restituere fructus pro rata omissionis: at beneficium curatum alia onera, & ministeria habet, præter Horarum recitationem: ergo. *Deinde.* Quia Pius V. in sua Bulla clarè statuit, *Vt qui Horas omnes Canonicas, vno, vel pluribus diebus, intermiserit, amittat omnes beneficij fructus, qui illi, vel illis diebus respondent, si quotidie diuiderentur; qui verò Matutinum tantum dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui Horarum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat.* Sic Pontifex. Ex sic Nauarr. *de Orat. c.7. num.32.* Nauarra *lib.2. de restitut. cap.2. à num.181. & num.196.* Suarez *lib.4. de Horis cap.30. nu.6.* Azor. *lib.10. cap.14. quæst.5.* Valentia *2.2. quæst.6. quæst.2. punct.10. §.8.* Vazquez (sibi contrarius) *1.2. disp.160. num.33. & 34.* & clarius *disp.168. num.34. & 35.* Garcia, *de Benefic.3.p.cap.1. num.28. & 34.* Malderus *de virtutib. tract.10. c.2. dub.4.* Reginald. *lib.30. n.46.* Paulus Squillas *dub.31. num.66.* Filliuc. *tract.23. c.10. quæst.5.* Palaus *disp.2. punct.7. nu.8.* Lorca *1.2. tom.2. disput.24. de legib. mem.1.* Escobar à Corro, *qu.5. de Horis §.4. n.9. & 16.*

Negant contra alij, docentes, habentes beneficium curatum, (aut aliud habens aliud ministerium) non teneri restituere omnes fructus correspondentes illi diei, nisi solùm partem correspondentem obligationi recitandi Horas: ac proinde dicunt Episcopum, vel Parochum omittétes Horas solùm obligari ad quintam partem fructuum pro rata restituendam: Canonicum ad quartam; alios Beneficiarios, & Capellanos ad tertiam tantum; reliquas alias partes, ratione aliorum onerum, retentas.

Probant, Quia licèt Motus Pij V. obliget omittentes Horas ad restituendos fructus omnes pro rata, tamen non est receptus cum tanto rigore, vt obliget ad restitutionem omnium fructuum beneficiorum, sed solùm ad restituendos fructus, qui correspondent recitationi, & qui propter illam dantur. Ita tenent apud Dianam, Syluius *in 22. quæstio.83. art.13. concl.4.* Homobonus *in Examine Eccles. p.1. tract.4. cap.5. quæst.42.* Molfes. *in Sum. tom.1. tract.5. cap.3. nu.26.* Fernandez *in Exam. Theol. p.3. c.13. §.8.*

*num.*2. Henriquez *lib.*13.*cap.*13.*nu.*2. Toletus *lib.*2. *c.*12.*n.*2. Sotus *lib.*10.*qu.*5.*art.*6. Aragon. 2.2. *qu.*83. Medina *in Sum.lib.*1.*cap.*14.§.11. Petr. Ledesma *to.*2. *Sum.tract.*9.*cap.*4. *concl.*11. Raphael de la Torre 2.2. *tom.*1.*q.*83.*de Horis, controu.*9.*nu.*40. & Lessius *lib.*2. *c.*34.*n.*37. Quorum sententiam, vt probabilem sequitur ipse Diana *to.*1.*tr.*12.*Resol.*8.*quamuis p.*4.*tract.*4. *Resol.*111. nihil de suo ponere ausus fuerit. Dictis Authoribus adhuc addi possunt Trullench. *in expos. Bullæ Cruciatæ lib.*3.*casu* 2.*num.*3. *& lib.*1. *Decal.c.*7. *dub.*15.*n.*3. Sanchez *lib.*2.*consil.cap.*2.*dub.*83. Rodriguez *tom.*1. *summæ cap.*143.*n.*4. Lud. Lopez *cap.*105. & 405. Vega 1.*p.Sum.c.*36.*casu* 1.*&* 2. Zechus *de Benef.c.*3.*circa finem.* Pellizar. *tract.*5.*cap.*8.*sect.*4.*qu.*13. *num.*207. Vazq. *de Benefic. cap.*4. §.1.*art.*1. *dubit.*7. *num.*38. Bonacina *disp.*1.*quæst.*5.*punct.*3.*num.*2. Sà, *verb. Beneficium num.*58. Layman *lib.*4.*tract.*2.*cap.*5. *num.*1.*&* 2. Macignus, *cap.*28.*num.*7. & Mallet. *tom.*1. *Malleatione* 30. *Bractea* 76.

Sed Ego respondeo dicendum, quod vtraque sententia sit probabilis: & clarius loquendo quod attento rigore decreti Concilij Lateranensis, & Pij V. probabilior sit prima: attenta verò praxi, & talis decreti, hæc secunda. Vtramque nostræ responsionis partem, vtriusque sententiæ fundamenta probant. Quapropter, supposita probabilitate huius secundæ sententiæ, sit consequenter.

Qvæstio XXIII.

An saltem simplex Beneficiarius, cui nullum onus est annexum, præter recitationem; si omittat recitare, teneatur integre omnes fructus beneficij, pro rata temporis, restituere?

NEgat adhuc Henriquez *lib.*13.*de excommun.c.*13. *numero* 2. *in Glossa lit. V. & Z. & Y.* docens, quod satis est, quod huiusmodi simplex Beneficiarius restituat tertiam partem fructuum. Itavt, si in die v.g. recipiat pro fructu beneficij tres argenteos, & omittat totum Officium eo die, tunc, iuxta placitum huius Sapientissimi viri, tenebitur restituere vnum solùm argenteum; & alios duos sibi retinere.

Fundamentum illius (inquiunt Bonacina, & Palaus) est, quod Beneficiarius, præter obligationem recitandi Officium, habet onus gestandi habitum Clericalem, & Tonsuram, viuendi castè, & alia: ergo, &c.

Sed, vt omnino certum, Respondeo. Teneri restituere omnes, & integros fructus, pro rata temporis perceptos. Quia huiusmodi Beneficiarius nulla alia ratione quit fructus beneficij recipere, quàm ratione Officij persoluendi: ergo si hic non persoluat Officium, nullum habebit titulum, ob quem aliquos fructus retineat. Sic Bonac. *disp.*1.*q.*5.*pun.*3.*num.*2. & Palaus *disput.*2.*punct.*7.*num.*9. Qui ad fundamentum Henrici (si eius est) respondent, quod beneficium non datur ad deferendum habitum, & tonsuram; sed propter Officium, & alia onera beneficio annexa. Delatio autem habitus, & Tonsuræ abunde compensatur immunitate Ecclesiastica, & aliis honoribus clerico concinnis. Sic Palaus, dicens, Henrici opinionem, esse improbabilem. Mallet. *loc. cit.* lege Sanchez *libro* 2. *consil. capit.* 2. *dubitat.* 83. *&* 84.

Qvæstio XXIV.

An Beneficiati teneantur ad restitutionem fructuum, casu, quo recitent vnum Officium pro alia, v.g. de Sancto, loco Officij de Feria?

AFfirmabunt, qui dicunt, huiusmodi recitantem non satisfacere præcepto Ecclesiæ, nec suæ obligationi: sunt autem Authores adducti *supra disput.*3. *quæst.*41. *&* 42. & antea 2.*p. tractat.*6. *disp.*13.*quæst.*27.

Sed probabilius, Respondeo, iuxta ibi dicta: non teneri ad restitutionem. Quia probabilius est satisfacere præcepto Ecclesiæ, & suæ obligationi illum qui recitat Officium pro Officio. Sic omnes Authores citati à nobis, *vbi supra*, & nouissimè Pellizar. *tr.*5. *cap.*8.*sect.*4.*quæst.*21.*num.*224.

Qvæstio XXV.

An, Beneficiarius omittens Officium, teneatur fructus eius restituere fabricæ Ecclesiæ, vbi est tale beneficium; vel pauperibus?

REspondeo, vt certum: Teneri restituere fabricæ beneficij, vel pauperibus. Quia ita habetur expressè in Concilio Lateran. & Motu proprio Pij V. illis verbis: *Quicumque habens benefic um Ecclesiasticum cum Cura, & sine Cura. si post sex menses, quam illud obtinuerit, Diuinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis Officij, & temporis, suos non faciat, sed eos tanquam iniuste perceptos in fabricam ipsorum beneficiorum, vel pauperum Eleemosynas erogare teneatur.* Vnde constat ex huius decreti verbis, liberum esse cuilibet Beneficiario omitti Officium, restituere fructus, vel fabricæ beneficij, vel pauperibus. Sic communis. Legantur Nauarrus *de Orat. c.*7.*n.*33. *& in Man.c.*25.*n.*121. *&* 122. Sotus *lib.*10.*de Iust.qu.*5. *art.*6. Nauarra *de Restit.lib.*2.*c.*2.*n.*191. Suarez *lib.*4. *de Horis cap.*30.*num.*18. Sanchez *lib.*2. *consil. cap.*2. *dub.*87. Bonac. *disp.*1. *quæst.*5. *punct.*4. *num.*1. Qui addit, id intelligendum esse, nisi aliud ferat consuetudo, vel statutum receptum. Palaus *disputat.*2. *punct.*7. *num.*11. Pellizar. *loc. cit. quæst.*23.*num.*226. Trullench. *lib.*1. *in Decalog. cap.*7. *dub.*26. *numer.*1. Diana 2.*p. tractat.*12. *Resolut.*27. Escouar. à Corro, *de Horis quæstio.*5. §. 4. *numer.*20.

Qvæstio XXVI.

An, Beneficiarius satisfaciat suæ obligationi, restituendo fructus Ecclesiæ beneficij, si hæc sit ditissima?

REspondeo, vt certum: Satisfacere. Quia re vera Concilium, & Motus Pontificis, absolutè dicunt Ecclesiæ beneficij, vel pauperibus esse restituendos fructus: ergo si facit, quod illi est iniunctum, verè satisfaciet obligationi. Nec enim dixere Concilium, & Pontifex Ecclesiæ pauperi; sed Ecclesiæ absolutè. Sic Sanchez *dubitat.*87. *cit. numero* 2.